SC.3.P.13.

37
44 D
10

GEORGII
A
TVRRE
HISTORIA
PLANTARVM.

DRYADVM, AMADRYADVM
CLORIDISQ. TRIVMPHVS,

Vbi Plantarũ Vniuersa natura spectatur, Affectiones expenduntur, Facultates explicantur.

AVCTORE

GEORGIO A TVRRE PATAVINO
In Patrio Gymnaſio olim Rei Herbariæ, Nunc Praxis ordinariæ interprete, Hortiq. Publici Præfecto.

SERENISSIMO PRINCIPI
AVGVSTISSIMOQ. VENETÆ REIPVB.[cæ]
[redacted] COLLEGIO [redacted]
[redacted] D. [redacted]

THEOPHRASTVS

DIOSCORIDES

DIJ FACIENTES ADIVVANT

PATAVIJ MDCLXXXV.
Typis Petri Mariæ Framboti Bibl.
Superiorũ permiſſu

SERENISSIME PRINCEPS, AVGVSTISSIMVM COLLEGIVM.

DIù multumq; mecum hæſitaram, Princeps Sereniſsime, Auguſtiſsimum Collegium, cui nam haſce meas qualeſcumque lucubrationes dicarem. Et quamuis probè nouerim res meas non alibi ſecuriorem aſylum inuenturas, quàm vbi tua eximia maieſtas, quaſi in Deorum throno curarum molem totius imperij dirigens à quocumque clementer ſe adorari ſinit: Armorum tamen ſtrepitus, & iuſtiſsimi belli neceſsitas, in quod modò glorioſè incumbis, ab auſis deterrere ſtuduit; hoc ſcilicet tempore, quo celebrem expeditionem contra immanem illum Turcarum non vnius tantum imperij Principem, totque regnorum dominatorem, ne dicam trucem euerſorem, moliris; & cui per Feicalem (egregium ſanè, & inimitabile facinus) cauſis prius denunciatis, bellum indixiſti, indèque ſuperbum hoſtem (quod felix fauſtumque ſit) palam laceſsiſti, heroicè inuaſiſti, vt ab eodem regna tua, vafricie potius,

tius, quàm bellica virtute occupata, generoſo conatu redimeres. Quibus omnibus perpenſis, parum abfuit, quin meum conſilium, tamquam inopportunum, aut temerarium damnauerim. Vicit tamen conſtantia mea importunum timorem, cùm animaduerterẽ numquam generoſiſsimam Venetæ Reipublicæ mentem, etiam difficillimis illis temporibus, quibus totius Europæ viribus inaniter in eiuſdem excidium conſpirantibus premebatur, à religioſo Mineruæ cultu defeciſſe; immo Martis manubias mitioribus muſarum inſtrumentis viriliter commiſcuiſſe; nec minus Palladis Caſside & Framea, quàm Gradiui haſta, enſeque ſe communijſſe. Mihi igitur ſacrarium hoc adire fas ſit, vbi non Principis ſublimitas tantùm virtutum omnium fulgurantiſsimo Iubare eminet; ſed tot coeuntium purpuratorum claritas intuentium oculos, vt olim Cyneæ apud Romanos vſuvenit, mirè perſtringit, & virtutum radios fulgidiſsimos vniuerſo orbi longè latèq; diffundit. Quid mirum, ſi Venetorum gloriam fatis etiam ipſis imperare contingat, dum foris aduerſus barbaras gentes, domi aduerſus vitia perpetuum bellum gerere contenderit? & populis ſuis bellica non magis virtute, quàm morum innocentia imperare ſtuduerit? His quidem ſanctiſsimis artibus olim Hieroſolymis, Cypro, Byzantioque ipſi, & alijs Græciæ regionibus, Orientiſq; regnis inſidere innitique, victoriarum præmijs potiri, opportunè victoria vti, leges mitiſsimas victis dare, tantæ virtutis generoſi effectus extitere. Adeoque non ſemel armorum arbitra Orbi vniuerſo leges latura fuiſſet, niſi benigna manſuetudine elatos animos

mos deliniendo, ſublimes faſtus prudenti moderatione coërcuiſſet. Sed quæſo quo feror? conſultius ſit, ſtrenua glorioſæ & ſemper immaculatæ Venetæ Reip. facinora venerabili potius ſilentio præterire, quàm è veterum memoria heroica facta peregrina oratione colligere; & quod ſemper omnium ingenia fatigare valuit, tacita veneratione ſuſpicere. Non erit igitur ab re omnino, Principi clementiſsimo obſequentiſsimum ſubditum, & ſeruum cumulatiſsimiſque honoribus, & ſtipendijs decoratum vectigalis loco hoſce ingenioli mei debiles conatus ſubmiſſe afferre. Nec me deterreat munuſculi tenuitas; Deos enim venerari cuique fas eſt, ſed non ab omnibus Thymiamata adolere; ſæpe enim lacte, & mola ſalſa litatum video; quamuis ſi argumentum operis ſpectemus oblatio mea, quantulacumque ſit, tanto Principi non erit omnino indecora; dum blandientis naturæ, & in ſummo telluris gaudio laſciuientis vtilem non minus, quàm pulcherrimum faſtum in floribus, fructibus, folijſque plantarum reconditum explicare contendimus; quarum miræ facultates ab anteactis ſæculis ſapientiſsimorum regum, Salomonis, Euaſi, Polemonij, Gentij, Lyſimachi, cæterorumque magnorum Principum mentes ex integro occuparunt. Supereſt modo, vt D. O. M. enixè deprecer, vt quemadmodum gloria tua per ſæculorum longiſsimos tractus nemini anteactarum R. P. imparem virtute ſe geſsit, & immaculatam libertatem vſque adhuc heroicè ſeruauit; ſic ad æui vſque Ecpyroſim maieſtatem

tuam,

tuam, faſtuſque traducat incolumen, & ampliſſimis viribus auctam ſumma comitante gloria deducat.

Sereniſ. Auguſtiſsimeque Maieſtatis Tuæ

Servus Humillimus & Subditus Addictiſs.
GEORGIVS À TVRRE.

CANDIDO LECTORI.

NOn magis mihi ipſi, quam cæteris mirandum cenſeo, cur ego viribus extremo ſenio iam fractis, & remiſsiore animo ad ſuperna potius ex naturæ lege tendente ad opus ſerium lucubrandum, edendumque me conuerterim; & argumentum difficillimum, & a pluribus ſuſceptum abſolutumque inſtar illius Ithacæ probæ heroinæ telam per otij nocturnam lasciuitem retextam ante Procos diurna luce iterum texere ſtatuerim; & particulam vaſtiſsimi Pliniani Oceani, Dioſcoridis inſtar Authomedontis, aut Palinuri clauum tenere, debili ſanè cymba nauigare ſtatuerim. Et quamuis non maris vaſtitatem (quod impoſſibile duxi,) metiri in animo fuerit; extrema tamen ſaltem, & littoralia eius oram, neſcio an ſtatim pœnitendo conatu, circum ambire decreui. Sed utcumque ſit, res alio modo ſe habet: ceſſare etenim admirationem facile autumauerim, dum quis animaduerterit me ſemper per totum vitæ curriculum otij oſorem extitiſſe; ut etiam in hoc mea graui ætate talem me præbere abſurdum non ſit coniectare; præſertim eo in tempore, quo ſepoſitis tantiſper patriæ publicis curis, & à ſummis Italiæ Dynaſtis, Venetiſque proceribus, qui non ſemel benigne ſatis mea debili opera utebantur, impetrata ob ætatem miſsione, inſimulque mente laxiore reddita, & a ſeuerioribus ſtudijs, quaſi feriante, in hæc amœniora ſtudia incumbere voluerim; & opuſculum varium pro argumenti conditione, & præcipuè plantarum facultatum per ordinem digeſtarum, ac diſpoſitarum, ut legentium faſtidio mederemur, & ſatietati varietate rerum proſpiceremus.

Verum ut ingenuè fatear gloriolæ vanæ auiditas, Deum Opt. Max. teſtor, ne quidem me commouit; quid enim quæſo gloriæ expectandum mihi ex opuſculo ineleganti ſtylo concinnato, in quo etiam materia ipſa nec digeſta ſatis, nec affabrè elaborata eſt, hoc quidem miſerrimo æuo, quo medicina ſuo malo fato obruta, ſi non profundè obdormit, ſaltem malè feriatur; dum corrupta, ſeu detorta ratione pellacibus ſenſibus diſtrahitur; & ſic eam ipſam trepidanti greſſu ad Orcum properare obſeruamus; & eo magis, quod ſeuerior quæque doctrina à delicato ſermone ſeiuncta vix lectorem inuenit. Vnum profectò tantummodo mihi infelicioribus niſce temporibus in animo fuit, ut humanæ ſaluti, ægrorumque vtilitati conſulerem; & veluti promptuarium quoddam ex antiquiorum doctiſsimorum penu faciliter depromptum, non quidem Ἀμαλθεῖον *plagiarium, recto medicinium commodo vſuique pararem. Nec quod operis argumentum ab alijs tentatum fuerit, magis me deterret, quam olim de-*

terruerit Virgilium diuinum Homeri poema; Apuleium Lucij Patrenſis primò, dein-ac Luciani Samoſatenſis Aurei Aſini metamorphoſis, Flaccum noſtrum argonautica ab Orpheo, Apolloniique expeditio explicata. Nec tandem erubeſcendum duxi fabellam aliquam huic operi, monimentaque varia è venerandæ antiquitatis penu deprompta inſeruiſſe; nam præterquamquod materia ipſa operis quandoque ex ſua natura id expoſcere viſa eſt; mihi vitio vertendum non putaui, ſi tædioſam orationem fabularum lenocinio leuiter delinitam, & veluti, vt aiunt, ſeſamo, & papauere inſperſam lectori beneuolo pararem, eiuſque faſtidium demulcere contenderim; & ſic Lyrici monitum executus, leuem quandam dulcedinem vtilitati commiſcerem. Vnum modo tantum mihi ſupereſt, vt titulum libri ab obiectis futuris vindicem, qui forſan quibuſdam abſtruſus nimis videbitur: ſatis tamen mihi ſit circa hoc dixiſſe aperte in fronte operis ipſum titulum explicaſſe; cum præſertim non vniuerſam rerum naturam declarare, vt Plinio libuit, pro ſcopo aſſumpſerim; ſed tantummodo plantarum. Vale interim beneuole lector, & auſis benigne faue. quod ſi Deus Opt. Max. vita mea ſpatium opportunum dederit; nouam ingenioli mei fœturam, in qua ſubterraneorum naturam explicare tentabo, propediem expecta.

IN

IN LIBRVM

DE PLANTIS

Illuſtriſsimi, & Eximij Viri D.

GEORGII A TVRRE

IN PATAVINO LYCEO MEDICINÆ PRACTICÆ
Profeſsoris Ampliſsimi.

CARMINA.

OBſtupuit quondam miratus ſurgere molem
 Turrigeram Mundus per Babilonis agros,
Vtque giganteus tetigit labor impius Axem,
 Erexitque audax Turris ad aſtra caput
Inſolita obſtupuit ſpectans miracula Cœlum,
 Indoluitque premi pondere Terra nouo.
Sed quid perpetua, triſtique ſepulta ruina
 Muſa? quid infames in memoras cineres?
Deſine veſſanos faſtus, hominumque ſuperbos
 Exornare auſus, & temerare Deos,
Quæque profanatos traxere in fulmina Cœlos
 Carminibus noli, nunc celebrare tuis.
Prodigio ſuperata nouo Babilonica cedant,
 Mireturque Polus grandia facta Viri:
Huc huc Pierides conuertere Muſa ſorores,
 Caſtalidumque Choros ſit tibi cura labor,
Huc huc mellifluas voces, cantuſque mouere,
 Et cytharam docta ſollicitare manu.
Euganeos inter colles, campoſque virentes,
 Priſca vbi Dardanij germinis oſſa iacent
Eminet excelſo ſublimis vertice TVRRIS,
 Et fortunatis ſuſtinet aſtra iugis,
Excurrit circum madidis Medoacus arenis,
 Limphaque contiguum lambit amica pedem,
In varias refracta rotas, varioſque reſlexus
 Exilit, & placido murmurat vnda ſono;
Amnigenis hic grata quies, gratique receſſus
 Naiadum, & fluidis otia grata Dijs,
Nam quæ cerulea vehitur ſuper æquora concha
 Hic gaudet choreas ducere cum Nereo.
Cingitur interea nemoroſis vndique ſiluis,
 Atque vireſcentis clauditur arte loci,
Mille theatrales expandit gratia pompas,
 Scenaque ſpectantes inuidiosa rapit.
Mille trahit varios aduerſo Sole colores,
 Mille nitent flores, germina mille virent:
Candida cum luteis Violis hinc Lilia florent;
 Et cum purpureis alba Liguſtra Roſis;
Illinc Narcisſus, Vaccinia nigra, Iacintus,
 Cum Cyano Nardus, Celtica ſpica, Crocus.
Non tot Luna focis, non tot micat ignibus Æther
 Quot circum varijs floribus arua micant:
Terra peregrinis turget fœcunda ſub vmbris,
 Atque ſalutiferas prodiga fundit opes,
Scilicet arboribus fragrantia balſama ſtillant,
 Dulceſque ambroſiæ, nectareuſque liquor;
Detulit Aſſyrios ſelix huc campus odores
 Diſcretis, & gratum detulit Ida nemus:
Herbarum nitet omnis honor, neque deficit vnquam
 Cultus, & æterno fœdere vernat humus:
Quicquid Phęaci natura locauit in hortis,
 Quicquid in Eois, Heſperidumque plagis
Condidit hic Heros, quo iam Vir maior in Vrbe
 Nec fuit ingenio, nec fuit arte potens:
Huic eſt plantarum ſubiecta potentia, & omnis
 Herbarum virtus, Peoniuſque labor.
Seu quis dilaniet miſeris mortalibus ægra
 Corda dolor, ſeu quis torqueat oſſa rigor,
Siue reluctanti langueſcant corpora ſpiritu,
 Vitaliſve calor ſincope diffugiat,
Seu ſerpat per membra Virum crudele venenum,
 Seu depaſcatur viſcera flamma vorax
Agmina vel quotquot fudit Pandora malorum
 In miſeros homines conglomerata ruant,
Hic hic diuina, nouus hic Epidaurius arte
 Eſt, hic eſt cunctis vera medela malis,
Hic eſt qui triſtes depellit corpore morbos,
 Ægraque Apollineis qui leuat ora modis;
Hoc duce terga dabit fœdum genus omne Cocyti,
 Et phlegetontei turba nefanda lacus.
Plaudite mortales ergo, ſub Vindice tanto
 Neſtoreos poterit viuere quiſque dies.
O felix TVRRIS, ſed te felicior omnis
 Cui dabitur claudi carcere poſſe tuo:
Tu ſalus Euganei populi, tu gloria ſęcli
 Diceris ò noſtri ſplendor, honorque Poli,
Non te fulminei ferient ea æthere ignes,
 Non te præcipitem deſtruet vlla dies:
Æternum ſtabis, famam, quę terminat aſtris
 Inuida nulla tibi tempora diſcipient.

In perpetuum venerationis & obſequij
teſtimonium erga Precept. opt.
Ant. Roſa Phil. ac Med. D.

AD ILLVSTRISSIMVM

GEORGIVM A TVRRE.

ODE.

TVRRIS incluſam DANAEM tenebat
ÆNEA, & triſtes vigilum catervæ
Cuilibet greſſum penitus negabant
Ire volenti.

Noſtra ſed TVRRIS meliora claudit
Nanque PANDORÆ Medicina diræ
Arcent acceſſum, fugiuntque ſæua
FATA ſororum.

Hinc Procul MORBI, procul hinc rapinæ;
MORTIS hinc luctus, dolor atque mœror;
Sola ſecuræ ſtatuunt penates
Gaudia vitæ.

BARBITON lætum modulare carmen
Voſque feſtiuos geminate plauſus
VIRGINES doctæ, meritaſque laudes
Dicite TVRRI.

Obſequentiſs. canebat
A. B.

Ad Nomen, & Librum de PLANTIS

ILLVSTRISSIMI D.

GEORGII A TVRRE.

DISTICHON.

ECce tuo ſurgit de Nomine TERRA GEORGI:
Ipſa VIRENS mittet Nomen ad Aſtra tuum.

Servus addictiſs.
B. S.

INDEX

INDEX CAPITVM, ET PLANTARVM.

Cap. 1 Plantarum Naturæ in vniuerſum affertur: an propria anima viuant, & qua ſi viuunt, expenditur. Stoicorum, & Epicureorum opinio reijcitur: viuere anima propria Plantas, eaſque vegetabili affirmatur. pag. 4

2 Vegetabilem gradum animæ, quo & viuunt, poſſidere plantas cum Ariſt. affirmatur; Platonis, Anaxageræ, Empedoclis, Democritique ſtirpibus etiam alios animæ gradus tribuentium opinio reijcitur. 6

3 Proximiora inſtrumenta Plantarum animæ inquiruntur, ignis præſtantia, caloriſq; ſubindè conſideratur; Hippocratis ſententia de calido expenſa, vindicata. 11

4 Caloris innati natura explicatur, tum humidi eius ſubiecti. An igneus ſit nec ne conſideratur, ſtatuitur. Spiritus etiam innati, & influentis conditiones examinantur. 14

5 Spiritus innati natura perpenditur, & quotuplex in animalibus ſit, ſtatuiturque numerus, & in plantis an multiplex. 21

6 Quid in Plantis partium nomine appellandum veniat determinatur, & earum opera nondum ab ijſe auulſa partium nomen non demereri ſtatuitur. 24

7 Plantarum corpus in ſuas partes diuiditur, parteſque ſigillatim examinantur. Theophraſti error conſideratur. 25

8 Plantarum quænam præcipue pars ſit inquiritur. De ſemine item diſſeritur, & quæ pars in plantis dignitate, & neceſſitate præcedat. 28

9 Seminis natura in Plantis conſideratur, definitur; eſſe partem plantarum ſtatuitur; compendio totam in ſeminibus plantam reperiri decernitur. 29

10 In dubium reuocatur an vis plaſtica ſeminibus inſit; ſemen ea non deſtitui rationibus comprobatur, immò veluti compendio Plantam totam poſſidere. 31

11 Plantarū ſumma genera inquiruntur; Expenditur Theophr. ſentētia; notatur eius circa hæc opinio. 33

12 Summorum generum Plantarum magis ardua diſquiſitio, ſingularum natura inquiritur, & deſcriptione ſtatuitur; deque Plantarum affectibus ſummaria diuiſio. 34

13 Numquid plantarum ortus è ſemine ſpontaneo varietatem includat perpenditur. Theophraſti ſententia explicatur, modi diuerſitas in vtroque conſideratur, quorumdam ſententiæ expenduntur. 37

14 Quæ intercedat differentia inter ſpontè naſcentes plantas, & quæ ex ſemine, vel quaſi, fuſius explicatur. aliquot virorum clariſſimorum opiniones circa hæc examinantur, exploduntur. 39

15 Confirmantur ea, quæ præcedenti capite allata ſunt, & quomodo hæc fiant clarius explicatur. Conſtituitur differentia inter ea, quæ ſponte naſcuntur & quæ ex proprio, & euidenti prodeunt ſemine. 42

16 De Inſitione. inſitionis modus inſtruitur, & varietas; conditiones neceſſariæ ad opus requiſitæ examinantur. 45

17 De tempore ortus plantarum, & Reuiuiſcentia. Celerioris, aut tardioris plantarum ortus cauſa diſquiritur: an ad caloris viuidioris vim id referendum, vel naturæ potius proprietatem, & quid amplius requiratur ſtatuitur: Cur aliquæ a longo tempore exſiccatæ plantæ reuiuiſcant aſſignatur. 48

Cap. 18 Quænam intercidat differentia ratione loci in plantis: an aliæ ſylueſtres, aliæ mites ſint, & an loca propria ſibi ea poſcant, vt proficiant, vel quid amplius requiratur, inquiritur. Summatim horum omnium ſtatuuntur cauſæ, &c. 51

19 De Plantarum incremēto, & duratione. Quæ differentia inter incrementum, & nutritionem intercidat ſtatuitur; arborum quarumdam immenſa magnitudo, & duratio, & in quam cauſam facienda diuerſitas ſit. &c. 54

20 De duratione foliorum. Cauſa arborum perpetuo virore comantium inquiritur, ſtatuitur: deque plantarum occultis agēdi viribus cauſæ perſcrutātur 57

21 De Occultis formæ vegetabilis viribus. Numquid vires admirabiles rerum ad manifeſtas cauſas ſint reuocandæ inquiritur; nec à materia pendere ſtatuitur, nec ab elementorum formis. 58

22 De Viribus Vegetabilium ſpecialibus. An quæ viribus occultis agunt plantæ vita deſtituta à forma propria, vel a ſubordinata agant decernitur. Quodnam huius formæ ſit ſubiectum ſtatuitur. Examinantur particulares harum occultarum virium effectus in ipſis. 62

23 Quas inſignes effectus occulta ſua vi, tam in animatis, & homine ipſo, quàm in anima carentibus in conſenſu, & diſſenſu prodant Plantæ, perpenditur; & an quarumdam ex priſcorum teſtimonio portentoſæ vires ſint credendæ. 65

24 De Plantarum Alexipharmaca vi. Alexipharmacorum natura explicatur, vireſque ſuas à propria forma cognoſcere ſtatuitur Quomodo venena alexipharmaca ſint. An detur Alexipharmacum omnibus venenis æquè contrarium. 68

25 Diſquiritur an neceſſarium ſit agere: eſſe Dioſcoridis genuinum librum, qui de Venenis inſcribitur &c. Venenum definitur, & a natura, qua venenum eſt, non eſſe productum aſſeritur. 71

26 Quid pro genere in venenoſum definitione ſtatuendum ſit inquiritur. Opiniones Mercurialis, & Apinacei perpenduntur. Statuitur venenum eſſe ſubſtantiam; Veneni tamen actionem à qualitate prouenire. 75

27 Perpenditur an Venena in viuentium corporibus generari queant. Concluditur affirmatiuè contra Mercurialis ſententiam. inquiritur an huiuſmodi venena per putredinem euadant talia &c. & tandem aſſeritur cauſa, cur Venenorum alia citius, alia tardius operentur. 77

28 Differentiæ Venenorum inueſtigantur. dubitatur an in viuentium corporibus frigida venena generari queant; & ſi poſſunt an manifeſtis qualitatibus operentur & an poſſint actiuari. an Venena viſu communicari poſſint perpenditur. 81

29 De ſignis Diagnoſticis Veneni & Prognoſticis. Recenſentur ſigna Prognoſtica & Diagnoſtica Venenis Communia, item & particularium venenorum; inquiritur an ex cadaueris inſpectione dignoſci poſſit, ægrum vi veneni interemptum. 84

30 De Præcautione venenorum. Quomodo præcauenda ſint venena explicatur. 85

31 De Prognoſtico. Venena quæcumque fuerint, ſemper mala, venenorum arte paratorum ad tempus,

pecu-

peculiaria alexipharmaca opponi debent, veneficis illis peculiaribus tantum nota. 87

Cap. 32 *De Alexipharmacis præcauentibus Venena. Quæ in venenorum ſuſpicione ſecurior ſit præcautio. Detur ne aurum potabile, eiuſque vſus. De terra lemnia conſideratio &c. Communium Alexipharmacorum contra venena, & particularium ſummaria conſideratio &c. & numquid Theriacæ vſus ſit improbandus diſcutitur.* 87

33 *De Curatione Venenorum in genere. Quæ in Venenis aſſumptis ſuperaddis remedia conueniant, & quando eorum vſus proficuus. De diæta adhibenda methodus certa conſtituitur.* 95

34 *De Venenis Metallorum frigidorum. Scrutatur hydrargyri natura, & primæ eius qualitates perpendantur &c. Ferri natura indagatur, eiuſdemq; ſymptomata. Plumbi conditiones patefiunt, ſic & Ceruſſæ, Minij, lithargyrij, Gypſi &c.* 97

35 *De particulari Curatione venenorum frigidorum. Inſtituitur ſummatim metallorum, metallicorumq; frigidorum curatio &c. & ſigillatim vnicuique venenorum relatorum propria aſſignantur Alexipharmaca.* 102

36 *De Venenis calidis curandis. Venenis calidis ex metallis metallicíſque deſumptis oppoſita alexipharmaca aptantur; ſymptomata ex illis superuenientia recenſentur an Arſenicum ſit alexipharmacum, & medicamentum thoracicum diſquiritur.* 103

37 *De Venenis frigidis ex plantis putatis. Dubitatur an hyoſcyamum, amaranthum bacciferum, herbam mirabilem, Solanum &c. frigidas plantas aſſerere ſit veritati conſonum &c. Coriandri qualitates ſtatuuntur &c. Fungorum quædam conſideratio affertur.* 107

38 *De Venenis è plantis calidis ortum ducentibus. Colchicum noſtrum an idem ſit cum Veterum Ephemero inquiritur &c. Thora ranunculorum genus Priſcis Aconitum vocata. Aconitum cum Gal. calidum & humidum cur dicèt leniſſime eius ſucco ſagittæ imbutæ feras perimant &c. fæminisq; ſi inſumpſit, tactu genitalium eas ocyſſimè interimendo.* 113

39 *De Curatione Venenorum ſupradictorum. Quæ plantis venenatis calore vigentibus ſingulari er opponantur planta. De Napello Moyſis, ſiue Moyſi. Auicennæ nonnulla produntur.* 120

40 *De Venenis animantium intus aſſumptis. Cantharidum vſus tam internus, quam externus non improbandus. Salamandræ temperamentum in diſquiſitionem vertitur. inquiritur numquid proprium marini leporis veneni ſit primario pulmones inuadere. Venenum torpedinis quomodo ſeſe inſinuet inquiritur &c.* 123

41 *De Venenis extrinſecus illatis. An ſerpentes calidi, vel frigidi temperamenti ſint definitur cum Auicenna.* 134

42 *De Cura Serpentum morſus Venenati in genere. Numquid Viperæ Venenum è vehiculis ſub lingua communicetur, vel potius alia ratione. Signa virulentiæ a morſu explicantur.* 135

43 *De Aſpide. De Aſpidis natura quædam, eiuſque ſpeciebus. An detur Baſiliſcus in natura, Scorpionum temperamentum calidum contra Galen. & Auicennæ ſententiam ſtatuitur. Aſſeruntur ſymptomata. De quæ Appula Tarantula nonnulla.* 136

44 *De Curatione prædictorum Venenorum. Vtrum medendi Venenatos morſus per ſuctionem innocuo miniſtro inſtitui poſſit. Quid, è in horum curatione veniat, & particularia Antidota recenſentur.* 140

Cap. 45 *De Curatione Venenorum ictu Inflictorum. Particularium iterum ex animalibus venenatis ratio, & curatio inſtituitur, & peculiaria antidota proponuntur. Quæritur numquid Scorpionis corpus proprij veneni per morſum illati antidotum vt fertur euadat, vel potius ſuperet idem attrahendo* 142

46 *De morſu, eiuſque curatione canis rabidi. Veneni rabidi canis natura ſcrutatur. Inquiritur an inter animalia ſolus canis rabie afficiatur &c. An tale venenum ab occulta qualitate fiat &c. Curatio huius veneni inſtituitur.* 144

47 *De Plantis reſiſtentibus maleficijs. Magiam, & veneficia a ſæculo floruiſſe oſtenditur. Numquid Vliſſis ſocij Circes venefico poculo brutorum corpora realiter induerint &c. & an in verbis nudis vis aliqua reperiatur euidens noxas inferendi, aut abigẽdi.* 150

48 *De purgatrice plantarum facultate. Purgationis humorum noxiorum vim a forma medicamentorũ, non ab eorum temperamento proficiſci ſtatuitur. Pharmaci nomen quot modis accipiatur. an actio purgãdi per attractionẽ fiat, vel ab alia cauſa.* 156

49 *De facultate plantarum purgatrice. In dubium reuocatur an attractione humores à pharmaco educantur &c. An purgantia medicamenta ad humores accedant, vel potius econtra fiat &c.* 160

50 *Quæ vi Purgantia attrahant. An attractio medicamentorum purgantium ab occulta fiat, vel manifeſta qualitate &c. Non fieri a temperamento accidentali, neque ſubſtantiali attractionem, ſed ob naturalem medicamenti purgantis potentiam.* 163

51 *De Purgantium differentijs quantitate, & qualitate. Quæ ſint medicamentorum catharticorum differentiæ ſtatuitur. An detur ſimplex catharticum, quod omnes humores educat &c.* 166

52 *De quantitate purgantis medicamenti, & conſequentis. De corrigentibus medicamentorum purgantium noxas quædam conſiderantur. Quis moliendum proponitur ſi nimis tarda euadat euacuatio &c.* 169

53 *De Superpurgatione. Adducuntur cauſæ ſuperpurgationis, & quomodo cognoſcatur, & quæ remedia eidem opponantur.* 173

54 *De Saccharo eiuſque viribus. Sacchari natura, natalis locus, & vires conſiderantur. quo modo elaboretur, eiuſque differentiæ recenſentur &c. Deſcribitur Sorbeth præparatio &c.* 175

55 *De Manna, eiuſque viribus. Variæ opiniones circa Mannæ ortum afferuntur. expenduntur eius differentiæ, & temperamentum ſtatuitur; doſis & vires examinantur.* 179

56 *De Caſſia Fiſtula. Purgatricem Caſſiam veteribus Græcis incognitam fuiſſe aſſeritur; quæ illorum fuerit Caſſia, & quæ latinorum perpenditur. Deſcribitur caſſia ſiliqua, & quomodo ſeruetur. affertur temperamentum; caſſiæ noxæ examinantur viresque eiuſdem expenduntur.* 181

57 *De Roſis. Roſarum vſus antiquioribus diuerſus à noſtro in medicina temperamentum examinatur. vires tam ex veteribus, quam ex recentioribus explicantur.* 185

58 *De Violis. Violarum purpurearum deſcriptio. Temperamentum examinatur, vires explicantur. Meſue qui Violis narcoticam facultatem tribuit, & purgantem notatur & excuſatur.* 189

59 *De Floribus Perſici, Ceraſique. Perſicum noſtrum a Perſea Theophraſti differentiſſimum ſtatuitur: Plinij opinio ex Athenæo conuellitur circa Ceraſi cognitionem in Italia. vires & temperamẽtũ produntur, prius que planta ad flores quod attinet.* 191

De

Cap.60 *De Aloe, & eius viribus. Aloes generu explicantur: etiam in Italia cum Columna optimum ſuccum prabere &c. quomodo ſeruari poſſit &c. temperamentum controuerſum ſtatuitur, vireſque paſſim examinantur.* 193

61 *De Tamarindis. Nominis ethymon Tamarindorũ legitimum declaratur & Arabicam ſiliquam malè appellatam a Bauhino; temperamentum vireſque afferuntur.* 200

62 *De Prunis. Pruna ſebeſtena & damaſcena examinantur; Reycitur Salmaſij ſententia, mixas eſſe Muſas: temperamentum & vires adducuntur, purgare pruna contra Fuchſium aſſeritur.* 203

63 *De Mercuriali. Mercurialis genus duplex conſtituitur. Veteribus in uſu receptum. Deſcribitur, tẽperamentum aſſignatur. Suſpecta eſſe omnia, quæ de maris, aut fœminæ conceptione Mercurialis beneficio fieri ab antiquis produntur, aſſeritur; vires examinantur.* 205

64 *De Dulcamara. Veteribus indictam Dulcamaram opinatur: ſententiæ circa ipſam Matth. Gal. & Dod. expenſæ, & reiectæ. Deſcribitur, temperamentum, & vires deſignantur.* 206

65 *De Eupatorio Meſue. Eupatorium Græcorum non eſſe Eupatorium Auic. ſtatuitur contra Ceſalpinũ, & Coſtæum; idem definitur de Meſ. eupatorio reycitur opinio Cordi, & Ophmanni gratiolam eſſe Meſ. eupatorium, temperamentum deſignatur; vires explicantur.* 207

66 *De Frangula. Frangulam à veteribus non viſam aut ſub alio nomine indigitatam creditur. Statuitur temperamentum, uſus inſtruitur.* 209

67 *De Filicis radice. Filicis & Arundinis naturale diſſidium confirmatur, catharticè humores educere ſtatuitur, an ſemen gerat diſcutitur & aſſeritur, vires aliæ eiuſdem examinantur.* 210

68 *De Volubili maiori, & de Helſine Cyſſampelos. Conuoluulorum ſpecies ſub alio nomine a veteribus conſideratas aſſeritur; non implicare etiam maiorem conuoluulum aluum lubricam reddere tum neotericis & Meſ. deſcribuntur conuoluuli, vireſque examinantur utriuſque.* 212

69 *De Lupulo ſiue Lupo ſalictario. Lupulum Græcis indictum, Plinio vero cognitum & Arabibus, controuerſum temperamentum definitur, vires explicantur.* 214

70 *De Rhabarbaro Veteribus Græcis Rhabarbarum non cognitum, & ab eorum Rha differẽtiſſimũ &c. Rhaponticum Antiquorum definitur &c. Aſſeritur Turcicum Rha &c probitatis notæ conſiderantur, & quomodo tute adſeruari poſſit. conditiones rhabarbari temperamentales exquiruntur, & quibus miris viribus in medica facultate ſeſe inſinuauerit &c.* 215

71 *De Hippolapatho ſeu Rhabarbaro Monacorum. Hippolapathum Rhabarbaro congenerem dici poſſe affirmatur. duplumenſura bilem ſubducendi vim habere creditur exhibitum. Temperamentum deſignatur vires conſiderantur.* 219

72 *De Centaurio minori. Centaurium minus nihil habere commune cum maiori ſtatuitur &c. Deſcribitur planta, temperamentum deſignatur controuerſum, vires examinantur.* 220

73 *De Gratiola. Eſſe Gratiolam Centaurij minoris ſpeciem non eſt abſurdum affirmare. deſcribitur planta, aſſignatur temperamentum, doſis diſtinguitur, vires produntur.* 222

74 *De Peplio, & Peple. Veteribus præterquam Theophraſto cognita Peplij & Peplis plantæ, etymon nominis vndè: Plinius notatus; cur Peplion Meconium appellatum ab Hipp.* 223

Cap.75 *De Chamæſyce. Temperamentum Chamæſyce ſtatuitur vireſque produntur, cum Peplys adſtipulandam eſſe cum Lob. exiſtimatur.* 224

76 *De Scamonio. Scamonium noſtrum nõ differre à ſcamonio Veterum exiſtimatur obiectionibus reſolutis &c. temperamentum ſtatuitur &c. vires afferuntur. quomodo intelligendus Dioſcorides Scamoniũ partum necare.* 225

77 *De Periploca, ſiue Apocyno Dioſcoridis. Periplocam non eſſe Aſclepiadem, noſtrumq; Periplocam eſſe Apocynum à Dioſcoride deſcriptum ſtatuitur &c. Periplocæ correctio affertur, & doſis adſtruitur.* 227

78 *De Agarico. Cur Agaricum à Democrito medicamentum familiæ appellatum. Etymi redditur ratio &c. Deſignatur temperamentum. non correctum Agaricum vomitum excitat. Doſis diſquiritur; vires miræ examinantur.* 228

79 *De Aſaro, & Aſerina Matthioli. Vim purgatricem per ſeceſſum in Aſaro non cognitam a Dioſcoride ex Galeno, vomitum tamen ciere notum &c. ex deſcriptione difficultas emergens ſublata. temperamentum, & vires traduntur.* 231

80 *De Carthamo, ſiue Cnico. Cnicum Veteribus in uſu peruio habitum, & a quo ſic dictum, & cur ab Arabibus Carthamum appellatum. Tria Cnici genera a Theophraſto recenſita. Temperamentum aſſignatur diuerſum a veterum decreto. Correctio, modus adhibendi, & vires traduntur.* 232

81 *De Bdellio. Bdellio vim ineſſe ſubductoriam quamuis græcis antiquioribus non cognitum aſſeritur; à qua arbore exſudet, & cui Gummatum aſſimilandum incertum. non colorem odoratis vnguis, ſed odorem Bdellio a Dioſcoride attributum opinandum contra Salmaſium cum Saraceno. Temperamentũ ſtatuitur; vires explicantur.* 234

82 *De Magnete. Magnes cur ita dictus, & cur Herculeus lapis. Plinij opinio circa magnetis differentias repudiata prodigioſas vires ſuas a tota ſubſtantia promanare aſſeritur. facultates ad medicum vſum ſpectantes examinantur.* 235

83 *De Mecoacan. inuentio radicis Mecoacan cui debeatur. Delineatur planta, & cui ſtirpium generi adſtipulanda ſit ſtatuitur. temperamentum deſinitur, vires explicantur.* 237

84 *De Chelapa. Locus Chelapæ vbi naſcitur, & inuentio ſtatuitur. dubitatur an a Monarde deſcripta ſit. temperamentum, & vires explicantur.* 239

85 *De Spina infectoria. Spina infectoria cur ſic vocata. Veteribus non cognita. deſcribitur eiuſque cathartica vis, & quomodo operatur declaratur.* 240

86 *De Eſula. Eſulam non eſſe Tithymalum ſtatuitur; eſſe potius Pithyuſam Dioſcoridis &c. Deſcribitur Eſula &c. temperamentum ſtatuitur; quomodo corrigatur; vires produntur.* 241

87 *De Geniſta ſiue Spartio Dioſcoridis. Geniſtam fruticem eſſe Dioſcoridis, & antiquorum ſpartium creditur. ſoluuntur argumenta contrariam opinionem ſtatuentia. temperamentum vireſque examinantur; modus, quo vſum medicum ſuum explet perpenditur.* 243

88 *De Hermodactilo. Eſſe Hermodactilum idem cum Colchico Dioſcoridis quamuis haud venenatum, & Ægyptijs inuentum. Renoaeus notatus. Purgandi facultate præditum eſſe temperamentum deducitur, nec recenter extra [illegible] eſſe venenum, contra Coſtæum vires produntur.* 244

byze

Cap. 89 *De Turpetho ſiue Turbith. Examinantur Autorum opiniones circa Turbith genuinam Plantæ conditionē. temperament. & vires afferuntur.* 246
90 *De Narciſſi lutei ſilueſtris radice. Deſcribitur Luteus Narciſſus. vires examinantur, & noxarum correctio affertur.* 247
91 *De uvæ Taminiæ radice. Eſſe uvam Taminiam Celſi, vitem ſilueſtrem Dioſcoridis exiſtimatur; temperamentum aſſignatur; afferuntur vires.* 248
92 *De Opopanace. Panacis nomen ſæpè, & cur abuſiuè, quamuis non ſine ratione vſurpatum. Panacis veri nominis diſtinctio, a quo petita, à qua harum plantarum opopanax colligatur, & quo modo. deſcriptio offertur, & temperamentum. & vires traduntur; morſus præſertim canis rabidi aduerſari aſſeritur.* 249
93 *De Sagapeno. Sagapeni Gummi tantummodo notum veteribus, non vero Planta, a qua colligebatur. Eſſe à Laſere diuerſum. reijcitur Galeni ſententia ſagapenum in Galbanum mutari. temperamentum eius ſtatuitur. vires explicantur.* 252
94 *De Sarcocolla. Ignotam eſſe plantam, a qua exſudat Gummi ſarcocolla; notatur Plinius ad eius ſaporem, coloremque. quod attinet; diſcutitur temperamentum; produntur vires.* 253
95 *De Ammoniaco. Veterum opiniones variæ circa plantam, quæ Ammoniacum producit offeruntur; temperamentum adducitur; vires produntur.* 254
96 *De Brionia. Brionia a quo ita vocata: temperamentum eius diſcutitur: modus corrigendi eius noxas proditur; vires explicantur.* 255
97 *De Colocynthide. Colocynthidem à cœtu catharticorum delendam admonet Manardus & Muſa. deſcribitur; temperamentum ſtatuitur; quæ deligenda, & quomodo corrigenda ſit; vires produntur.* 256
98 *De radice Cyclamini. A quo cyclamini nomen a græcis deductum ſit. Dioſcoridis deſcriptio offertur. qui benè caulem eidem plantæ aſſignat; temperamentum viresque adducuntur.* 257
99 *De Chamelæa. Chamælæam eſſe plantam differentem à Mezereo. & Thimelæa aſſeritur. cur Tricocos dicta, deſcribitur. quomodo colligatur, exhibeaturque explicatur. vires traduntur.* 259
100 *De Thymelæa. Deſcribitur cum Dioſcoride Thymelæa: temperamentum conſtituitur, vires explicantur.* 260
101 *De Mezereo Arabum. Mezereum Arabum non eſſe chamælæon, neque laureolam ſeminam ſupponitur, tanquam de medicamento omnino ignoto deſeritur eius conſideratio.* 261
102 *De Euphorbio. A quo Euphorbium nomen acquiſiuerit cum Plinio ſtatuitur; varietates opinionum circa Euphorbij plantam adducuntur, differentiæ offeruntur: à Dioſcoride calidiſſimum eſſe temperamento ſtatuitur, vires aſſignantur.* ibid.
103 *De Laureola utraque. Laureolam marem non eſſe Mezereon Arabum, nec Dioſcoridis Daphnoidem &c. Laureolam eſſe potius Mezereum Germanorum, Deſcribitur Laureola mas & fœmina &c.* 263
104 *De utraque Sanamunda. Sanamundæ ex Cluſio adducitur deſcriptio: Thimelæ temperamentum habere ſtatuitur; doſis, & vires produntur.* 264
105 *De Tithymalis. Tithymalorum apud Antiquos exacta cognitio fuit &c genera Tithymalorum ex Theophraſto recenſentur. nominis etymon adducitur; deſcribitur modus colligendi, doſis, temperamentum ſtatuuntur; vires examinantur.* 265
106 *De Flore Æris loto. Quis abuſus intercidat apud ſeplaſiarios circa æris loti vſum detegitur, & electio moduſq; legitimum æs colligendi explicatur. temperamentum eius, & vires examinantur. Album æris florem dari ex Fallopij teſtimonio confirmatur.* 268
107 *De Medicamentis humorem melāc holicum cathartice educentibus. Veteres nobis, & iudicij difficultatem in Medicina exercenda minuerunt, & experimenti periculum ſuſtulerunt, exciti a morborum tum ſæuitia, tum brutorū animaduerſione &c.* 269
108 *De Epithymi nominis etymon declaratur &c. Epithymum ſequi conditionem temperamenti Thymi &c. difficultates circa Pauli, & Meſues opiniones examinantur: vires, & doſis produntur.* 271
109 *De Cuſcuta. An Cuſcuta ſit Plinij Caſſita inquiritur. non in lino tantum innaſci, ſed & in alijs plantis oſtenditur. Variare temperamentum, viresque pro natura eius, cui innaſcitur plantæ.* 273
110 *De Polypodio. Polypodij radix cur ſic dicta; deſcribitur planta: à loco vbi innaſcitur deſumere præſtantiam aſſeritur cum Meſ. paſſiuarum qualitatū in temperamento conſtituendo polypodij, laudatur Meſ. opinio, reijcitur actiuarum.* 274
111 *De Senna. Non eſſe Sennam Coluteam Theophraſti, nec Dioſcoridis Delphinium, vel Antiquorum Peplion &c. Deſcribitur Senna: ſtatuuntur genera &c. temperamentum Definitur; vires examinantur.* 275
112 *De Fumaria. Etymon ſumariæ declaratur: eius diuiſio per genera affertur, quæ a radicum differentia petitur: deſcribitur; Temperamentum perpenditur; vires produntur.* 278
113 *De Stœchade Arabica. Catharticus Stœchadis vſus non omnino certus. Nominis etymon declaratur. Lobel. notatus. Dioſcorides defenſus. Arabica ſtœchas præfertur. temperamentum & vires examinantur.* 279
114 *De Lapide Armeno. Lapidem Armenum Veterum eundem eſſe cum Recentiorum lapide aſſeritur &c. Fallopij opinio reiecta &c. lapidis huius loti temperamentum ſtatuitur &c. & corrigendi modus traditur.* 281
115 *de Lapide Cyaneo. Cyaneo lapidi colorem nomen dediſſe, & ex eo, quemadmodum etiam ex Armeno pulcherrimum parari pigmentum aſſeritur &c. aſſirmatur non eſſe venenum; temperamentum, & vires afferuntur.* 284
116 *De vtroque Elleboro. Ellebori tam albi, quàm nigri conditiones, ob nominis affinitatem, hoc unico in loco expenduntur &c. Cur ita appellatum &c. vtriuſque ellebori vires perpenſæ, & quæ eorum noxas corrigere valeant.* 285
117 *De Antimonio, ſiue Stibio. Antimonij internus vſus veteribus tum adhibitus malè pro Panacea vſurpatus a Paracelſo. quam ſuſpectæ ſint eius vires. perpenſa fraudes agyrtarum & deſectæ in eo ſuſpiciendo. Damnatum eius vſum decreto ſcholæ Pariſienſis.* 290
118 *De Seroſitate per alvum ducentibus medicamentis. In hydragogorum perquiſitione idem ordo ſeruandus ſtatuitur, qui in præcedentibus eſt habitus aſſectibus, a benignioribus exordium ſumentes.* 294
119 *De Iride. Iridem ex evacuantibus catharticè benignè ſerum humanæ ſalutis ſingularem opem ferre aſſeritur &c. eius figura deſcribitur &c. temperamentum ſtatuitur, vires examinantur.* 295
120 *De Chamæleonis albi radice. Albi Chamæleonis purgandis ſeroſitatibus innoxia radix opportuna; an nigri Chamæleonis radix venenata ſit perpenditur.*

ditur; deſcribitur planta; temperamentum deſignatur; vires produntur. p. 279

221 De herba mirabilis floris Hiſpanorum, ſiue Hoeal Indi Peruviana. Herbam mirabilem hydragoga facultate pollere aſſeritur &c. à radice quotannis non ex ſolo ſemine planta reproducitur &c. 300

222 De Hemerocalle. Hemerocallis catharticam facultatem hydragogam non Dioſcoridi, ſed Plinio notam aſſeritur; nominis ratio affertur. deſcribitur; temperam. affertur: doſis, & vires explicantur 302

223 De Cynocrambe. Dubium ſoluitur circa Dioſcoridis Cynocrambe deſcriptionem, & noſtram eſſe geminam Dioſcoridis affirmatur; aſſignatur temperamentum; affertur doſis, & noxarum correctio. 303

224 De Trifolij bituminoſi radice. Trifolij bituminoſi vires, tum pratenſis etiam expenduntur, vtriuſque temperamentum adducitur. 304

225 De Antoræ radice. Antoram venenorum, ſed præcipuè pthoræ ſingulare alexipharmacum aſſeritur. eſſe Napellum Moiſis Auic. deſcribitur vires examinantur catharticaque facultate ſerum euacuare affirmatur. 305

226 De Æris ſquama. Æris ſquemæ vires ſub qua ratione expendantur affertur: hydragoga eius facultas Dioſcoridi incognita, item vomitaria, temperamentum ſtatuitur. Doſis affertur, & quomodo corrigantur eius noxæ. 306

227 De radice Cucumeris agreſtis. Antiquiſſimus elaterij vſus ex agreſti cucumere expreſſus. quæ de eius duratione feruntur expenduntur. Deſcribitur planta &c. an lucernis appoſitum lumen extinguat 307

228 De Ebulo, & Sambuco. Sambuci & Ebuli affinitas conſideratur, & diuerſitas in quo conſiſtant nominis ratio explicatur, deſcribuntur temperamentum, examinatur, vires producatur. 309

229 De Lactucæ ſylueſtris ſucco. Lactucæ genera adducuntur &c. Vnde ſic appellatis &c. Cur a Pythagorico quodam Eunucus appelletur. & à Græcis mulieribus Aſtutida &c. vires explicantur. 311

230 De Soldanella recentiorum, ſiue braſſica marina Dioſcor. Nihil habere commune Braſſicam Marinã cum Braſſica ſatiua etiam cum ipſo Dioſcor ſtatuitur. Cur ſoldanella dicta. Deſcribitur; temperam. ſtatuitur. Vires panduntur. 314

231 De vtroque Ricino. Ricini planta à quo nomen deſumpſerit ſtatuitur. deſcribitur. D. Hieronymi ſententia allata: arborem ſcil. eſſe illam, ſub qua Profeta Ionas cubauit &c. Minoris Ricini ſiue Catapuciæ affertur hiſtoria &c. Temperam ſtatuitur, vires explicantur, & quomodo eius noxæ corrig. 315

232 De Vite alba Matth. tertia Clematidis ſpecie. Non eſſe vitem ſylueſtrem Dioſcor affirmatur. deſcribitur. temperam. definitur, vires expenduntur. 318

233 De Tithymalo platiphyllo. Cur de hac Tithymalo rũ ſpecie ſeorſum à ceteris agatur adducitur ratio etc. deſcribitur. electiuè purgare ſeroſitates &c. 319

234 De medicamentis catharticis vomitum cientibus. Nullum dari medicamẽtum vomitorium, quod etiã aluum turbare nequeat etc. Cur magis euacuatio ad inferna deuoluatur etc. Cathalogus vomitor. etc. 320

INDEX CAPITVM, ET PLANTARVM LIB. II.

Cap. 1. PLantarum figura, eiuſque varietates iuxta plãtarum diuerſitatem conſiderantur. à qua cauſa varietas emanet diſquiritur &c. pag. 332

2 De fine figurarum partibus impreſſarum. Quot modis natura à Veteribus accipiatur diſquiritur, &c. 335

3 De ſignis à plantarum figuris depromptis. An figuræ plantarum indicent, quibus corporis noſtri partibus vtiles eſſe poſſint expenditur &c. 338

4 De temperamento plantarum accidentali. Conſiderari in plantis duplex temperamentum accidentale, & ſubſtantiale &c. 341

5 An in vnica planta trium elementorum prædominium in eius accidentali temperamento conſtituendo dari poſſit inquiritur, & quomodo planta temperata dicenda veniat &c. 344

6 De eſſentiali plantarum temperamento, quatenus mixta corpora ſunt. Quid in plantis ad ſubſtantiale temperamentum referatur diſquiritur; Cauſæ afferuntur. 346

7 Quomodo quæ ad temperamentum ſubſtantiale referũtur elementi prædominantis dominium arguãt oſtenditur. Cauſæ quorumdam effectuum à temperamento ſubſtantiali prodeuntium ſcrutantur. 347

8 De Cauſis temperamenti mutationis externis. Cauſa mutationis externæ in plantis ſcrutantur, adducuntur. 351

9 De Gradibus temperamenti plantarum. Gradus in plantarum temperamento inquiruntur, & quomodo eorum diſtinctio percipi poſſit adducitur. 352

10 De ſaporum cauſis in plantis, eorumque ſpeciebus. In ſtirpibus præſertim ſapores ſpectari, vt animalia ad cibum capeſſendum alliciantur &c. Saporis afferuntur differentia &c. 354

11 De ſpeciebus ſaporum in plantis. Saporum differentiæ afferuntur; Solis officia traduntur in natura, quemadmodum & ſingulorum ſaporum, quæ ad ſeptem præcipua genera referuntur. 358

12 An præter ſeptem ſaporum genera relata, alia reperiantur inquiritur &c. an opium calidi, frigidive temperamenti ſtatuendum ſit &c. 361

13 De ſapore plantarum ſalſo, & cauſis mutationum ſaporum. Oſtenditur ſalis vtilitas in natura &c. cauſæ mutationis ſaporum inquiruntur, ſtatuuntur. 364

14 De plantarum odore. Odorem nullibi ſuauiorem, quàm in plantis aſſeritur eadem de cauſa, qua ſapor animalibus conceſſum à natura. eo ab antiquiſſimis ſeculis Deos prolectari conſuetum &c. 358

15 De Speciebus odorum in plantis. Odorum ſpecies referre difficillimum eſſe oſtenditur, & cur. non ex ſaporum diſtinctione facile emergere odorum differentias, & ob quam cauſam &c. 370

16 De plantarum odoribus cum ſapore in eadem planta diſcrepantibus. Cauſa diſcrepantiæ inquiritur ſi ſapor non bonus cum odore bono coniungatur; quæ differentia inter odores, & ſapores conſtituenda ſit &c. An ſit ſententia non recepta &c. 372

17 De differentijs odorum. Odorum differentiæ explicantur. cur ligna quædam odorata ſint, flores verò earum arborum minime &c. 374

18 De Cauſis ſuauitatis et varietatis odoris in plantis. A quo ſuauitas, fœtor, aut odoris priuatio emergat &c. Cur in ſtirpibus odores mutentur, & quomodo arte odoratiores plantæ reddantur. 375

19 De colore plantarum. Cauſa colorum in plantis inueſtigantur &c. Elementa colorata eſſe quomodo accipiendum &c. 379

20 De Colorum in plantis varietate. Recentiorum opiniones pro colorum in plantis diuerſitate adducuntur,

Index Capitum, & Plantarum:

tur. Scaligeri ſcil. & Coſtæi examinantur, & quæ potior videtur amplectitur. 381

30 De mutationum colorum cauſis. In plantis à quo pendeat color definitur. mutari in ſtirpibus colorē & à natura, & ab arte aſſeritur, & à colore plantarum non rectè earum naturam argui. 384

21 De ſignis colorum in plantis. In dubium reuocatur, an à ſtirpium coloribus eorum intimè proprietates cognoſci poſſint; Galeni, & Auerrhois ſententia à Porta non recepta explicatur. 385

22 Quomodo temperamentum plantarum cognoſcendum ſit. A cauſis, & ab effectibus temperamentum plantarum explorandum affirmatur &c. & ab effectibus cognitio expectanda vberior &c. 386

23 De temperamenti Plantarum cognitione, & differentijs à cultu depromptis. A cauſis temperamenti in ſtirpibus cognitionem rimari non tutum, ab effectibus verò certam deriuare &c. 388

24 De more Plantarum in cultu obſeruabili. Quæ in plantarum cultu obſeruanda veniant circa morum mutationem, ſingula ſummatim recenſentur, prout reſpiciunt ſationem, translationem &c. 390

25 De moribus plantarum in cultu. Cur de inſitione nõ loquamur plantarum, hìc redditur ratio. proſequūtur alia circa morum plantarum mutationes. 393

26 De Fimi, cineriſque vſu. Quæ à fimi vſu iuuentur plantæ, & quæ eū reſpuant, & cur, oſtenditur. 395

27 De morbis plantarum. In plantis morborum genera eadem reperiri, quæ in hominum genere aſſeritur, in intemperie ſcil. aucta magnitudine & ſoluta vnitate oſtenditur. & quomodo à Theophraſto in ſtirpibus appellantur. 396

28 De cauſis morborum plantarum Ex plantarum cauitatibus morbos ſtirpibus accidere oſtenditur, & qui, eorumque cauſæ adducuntur; à quo Vermes in plantis generentur, & quæ ſtirpes magis obnoxiæ, & quæ minus putredini conſideratur. 398

29 De temperatis plantis. Temperamētum per varios gradus diſtinctum in ſtirpium ſingulis generibus inquiritur non eſſe ſubſtantiam aſſeritur, & à temperatis plantis exordium ſumendum &c. 400

30 De Oleo, eiuſque viribus. Oleæ, oleoque priſcis honor tributus magnus aſſeritur, temperamentum diſquiritur, & quomodo temperatum, calidumvè pronunciandum &c. 401

31 De Glycyrrhiza. Glycyrrhizam eſſe Scythicam radicem affirmatur &c nunquid noſtræ Glycyrrhizæ vires Veterum Scythicæ correſpondeant &c. 405

32 De Siliquis dulcibus. Siliquam dulcem ad plures vſus vſurpatam apud veteres aſſeritur; Temperamentum, & vires aſſignantur. 406

33 De Iuiubis. Zizyphum Veteribus cognitam, & ſub quo nomine, inutile alimentum præbere, medicum verò vſum proficuum &c. 409

34 De Rapis. Notatur Empedoclis, Theophraſtique ſententia de ſexus diuerſitate in rapis. prodigioſa earum magnitudo, Vires &c. 411

35 De Sebeſtenis. Sebeſtenorum naturam alibi declaratam inter ſemenſtia in primo libro. ibid.

36 De Malua. A quo Maluæ nomen deductum fuerit, & cur Maluæ folium ſanctiſſimum a Pythagora appellatum &c. Malvæ proceritas vbi? 412

37 De Vva. Cui vini inuentio tribuatur diſquiritur. quæ ſit ex Athenæo nobilis Vva. penſiles vuæ recentioris magis vtiles Dioſcoridis opinio defenſa contra Plinij aſſertum. vuæ vires examinantur. 414

38 De Adyanto. A quo Adyantum nomen, aut Polytrichi deduxerit affertur. an ſit temperata in controuerſiam vertitur. a quo generentur pili &c. 415

39 De Seſamo. Seſami vſus varius adducitur. ſtatuitur temperamentum, vires examinantur. 417

40 De Cicere. Cicerum Temperamentum ſtatuitur; genera adducuntur, vires examinantur. 418

41 De Faba. Quo nomine faba Antiquioribus ſit inſignita indagatur, Temperamentum ſtatuitur. 419

42 De Fraxino ligno. Fraxini, Ornique vires contra ſerpentes, & inter hos antipathia adducitur. 421

43 De Poligula. An noſtra Poligula ſit eadem cum priſcorum poligula ambigitur; perpenduntur vires, temperamentum definitur. 423

44 De Scabioſa. Scabioſarū ſpecies quamplurimæ cùm ſint non deſcribuntur &c. ſignum quo dignoſcantur à cæteris plantis ſimilibus adducitur &c. ibid.

45 De Coriandro. Diſſidentes Auctorum ſententiæ circa coriandri naturam perpenduntur. vires tradūtur, & an venenum ſit definitur. 424

46 De Lentiſco. Lentiſcus à quo ita appellata, deſcribitur. Temperamentum aſſignatur, vires produntur. 426

47 De radicibus Chinarum. Chinæ radix Veteribus incognita, eius temperamentum, & vires expenduntur. 428

48 De Liguſtro. An Liguſtrum noſtrum ſit Cyperus Dioſcoridis &c. temperamentum, & vires explicantur. 429

49 De Lupulis. Ex floribus lupulorum Cereuiſiam cōponi, quæ Zito antiquorum ſimilis eſt &c. 430

50 de Meliloto. Melilotū noſtrū idem eſſe cū Theoph. & Dioſc. Meliloto &c. eſſe coronariam plantam; temperam. & vires afferuntur. 431

51 de Santalis. Santalorum temperamentum conſideratur, diſtinguitur. Malè confundi ſantalum cum Aſpalatho aſſeritur. Santalorum genera adducuntur; vires produntur. 432

52 de Parietaria. Nominis ratio aſſignatur, & an ſit Alxine Dioſcoridis ambigitur, Temperamentū & vires adducuntur. 433

53 de Spinachia. Priſcis ſpinachia vel non cognita, vel neglecta; temperamentum aſſignatur, vires explicantur. 434

54 de Abſinthio. De Calidis in primo gradu Plantis, cum ſiccitate. Temperamentum, & vires abſinthij deſignantur. 435

55 de Caſtanea. Caſtaneas in pabulum hominibus aurei ſæculi ceſſiſſe affirmatur, quo nomine à veteribus appellatæ, & earum genera. Athenæus notatus. Planta, & fructus deſcribuntur, temperamētum, & vires aſſignantur. 437

56 De nuce Iuglande dicta, vel nuce Regia. Iuglandium nucum varia nominis Etymologia inueſtigatur, nuces in nuptialibus ceremonijs locum olim habuiſſe aſſeritur, moralis cauſa à Plinio adducta, deſcribitur, fructui temperamentum aſſignatur, vires adducuntur. 439

57 De Beta. De Betæ nominis etymo aliqua offeruntur, deque eius vſu Priſcorum, & Hippocratis, genera eius ex Theophraſto, & Dioſcoride adducuntur, ſit & Temperamentum, & vires. 442

58 De Aſparagis eorumque Turionibus. An aſparagi noſtri Veteribus cogniti inquiritur, ſtatuitur, temperamentum & vires explicantur. 443

59 De Braſſica Satiua. Cur braſicæ tractatio aſparagis ſubnectatur ratio redditur; genera eius diſquiruntur ex antiquioribus deſumpta. temperamentum, & vires explicantur. 445

60 de Cardiaca. An Cardiaca ſit Nicandri Marrubium dubitatur, deſcribitur; vires & temperamentum aſſeruntur. 447

de

61 De Quinque folio. Quinque folij differentiæ afferuntur, notatur Plinius; Temperamentum & vires conſiderantur. p. 448
62 De Tormentilla. Cur Tormentilla hoc genus pentaphylli dicatur affertur. Deſcribitur, adducitur Temperamentum, vires explicantur. 449
63 De Cetrach. Non eſſe Cetrach Hemionitim affirmatur. cur Scolopendrium vocetur. mira de Aſplenio referuntur temperamentũ & vires deſignantur. 450
64 De Cuſcuta. An Cuſcuta ſit Cadyta Plinij, & Theophraſti, dubitatur. an in plantarum cenſu collocanda. an Catbartica vi polleat &c. 451
65 De Agrimonia. Inter Catbartica medicamenta cùm Agrimonia nomine Eupatorij repoſita ſit, ibi petenda eius hiſtoria. 452
66 De Eryngij radice. A quo deductum Eryngij nomen Priſcis ſit inquiritur, & quæ de cæpis habet Theophraſtus an verificentur deſcribitur &c. 453
67 De Hyperico. Perforatam cur Græcis Andremon dictam affertur, vires & temperamentum conſiderantur. 454
68 De Cheiri. Cheiri inter Leucoi genera ſolum in medicinæ vſum receptum deſcribitur; temperamentum aſſignatur, vires explicantur. 455
69 De Stebe. An Stebe cognita à Veteribus fuerit, & quo nomine inquiritur. Non eſſe Phleon. Pheon differre à Phleo aſſeritur &c. 457
70 De Veronica. Veronicæ diſtinctio in marem & fæminam à Paulo allata conſideratur; vtrumque genus deſcribitur. plures dari ſpecies veronicæ &c. 458
71 De Spica Celtica. Dioſcorides notatus, dum Indicam Nardum in eodem monte cum Syriaca naſci aſſerit. Non inferiorem Celticam virtute à Syriaca affirmatur &c. deſcribitur &c. 459
72 De Lino & eius ſemine. Linum cur ita a Latinis appellatum; Temperamentum diſcutitur; ſtatuitur; vires examinantur. 462
73 De Vrtica. Qua ratione Vrtica vocetur exprimitur, genera recenſentur, deſcribuntur; temperamentum deſignatur, vires explicantur. 463
74 De Balſaminæ fructu. Nominis diuerſi varia ſignificatio declaratur. deſcribitur Balſamina; Temperamentum ſtatuitur, vires adducuntur. 465
75 De Milio Solis officinarum. Nominis ratio adducitur, genera afferuntur, deſcribuntur; Temperam. conſtituuntur, vires examinantur. 466
76 De Ruta Muraria. Rutam Murariam non Paronichiam Matthiol. nec Tricomanem affirmatur, deſcribitur Temperam. & vires produntur. 467
77 De Orobo. Orobi genera expenduntur, an Orobum Antiquorum idem ſit cum Eruo noſtro dubitatur; Temperam. & vires deſignantur. 468
78 De Tritico. Tritici, frumentique nomen à quo deductum inquiritur; temperamentum diſquiritur, genera adducuntur &c. Panis correctio. Vires medicæ Tritici afferuntur. 469
79 De Hordeo. Hordeum ruſticis potiſſimum in cibum euaſiſſe affirmatur. Romanis in gladiatorum vſum vſurpatum, & militibus ad ignominiam appoſitum &c. De ptiſana aliqua; vires enucleantur. 472
80 De Zea. Zeæ in pane conficiendo præſtantia diſquiritur. 473
81 De Secale. Tritici facultates Secale obtinere traditur, & alimentum minus viſcidum præſtare creditur. 474
82 De Auena. Auenæ vires conſiderantur, & temperamentum. ibid.
83 De Oryza. Oryzam Indicam plantam putat Theophr. hordei vireſque poſſidere exiſtimatur. ibid.
84 De Milio. Frigidum Milium eſſe ſtatuitur. Circa quod Amatus corrective. Milij durabilitas affirmatur; vires examinantur. 475
85 De Panico. Galeni opinio circa Panicum reijcitur, & Dioſcor., Columellaque amplectitur; ſententia Galeni de præſtantiori alimento Milij, aut Panici præſtando Dioſcor. contraria. vires afferuntur, & deſcribitur planta. 476
86 De Sorghi aut Surgho. Sorgum Milium Indicum Plinij putatur, non Farris ſpeciem contra Fuchſium, deſcribitur. Temperamentum affertur, vires examinantur. ibid.
87 De Frumento Saracenico. Frumentum Saracenicum Veteribus incognitum, Aſiatica planta; deſcribitur. Fagopirum cur appellata à Dodonæo. Gallinas ex ſemine ſaginari aſſeritur. 477
88 De Frumento turcico; ſiue Maiz Indorum. Frumentum Turcicum, vel Maiz Indorum eſſe Italiæ nouam plantam aſſeritur, deſcribitur. 478
89 De Lolio. Lolium cur à Virgilio infelix dicatur, eſſe Tritici vitium cum Plinio aſſeritur. noxæ eius afferuntur quemadmodum & vires medicæ. diſquiritur Temperamentum. ibid.
90 De Vinca peruinca. Vincam peruincam Recentiorum eſſe clematidem daphnoidem Dioſcoridis affirmatur; malè a Plinio aſſignari huic catharticam facultatem aſſeritur. deſcribitur. Temperamentum & vires aſſignantur. 479
91 De Citro & eius partibus. Citrum priſcis etiam ſeculis inter odoramenta repoſitum, expetitum &c. Deſcribitur ab Athenæo &c. Temperamentum Citri adducitur ſecundum eiuſdem varias partes; vires afferuntur. 481
92 De Plantis calidis in primo gradu, humidiſque. De Scorzonera. A quo Scorzoneræ nomen deductum ſit inquiritur. deſcribitur; temperamentum deſtruitur, vires explicantur. 484
93 De Boragine, & Bugloſſo. Boraginem noſtram eſſe Dioſcoridis Bugloſſum aſſeritur contra Ophinanum, & Ceſalpini opinionem; vires adducuntur 486
94 De Althæa. A quo Althæa Etymon deduxerit oſtenditur. deſcribitur &c. Temperamentum, & vires examinantur. ibid.
95 De Lilio Albo. Lilium cum Roſa de florum imperio certare aſſeritur. Innouis florem eſſe, & qua ratione deſcribitur. Temperam & vires explicantur. 488
96 De Amygdalis. Cur Amygdala, & nux antiquis vocata inquiritur, deſcribuntur. Temperam. & amararum ſtatuitur. vires vtriuſq. adducuntur. 490
97 De Auellana ſiue Corylo. Auellanam ſiue Corylum nucum generibus adſtipulari affirmatur. arbor Coryli deſcribitur, antiquitus in nuptijs ex Corylo faces, Coryli genera conſiderantur &c. 492
98 De Fraga ſiue Fragaria. Frigidarum & humidarum plantarum, in primo frigiditatis gradu degentium aggreditur conſideratio. Fragam Veteribus non conſideratam &c. Species diſtinguuntur; temperamentum, & vires adducuntur. 493
99 De Moro. Morum non eſſe Sycaminum Ægyptium aſſeritur. an ſemper fuerit Morus nigra inquiritur. cur vocetur arborum ſapientiſſima, deſcribitur, afferuntur temperamentum vireſque. 495
100 De Cytiſo. A quo deductum Cytiſi nomen inquiritur, vtilitates afferuntur, & in Veterinaria vſus; deſcribitur ex pluribus Cytiſi ſpeciebus &c. 497
101 De Plantis frigidis & ſiccis in primo gradu. De Cydonio malo. Malum Cydonium fuiſſe antiquitus amoris coniugalis ſymbolum. genera proponuntur; temperamentum, & vires explicantur. 498

Index Capitum, & Plantarum.

C. 102 De Myrto. Myrti nomen cur plantæ inditum, in coronis adhibitam quando declaratur, genera diſtinguuntur, deſcribitur. Temperamentum affertur, vires explicantur. pag. 500

103 De Cupreſſo. Cupreſſi nominis varia cauſa adducitur à Plinij conuicijs, defenditur, ſublimes eius dotes explicantur, deſcribitur: temperamentum aſſignatur, vires adducuntur. 501

104 De Salice. Salix cur frugiperda ab Homero vocata, & nominis ratio adducta: genera afferuntur; vſus ruralis adducitur, vireſque Medicæ explicantur, & temperamentum. 504

105 De Gramine. Graminum familia numeroſiſſima traditur, deſcribitur; in vſum Medicum receptum. temperamentum adducitur, vires produntur. 506

106 De Millefolio. A quo Millefolium nomen deduxerit affertur, ambigitur, quæ è Millefolij vocatis plantis Dioſcor. Millefolium æmuletur, quæ magis arrideat inquiritur, temperamentum conſtituitur, vires examinantur. 507

107 De Nummularia. An Nummularia Veteribus cognita fuerit inquiritur, negatur, à quo nomen deduxerit, & cur nominibus varijs inſignita. Temperamentum & vires adducuntur. 508

108 De Virga Aurea. Virgam auream Antiquioribus indictam aſſeritur, Temperamentum, & vires produntur. 509

109 De Plantis calidis in ſecundo gradu cum ſiccitate. De Saluia. Cur ſaluia appellata. genera adducuntur. temperamentum aſſignatur, vires explicantur. de vteri impedimentis ad conceptionem nonnulla afferuntur. 510

110 De Cappari. A quo Capparis nomen deductum habeat inueſtigatur, genera diſtinguuntur, deſcribitur, vires examinantur. 513

111 De Alyſſo. Nominis Alyſſi ratio inquiritur, an præſenti ſæculo Alyſſum ſit genuinum veterum differens, Alyſſi plantam eſſe Galeni ab ea, quæ à Dioſcor. adducitur. temperamentum, & vires afferuntur. 515

112 De Betonica. Betonicam noſtram eandem eſſe cum Betonica à Dioſcor. deſcripta affirmatur; genera à flore tantùm diſtingui aſſeritur. Temperamentum adducitur, vires afferuntur. 516

113 De Angelica. Non eſſe Angelicam Veterum Laſerpitium, nec ſub alio nomine ab ipſis deſcriptam affirmatur. genera perpenduntur; deſcribitur. Temperamentum definitur; vires explicantur. 517

114 De Laſerpitio, ſiue Silphio. Opiniones circa laſerpitij noſtri ſeculi carentiam expenduntur &c. Sitne in rerum natura adhuc, & ſi ſit, cur non deferatur diſquiritur &c. 519

115 De Carduo Benedicto. Cardui Benedicti hiſtoriam à Theophr. afferri ſub nomine ſilueſtris cnici creditur, deſcribitur. Temperamentum adducitur, vires conſiderantur. 520

116 De Carlina. A quo nomen deduxerit Carlina recenſetur, & cur Chamæleon vocata, cur etiam Ixia dicatur, deſcribitur; temperamentum, & vires afferuntur. 521

117 De Contrahierua. Contrahieruam & recentioribus innotuiſſe affirmatur, notatur Brodæus, adducuntur temperamentum, & vires. 522

118 De Caryophyllata. Ab odore radicis Caryophyllatæ nomen deductum creditur. genera adducuntur. an ſit Geon Plinij. Deſcribitur. Temperamentum aſſignatur. Vires afferuntur. 523

119 De Calendula. An Calendula ſit Poetarum Calthanon eſſe Chryſanthemum Dioſcoridis; deſcribitur, temperamentum, & vires adducuntur. 524

C. 120 De Chamæmelo. Chamæmeli nomen à quo deriuetur inquiritur; genera recenſentur; deſcribitur; temperamentum affertur. vires examinantur. 525

121 De Artemiſia. Nominis Artemiſiæ variæ cauſæ adducuntur; cur herba S. Ioannis vocetur à Belgis ex Fernelio ratio affertur. Genera referuntur; Ægyptium alterum genus explicatur; Temperamentum & vires expenduntur. 526

122 De Botride. Botridis nomen plantæ tributum à ſeminis forma affirmatur, malè confundi cum Ambroſia: deſcribitur; temperamentum, & vires aſſignantur. 527

123 De Farfara. Farfaræ nomen unde è Latinis deductum, cur Tuſſilago appellata. Plinius notatur. deſcribitur. Temperamentum inquiritur. vires aſſignantur. 528

124 De Petroſelino, ſiue Apio hortenſi. Apium à Plinio commendatum, quod noſtrum Petroſelino erat &c. Cur ſic vocatum. Apij genera referuntur, adducitur temperamentum &c. 529

125 De Anetho. Anethum expetitum Antiquioribus præſertim in Coronis. nominis ratio inquiritur, adducitur, delineatur a Theophraſto, aſſignatur temperamentum, vires expenduntur. 531

126 De Roſmarino Coronario. Species Libanotidis, ſiue Roſmarini Coronarij diuerſæ: cur ita vocatum: deſcribitur temperamentum, & vires adducuntur. 532

127 De Anagallide. An Anagallis ſit Corchorus, Theophraſtis inquiritur. Adagium ex Suida circa Corchorum explicatur &c. deſcribitur Anagallis; temperamentum, & vires produntur. 533

128 De Vitice, ſiue Agno caſto. Vitex cur Agnum dicta uſus apud Antiquos huius plantæ in Theſmophorum ſacris, & cur. Genera adducuntur. deſcribitur. temperamentum, & vires afferuntur. 535

129 De Cannabe. Cannabis nomen unde deductum affertur, diſtinguuntur eius genera, vſus adducitur, temperamentum, & vires afferuntur. 536

130 De Arundine. Vſus Arundinis varius apud Antiquos inter Muſica inſtrumenta locum ſibi vendicaſſe oſtenditur, genera recenſentur. Deſcribuntur præcipua genera, & temperamentum, & vires afferuntur. 537

131 De Buxo. Buxum ſuſpectæ conditionis eſſe ad Medicos vſus quod attinet affirmatur. Cur tale nomen adeptum ſit. eius vſus deſcribitur, delineatur planta. 539

132 De Balſamo. Balſamum adhuc in rerum natura extare aſſeritur &c. Balſami genera diſtinguuntur &c. temperamentum conſtituitur, vireſque ex Dioſc. afferunt. 540

133 De calidis plantis in ſecundo gradu cùm humiditate. Antiquioribus ſæculis ficus victum locum glandium præbuiſſe ex Athenæo aſſeritur, & Etymi ratio nominis affertur, ex eodem, quis fuerit inuentor inquiritur, Temperamentum diſquiritur, vires explicantur. 542

134 De Satyrio. Mira Theophraſti hiſtoria circa Satyria refertur. diſquiritur an noſtra Satyria ſint ea, quæ a Dioſcoride produntur, vires, & temperamentum ſtatuuntur. 544

135 De frigidis plantis in ſecundo gradu, & humidis. De Cucurbita. Priſci Colocynthidis nomine tam ſatiuam, quam ſylueſtrem Cucurbitam indigitabant. Plures dari Cucurbitæ differentias &c. temperamentum, & vires explicantur. 545

136 De Cucumere. Diſquiritur Cucumerum natura, &

noſtrum

noſtrum non eſſe Cucumerem ſatiuum Dioſc. aſſeritur, Saracenus vindicatus, cur citrulus vocatus, deſcribitur, Temperamentum aſſignatur, vires traduntur. 547

137 *De Anguria. Anguriam non eſſe Cucumeris ſpeciem, nec habere corticem ſulcatum, vt aſſeritur à Dodonæo, deſcribitur cucurbita, vires aſſignantur.* 548

138 *De Sicyo, vel Melopepone, aut Pepone Italico. Nomen Sicyon priſcis Græcis commune Cucumeribus, & Cucurbitis, Peponibuſque. quid pepon vſdem indigitaret. Galenus Melopepones à peponibus diuerſos facit. ſententia Matth. reiecta, deſcribuntur.* ibid.

139 *De Blito. Qua ratione Bliton in prouerbium abierit apud Antiquos. Bliti genera referuntur, deſcribuntur. temperamentum aſſignatur. adducitur de Bliti viribus Dioſcoridis ſententia ſuſpecta; perpenditur.* 549

140 *De Solano Veſicario, ſiuè Halicacabo. Solani nomine diuerſa genera importari aſſeritur, oleracei ſcil. & deleterij. contrariæ ſententiæ Dioſcoridis & Plinij examinantur, deſcribitur Solanum Halicacabo. temperamentum adducitur, vires expenduntur.* 550

141 *De Lenticula paluſtri. An ſit paluſtris lenticula Theophraſti Ipnon dubitatur; deſcribitur. temperamentum aſſignatur, vires examinantur.* 552

142 *De Nymphæa. locum vbi Nymphæa naſcitur eidem nomen dediſſe. lepida fabula circa originem adducitur &c. temperamentum aſſignatur, vires explicantur.* 553

143 *De Vmbilico Veneris. Cur Veneris vmbilicus planta ſit appellata inquiritur; ſtatuitur cum Dioſcoride deſcriptio, & eadem adducitur, & delineatur. Temperamentum & vires recenſentur.* 554

144 *De plantis frigidis cum ſiccitate coniuncta, & primo de Seriarum generibus. Cichorij genera diſtinguuntur. Cichorium eſſe ſylueſtre genus, endiuiam ſatiuum &c. deſcribitur intubus, & vtrorumque conſideratur temperamentum &c.* 555

145 *De Chondrilla. Chondrillam eſſe è ſeridum generibus affirmatur, cur Chondrilla Græcis ſit appellata. genera eius afferuntur, & vires non diſsimiles à cichoreis habere, vireſque poſsidere affirmatur.* 558

146 *De Hieracio. Cur Hieracium Accipitrina herba appellata ſit adducitur. eius genera deſcribuntur à Dioſc. opiniones variæ perpenduntur, Temperamentum affertur, vires explicantur.* 559

147 *De Soncho. Sonchi genera a Dioſcor. recenſita afferuntur; plures ſpecies à Recentioribus cognitæ deſcribuntur; temperamentum, & vires adducuntur.* ibid.

147 *De Hepatica, ſiue Lichene. Nomina ſæpe indita plantis ab earum effectibus aſſeritur: ſic & Licheni. deſcribitur &c. temperamentum, & vires explicantur.* 560

149 *De Hepatica trifolia herba trinitatis dicta. Affectibus iecoris aduerſariam trifoliam Hepaticham eſſe aſſeritur, deſcribitur temperamentum, & vires aſſignantur.* 563

150 *De Burſa Paſtoris. An Burſa Paſtoris ſit veterum Thlaſpi inquiritur. deſcribitur temperamentum controuerſum definitur, vires adducuntur.* ibid.

151 *De Cyano. Cyanum cichoreis non eſſe accenſendum, & cur Hermolai opinio reiecta. non ſtruthiũ Theophraſti eſſe affirmatur. deſcribitur, temperamentum, & vires afferuntur.* 565

C. 152 *De Acetoſa recentiorum, ſiue Oxalide. Acetoſam recentiorum eſſe quartum Lapathi genus à Dioſco. deſcriptum aſſeritur, deſcribitur; deſcribitur et ſatiua, perpenditur temperam. vires afferuntur.* 566

153 *De Oxitriphilo, ſiuè Trifolio acetoſo. Trifolij acetoſi natura perpenditur differentiæ afferuntur, vires adducuntur cum temperamento.* 567

154 *De Lyſimachia. Ratio nominis Lyſimachiæ diſquiritur, concluduur ſic Theophr. deſcribitur, genera recenſentur, temperamentum adducitur, vires afferuntur.* 568

155 *De Symphyto, ſiue de Conſolida maiori, & minori. Symphyti genera cum Dioſcor. conſiderantur. difficultas de colore florum in Symphyto aſſignato ab eodem, ſoluitur. Deſcribitur: temperamentum ſtatuitur. vires expenduntur.* 569

156 *De Cauda Equina herbariorum. Equiſeti ex Dioſc. duo genera, quorum alterum equiſito noſtro non conuenire aſſeritur. cur planta pratis vituperata à Plinio deſcribitur. equiſeta ſcandentia ignota nobis. temperamentum, & vires produntur.* 571

157 *De Polygono mare, & fœmina, ſiue Centinodia, aut Sanguinaria. Cur Polygonum à Veteribus planta hæc appellata &c. Deſcribitur vtrumque Polygoni genus; temperamentum ſtatuitur, vires explic.* 572

158 *De Quercu. Quercus ex Antiquioribus mira vtilitas & exiſtimatio explicatur. à Dijs ad homines Coronarum ex ea vſum tranſiiſſe. ad quot genera nomen commune ſit adducitur, deſcribitur. Temperamentum definitur, vires adducuntur.* 573

159 *De Pomis, pyriſque ſylueſtribus. Pomorum, Pirorumq; ſilueſtrium natura ſumariè cõſideratur.* 575

160 *De Sorbo. Deſcribitur Sorbum, afferuntur ex Plinio, & Theophraſto genera; temperamentum adducitur; vires examinantur.* ibid.

161 *De Meſpilis. Meſpilorum deſcriptio Temperamẽtum varium variè conſideratum, vires examinantur. deque Meſpilo Aronia.* 577

162 *De ſylueſtri Pruno. Pruni ſylueſtris uſus ad hortorum tutelam, et ad medicinam faciens examinatur, deſcribitur, temperamentum ſtatuitur.* 578

163 *De Malo punica. Vtiliſſimam, lepidamque arborem eſſe malum punicam oſtenditur. deſcribitur Balauſtium; non vnicum eſſe genus oſtenditur. temperamentum pro diuerſitate ſaporis ſtatuitur, vires produntur.* 579

164 *De Plantagine. Aſſignantur Plantaginis temperamentum, & vires, Planta deſcribitur, & adducitur nominis ratio.* 580

165 *De Cynogloſſo. Cynogloſſi affertur nominis ratio, & deſcriptio; temperamentum aſſignatur, vires produntur.* 581

166 *De Rubo. Rubum non à fructu denominationem accepiſſe oſtenditur, deſcribitur. temperamentum ſtatuitur, vires recenſentur.* 583

167 *De Rhoe, ſiue Rhus. De nomine Rhus nonnulla conſiderata. Expenduntur Coriarij Rhus, & obſoniorum nomina &c ſoluuntur difficultates; diſtinguũtur genera; temperamentum ſtatuitur, vires conſiderantur.* 584

168 *De Ribes. Ribes ab Arabibus affirmatur cum Dodonæo. differentiæ afferuntur, deſcribitur. vires adducuntur.* 587

169 *De Vua Criſpa. Vuæ Criſpæ affertur deſcriptio, Temperamentum & vires adducuntur.* 588

170 *De Virga Sanguinea. Thylicorniam Theophraſti eſſe Virgam Sanguineam Plinij, & cornum fœminam Recentiorum. deſcribitur. Cur Virga ſanguinea dicta. temperam. adducitur, vires explicantur.* 589

De

C. 171 *De oxyacantha Galeni, ſiue Arabum Berberi, vel Spinacea Recentiorum. Oxyacantham pluribus controuerſijs vrgeri ſtatuitur &c. Deſcribitur. temperamentum. & vires explicantur.* pag. 590

172 *De Coralio. Coralij nomen à quo deduxerint Veteres inueſtigatur, & à quo lapidea durities. diſquiruntur cauſæ concretionis, an ſcil. à colore, vel à frigore, aut ab alia cauſa, ſtatuitur, temperamentum adducitur, vires explicantur.* 592

173 *De Aceto. An acetum frigidum pronunciandum ſit cum Dioſcor. an calidum cum antiquioribus. inquiritur, ſtatuitur cum Gal. diuerſarum partium eſſe, & temperamentum definitur, vireſque explicantur.* 594

174 *De calidis gradu tertio cum ſiccitate. De Hyſſopo. Hyſſopus antiquiſſimis ſæculis cognita Planta, an eadem cum noſtra ſit dubitatur. nominis ratio affertur vires expenduntur.* 5·6

175 *De Ariſtolochia. Nominis ratio varia diſquiritur. tria Ariſtolochiæ genera ex Dioſcor. deſcribuntur dubia. circa deſcriptionem Clematis afferuntur. conciliantur. Temperamentum adducitur, vires explicantur.* 598

176 *De Gentianæ radice. Contra peſtilentes Morbos, & venena Gentianam pollere, immò cæteris huius conditionis plantis præpollere aſſeritur deſcribitur, temperamentum aſſignatur, vires adducuntur.* 600

177 *De Dictamo. Dictamũ Veteribus ad vulnera & plura alia commendatum aſſeritur cur ſic appellatum. Plutarchi locus conſideratus circa Dictami deſcriptionem. Dioſcor. notatus temperamentum definitur; vires conſiderantur.* 601

178 *De Mentha. Cur Mentha ita Veteribus appellata diverſa cauſæ adducuntur. Aſſeritur ex Oppiano eiuſdem plantæ fabula &c. genera aſſequuntur, temperamentum, & vires explicantur.* 603

179 *De Pulegio. Nominis ratio diuerſa in Pulegio conſideratur. Diſtinctio a Plinio adducta in marem & fœminam inutilis; Recentiorum differentia magis propria deſcribitur pulegium. eius adducitur temperamentum, vires examinantur.* 607

180 *De Origano, & Tragorigano. Origani hiſtoriæ è Veterum obſeruationes adducitur &c. Origani genera recenſentur temperamentum, & vires explicantur. de Tragorigano nonnulla ſubnectuntur.* 608

181 *De Serpyllo. A quo Serpylli nomen deductum fuerit explicatur. Serpylli genera ex Dioſc. afferuntur, temperamentum definitur, vires examinantur.* 6 1

182 *De Maiorana ſiue Sampſuco, aut Amaraco. Difficultates circa Amaracum emergentes enodantur. fabula a Seruio adducta circa Amaraci nomen refertur, ad vnguenta odoratiſſima expetitum; non eſſe Marum Dioſc. temperamentum affertur, vires expenduntur.* 612

183 *De Maro. Antiquorum Maron an nobis cognitum ſit dubitatur, & an ſit illa Planta, quæ ſub nomine Syriaci Mari obtruditur. Deſcribitur, temperamentum aſſignatur, vires examinantur.* 615

184 *De Imperatoria. An cognita fuerit Veteribus Imperatoria, & ſub quo nomine deſcripta diſquiritur; non ſub nomine Laſerpitij conſideratam, nec eſſe Smirnium. deſcribitur, temperamentum affertur, vires explicantur.* 616

185 *De Spondilyo. Inquiritur à quo ſpondilij nomen deriuatum ſit. an ſit Panax. non eſſe ſtatuitur. deſcribitur. aſſignatur temperamentum, vires perpenduntur.* 617

186 *De Abrotano. Nominis ratio in Abrotano perpenditur & ſtatuitur, temperamentum adducitur. vires examinantur; Generaque ex Dioſcor. & Theophraſto referuntur iuxta, quorum ſententiam deſcribitur.* 618

187 *De Ruta Hortenſi. Cur Ruta πήγανον Græcis, & Plutarcho appellata & cur Latinis Ruta ex Varrone. genera afferuntur à Dioſc. deſcribitur, temperamentum deſignatur, vires afferuntur.* 619

188 *De Eruca. Græci, & Latini nominis in Eruca ſtatuitur ratio. Erucam ob inſignem caliditatem cum lactuca admiſceri. Veneris amicam exiſtimari; eius genera, temperamentum, & vires adducuntur.* 621

189 *De Satureia. Noſtram Satureiam eamdem cum Satureia Columellæ, & Plinij eſſe aſſeritur. an ſit Thymbra Dioſc. dubitatur, & de ſyluestris Dioſc. Thymbra verificari creditur. Temperamentum adducitur, vires examinantur.* 622

190 *De Dauco, & eius ſemine. Daucum à Theophraſto cum carota confuſum, à Dioſcoride bene ſeparari. cur Daucum Græcis appellatum. genera adducuntur, temperam. ſtatuitur, vires examinantur.* 623

191 *De Valeriana, ſiue de Phù Dioſcoridis. Nominis Valerianæ ratio inquiritur. an noſtra Valeriana ſit antiquorum Phu. de floris forma dubia reſoluitur. deſcribitur. temperamentum adducitur, vires explicantur.* 624

192 *De Acoro. Acorum olim pro Calamo Aromatico malè vſurpatum, & diuerſitas, Ceſalpinus in Acori delectione deceptus; deſcribitur. Temperamentum deſignatur, vires explicantur.* 626

193 *De Aſclepiade. Aſclepiam antiquorum, & vice Toxicum noſtrum vnam, & eamdem plantam eſſe affirmatur; genera recenſentur; deſcribitur. Temperamentum, & vires afferuntur.* 627

194 *De Chamædry. Diſtinctas eſſe plantas Chamædrym, & Theucrium affirmatur. Deſcribitur. Temperamentum perpenditur, vires aſſignantur.* 628

195 *De Eryſimo, ſiue Irio. Eryſimi nominis ratio varia adducitur. Deſcribitur. Temperamentum, & vires afferuntur.* 629

196 *De Helenio, ſiue Enula campana. Nominis Helenij diuerſa ſtruitur ratio. an Helenium Nepenthes Homeri fuerit &c. an Chaoua, ſiue Caphè Recentiorum ſit Nepenthes Helenæ, cuius temperamentum, & vires, quemadmodum & Helenij afferuntur.* 630

197 *De Thlaſpi. Thlaſpi nomen inquiritur, & definitur cur aliquod eius genus biſcutatum appelletur &c. temperamentum, & vires enucleantur.* 6,5

198 *De Clynopodio. Ambiguum quid præſenti ſæculo pro vero antiquorum Clynopodio accipiendum ſit. temperamentum inquiritur, vires explicantur.* 636

199 *De Chelydonio maiori. Etymum Chelidonij nominis veritatem non includere oſtenditur. effectus virium Chelidonij plaſticæ naturæ eſſe &c. Chimicorum vanitates tanguntur. deſcribitur utrumque genus &c.* 637

200 *De Fœniculo. Fœniculum Marbatri nomen à quo acquiſierit dubitatur, Cauſaboni opinio non recepta. ratio huius nominis magis congrua adducitur, & ex Nicandro roboratur, cur fœniculum appellatum, deſcribitur, vires aſſignantur.* 639

201 *De Ononide. Nomen Ononidis per antiphraſin, ocius plantæ traditum ob eius ſummas vires &c. deſcribitur; temperamentum aſſignatur, vires afferuntur.* 641

202 *De Pimpinella ſaxifragia. Nomen Saxifragiæ à quo deductum per ſingula declaratur. deſcribuntur eius genera. temperamentum adducitur, vires afferuntur.* 642

De

203 De Rhaphano ſatiuo, ſiue Radice, aut Radicula Galeni. Antiquiſſimus Rhaphani vſus oſtenditur &c. deſcribitur. adducuntur differentiæ temperamentum differens aſſignatur &c. 643

204 De Radice Coſti Aromatici. Legitimum Coſti vſum ad nos rediſſe affirmatur. differentiæ ex Dioſc. conſideratæ, non receptæ. vnicam eſſe Coſti ſpeciem, nec differre, niſi ætate præſtantia & modo conſeruationis. Temperamentum adducitur, afferuntur vires. 645

205 De Zingibere. Veteribus cognitum Zingiberem, & vſurpatum vario modo. Dioſcorides notatus, à Saraceno non ſatis defenſus. Deſcribitur ex Recentiorum obſeruatione. Temperamentum definitur, vires afferuntur. 647

206 De Zedoaria. Arabibus, non Græcis antiquioribus Zedoariæ & Zerumbeth cognitus vſus ſerutatur. numquid ſint eiuſdem plantæ radices. Matthiolus notatus. Deſcribitur planta ex Garzia. Temperamentum adducitur, vires aſſignantur. 648

207 De Galanga. Græcis antiquioribus incognitam fuiſſe Galangæ radicem. afferuntur ſpecies. deſcribitur à Garzia &c. temperamentum affertur, vires explicantur. 649

208 De Schœnantho. Schœnanthos æquè nobis ac antiquioribus cognita. ratio nominis adducitur, differentiæ afferuntur &c. temperamentum, & vires explicantur. 650

209 De Aſa Fœtida. Non eſſe laſerpitium Aſam fœtidam contra Garziæ opinionem, Lobellij, Renodei, Dodonæique ſtatuitur. Bontij opinio amplectitur. Deſcriptio eius affertur modi varij colligendi ſuccum adducuntur. Temperamentum & vires explicantur. 651

210 De Syo. An Syon noſtrum ſit illud Crateuæ inquiritur. ethymi nominis ratio diſquiritur. Temperamentum, & vires adducuntur. 652

211 De Matricaria. Matricariam eſſe Parthenium antiquorum affirmatur. Nominis ratio perquiritur, ſtatuitur; temperam. & vires adducuntur. 653

212 De Melanthio. Cur Melanthium appellata Planta, Nigellaque fuerit inquiritur; Deſcribitur à Dioſcor. genera afferuntur. Temperamentum ſtatuitur, vires explicantur. 654

213 De Matriſylua. Rectiùs nomen Peryclymeni à Græcis impoſitum plantæ huic, quàm à Scribonio Matriſyluæ, aut a Recentioribus Caprifolij aſſeritur &c deſcribitur; temperamentum, & vires traduntur. 655

214 De Sabina. Cur Latinis huius nominis arbuſculæ Sabinæ nomen tributum ſit, & cur Græcis Βράθυς appellata. Genera ex Dioſcor. referuntur. Temperamentum, & vires explicantur. 656

215 De Iunipero. Nominis Iuniperi ratio affertur &c. genera recenſentur. encomia Iuniperi producuntur &c. Cur umbram Iuniperi cantantibus grauem dicat Virgilius &c. temperamentum adducitur, vires examinantur. 657

216 De Viſco quercino. Viſcum non ex ſemine, ſed ex arborum ſucco erumpere. nominis ratio adducitur; deſcribitur; temperamentum deſignatur. non eſſe Ixiæ venenum &c. vires afferuntur &c. 661

217 De Agalloco, ſiue ligno Aloe. Diſquiritur an lignum Aloes ſit idem cum Antiquorum Agalloco &c. Vbi verè Agallocum naſcatur definitur &c. temperamentum, & vires afferuntur. 664

218 De Cinnamomo, deque Caſſia lignea. Plura fabuloſa Veteribus de colligenda Caſſia, & Cinnamomo ab impoſtoribus impoſita oſtenditur, eſſe Indicam arborem &c. temperamentum, & vires adducuntur. 668

219 De Amomo. Amomo veterum nos carere pro certo ferè habendum: vſus eius in vnguentis expetitus: Fuchſius notatus, non eſſe Roſam Hiericontheam, neque Geraneum per columbinum. temperamentum adducitur. 670

220 De Cardamomo. Veterum legitimum Cardamomum eſſe Arabum Cordumeni creditur. Amati ſententia exploſa; eſſe Capſicum dicere abſurdiſſimum eſſe oſtenditur. Temperamentum affertur, vires explicantur. 672

221 De Caryophyllis. Caryophyllorum locus natalis & natura perpenditur, necnon figura. priſcos eos non cognouiſſe aſſeritur. Plinius aliqua de Caryophyllis habet. temperamentum ſtatuitur ex Paulo Æginеta, & deſcribitur; vires explicantur. 674

222 De Pipere. Priſcis Græcis Piper cognitum fuiſſe. genera inquiruntur. De Pipere quædam fabuloſa produntur. locus natalis controuerſus &c. temperamentum, & vires aſſignantur. 675

223 De Cubebis. Cubebarum antiquis ignota Planta non eſſe Carpeſium, non Viticis fructum, non ſilueſtris myrti. Locus natalis affertur; deſcribitur. vires, & temperamentum afferuntur. 678

224 De Mace, Nuceque Myriſtica. Macem, & Nucem Myriſticam antiquioribus incognitam affirmatur non eſſe antiquorum Macerem. Deſcribitur ex Garzia. locus natalis aſſignatur; temperamentum adducitur, vires explicantur. 679

225 De Plantis frigidis in tertio gradu, & humidis. De Papauere. Papauer pluribus nominibus a Veteribus in pretio habitum genera afferuntur &c. Vires, & temperamentum afferuntur. 680

226 De Portulaca. Plinij error circa Portulacam notatur, Deſcribitur, temperamentum & vires afferuntur. 685

227 De Lactuca ſatiua. Cur omittatur de Lactucæ ſatiuæ conſideratio affertur ratio, quemadmodum cur nec de ſolano hortenſi. 686

228 De Solano hortenſi. 687

229 De Plantis frigidis in tertio gradu cum ſiccitate coniuncta. De Biſtorta. Biſtortam non eſſe Britanicam, aſſeritur, non Dracontium. non Ben rubrum, aut album, deſcribitur. ibid.

230 De Semperuiuo. Nominis ſemperuiui ratio ſtatuitur cum antiquioribus. deſcribitur. genera conſiderantur, Temperamentum & vires adducuntur. 688

231 De calidis plantis in quarto gradu cum ſiccitate. De Allio. Calidarum plantarum in quarto cenſus proponitur inſtituitur. de Allio conſideratio. Difficultates circa temperamentum adducuntur, ſoluuntur. 689

232 De Cæpa. De Cæpa nonnulla produntur. 691

233 De Iberide, vel Lepidio Dioſcoridis. An Iberis Lepidium ſit aſſeritur Galeni teſtimonio. Temperamentum adducitur, vires explicantur. 692

234 De Naſturtio. Cur Naſturtium Græcis Cardamon appellatum; vſus obuius eius apud antiquos. temperamentum & vires afferuntur. 693

235 De Capſico. Ex Recentiorum indagatione Capſici plantam nobis innotuiſſe aſſeritur, deſcribitur; eius genera varia. temperamentum adducitur, vires explicantur. 694

236 De Sinapi. Etymum Sinapi affertur. inter condimenta priſcis receptum. ex huius ſemine fieri compoſitionem non ſpernendi vſus. Deſcribitur, vires, & temperamentum adducuntur. 695

De

237 *De Pyrethro. Ex Pyrethrì ſolo nomine qualitatem eius innoteſcere; deſcribitur, temperamentum affertur: vires explicantur.* 696

238 *De Cochlearia. Cochleariam cognitam noſtris ſeculis affirmatur, Scorbutico morbo ex directo oppoſitam, deſcribitur; eiuſdem duo genera; temperamẽtum, & vires offeruntur.* 697

239 *De Hydropipere. Nomen compoſitum Hydropiperis quid importet explicatur. Deſcribitur cum Dioſcor. vires & temperamentum adducuntur.* 698

240 *De Euphorbio. De Euphorbio aliquæ difficultates enodantur, temperamentum affertur, vires explicantur.* 699

241 *De Thapſia. A quo Thapſia nomen deduxerit ambigitur. non eſſe eamdem cum Thapſo; deſcribitur; vires, & temperamentum afferuntur.* 700

242 *De Staphide agria. Cur Staphis agria Græcis ſic vocata, & cur pedicularis herba. deſcribitur. afferuntur vires cum temperamento.* 702

243 *De Clematide alter à Dioſcoridis deque flammula Iouis. Flammulæ Iouis conditio affertur, tam quoad figuram, quàm quoad temperamentum, & vires.* ibid.

244 *De Aro. Deſcribitur Aron; non eſſe Diacontium aſſeritur, vires, & temperamentum examinantur.* 703

245 *De Frigidis in quarto gradu.* 704

246 *De Mandragora. Frigida in quarto gradu examinantur: & conſideratur Mandragora cur ſic dicta. Deſcribitur; controuerſum temperamentum definitur; vires afferuntur.* ibid.

247 *De Hyoſcyamo. Hyoſcyamus planta cur tale nomen ſortita. circa temperamentum variæ obiectiones afferuntur.* 706

248 *De Papauere. Papaueris temperamentum in dubium vertitur. Cauſæ adducuntur.* 707

C. vlt. *De Cicuta. De Cicutæ Temperamento ambiguitas affertur, examinatur, Concluditur, & ſoluitur. pag.* 708

INDEX AVCTORVM.

Acoſta.
Actuarius.
Ælianus.
Aetius.
Agricola.
Albertus Magnus.
Aldinus.
Alpinus.
Altom. Donatus Antonius.
Amatus Luſitanus.
Amianus.
Amphis.
Anaxagoras.
Andromachus.
Anguilara.
Annanius.
Aphrodiſeus.
Aponenſis.
Apuleius.
Arcades.
Archidamus.
Archigenes.
Archilocus.
Archimedes.
Ardoinus.
Aretæus.
Argenterius.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Aromatarius.
Arrianus.
Aſclepiades.
Aſclepius.
Aſelineus.
Athenæus.
Attalus.
Avenzoar.
Auerroes.
Auicenna.
Auſonius.
Baldus.
Barclaius.
Bauhinus.
Bellonius.
Beroſus.
Bodinus.
Boetius.
Bontius.
Boot.
Bordeus.
Braſauola.
Brodæus.
Busbechius.
Cæmus.
Caius.
Callimachus.
Calphurnius.
Camerarius.
Capivacius.
Cardanus.
Caſſianus Baſſus.
Caſſiodorus.
Caſtor Durantes.
Caſtullus.
Cato.
Cauſabonus.
Celius Aurelianus.
Celſus.
Ceſalpinus.
Ceſius.
Chriſtoph. à Vega.
Chriſtoph. de Honeſtis.
Chryſippus.
Claudianus.
Clauius.
Cleopatra.
Cluſius.
Columella.
Columna.
Conciliator.
Coniialvus.
Corbeius.
Cordus.
Cornarius.
Correſius.
Cortuſius.
Coſtæus.
Cotembech.
Crato.
Cteſias.
Dalecampius.
Damocares.
Damocrates.
Dansus.
Democritus.
Diodorus Siculus.
Diogenes.
Dionyſius.
Dioſcorides.
Diphilus.
Dodonæus.
Dominicus Melitenſis.
Donzelius.
Empedocles.
Epicurus & Epicurei.
Eraſiſtratus.
Evax.
Eubolus.
Eudemus.
Euripides.
Faber.
Fallopius.
Fanias.
Fernelius.
Ferrarius.
Feilus.
Fienus.
Foreſius.
Fracaſtorius.
Fragoſus.
Fuchſius.
Furnius.
Galego.
Galenus.
Garzias ab Horta.
Gerardus Cremonenſis.
Geſnerus.
Gomara.
Gorrheus.
Goſtonus.
Grevinus.
Grillus.
Guainerius.
Gvillandinus.
Harvæus.
Heinſius.
Helmontius.
Heraclitus.
Hermes.
Hermolaus.
Herodotus.
Herophilus.
Heſiodus.
Heſychius.
D. Hieronymus.
Hieronym. ab Aquapendente.
Hieronym. Fabricius.
Hildanus.
Hippo.
Hippocrates.
Hollerius.
Homerus.
Horatius.
Iamblicus.
Imperatus.
Ioſeph Hebræus.
Ipatus Metopontinus.
Iſaac.
Iſidorus.
Keglerus.
Kircherus.
Lacuna.
Libauius.
Licetus.
Lobellius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucidus.
Lucretius.
Ludovic. Romanus.
Lyricus.
Macer.
Macrobius.
Macrus.
Magatus.
Manardus.
Masanta.
Marcellus Empyricus.
Maro.
Marogna.
Martialis.
Martinus.
Maſſarias.
Matthiolus.
Mercurialis.
Meſue.
Mirepſius.
Mithridates.

a Mneſtor

Mneſtor.
Moderatus.
Moibanus.
Molineus.
Monardes.
Montanus.
Muſa.
Nevius.
Nicander.
Nicolaus Florentinus.
Odo.
Ophmannus.
Oppianus.
Ordelaphus.
Oribaſius.
Oroſius.
Orpheus.
Ortellius.
Ovidius.
Oviedus.
Palladius.
Palmerius.
Paracelſus.
Paraus.
Partianus.
Parkinſonius.
Paſinus.
Paulus Ægineta.
Pauſanias.
Pena.
Perſius.
Petronius.
Petrus de Marchettis.
Philoſtratus.
Philotimus.
Pigapheta.
Pigeus.
Pius.
Platerus.
Plato.
Plautus.
Plempius.
Plinius.
Plutarchus.
Popa.
Porta.
Poſidonius.
Pravotius.
Propertius.
Puncetus.
Pythagoras.
Quercetanus.
Redi Aretinus.
Renodeus.
Rhambaldus.
Rhaſes.
Rhodiginus.
Rhodius.
Rhuteruſius.
Rondelletius.
Rudius.
Ruellius.
Rufus.
Sabor.
Sala.
Salius.
Salmaſius.
Salomon.
Sanctacrucius.
Saracenus.
Saxonia.
Scaliger.
Scheigius.
Scribonius Largus.
Scroderus.
Seneca.
Sennertus.
Septalius.
Serapio.
Servius.
Sethi.
Silvaticus.
Silvius.
Skenkius.
Socrates.
Solinus.
Sophocles.
Soranus.
Spigelius.
Spoudanus.
Sprecchius.
Stellatus.
Stephanus de Caſparis.
Strabo.
Stuchius.
Suetonius.
Syphinius.
Taberna Montanus.
Tacitus.
Tertullianus.
Theocritus.
Theophraſtus.
Thetzes.
Thevetus.
Thimaus.
Thragus.
Thraleas.
Tulpius.
Vatrus.
Valerius Maximus.
Varro.
Vecherus.
Veſlingius.
Vgo Salerius Largus.
Vierus.
Virgilius.
Vitruvius.
Vmbricius Aruſpex.
Volateranus.
Vlpianus.
Zabarella.
Zeno.
Ziani Abbas.
Zoroaſter.

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquiſitore nel Libro Intitolato; *Dryadum, Amadryadum, Chloridiſque Triumphus, Auttore Georgio à Turre Patavino*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimenti per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto di poterlo ſtampare, oſſeruando gl' ordini &c.

Dat. li 16. Nouembre 1682.

{ Piero Moreſini Reformator.
{
{ Leonardo Peſaro Proc. Refor.

Gio; Battiſta Nicoloſi Segrt.

D I S T I C H O N.

Quod ſcripſit Salomon periit, nil præter hyſopum
Ex herbis nobis Biblia Sacra refert.

Hoc damnum reparat, qui TVRRIM & LILIA portat;
Et Salomonis adhuc viuere monſtrat opus.



A L I V D:

In Muro tantùm quam creſcere cernimus herbam
Vnde tuum, Salomon, vltima clauſit Opus?

Præuidit TÝRREM multò priùs ille futuram;
In qua nota magis quælibet herba foret.

C. E. G.

LIBER PRIMVS.

Procœmium ad Apparatum Plantarum Hiſtoriæ.

INter Priſcos illos ſapientiæ cultu Celebres Viros præcipuè homini dignitatem ſuam aſſeruiſſe videtur Ariſtoteles; cum ipſum rerum omnium finem eſſe profitetur, ad quem cuncta referantur, & cuius gratia ſtare hoc pulcherrimum Vniuerſi corpus debeat; & perennare. Quod igitur æternæ noctis è Chaos effugimus immenſas tenebras, quod ſpargantur opportunis imbribus terræ, maria flatu moueantur, ſyderum curſu tempora diſtinguantur, hyemes, æſtateſque interuentu lenioris auræ molliantur, effuſum in hominem Prouidentiæ Cœleſtis beneficium habetur. Flumina illa amœniſſimis flexibus campos cingentia, præbitura commercijs viam, vaſto, & nauigabili curſu vadentia, quorum nonnulla ſtatis diebus mirabile incrementum ſumunt; vt anhela, feruidoque Cœlo ſubiecta loca vis æſtiui Torrentis irriget. Illæ fontium medicatorum venæ, & in ipſis littoribus aquarum calentium exundationes, eiuſdem in hominem prouidentiæ munera agnoſcimus. Tot item arbuſta non vno modo frugifera; tot herbæ ſalutares, tot ciborum varietates, per annum totum digeſtæ, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præbeantur. Iàm animalia omnis generis alia ſicco, ſolidoque, alia humido innaſcentia, alia per ſublime demiſſa, ab omni rerum naturæ parte collatus in hominem tributus videtur; vt inter illa palatum vltrà ſatietatem laceſſentia ſaporum condimenta, variaque iam laſſæ voluptatis irritamenta habeat vel ingratiſſimus, habeat cur exclamet, 1. Phyſ.

Deus nobis hæc otia fecit,
Iamque erit ille mihi ſemper Deus; illius aras
Sæpè tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Nec immeritò Hermeti illi ter maximo lib. de Pietate expreſſa vox ſit, ὁ κόσμος διὰ ἄνθρωπον ὁ δ᾽ ἄνθρωπος διὰ τὸν Θεόν. Mundus propter hominem, homo verò propter Deum. Quam ſententiam vel ſtudio, vel affectu ſic auxere nonnulli ſapientum, vt etiam Cimices, puliceſque infeſta humano corpori animalcula in aliquam eius vtilitatem producta contenderint. Quid metallorum immane pondus, locis omnibus obrutum? cuius inueſtigandi facultatem homini dedit, & in ſumma Terra latentium diuitiarum ſigna diſpoſuit. Horum pleraque tamen ſi citrà nubem opinionis ad Solem exactioris iudicij expendamus, non magis ad hominem, quàm plantas, cæteraque animantium genera ſpectare videntur. Cœlum illud, quod irrequieta vertigine

DISTICHON.

Quod ſcripſit Salomon periit, nil præter hyſopum
Ex herbis nobis Biblia Sacra refert.

Hoc damnum reparat, qui TVRRIM & LILIA portas,
Et Salomonis adhuc viuere monſtrat opus.



ALIVD:

In Muro tantùm quam creſcere cernimus herbam
Vnde tuum, Salomon, vltima clauſit Opus?

Præuidit TVRREM multò priùs ille futuram,
In qua nota magis quælibet herba foret.

C. E. C.

LIBER PRIMVS.

Procemium ad Apparatum Plantarum Hiſtoriæ.

INter Priſcos illos ſapientiæ cultu Celebres Viros præcipuè homini dignitatem ſuam aſſeruiſſe videtur Ariſtoteles; cum ipſum rerum omnium finem eſſe profitetur, ad quem cuncta referantur, & cuius gratia ſtare hoc pulcherrimum Vniuerſi corpus debeat, & perennare. Quod igitur æternæ noctis è Chaos effugimus immenſas tenebras, quod ſpargantur opportunis imbribus terræ, maria flatu moueantur, ſyderum curſu tempora diſtinguantur, hyemes, æſtateſque interuentu lenioris auræ molliantur, effuſum in hominem Prouidentiæ Cœleſtis beneficium habetur. Flumina illa amœniſſimis flexibus campos cingentia, præbitura commercijs viam, vaſto, & nauigabili curſu vadentia, quorum nonnulla ſtatis diebus mirabile incrementum ſumunt; vt anhela, feruidoque Cœlo ſubiecta loca vis æſtiui Torrentis irriget. Illæ fontium medicatorum venæ, & in ipſis littoribus aquarum calentium exundationes, eiuſdem in hominem prouidentiæ munera agnoſcimus. Tot item arbuſta non vno modo frugifera; tot herbæ ſalutares, tot ciborum varietates, per annum totum digeſtæ, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præbeantur. Iàm animalia omnis generis alia ſicco, ſolidoque, alia humido innaſcentia, alia per ſublime demiſſa, ab omni rerum naturæ parte collatus in hominem tributus videtur; vt inter illa palatum vltrà ſatietatem laceſſentia ſaporum condimenta, variaque iàm laſſæ voluptatis irritamenta habeat vel ingratiſſimus, habeat cur exclamet, 1. Phyſ.

Deus nobis hæc otia fecit,
Iamque erit ille mihi ſemper Deus; illius aras
Sæpè tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Nec immeritò Hermeti illi ter maximo lib. de Pietate expreſſa vox ſit, ὁ κόσμος διὰ ἄνθρωπον ὁ δ' ἄνθρωπος διὰ τὸν Θεόν. Mundus propter hominem, homo verò propter Deum. Quam ſententiam vel ſtudio, vel affectu ſic auxere nonnulli ſapientum, vt etiam Cimices, puliceſque infeſta humano corpori animalcula in aliquam eius vtilitatem producta contenderint. Quid metallorum immane pondus, locis omnibus obrutum? cuius inueſtigandi facultatem homini dedit, & in ſumma Terra latentium diuitiarum ſigna diſpoſuit. Horum pleraque tamen ſi citrà nubem opinionis ad Solem exactioris iudicij expendamus, non magis ad hominem, quàm plantas, cæteraque animantium genera ſpectare videntur. Cœlum illud, quod irrequieta vertigine

ſtellatum exercitum, circumducit, non hominem tantum, ſed vniuerſum hoc rerum caducarum conuexum ambitu ſuo coërcet, ac Numinis inſtar quoquouerſùm bona ſua diffundit. Solem Principem ſyderum, & Rectorem ſi vices temporum, annumque denuò renaſcentem ex vſu naturæ temperat, ſi Cœli triſtitiam ſereno lumine diſcutit, vitali ſpiritu, & calore diſtributo, cùm homini prodeſſe, tùm animantium, plantarumque pariter conſeruationi diuinitus conſecratum notiſſimum arbitror. Terra, cui auctore Plinio propter eximia merita cognomen inditum ſeruat maternæ venerationis, non in hominem magis, quàm pecudes benigna, quas naſcentes excipit (vt eiuſdem verbis loquar) natas alit, ſemelque editas ſuſtinet ſemper, & abdicatas à reliqua natura nouiſſimè gremio ſuo recondit. Metalla tantùm abeſt, vt in hominum bonum reperta iudicarint Viri Magni, vt hinc demum innocentiam, felicitatemque humani generis perijſſe crediderint, cum ex eorum abuſu auctis rerum pretijs incongrua quæque alia, magis concupiſcerent, quæ, & nobiſcum nata deſiderio noſtro imponere non debuiſſent. Nec animantium greges in arbitrium hominum ſponte veniunt, quos aut conſuetudo nobis deuincit, aut adhibita vis tyrannidi ſimilis ſub iugum imperiumque mittit. At illa, quæ citrà dubitationis aleam homini propriè dicata ſunt, quæ conſeruationem humanæ vitæ tanquam finem ſpectant, plantæ ſunt, & amœni Vegetabilium, Floridique cœtus; è quibus ſi quid in victus neceſſitatem, medelamque feris, ac volatilibus conceſſum, id ſanè minimum fuerit, ſi cum reliqua ſumma in comparationem veniat, quam aduerſæ, & proſperæ valetudinis emolumento conceſſam, immò productam ex Terra ſacris litterarum Oraculis abundè confirmamur. Iam verò illæ quarundam plantarum ſpinæ, munimenta ſunt, quibus eas natura nobis tutas præſtitit, & toxica ipſa, quæ ſub virore ſuo abſcondunt, arma ſunt, quæ pro valetudinis humanæ victoria ferunt, non verò noxa, ſaltem hoſtem reperiant, quem adoriantur, quem proſternant. Cætera non eximia minus vtilitate ſe commendant, quàm voluptatum lenocinio blandiantur; vltrò ſæpius ſeſe homini porrigentia, & ſi pigeat attingere, ſponte cadentia; vt mirandum omninò non ſit haud aliam obſeruari curam, in quam ab omni æuo tam cupidè conſenſerint ampliſſimæ gentes ingenuo plantarum, ſtirpiumque cultu. Nam vt Cœlum, & ſcintillantes aſtrorum ignes vix aſpicimus ſine occulto quodam horrore, & Religione, non item Terræ ſacrum ornamentum, & mundi huius inferioris mundum ſine tacita gaudij titillatione, gratoque ſenſu. Animum ſanè quiſque ſuum, mentemque ſi percunctetur capi ſe tot plantarum aſpectu fatebitur, immò paſci. Oculi namque, & ſenſus non alibi libentius acquieſcunt, quàm in floriferis hortorum areis, ac puluillis. Circumſiſtat aliquis quæſo ineunte Vere illas ſtirpium miriades, obſeruetque aſpectuum diuerſitates eleganter picturatas, gemmea florum varietate ſuperbientes, bibuliſque oculis colores inſpectet lepidos, auidis naribus cæleſtes odores hauriat; floreſque milleformis laſciuientes, mille modis delectantes; non cultum (ſi libet) auerſantes, non neglectum deſpicientes, vbi innumera foliorum luxuriantium agmina lepidè nutantium, floſculorum pompam extra ſe non auarè prodeuntia, non è calyce tantumodò, ſed è gemma, ſed è vagina protuberantia, horumque hunc cedere inſpectet, alium exindè ſuccedere, mo-

dò pompam totam explicare, modò paululum ſe colligere, fructumque concinna lepiditate prædítum paulatim emergentem oſtentare, modoque auidè expectantis hilarem ſpem deludere, modò eodem ad maturitatem delato cupidum planè ſolari. Neminem adeò torpeſcere poſſe crediderim, qui ad hæc, iucundo animi conſenſu, non ſe flectat, & Catonianam omnem ſeueritatem ſponte non exuat; quod ſi demum reſpiciat in his omnibus expreſſa veluti penicillo artificis naturæ blandientis pigmenta; in ijs ſanè multò magis agnoſcet non in vſum tantùm hominis eas eſſe comparatas, ſed effundi vel in delitias. Mihi quidem quemadmodum volupe eſt amænam hanc vegetabilium ſeriem, externaſque notas veris decurſu quotannis in Horto Publico perluſtrari, ità nunc propoſitum eſt intimas plantarum vires, & affectiones indagare, tum effectuum variarum cauſas, quibus humanam valetudinem, aut integram tuentur, aut afflictam morborum ſæuitia vigori priſtino reſtituunt. In cauſarum perueſtigatione Theophraſtum Ducem ſequar, non eloquentiæ minus, quam ingenij laude cumulatiſſimum ſenem: In effectum explicatione Dioſcoridem, Galeni teſtimonio de materia Medica diligentiſſimum, atque optimum Scriptorem: quod ſi in propoſita materia ſingularium ſtirpium omnium à nobis æquè non examinabitur natura, quod, & immenſum quid eſſet, & forſan ſuperuacaneū; earum tamen notitiam tradere curabimus, quarum frequentior vſus ob virium præſtantiam nobis in primis commendauit, eas quoque per aliquas diſtinctas Claſſes diſtribuentes.

Cum igitur harum effectus ad fontes ſuos reuocamus, duplicis obſeruamus originis; nam vel à forma ipſa, & Entelechia tanquam propriæ facultates proficiſcuntur nullo temperamenti certo gradu definitæ, quales ſunt admirabiles illæ determinatos ſuccos purgandi, certas partes roborandi, quibuſdamque venenis reſiſtendi vires, de quibus in primo hoc libro. Vel materiæ, ſiue Elementorum concurſum ſequuntur, ſuntque ſenſui externo perceptibiles qualitates omnes, adeoque tactui, oculis, naribus, linguæque ſubiectæ, de quibus in ſecundo lib. ſermo erit. Nec me deterreat Prouinciam hanc à viris præclariſſimis non ſemel tentatam, abſolutamq; mihi laudem tanti conatus proripere poſſe; cùm hæc earum actionum vna ſit, quæ vt Ariſt. verbis vtar, per repetitos habitus delectationem, non ſatietatem pariat: cum præſertim nulla, licet è Triuio, Turba tam rudis ſit, quæ ſi non intimas cauſas ſtirpium rimari, & è latebris ſuis auocare ſtudeat, ſaltem eximios effectus in proprium vſum trahere deſideret, & ſæpius plantarum inſpecta, florum, foliorumque hilaritate, tum formæ concinnitate ad abditiſſima etiam naturæ arcana feriò indaganda nolens ducatur. Cæterum ſcio quidem multa abſtruſa, & difficilia ingruere, quæ intellectui noſtro non leue negotium exhibent; verùm quemadmodum acutiſſimis ſpinis horridos fructices, floribus natura dotauit ſuauiſſimis; ità plantarum de natura contemplatio per ſpinoſum variarum quæſtionum acumen animo fructum ſuppeditat iucundiſſimum; quo nec gratius eſt fabuloſum illud epulantium Deorum nectar. Ficum antè obſidionem in Lauro Cyzici natam, auctore Plinio, Victoriæ non minus laborioſæ, quàm gratæ argumentum ducebant. idem hic in noſtro hoc conatu cogitemus volo, quam- Lib.16.ca.25.

uis nihil mihi laborioſum, quod cum mortalium fructu coniunctum ſit: Et forſan non omninò inutile erit, quæ à nonnullis obſcurius explicata ſunt, clarius, & fuſius perſequi, & abſoluere.

CAPVT PRIMVM.

Plantarum Natura in vniuerſum affertur; an propria anima viuant, & quaſi viuunt, expenditur. Stoicorum, & Epicureorum opinio reijcitur; viuere anima propria Plantas, eaſque vegetabili affirmatur.

VEré Seneca rerum naturæ Arcana non promiſcuè, neque omnibus patere, ſed abdita eſſe, & interiore veluti ſacrario clauſa, vt non immeritò Palladem ſapientiæ numen, an nomen Poetæ fabularum conditores Virginem fingerent; ſed è cerebro Iouis natam, partu difficili non ſine vi laxatis Cranij munimentis duriſſimis, vultu ad ſeueritatem exaſperato, non affectu, non habitu ſexus ſui vel blandimenta, vel mollitiem exprimentes. Sic ſignificare nobis voluerunt ſapientiſſimi Veteres adeò laborioſam eſſe verum naturæ inueſtigationem, vt poſt fractas ingenij, laxataſque vires, cum in lucem tandem erumpit veritas, non facilè tamen ſui amatores inueniat. Et cauſæ quidem difficultatum partim in nobis ipſis ſunt, partim in rebus, quas contemplamur. In nobis, quia per naturam, animo circumfuſam, veluti caliginem habemus, adeoque ad inquirendum verum, non Lyncei, ſed, vt ſeriò fatetur acutiſſimus Philoſophorum νυκτερίδων ὄμματα afferimus. In rebus deindè, quæ vel ſimpliciter ab omni materiæ contagio abſtractæ ſunt, qualia Diuini genij, & lumen illud æternum ipſum, vel à ſenſibus humanis longè, lateque remota, qualia Cœlum, & ſcintillantes illę ſyderum faces; vel etiam propiores, ſed in quibus intellectui negotium exhibet, aut ſubſtantiæ ſimplicitas, & indomabilis temperamenti rigor, qualem experimur in metallis; aut partium varietas, & operoſior inter ſe nexus, quem deprehendimus in animantibus. Media autem vegetabilium conditio eſt, in quibus, & partium apparatus ſimplicior, & temperamenti armonia per tactum, odoratum, guſtum indagatu facilior. Horum igitur primò conditiones conſideremus in communi acceptorum, vt partes deindè ſtirpium earumdem expendamus. Quod igitur hic generali nomine φυτὸν ſiue Plantam appello, eſt corpus animatum, nutriendi, creſcendi, generandique facultate prædiium; & corpus profectò animatum dixi; re enimuera proprios edunt animæ effectus Plantæ, proprias etenim ineſſe affectiones ſine ſubiecto proprio, ex Philoſ. ſententia, abſurdum eſt; vt indè perſuaſum omnibus ſit vita eas viuere: ſic plantas alimentum ſuſcipere, ſuſceptoque grandeſcere, tum ad ſpeciei perennitatem ſobolem producere fide ſenſuum conuincimur. Cæterum cum facultatem hanc à vel propria habeant natura, an aliundè mutuatæ ſint Plantæ, in cõtrouerſiam olim vocauit Stoicorum virilis, & robuſta ſecta: inſinuari enim animas etiam humanas aliundè corporibus, non ex propria conditione ſubiecti proficiſci, tradidere variæ Philoſophorum ſectæ, nullo alio, quàm naturæ lumine ſuaſi; quamuis ab Epicureis id mordicus refellatur ob

2. de Generat. Animal.

ob

Ob id Lucretius

Præterea (inquit) gigni pariter cum corpore, & vna
Creſcere ſentimus pariterque ſeneſcere mentem.

Nec aliter ſtatuebat Chryſippus (ſi Plutarcho credimus) dum contrà ipſum Epicurum acerrimè diſputabat. Sententiam ſuam probant Stoici Plantas propria anima non viuere; nam cùm ea tantumodo, quæ ſentiunt, quæque mouentur propria anima (vt aiunt) viuere conſtet, Plantas ſanè non propria, ſed communi vi, & natura Terræ, veluti parentis vitam ducere exiſtimarunt, quia tamdiù videntur nutriri, & reliqua vitæ munia obire, quamdiù maternis terræ amplexibus inhærent, à qua divulſæ languent protinus, flacceſcunt, contabeſcunt, ſecus autem fieret ſi ab interno principio veluti fonte propriæ actiones emanarent. His acceſſere Epicureorum delicata, & vmbratica turba, qui Plantas neque formæ propriæ viribus naſci, nec prouido naturæ decreto, ſed temerè, caſuvè produci contendebant. Oppoſuerunt ſe tamen horum decretis Viri Clariſſimi plures; immò quotquot rerum naturam altius perſcrutati fuerunt ſingulare ſtirpibus, atque intimum vigoris, vitæque principium aſſignantes. At profectò terrarum ingens tractus ſi propriam, eamque vegetabilem naturam poſſidet, quid eſt, quod non augetur Vniuerſus? parteſque partibus non multiplicat, & fœcundat, quod alia omnia, quæ ex terra Elementiſque primis generantur, vim eamdem ſeſe nutriendi, augendi, propagandi non obtinent, cur Terræ ignobili, ac præ cæteris inerti Elemento proprias animæ dotes concedamus, quas aeri, aquæ, & igni denegatas eſſe fatentur, quamuis in aere, & aquis non minus, quàm in Terra vita præditarum multitudo. Cur ſaltem igni animam non concedimus, quem Ariſt. ſolum, & maximè formarum capacem efficaciſſimum eſſe ait: itaque ſi quæ ſentiunt, quæque mouentur corpora per inſitam ſibi naturam creſcere, nutriri, & generare ſimile Stoici non inficiantur, cauſa nulla eſt, cur eaſdem in Plantis facultates ab anima propria proficiſci negatum eant. At Plantæ quidem non ſecus atque animantia reliqua ſibi ipſis à Terra ſumunt, neceſſarium alimenti cenſum, atque altrices illæ tot ſtirpium radiculæ non è Terra in Plantas, ſed è plantarum ſeminibus, ſurculiſque in Terram demitti fideli obſeruatione ſatis compertum eſt, & demitti interdum adeò ſolerter, vt nec ſolidæ murorum commiſſuræ, neque ſaxea quæuis congeries radicum extenſionem impedire queat. Quæ res etiam Priſcos è Porticu ſapientes adduxit, vt communem illam rerum, quam agnoſcebant, naturã, vel animam; non ſingularum actionum ſimpliciter cauſam, ſed τὸ συναίτιον, cauſam adiuuantem aſſererent. Ratio autem, quod extra terræ complexũ plantæ non viuant, non arguit in his internæ formæ abſentiam, ſed alimenti potius neceſſarij inopiam. Nam vt animantium corpora nutrimento defecta contabeſcunt, atque hominem ipſum vel triduana conficit inedia: ſic Plantas, alibilis ſucci defectus exhaurit, idque facilius, quo rarior ipſis corpuſculis habitus; atque officium hoc nutritionis impenſius exequatur. Neque Hercules, verò conſentaneum eſt, ſtirpes extra terræ, veluti vterum viuere non poſſe; radix Rhodia, & quotquot aliæ laxiorem ob ventrem bulborum nomen tributum obtineat, terra erutæ viuunt, viuunt

Lib. de Repugnantiis Stoicorum.

2. de Gener. & Corrupt. c. 8.

diutius

diutius ferè omnes. Aloes laqueari bus appenſa non per multos ſolum annos durat, ſed florum etiam pompam explicat lepidiſſimam, faciunt idem Cepa, ſcilla porrumque terris effoſſum. Inflorescente lilij Thyrſo quamtumuis à matre reſecto ſemina proueniunt. Ocimum, quod & βασιλικὸν veteres nuncuparunt, per æſtatis decurſum in aqua, non ſecus, ac in terra viuere, florere, atque in ſobolis futuræ ſpem ſemina ferre obſeruamus, immò, & ſemina ipſa quantoperè durant, & vitale principium cum futuro fœtu ad multos etiam annos à matre deciſa retinent? Viuunt ergo Plantæ, viuuntque per inditam ſibi naturam, formamvè propriam, non aliundè mutuatam; nam Epicuri aſſeclis temerè, & caſu Plantas produci affirmantibus, non eſt quod multis reſpondeam. Quis enim in tam ſpiſſa verſatur nocte, qui non animaduertat firmam eſſe, & raram cauſarum naturalium ſeriem, adeoque ſtabilem, & definitum ordinem effectorum? Obſeruet quæſo aliquis narciſsi vegetum, Colchicivè bulbum, & incluſum membranis pulchræ genetricis, & ſeipſam in ſe reparantis fœtum nouellum, non bulbullum tantum proprium, ſed etiam inter circumuoluta foliola parua floſculi rudimenta præferentem; obſtetricantis deindè anni tempeſtiuitate impulſum ruptis inuolucris in auram eluctantem, infantium more ad inſuetum lucis conſpectum flore conniuentem: videant eundem, temperato Sole iam firmatum imbribus opportunis educatum, & dilapſis floſculi caducis ornamentis intrà membranoſi capitis locellos ſemina diſponentem, non antè areſcente caule, quam intrà bulbi corium ſobolem, ſucceſſorem vitæ, virtutumque hæredem conceperit, vt nemo tam vecors ſit, cum hæc inſpexerit, quæ tanta mente fiunt, vt vix ordinem rerum, ac viciſſitudinem ars vlla, quamuis ab intellectu ſubtiliſſimo directa conſequi poſſit; qui caſu hæc, & temerario impetu miſceri putet? Iam cum inſitam eſſe plantis propriam naturam conſtet, quæ illa, & cuius ordinis ſit, aut quo gradu viuant, plantæ impoſterum copioſius proſequamur.

CAPVT SECVNDVM.

Vegetabilem gradum animæ, quo & viuunt, poſſidere plantas cum Ariſt. affirmatur; Platonis, Anaxagoræ, Empedoclis, Democritique ſtirpibus etiam alios animæ gradus tribuentium opinio reycitur.

EGregiè Apuleius parētem illum rerum omnium vniuerſum hoc, principiorum impari conuentu, & diſcordi concordia, veluti muſicam temperaſſe, dum humida aridis, flammea glacialibus, pigra velocibus, obliqua directis miſcuit, ſingulis tamen vtiliſſimum finem, veluti concentum ſpectantibus; quæ res non in Elementis tantùm manifeſta, ſed in mixtis quoque, atque inter hæc in vegetabilibus, ſiue plantis, quas tam euidenti non minus conſenſu conſpirare, quam diſſenſu repugnare notarunt viri ſapientes; qui ſanè miri effectus quorumdam mentes ità deuinxere; vt præter ſimplicem vegetabilem naturam, etiam ſenſus vigorem, & veluti mentem ipſis ineſſe crediderint. Et cum dictum ſupra ſit inſitam eſſe plantis propriam, qua viuunt, animam, huius quis gradus ſit porrò inquiramus,

mus. Notum igitur ex Ariſt. decretis, animam in vniuerſum triplici facultate circumſcribi, quæ nutrimento præeſt, & generationi naturali, & quæ in animantibus vim pariter includit vitalem, & reciprocum Arteriarum, cordiſque motum, & reſpirationis vices adminiſtrat; ſecundo (animali,) quæ ſenſuum, & motus munera comprehendit: quibus tertio principes in homine intelligendi, volendique functiones accedunt. Harum, quę propriè aſſignanda ſit, non idem cenſuere veteres; quamuis enim Ariſt. his vegetabilem tantum vim, adeoque nutriendi tantummodo, creſcendi, & generandi facultatem concedat; antè ipſum tamen Plato, Anaxagoras, Empedocles, Democritus eaſdem ſentire, appetere, motu item, & cognitione non carere crediderunt; Nec ſanè pauci momenti ſunt rationes, quę tantos Philoſophos mouerunt; nam cum nutriantur, & quidem, vt reſtaurent, quod ipſorum ſubſtantiæ defluxit, agunt vtique propter finem, finis autem præſupponit cognitionem: vt alimentum attrahant, requiritur, vt defectum eius inopiamque percipiant; perceptio autem hæc, ſenſus argumentum eſt: inopiæ ſenſum appetitus excipit; & vtilium ab inutilibus, & noxijs ſeparatio. Cumque voto potitæ ſunt, voluptas; cuius inditium, quam præſeferunt poſt alimentum aſsumptum hilaritas; nam quas ob alimenti deffectum ramis folijſque demiſſis contabeſcere videmus, eaſdem affuſo humore, veluti exempta fame, ad priſtinum pulchritudinis decus redire conſpicimus. Iam grauius laceratæ, vulneratæque detrimentum ſentiunt, ac ſubindè, quaſi doleant triſtantur, diſruptis vitæ earum inſtrumentis, natiuoque calore diſſipato. In Thylo, inquit Theophraſtus Arabici ſinus inſula arbor eſt, cuius roſei flores noctu contrahuntur, oriente ſole aperiuntur, in meridie eo culminante plenius expanduntur. Idem loci florem in Euphrate ſole occidente ſeſe colligere, & paulatim ſub aquis abſcondere; eodem oriente emergere, atque aperiri ſcribit; Lotus hic Nimphea cenſetur, quam & hiſce noſtris locis ſimilem in modum inclinari videmus, quamquàm occidente ſole non hæc tantum, ſed plurium è vulgaribus, plantarum flores contrahantur. Smilaces, & Conuolvulorum non pauci noſtri florem aperiunt, tamquàm pulcritudinem ſuam oculis mortalium inuideant. Sopheram, Seſbanum, Thamarindos, Sennam, ſimileſque calidioris Climatis, Plantas circà meridiem foliorum alas adducunt, quid heliotropij & cichorij flores! non ne cum ſole etiam die nubilo tamquam ſingulari ſyderis deſiderio marceſcentes circumuoluuntur? an nè inſigne ſenſus exemplum in Dactiliferis Palmis etiam veteres litterarum monumentis prodiderunt? & adhuc, vbi earum copia eſt, obſeruare licet: harum enim, quas feminas vocant vix ad maturitatem fructus producunt, niſi marium aſpectu, afflatuque recreentur, in quos, tamquam congreſſus auidæ comis blandioribus nutant, nec finis antè, aut modus deſiderio, quam è palma mare decerpta retrimenta, vel flores, aut ſaltem excuſſus puluis, amoris veluti medela feminarum capiti inſpergantur. Nec mirum adeò Empedoclem in Plantis ſexus quoque diſcrimen agnouiſſe Palmarū in moribus: Auellanas è Mexico ſimiles tradunt, quæ citrà ſociam ſui generis arborem, haud germinare valent, vt indè non ſolum ſexus in plantis diſtinctionem eruant, ſed etiam mutuum amorem, odiumque; quo ſenſu, palmas

Theoph. in 2. hiſt cap. 8. Vesling obſer. in Alpin. c. de Palma.

palmas item animantibus ſimiles eſſe arguitur, quoniam eximium amoris coniugalis inter ſe conſenſum præſeferant, & quod ratione proprij corporis, partiumque ſtructuræ conſequi, deberi etiam videantur; habent enim cum Theophraſto Encephalon, vel rectius cum Dioſcoride, Enchardion, vt citato loco notabat Veslingius; ſed præſertim, quia Palma pondere preſſa erigitur, & motui obniti videtur, & quod magis eſt, vi quadã voluntaria eidem ponderi contranititur, ob id forſan victoribus aſſignata. Iam notum eſt Plantas Fontibus, rivuliſque proximas in eoſdem propendere, & inclinari, tamquam vitam illi debere fateantur, cui debent alimẽtum. Et de conſenſu ſenſuque tantum loquar? Cum idem confirmet plantarum inter ſe, & cum homine diſſenſus? Quercus, & Olea nullo interiecto ſpatio ſatæ flectuntur in contraria: Cucumeres ab olei contactu ſe ſubducunt; Vitis Braſſicam, veluti inimicam auerſatur; hinc meritò Androcides remedium temulentiæ deprompſit. Arbor Theophraſti apud Memphin Filici ſimilis, cuius folia ſi contingantur, marceſcunt, paulò poſt ad vitam redeuntes: huic ſimilis herba viua, & mimoſa Cluſij vocata, quam ferè quotannis in horto Publico colimus: item Arbor Maluacenſis, cuius folia tactu ſe contrahunt, & è vulgaribus Plantis Balſamina flore luteo, quam aliàs noli me tangere nominant, cuius ſiliquæ leuiſſimo tactu repentè diſiliunt, & maximè Sion montanum minimum, cuius maturæ ſyliquæ antè quàm manu tangantur cum ſtrepitu ruptæ ſemen in obuium hominem violenter explodunt, & ex obuijs magis, magiſque euidentibus ſpongia manifeſtè auulſorem ſentit, dum ſe ſenſim contrahit. Iam verò qui præter internos ſenſus, motus etiam in Plantis argumenta requirit, hic Faſeolum Ægyptium, Vitem Canadenum, & hederam contempletur, aliaſque, quæ clauiculis ſuis per adminicula ſe promonent. In Cimbabon Inſula Moro folijs ſimilem Arborem ſcribunt rerum Indicarum auctores, cuius folia pedibus vtrinque paruis, & acutis inſtructa manus tangentium effugiunt. Baharas in Iudæa naſcens radix, cuius in lib. de Bello Iudaico meminit Ioſephus, circa Veſperam velut Iubare fulgurans accedentem hominem, & euellere cupientem tam diù refugit, nec fugam prius ſiſtit, quam muliebribus excrementis conſperſa fuerit; quam Aglaosfotidem Eliani, aut Democriti Marmaritidem arbitratur Guilandinus. fructice illo Tartarico Borameth, quem Agnum Scythicum appellant, quid mirabilius? qui licet radice circa vmbilicum Terræ inhæreat, & è ſemine melonum ſimili creſcat; Agnum tamen partibus omnibus externis repræſentat, vulnerata ſanguinem fundit, & tamdiù vitam ducit, quamdiù vicinas habet Plantas alias; quarum ſuccum depaſcatur; cui argumento eſt, quod ijs terra auulſis, & ipſa commoriatur. Sed quid plura? nonnè animalium inſtar & Plantæ dormiunt? dum ingruente hyeme ceſſant ab omni conſueto viuacitatis munere retracto ad intima calore, erumpenteque denuò vere; ad conſueta munia redeunt? Reſpirant & eæ pariter per corticum poroſitates, vt & hoc ipſum habeant cum animalibus commune, & reſpiratio ipſa per ſe ſola fit, quæ ſenſum cum motu præſeferat. Contrarium tamen ſenſerunt quotquot doctrinam Ariſt. ſequuti ſunt, quæ profectò ſententia verior videtur, animam ſenſitiuam propriè Plantis competere negantes, quia non obſeruamus

mus eas viſu, auditu vè ſenſuumque cæterorum vera facta perſcrutatione aliquid percipere: deſunt organa ſenſuum, habent qualitatum in temperamento exceſſum, & defixa in Terram fugere noxia non poſſunt, qui potiſſimum ſenſuum finis eſt. Quo ſtatuto minimè difficulter illorum ſententiam conuellentes ad obiecta reſponderi poterit: Plantarum ſi quidem actionem potius reſpicere terminum, quam finem; nam quod terminum conſequantur, hoc inſitæ debent ſuæ naturæ eo modo, quo lapis, aut Terra fertur ad Terram; quod verò finem; id non ex ipſis eſt, ſed fluit à ſummo rerum auctore, & conſeruatore. Tractio alimenti non præſupponit ſenſum, quod ſanè fit in dormientibus, fitque etiam ab arido latere, ſpongia, fit in Plantis ſine diſtinctione ſucci, & ſæpè cum earum damno. Alacritas à nutritione eſt adumbrata quædam voluptas, aut voluptatis imago, imò & concoctio ipſa, quia præparatum recipiunt alimentum, minus ſanè operoſa actione, quam quod in animalibus obſeruetur: quod ſi læſiones Plantarum ab ipſis grauiter percipiantur, mirum non eſt, quoniam læditur in ijs calidum, humidumque nativum, quo operante, mediante anima conſeruantur. Iam conuerſiones Plantarum ad Solem, florum, foliorumque contractiones, aut expanſiones, vel ab inſita ipſis forma producuntur, quo modo elementa mouentur ad terminos proprios, Magnes ad ferrum ſine ſenſu proprio; vel externas habent cauſas, videlicet calorem blandè dilatantem, frigus aſtringens, æſtum reſoluentem. Inclinatio tandem in propinquas aquas fit à vaporum copia, quibus aggrauatæ propendent. Sed magis vrgere videtur, quod de Plantarum amicitia, & odio dicebatur; Vt igitur rem ſoluamus accipiendum amorem hic, & voluptatem non propriè talium eſſe, neque ſubindè odium non ab eadem cauſa; non per hoc enim hydrargiron ob ſympathiam cum auro eſt animatum, vt nec ferrum trahens Magnes. Simiæ enim, & Elephantes, quoniam actiones ſupra ſenſibilium animalium edere videntur, imò rationis inditia præbere, & quodammodo eius imaginem ferre, non ſunt tamen rationalia: ſic homo intellectus claritate cognoſcens verum, & voluntatis rectitudine propendens in bonum Deo ſimilis ἰσόθεος non ὁμόθεος diuerſus non idem: Palmas autem fœminas, quia imbecillior earum vis eſt effluvio corpuſculorum à maribus non excitari non impoſſibile eſt, attamen Vitis Clariſſimis compertum eſt loca Orientalia incolentibus crebrò ſpirantibus ab Auſtro Ventis, qui Ægypto calidi admodum, & ſicci pulueris nitroſi maximam copiam in Arborum cacumina afferri, indè adeò Palmas vegetari, vt imminens quorundam ædibus arbos racemo vnico prouentum dactylorum tãtum ferret, quantum attollere manu, niſi robuſtus vix poſſet: hinc igitur dicendum, quod quamuis à forma hatum aliquid ſit; manifeſta tamen vtilitas à firmatione, & caprificatione percipi poteſt. De ſexu, quem Empedocles Plantis tribuit non aliter cogitandum, quam quod analogia quædam ſit, qua Plantis frigidioribus in eadem ſpecie, habitu corporis mollioribus, rarioribus item, & in fructu magis fæcundis, nomen fæminarum indulgemus. At animalia, ſi Leporem inter Terreſtria, inter maritima Teſtacea excipiamus, mares ſemper in alio, ex alio fœminæ generant. Sit igitur partium in Palmaratio & ſexus analogicus tantum. Diſſenſus verò earum, prout

Veſling. anot. ad Alpin.

Veſling. anot. in Alp. c. de Palmis.

Ariſtot. de Hiſt. Anim.

inter Oleam & Quercum vitem, & Braſsicam, Oleum & Cucumerem, Arundinem & Filicem, ſimiliumque, prout in Balſamina, Sio montano, aut agreſti Cucumere ſeminum à contactu erumpentium impetus probāt, non arguunt in ipſis animæ ſenſitiuæ præſtantiam magis quam in Elementis, inter quæ.

Calida (inquit Poeta) *depugnant frigidis, humentia ſiccis*
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Idque ſine omni cognitione ipſorum, & ſenſu; Inter agninam, Lupinamque pellem, quæ diſcordiarum veluti memoria ſupereſt, licet exſiccatis iam, & tympano obductis rauceſſit tympanum Agnina pelle obductum ſi pulſetur ad pulſum tympani, cui Lupinum corium eſt. Similis inter Anatum, & Aquilarum pennas, quæ ſe inuicem abſummunt; ſic & Gallinaceus pullus, miluum fugit, nec viſum antè, nec alia ratione cognitum. Igitur, vt fatendum eſt à natura quidem hæc eſſe, & inſitis formis, ità neceſſarium non eſt, vt ſenſitiua propria vis, & notio accedat: nec per hyemem feriantes plantæ propriè dormiunt, ſed munera ſua intermittunt; vel ob depulſum ad radices calorem à circumfuſo frigore, cum in calidiore climate, & ſicco partes perennant, ipſæque in opere perſiſtunt, vel quia exhauſtæ fructuum multitudine, ſpatium ad humidi reſtaurationem exigunt; imò nunquam minus otiosè, magiſque partes reparant, quas edant in Vere, imò ſub niue etiam deorſum agunt ad radices reparandas intentæ: & quemadmodum pleraque animalia in ſomno nutritioni indulgent, ſic & ipſæ dum feriantur reparationi deperditi incumbunt. Non reſpirant propriè plantæ, ſed traſpirant, quæ actio ad caloris ventilationem ſatis eſt. Iam Conuolvulorum reptilitas, Hederæ, Vitiumque per clauiculorum adminicula quærentium non eſt qualis in animantibus propriè progreſſio; ſed per incrementi rationem extenſio; fit autem amplexus ille fulcrorum ſine delectu, quia infirma pariter, ac firma Capreolis circundant ſine fine proprio. Quemadmodum enim arte paratorum finis non eſt in ipſis, ſed in mente artificis; ſic in Plantis ille prouidus incrementi modus finem vtique habet earum conſeruationem; ſed habet in mente ſummi rerum auctoris, & naturæ Parentis Dei nutu. De Baharas, quæ ſcribit Ioſeph lib. de Bello Iudaico citato, eiuſque ſplendore, fuga, capiendi modo per menſtrua, vel vrinas mulierum fidem meam, fateor, ſuperant, vt & portentoſi, effectus diuitiarum montes, ſummos honores, amores, & inuiſibilitatem conſequendi, vt rem ipſam quiduis aliud potius, quàm plantam exiſtimem. Guilandinus noſter in commento de Papiro Baharas cum Marmaritide Democriti, Aglaosfotide Æliani, moli Homeri, Pæonia Galeni, conuenire quidem ſcribit, ſed inuenire nec ipſus potuit, nec alij qui herbarum ſcientia hoc ſæculo claruerunt. Lunariam Magorum Arabum, Garoſmi folijs pingit Lobellius, Pona Adoxalidas, Parkinkonius, Adaſpi montanum refert; quid verò ſit, nec viſu, neque auditu, neque vſu adhuc compertum; De Maluacenſi Arbore, quam pudicam vocant è Cimbabona Inſula ſtirpe, cuius folia viridia ambulant; imò & lapis ſerpentarius, & ſtellarius aceto madida tabula progreditur, tum de Tartarica Planta, quam Borameth, & Agnum Scythicam veriores affecuntur hiſtoriæ: Ad figuram primò quod attinet nil in ea mirum, aut nouum,

vum, nam figuram inſectorum animantium, & hominis in Orchidum floribus obſeruamus; lanæ in Tomentoſis, & in Beid oſar Aegyptiorum fructu, nec non in goſſipio: Color ſanguinis ſanguineis in tot Baccis, & Ancuſæ radice, quem admodum in tot Alijs flavus, aut lacteus: Planta hæc tamen hæret terræ ſuis radicibus, ergo vt Planta nutritur, nec tamen progreditur. Quod ſi altius tamẽ naturæ progreſſum in hiſce miris ab ea productis cõſideremus; & eã ab imperfectis ad perfecta, ab inanimatis ad animata paulatim, & veluti per gradus progredi inueniemus: in qua tamẽ cõtinuatione, quę ſingulorũ confinia ſint, quid mediũ, quæ extrema ob intellectus humani imbecillitatem exactè definire non licet. Igitur, vt optimè determinat Coſteus, Vniuerſum Plantarum genus inter ea, quæ anima carent, animal quaſi quoddam eſt; attamen cum animantibus perfectis comparatum inanimati potius ſpeciem refert; ſic in ipſo animantium genere quædam ſunt, de quibus ambiguum animalia ſint, an Plantæ. Nam inter maritima Pinæ, Vngues, & Teſtaceorum genus vniuerſum, quia Plantarum inſtar ſaxis hærent, & ab ijſdem avulſa intereunt, Plantarum potius, quam animalium nomen merentur; attamen quia ſenſu prædita ſunt, quamuis exiguo, ab animalium claſſe non omninò ſeiungenda fuerint: ſic inter aquatica, & terreſtria animantia ancipitis cuiuſdam naturæ Crocodilum videmus, & Fibrũ; inter Cæleſtia, & Terreſtria mediæ conditionis hominem agnoſcimus: inter Diuinos intellectus, & ignobiliores Terreſtrium animas humanam mẽtem. Ab hoc igitur inſtituto non diſſidet inter ſtirpes, atque animalia medium eſſe aliquid, & naturæ ambiguæ quidquam exiſtere; quod ipſum tamen ſicuti neque Plantam, neque animal propriè dixerim, ſed ζωόφυτον, ità vniuerſum ſtirpium genus, quia euidenti ſenſu, motuque ſecundum locum deſtitutum eſt, non niſi impropriè, imò falsò animalia appellentur. Quapropter Plantas vegetabili anima viuere, eiuſdemq; actiones tantum edere, & quæ huius propria ſunt, nec citra, nec vltrà licet mira quædam in ipſis videantur, imò ſupra vegetabilem conditionem, ratum ſit. 1. Lib. de Stirp. nat.

CAPVT III.

Proximiora inſtrumenta Plantarum animæ inquiruntur, ignis præſtantia, calorisq; ſubinaè conſideratur; Hippocratis ſententia de calido expenſa, vindicata.

VVlcanum veteres artium omnium ἀρχηγὸν ducem, atque principem conſtituiſſe auctor eſt Plutarchus Veneri connubio iunctum, quod certò ipſis conſtaret, ignem non tantum rerum omnium naturam, formaſque ſeruare, ſed artes pleraſque reperijſſe, atque naturam ipſam perfeciſſe: Aegyptij namque ab ore Eneph, ideſt ſpiritu Diuino productum Vulcanum exiſtimaſſe, tradit idem Philoſophus, tamquam nihil maius, meliuſvè igne mortalium vſibus permiſſum: hinc & hominem igne ex æthere ſubducto animaſſe Prometheum, nõ illum Fabulis Poetarum inuectum, ſed Cæleſtem Prouidentiam ipſam facile nobis perſuaſerit Ariſt. qui lib. 2. de Generat. Anim. calorem eorum, vitale in ſe principium obtinere ſcribit, lib. verò de longitudine, & breuitate vitæ, vitam eſſe calidi in humido ſic- Lib. an Aquilior igni.

¿o moram : 6. item Metaph. Tex. 30. calidum in corpore viuentis ſanitatis partem eſſe, aut ſaltem eiuſdem potentiam; quia valetudinis conſeruandæ gratia comperiatur, & præſidium, indicatumque vitale nominetur. Merito igitur ob hoc ipſum Cæleſtem illum ignem Diuino olim cultu proſequutos fuiſſe Perſas, Regibuſque ſuis tamquam diuinitatis, & Potentiæ ſymbolum materialem ignem ſolemniter prætuliſſe Amianus, Oroſius, aliique grauiſſimi Scriptores monumentis litterarum prodiderunt: quin ipſum illum rerum omnium Deum auctorem ἀπρόσιτον φῶς inacceſſibilem lucē, πῦρ ἀναλίσκον ignem abſumentem; in ignea ſpecie enim ſeſe oculis mortaliū ſubieciſſe ſacris illis è Cæleſti ſpiritu conceptis libris docemur. Stoici quoque & ipſi, vt auctor eſt Plutarchus, animam πῦρ τεχνικὸν appellabant. Vt ve-

2. de Placitis Philoſ.

ſit manifeſtum eſt ex Ariſt. decreto 2. de Partibus anim. cap. 7. calidum ad exequenda animæ officia vim adminiſtrandi omnium maximam obtinere; vnice dignum, quod natura in penetralia ſua admiſerit, ſubiectumque proprium, & intimum inſtrumentum conſtituerit, & quo moueatur, & cum quo motus ſuos perficiat. Qui ſanè ſi vires naturales perpendamus, præter calefaciendi, & exſiccandi vim tamquam mediatos effectus recenſet Ariſt. denſare, indurare, figura certa corpora circumſcribere; calidique commune fuerit auxilium firmare, quo vitam, actioneſq; vitam conſequentes tueri liceat. Hæc ſanè omnia igni attributa ſi quis accuratius expendat, non iniqua adeò, & à vero aliena ſententia videbitur, quam lib. de carnibus Text. 1. protulit Hippocrates, quod calidum, inquit, vocamus id mihi immortale ἀθάνατον videtur, cunctaque intelligere, videre, audire, ſentire item omnia tum præſentia, tum futura; Huius τὸ πλεῖστον plurimum in ſupremo ambitu conceſſit, quod veteres æthera videntur appellaſſe: Terræ quoque πολὺ τοῦ θερμοῦ, ineſt infimum locum ſortita, medium aer obtinet θερμόν τι ὄν, vertit Mercurialis calidus, & humidus. Sententiam hanc de anima hominis interpretatur Fernelius, cuius immortalitatem, vt erga tantum præceptorem humanè ſe gerat, haud incognitam Hippocrati fuiſſe fatetur; & hinc etiam Galenum mutuaſſe animam, aut nativum calorem ipſum eſſe, aut proprium eiuſdem inſtrumentum; vt qui dubitet an anima immortalis ſit, alij ob ſententiæ abſurditatem librum Hippocratis eſſe negant. notat & Hieronymus Mercurialis abſurdum eſſe in Tex. cum terram frigidam, & ſiccam pronuntiat, cum multum ipſi Terræ calidi ab eodem tribuatur, adeoque verba traſponenda eſſe, & ſic exiſtimat non animam ipſam ab Hippocrate expreſſam caloris nomine, ſiuè calidi; ſed mirabile illud animæ inſtrumentum. quod eum optimè Ariſt. 2. de Anima cap. 4. ſi non cauſam primam in animali, ſaltem conſimilem, & concauſam appellat; non ipſam, inquam, animam, quia fruſtra, & ineptè aeri eadem, & multo minus Terræ tribuiſſet, quibus nihil ineſt effectuum animæ: loquitur ergo Metonymicè Diuinus Præceptor, cauſamque pro cauſa, inſtrumentum præcipuum, ſiue organum pro opifice proponit. Fruſtrà quoque ſunt, qui librum reijciunt, cum ab æquo cenſore non iniquum iudicium reliqua ſententia ferat. Calidum, inquit, immortale videtur, quia vt reliqua Elementa analyſim tantum, non interitum patitur, & multo magis, quia ignis non deſtruitur à frigore prævalente, ſed loco, quem obtinet pellitur. Omnia

4. Meteor.

nia

nia cognoſcit, videt, & quæ ſequuntur; non quidem abſolutè, ſed ſecundū quid; re vera quidem organum eſt, imò diſpoſitio quædam in organis, vt animæ cognoſcenti rerum ſenſibilium ſpecies oculo, aurique, cæteris item ſenſorijs mediantibus ſubminiſtret, neque id de facultate tamen animali obtinetur, ſed etiam naturali; nam quod fœtus formetur, quod in vtero perficiatur, cibus item in ventriculo concoquatur, ſeparetur, ſpiritus non in corde tantum, ſed etiam in cerebro generētur, calidi miniſterio perficitur. Mercurialis item cenſura leuis eſt, frigidam enim eſſe terram, & ſecundum aliquam ſui partem multum calidi poſſidere ſat probat, & ſenſus, & loca igneo pabulo fecunda, quod etiam factum ex naturæ neceſſitate generationi rerum intentæ arbitrandum: ſi præſertim Hippocratem cum Hippocrate explicare tentemus, qui primo de Dieta Tex.4. ignem omnia per omnia mouere aſſerit, & nullum Elementum dari ſine ignis vtiliſſimo connubio palam profitetur; quod forſan non erit incongruum aſſerere; prout etiam quibuſdam viris doctiſſimis olim viſum eſt; non alibi videlicet reperiri ignem, niſi vbi materiam pabuli inuenerit, ſed de hoc fuſius forſan alibi. Non mirum igitur calido tribui, quod animæ tribuitur, quia eodem aſſerente Hippocrate, omnibus corporis partibus amicum eſt; quia morborum etiam quampluri morum depulſor, quia deniq; actionum omnium animantium promotor, quouſque durat, indeficiens: mobilitate namque ſua, pro vt Philoſophis notum, cuncta molitur, & perficit, vt indè Stoici autumauerint non inepta prorſus ratione, animæ ſubſtantiam ex aere, & igne conſtare, vt ex igne viuacitatem, agilitatemque, ex aere conſiſtentiam, & permanentiam (aerem enim primum frigidorum ſtatuebant) ne citò euaneſceret, innuerent, quò circa ſi, (& meritò quidem) hæc mira igni tribuerimus, non erit deinceps cur tantoperè ſententiam Heracliti, & Ipati Metopontini improbemus, Elementorum cæterorum productionem igni tribuentium. Plinius ſanè non inſcitè prorſus improbam, & immenſam rerum naturæ portionem ignem appellat, ſed cuius opera nihil penè non perficiatur. Cæterum cum calidum in humanum corpus agere ferè omnibus in confeſſo ſit; illud tamen in dubium reuocari poteſt, ſimplex-ne caliditas humano corpori communicetur, an iuxta cum caliditate ignei elementi ſubſtantia ipſa. Prius concedi ſibi vult Thomas Fienus in Apologia aduerſus Sanctacrucium, dum contendit cum Hieronymo Cardano; quam ſententiam etiam Ferdinandus Imperator ſequirur; Ignem eſſe accidens tantum; adeoque non niſi per accidens corporibus accedere, quibus inhæret; rationum pondera varia ſunt, quia proptium ſubſtantiæ exiſtere per ſe eſt, & quod ſi ità haberet, in hoc ſublunarium conuexo determinatum locum obtineret; neutrum tamen igni competere, nō ſubſtantiā, quia niſi alio mediante ſtar. quod autem ſub Cœlo non ſit, aſſerendum videtur, quia vel interdiù, vel ſaltem noctu videri deberet, quia ſtellarum conſpectum ſua denſitate interciperet, quia nubium generationem inhiberer, vt ſcribit Danæus; tum quoniam ſubſtantia non recipit magis, & minus, habetque determinatam quantitatem, & figuram, quod de igne conſpicuum; & ſuſcipere, & non habere; quia quod magis videtur, dum ferrum ignitur ſubſtantia penetraret ſubſtantiam, & dimenſionem, adeoque vel abolleretur for-

Gal. 1. Elem. cap. 6. Auer. lib. 2. de Anim. Text. 155. Scalig. Exercit. 12, 13. ſect. 3. Sennert. Hypomnem. ſect. 3. cap. 1.

ma ferri, vel duæ formæ ſubſtantiales eſſent in eodem ſubiecto. Nihilo minus hæc non ità officiunt, vt contraria ſententia melior non videatur; conuincit enim ignem eſſe ſubſtantiam, quia nec accidens deſtruit ſubiectum, in quo eſt, nec agentis rationem habet, prout de igne manifeſtum. quod ſi ille, qui ob oculos repręſentatur, in ſubiecto eſſe videtur combuſtibili, erit tamquam aqua in vaſe: non videtur ſanè ignis niſi dum in materia Pabuli reperitur, quia de ſe perſpicuum interminatum, & aere ipſo tenuior, & ob id nec officit aſpectui Stellarum, ſi eidem ſupernum aſſignemus locū, prout cæterorum elementorum, leuior: ſed forſan, vt dixi, non erit inopportunum ex naturæ neceſſitate indeficienter, & ſedulò operantis, eidem cum Hippocrate in ſingulis Elementis locum aſſignare; ſed de hoc alibi fuſius. Non fieri ſubſtantiarum, dimenſionumque penetrationem, vt ferri igniti obiectum tollamus, axioma parum firmum eſt, fit autem penetratio per poros, nec aboletur ſubſtantialis forma, ſed leuiter ſoluto mixtionis vinculo cedit; formæ enim plures, ſed informantes negant ſubiecti capacitatem: quod verò magis, & minus vrat ignis, eſt ratione ſubiecti, quod depaſcitur; & tandem ſi quantitatem propriam, aut figuram non prodit ignis, non eſt Elementis id inconueniens, ſimpliciora cæterorum corpora, & quæ determinantur ab ijs, quibus ambiuntur: Mixta igitur quæcunque in geneſi ſua calorem agnoſcunt, includuntque, qui non accidens, ſed ſubſtantia eſt; imò eò, & vniuntur, & perficiuntur; ipſa autem animata euidentius, vtpotè quæ non tantum temperamenti calorem obtineant, ſed etiam natiuum illud calidum per gradus diſtinctum, & animæ proprium inſtrumentum, de cuius natura aliqua hic adſtruere in gratiam Plantarum decreui, quarum coſtitutioni, tum conſeruationi, & præſeruationi euidentiſſimè concurrere ex veterum teſtimonijs ſatis conſtat.

CAPVT IV.

Caloris innati natura explicatur, tum humidi eius ſubiecti. An igneus ſit nec ne conſideratur, ſtatuitur. Spiritus etiam innati, & influentis conditiones examinantur.

2. de Gener. anim. 3. — Ariſtot. 4. Metheor. — 2. de Cauſis Plantar. — Lib. de Vit. & Mort.

EGregiè Ariſt. nobiliores formas, nobiliora etiam ad agendum inſtrumenta ſortitas eſſe dicebat; & cum animæ differant τιμιότης ἢ ἀτιμία, ſic natura corporis, quo vtuntur in operando: præſtant plantæ ſimpliciter mixtis, quia viuunt, idque patet ex effectis alendi, augendique ſeſe, creſcendi, & generandi ſibi ſimile; ergo & præſtantioribus inſtrumentis indigebant; calido in primis, per quod fiunt coctiones, aliæque ennarratæ ſupra operationes, tum calidi ſubiecto, humido videlicet; ex quo ſequitur, ſi de temperamento Plantarum in vniuerſum ſermo fuerit, de quo tamen fuſius in ſecundo libro, quatenus eæ vitam obtinent, calidum, & humidū pronunciandum; Probat id primò earum ortus è ſubſtantia calida, tum humida, & ſpiritoſa, quam complectitur ſemen Theophraſto aſſertore; imò ipſarum vitæ lōgitudo, caloris effectus eſt in humido extenſi, quod ab Ariſtot. vitæ protogationis cauſam creditum eſt. Eſſe longæuas plantas vix

locus

locus vllus dubitationi relinquitur, varijs hiſtorijs id comprobat Theophraſtus, & Plinius immenſam earum vitam prædicat, indubitato teſtimonio tum Loti inter cæteras arbores æuum ſupra fidem in Area Lucinæ viuentis, cuius antiquiſſimi delubri, planta illa antiquior habebatur; tum alterius Loti in Wlcanali à Romulo ſatæ, nec non tertiæ eiuſdem generis arbores æneis Etruſcis litteris antiquiſſimis in ea eſculptis; nec ijs deeſt Pauſaniæ fides, nec aliorum obſeruationes, nec ſexcentorum teſtimonia: Vir Clariſſimus Ioannes Veſlingius arctiſſima mihi amicitia, dum inter mortales degeret, iunctus, non ſemel mihi retulit ſe vidiſſe Sycomorum in Ægypto mille annorum, vita indubitata fide degentem; calidi igitur munus, in humido exiſtentis eſt plantas, & viuere, & diutius viuere. Cæterum cum de calido inciderit ſermo, & viuentium omnium non vnius caloris tantum ſępius occurrat contemplatio; ſępè enim tum caloris temperamenti, qui mixtis, prout mixta ſunt; cunctis obuenit, & procul dubio Elementi ignis habetur portio, tum innati, inſitique caloris, aut implantati, qui viuentibus tantum, prout viuentia ſunt, aſſignatur; numquid hi duo calores idem ſint fundamento, breuiter expendendum; an verò potius magis conſentaneum ſit, quemadmodum ratione, ità & re differre, quod profectò inſigni Magnorum Scriptorum diſſenſu famoſum ſatis redditum eſt; non erit igitur inopportunum vt huius calidi natura tot opinionum nebulis circum affuſa clarior appareat, quæſtionem hanc ad cenſum reuocare. Eſſe innatum calidum, ſubſtantiam calore perfuſam, animæ præcipuum ad omnia inſtrumentum cenſetur; talem animatis tactu quidem calidis appellatum cum inſito ſpiritu; ſed quod etiam ad tactu frigida ſeſe extendat; & partibus quibuſque competat ab omnibus ferè conceditur: ſubtilis ſubſtantia dicitur, ſiuè & per ſe calidum innatum conſtituat, ſiuè cum ſubiecto, quod paſcitur primigenio, & radicali humido, à quo ad vitæ diuturnitatem difficulter ſeparatur. Vtvt ſit, non iniuria quæſitum videtur an Elemenraris ſubſtantiæ, an fortè Cæleſtis fuerit conditionis; ſiquidem ſuperare ſublunarium vires experimento ſenſato videtur aſſerendum, quod & non difficulter deduci poteſt ex vatum antiquiorum monitis. Prometheum enim fabulantur Poetæ, cum hominem è luto conſtruxiſſet, clanculum è Cœlo ignem rapuiſſe, atque eo cordis homini indito, hunc vita donaſſe; viuere adeò hominem dicunt per Cęleſtem illum ignem; imo & Plantas quoque, quas hominum geneſi ingenioſè æquiparabat Homerus. hinc eſt quod à viris pręclariſſimis ſtatutum videam calidum iſtud non Elementaris ſubſtantię eſſe, ſed quid ſublimius, vel ſaltem quid diſſimile & quantum quiddam, ſed perfectius Elementum: Ariſt. etenim 2. de Gener. anim. cap. 3. omnem ait animę potentiam corporis in ſemine Elementis diuinius participare, quod licet calidum ſit, non eſt tamen ignis, neque ab igne, ſed ſpirituoſa materia Elemento ſtellarum analoga: vbi deducunt Clariſſimi Viri non cuius inſtrumentum Ariſt. vt placuit Zabarellæ, & Capiuaceo, dum aiunt id intelligendum eſſe pro varietate formæ dirigentis, ſed cuius naturæ ſpiritus innatus ſit, declarat, vnde ait variare pro maiori animæ nobilitate; quare cum viuentium formæ nobiliorem Elementis naturam habeant, nobilius etiam ſubiectum expoſcunt, & magis ipſis proportionatum;

tum, nobilior verò natura ex nobilioribus qualitatibus detegitur. Ariſt. quidem de mixtorum principijs in genere loquens quatuor tantum ſtatuit; vbi tamen de proximis animalium principijs non loquitur, vnde nec animę meminit, quam tamen in mixtis animatis neceſſariò requirit; neque dicendum vitæ opera à calore perfici, non vt in Elementis, ſed vt in compoſitis retuſo, & alijs Elementis mixto. Cur enim ſimili modo vita, motus voluntarius, cæteræque animales actiones, imò etiam anima ipſa cum Alexandro ex ea mixtione non prouenit. At neque verum eſt ea operari vi animæ: eſto enim anima varijs in partibus varia, caloris miniſterio operetur; non tamen omnes mixtorum actiones, quæ Elementis ſuppares ſunt, ab anima proficiſci poſſunt, vt in viuentibus actiones ob ſympathiam in diſtantia corpora, & in mortuis plantis, prout vires purgatiuæ, deleterię; Bezoarticæ; quæ etiam corrupta anima ſeruantur, licet non ſeparato innato ſpiritu, & calore, quæ nemo in Elementa referat. Omninò intentionalium ſpecierum actiones, licet reales ſupponant; non tamen in mixtis, vtpotè nobiliores idem ſubiectum habent, neque artifex promiſcuè ad quæque opera eodem inſtrumento vtitur; non enim malleo tamquam ſerra. Diſtinctum igitur calidum innatum ab igneo eſſe debet; quamobbrem illud ſimiliter excellentiori frigore non deſtruitur; plantæ in media glacie viuunt, quia nobiliores dictis habent qualitates, quas nemo (vt aiunt) vel in temperiem referat, ſed neque à temperie calidum ipſum innatum erit, quia fæcunditas in ſemine non ex Elementis producitur, vt fiat rei gignendæ in vnaquaque ſpecie propagatio: ſed ab innato calore ipſi ſemini primitus à Deo indito; Cùm germinare terram ſemen producentem, & arborem fructiferam facientem fructum, & quæ ſequuntur, iuſſit. Vegetaret ſanè piper terra exemptum, viuerentque, & prꝫcalida mixta propria natura inanima, ſi caloris Elementaris vi munia vitæ ederent, vt in Mandragora ex temperamento in exceſſu frigida, ſimilibuſque ſtirpibus; quo quæſo inſtrumento vitæ operationes ederentur? quas omnes vegetabilium proprias habent calore Elementari à poſitiuo contrario frigore omninò eneruato; ſi non penitùs excluſo; quænam caloris tam valida vis eſt ſub Elementis lege circumſcripta, quæ ferrum in ſtruthiocameli ſtomacho concoquere valeat, nullatenùs vigore ſuo, quamuis inſigni, alibi id facere potentis. Sed quid abſurdius quæſo ad ignobile vtcumque Elementum præſtantiſſimas, & quaſi diuinas vitæ actiones referre? Concludunt hunc innatum calorem, vel ſimpliciter rebus ab initio à Creatore inditum, vel ſaltem ſi ex Elementis, à peculiari quadam forma diſtinctam eſſentiam habere; vt Cœlum licet mater iam eamdem cum inferioribus nactum, ob formæ tamen præſtantiam adeò ſeiunctum, vt nullam ad alias formas particularem diſpoſitionem, nullumque cum ijs commercium habeat; & hinc Ariſt. deduxiſſe videtur ſublunaria quæque Cęlo ſubiecta eſſe ad recipiendam ſyderum ἀπόῤῥοιαν, quæ omnia à Cæleſti natura, & gubernari, & perfici nobis inſinuabat etiam Gal. hinc forſan quamplures viri docti accepere, cum formas, tum calidum ipſum formarum inſtrumentum à Cælo deriuari; ità tamen vt ſicut anima, licet incorporea corpori magnopere contenta; ità inſitus ſpiritus, & calidum innatum, licet non ex Elementis cum ijs

Scaliger. exercit. 101. ſect. 8. & 102. ſect. 5.

Scaliger. loc. cit.

3. de Diebus Decretor.

tamen

ſamen ita ſocietur, vt ab iiſdem benè, vel malè ad propria munia diſponatur; atque cum lateant multa, quę ſibi propria ſunt, notioribus Elementis hoc tribui. Cæterum quamuis ſatis validis rationibus, & auctoritatibus ſententia hæc videatur innixa; non ità tamen firma ſtat, vt contrarium affirmare doctiſſimi viri non potuerint, & calidum iſtud potius ab Elemento ignis deriuati viriliter ſubſtituerint, ægrè admittentes duorum calorum ſpecie diſtinctorum in vno corpore animato,& armonicis actionibus edendis deſtinato inconcinnam ſocietatem, cum præſertim putent Cœleſte illud (ità ab aduerſarijs appellatum) ab Elementari nihil diferre; & reuera æque ab vtroque fouetur animal; imò ſuſcitatur ſæpè ſæpius igneus calor à Cœleſti: Radij namque ſolares in ſpeculo vſtorio refracti notiſſimo experimento ignem producunt; quo facto olim Archimedis aſtu ſyracuſam tuentis, Marcelli tota claſſis abſumpta conflagrauit, & domus illa, de qua Gal. ſimili incendio perijt; & ſanè vtrobique lumen, vtrobique calor, vtriuſque affectiones ſimiles; imò ſunt, qui ſenſato Tubi teſtimonio ex ſolis diſco igniuomos crateres emanare dicant, nec iniuria vnus, & idem calor cenſetur, quia vterque inuicem generat, inuicem intenditur, & non abſimili modo contrario obnoxium eſt; Nec profectò nativus calor, ſi alterius conditionis eſſet, perenni quodam tenore ab influente foueretur, reficereturvè, aut ſeruaretur: influens enim calor procul dubio Elementaris eſt; conſurgit etenim ex ſanguine, & ſpiritu Elementorum ſobole, & citrà dubitationis aleam nativus calor influentis beneficio diutius ſeruatur incolumis; nec coctiones ipſæ, quæ vi medicamentorum applicitorum iuuantur, & excitantur, fierent validiores, ſi mixti calor, qui in medicamentis agnoſcitur, à natiuo diuerſificaretur: hoc quidem eſt cognationem horum calorum euidenter adſtruere: nam ſi ſecus eſſet nativus potius ab opere diſtraheretur, actioneſque ipſas, quas roborare deſiderabat, deprauaret. Nec dicant ab Elementari tantummodo influentem calorem iuvari, non innatum, cum innati præcipuè ſint vitæ actiones, non influentis; & quemadmodum gubernator nauem manu (inquit Ariſtot.) ſic natura calido illo inſignes ſuas operationes exequitur: nec profectò alterius conditionis eſt calor ille, qui Plantis tribuitur; quod ſit manifeſtum, dum earum principijs prius ſeparatis, eaq; denuo Hermeticè iunctis, Elementari calore adminiculante rurſus reproducuntur, quod viris doctiſſimis palam fuit. Id apparet etiam dum eædem plantæ per hyemem non ſolum ſeruantur incolumes in hypocauſtis, ſed hoc ipſo calore fouente flores,& folia promunt; quod ſi etiam in pullis ex ouo depromendis ità cautè, ita ſufficienter, & validè Ignis Elementaris munijs prouidæ naturæ cooperatur, vt Aegyptijs, Germanis, & quampluribus alijs regionibus familiare eſt; cur amplius de ijs hæſitabimus, cum præſertim id luculenter ſuadeant, & Ariſt. ſententia, & Gal. placita? Verùm in hac pugnantium ſententiarum diſcordia non eſt facilè diſcernere, vtra verior exiſtat opinio; vigent enim vtrinque, & auctoritates, & rationes; & quamuis in hiſce naturæ arcanis temerarium ſit quidquam pro certo affirmare, attamen ne in re tanti momenti oſcitanter me ipſum gerere videar cur poſteriori ſententiæ potius ſubſcribendum cenſeam, rationes, quibus moueor adducam. Etenim cùm vitæ munia æque

Kircherus de ſubterr. orbis &c.

2. de Anim. c. 2. tex. 50.

Senn. lib. de conſenſu, & diſſenſ.
Inſtit. medicar. cap. 5.
Ferrar. de cultur. flor.
Ariſt. lib. de reſpir. c. 4.
2. de Anim. t. x.
Gal. 4. meth. 2. meth. 7. 8. meth. 1.
1. Aphoriſ. com. 14.
1. com. de rat. vict. in acut. tex. 18.

ab Elementari calore, anima tamen ipſa digerente exequi poſſint, neſcio cur neceſſitate haud cogente inſtrumenta multiplicanda veniant; in eo præſertim corpore, quod ab vnica dirigitur prædominante forma, à qua mira quæcunque manare poſſunt. Verumtamen ſi pro formæ dignitate etiam inſtrumenta varia per varios excellentiæ gradus diſpoſita procuranda forent, & plantarum forma, vt adſtruitur, aliquid ſupra Elementaris caloris conditionem requireret, imò Cęleſtis notæ, bruta, vtpotè ea, quæ perfectiorem obtinent animæ gradum, diuinum quid; homines verò ſupra Diuinum calorem pro inſtrumento idoneo expoſcerent. At interim cum videamus cuncta neceſſaria vitæ opera anima ipſa dirigente ab Elementari calore fieri poſſe, non eſt cur calores ſecundum ſpeciem multiplicemus; cùm concedendum non ſit Cæleſtem calorem tantumodò generare, foueréque genita, & ſeruare, cum idem etiam facere valeat calor Elementaris, ſi præſertim arte ſit temperatus, prout conſtat in Plantarum principijs Hermeticè iungendis, in Plantis per hyemem ſeruandis, folijs, floribuſque producendis, tum in promouendis ex ouo pullis. Sed vtcumque ſit, nec externus ille ſi Cæleſtis eſt, propriè generat, ſed generantem naturam adiuvat vel ipſo Aſſertore Ariſt. quà materiam diſponendo, qua inſitum calidum excitando, vt in plantis, & in pullis percipitur, quarum illæ in ſeminibus, hi in ouis iam conſiſtunt. quod ſi vterque intemperatè agat, nec generat, nec ſeruat, prout Sol in regionibus calidioribus, in æſtate, & eiuſdem radij in vſtorio ſpeculo refracti; ità enim conſideratus, & vrit, & corrumpit. Falſum quoque omninò eſt dicere innatum calidum poſitiui contrarij vim non experiri, prout in Elementari obſeruamus, cum id palam ſit in plantis, & animalibus; imò improbabile eſt Cęleſtem calorem pro geneſi mollienda, excitandaque, ad maris fundum, & terrarum abyſſum penetrare; nec cauſa eſſe poteſt, cur ſub aquis, & niuibus plantæ viuant; at procul dubio Elementaris calor experimento ſenſatò etiam ſub aquis reperiri comperimus, dummodo aptam materiam pro pabulo nactus ſit, vt de ſulphure, & bituminibus notum eſt. Nec implicat Mandragoram, Salamandram, & frigidiſſima quæque alia viuentia, licet in gradu, vt aiunt, frigiditatis ſummo viuere poſſe per calorem Elementarem, cum talia conſiderentur temperamento humano comparata; imò frigiditas illa propria formæ vi contineatur, moderetur, compeſcatur; num quam tamen ſine ſufficienti calore, quo vtitur pro inſtrumento, & qui ab interno illo frigore deſtrui nequit, id forma prohibente, non ſecus atque qualitàs remiſſa in vnoquoque Elemento, quæ ab intenſa ſuperari, aut excludi nequit. Sed forſan quod de Opij temperamento idem de Mandragora habendum, ſcilicet rem ſuſpectam eſſe. Nec conuincit ratio, quæ ab actionum nobilitate deſumitur, & earum præſtantia, quaſi eas referre ad elementum ignobile nefas ſit, cum excellere aliquid poſſit vel gradu, vel agendi viribus eius, à quo ſit actio; at quidquam horum deſiderari nequit, ſi de ignis præſtantia lis ſit; Elementorum nobiliſſimum, ceſſatque ob id pari ratione ratio, quod nobilioribus formis etiam nobiliora inſtrumenta aptanda veniant, vt ſubinde concludi poſſit ſpecierum caloris diuerſitas, cum actionis præſtantia apud agentem principalem non apud organa ſimpliciter conſiſtat;

id ſanè viſio, auditio ſed ſatis confirmant. Fabuloſum interim profectò eſt, quod de Struthiocamelo circumfertur, ac proinde ridicula huiuſmodi obiectio, quemadmodum etiam nullius momenti eſt præcalida, vt piper, viuere poſſe etiam terra exempta ſolo calore temperamenti, ſi innatus calor ſpecie non differt, quia actiones vitæ ſunt animæ, non inſtrumenti; & animæ operationes non omni, ſed tali quali temperamento opus habent; humido videlicet proportionato pro caloris pabulo coſtituendo, quo abſumpto perit anima; non vires tamen omninò pereunt illæ, quæ tale temperamentum, quod remanet conſequuntur, cuius beneficio operantur, prout in mixtis inanimis notum; quæ ſanè mixta, licet præcalida ſint, nihilominus non viuunt, quia anima carent, ſuntque deſtituta quoque alijs organis, præter ignem ad vitæ munia prodenda neceſſarijs; vtvt ſit nunquam tamen dici poterit à calido innato piper actiones ſuas edere, quoniam abeunte anima ipſa, etiam eius actiones perire dicãtur, cũ falsò actiones animæ calori tantumodò tribuendæ veniant. Sympathias tandem, & antypathias, actioneſque in diſtans catharticas plantarum facultates, Bezoarthicas, deleterias ad proprietatem totius ſubſtantiæ referre libet, & à forma primaria; licet non implicet in viuentium animalium corporibus ſpiritum ipſum pro ratione corporis, & partium variam vim inducere, & in neruis receptum, & in cerebro; & tunc etiam in diſtans diffundi poſſe, varieque operari; vt contingit in faſcinationibus naturalibus; in ſumma calidum cuiuſcunque ſpeciei tandem ſit, non agit omnia, ſed cum ſpiritu, ſed anima dirigente. Quapropter cum de Plantis etiam Terra exemptis, & anima deſtitutis mira adhuc edi circumferantur; hæc profectò non à calido innato fiunt, ſed opinandum potius ab anima, cum in plantis non protinus, & omninò ſeiungatur forma, licet nutriri, & augeri deſinant. Exemplo ſint ſuſcitatæ illæ denuò à principijs ſuis, quas & agnouit Ferrarius, & faſſus eſt Sennertus, item quæ atefactæ rurſus germinant; non erit igitur opus eſſentias multiplicare, cum nulla intercedat harum neceſſitas; Ariſt. quoque ſententia ſano modo intellecta aſſertioni huic non aduerſatur, quia calorem conſiderabat non immediatè ab igne prodeuntem, ſed in generante modificatum, & ſecundum virtutem agendi; ſatis enim cuius conditionis eſſet explicauit, dum dixit animam operari mediante igne, cui etiam alibi, & coctionem, & generationem tribuebat; neque Gale. ſententia diſcors eſt, vt qui voluerit vires omnes animæ temperamento tribuere.

Sit igitur innatum calidum portio ignei Elemẽti partium à ſemine productarum, adeoque ipſius ſeminis ſpiritui, humidoque inſito ſociata, vt vitalium omnium actionum eſſet inſtrumentum. Non differt igitur innatum calidum à calida mixti natura, niſi gradu, tum quia blandius, & excitatiuum magis; fundatur enim in humido aereo, ſpirituque tenui mobili, tum quia ab anima dirigitur. Hoc ſanè calidum in plantis occupat partem cordi analogam, quæque in ſeminum medio; in animalibus verò ab Ariſt. primo, & præcipuè in corde ſtatuitur, totumque ex ſemine producitur, quamuis calidum iſtud ſemen non ſit; nec forſan id Gal. placuit, prout opinatus eſt Caimus; non eſt ſeminis temperamentum, vt voluit Pariſanus, quia non eſt totum, ſed pars ſeminis; non accidens, ſed ſubſtantia;

multò minus ſanguis menſtruus, quia hic nec primò partes conſtituit, nec totum calidum influens exhibet, ſed ſecundum ſe ſpectatum erit ignea Elementi portio temperata per ſpiritum, humidumque ſubiectum; aut cum quibuſdam partium forſan ſpermaticarum ſubſtantia purior, calidior, adeoque balſamicum quid nectar, quod ſulphur à Chimicis appellatur; & quod quidem non eodem pondere ſemper ſeruatur, ſed variat pro ratione ætatis, temperamenti, annique temporis, & quod tandem perire multis modis etiam datum eſt; licet non propriè perire ignem, caloremvè, quemadmodum neque cætera Elementa dicendum ſit, ſed vel cedere, vel locum mutare; non eſt interim cur in re manifeſta quemquam admoneamus, quod dum caloris innati meminimus, igneam qualitatem, ſimplicemque formam ſine ſubiecto ſuo conſideramus, dum verò calidum innatum, ſiue Archigonum dicimus formam cum ſuo ſubiecto; humido videlicet illo pingui, aereo, primigenco, oleoſo, ſimul cum eiuſdem conditionis ſpiritu, de quo infrà diſſeremus. Quod ſanè ſubiectum, vt ſatis prudenter veteres nobis inſinuarent ſub fabularum velamentis contexere, dum Parcas Cælo, Ereboque prognatas, ſorores penſum verſando, ducendo in fila, ductaque obrumpendo conficientes induxere, dum vitæ cauſas, eiuſque fatalem ad interitum viam exacta doctrina comprehenderunt, qua caloris, ſpirituſque innati vigorem, perennationem, & tandem deficientiam oſtenderent, ac ſubindè humidi primigenij præſtantiſſimam conditionem, & reficiendi neceſſitatem; vt vita ipſa diutius perdurare poſſet. Quo ſaltem vegetoſi non integrè ad vnguem ſeruato vitam traduci, & ad eius deficientiam primò collabi, & tandem penitùs interire animatum corpus videatur, ut optimo iure dixerit Ariſt. vitam eſſe permanſionem caloris in certo humido, in quo nativus calor ità conſtitui debet, ſi Auicen. audiamus, vt ab eo nunquam ſuperetur, ſed quadantenus ipſum ſuperet humidum, eumdemque regat; iſtud profectò humidum prout etiam de calore conſtat, duplex cōſtituitur innatum ſcilicet, primigenium, aut inſitum, inſiti caloris pabulū, & ſubiectum proprium; influens deindè, influentis caloris ſubiectum. Eſt autem humidum inſitum ſubſtantia oleoginoſa, & pinguis partibus ſpermaticis ex ſemine inhærens, vt ſit inſiti caloris ſubiectum, ac veluti pabulum; implantatur enim cum ſpiritu per vniuerſas corporis viuentis partes, nec plantæ ipſæ eo deſtitutæ ſunt, imò cum longævè, vt conſtat, ſint etiam pluſculum huius humidi, cum Ariſt. poſſidere conſentaneum eſt: immortales eſſe tamen nequeunt, cum humidum hoc ſenſim etiam in ipſis à calore abſumatur, per artem tamen, & induſtriam longævæ fiunt, dum prohibeturnè humidum minuatur, vitieturvè. Influens verò humidum eſt, quod ex alimento abſumpto accedit, in humidi inſiti ſubſidium; cur autem, & humidum illud innatum non perſeueret, ſed tandem diſpereat, cauſa eſt, quia non idem manet ſemper quantitate; imminuitur enim, vt dictum eſt, à calido tum inſito, tum influente, item externo omni, licet idem ſint ſpecie, prout ſtatutum eſt; imò influens iſtud alimento vitiatur, dum diluitur nimis, aut plus iuſto alteratur. Sed quoniam dum inſiti humidi naturam attulimus, cum eo quoque combinauimus innatum ſpiritum, modo quid is ſit videamus.

Gal. de cauſ. morb. 3.

CAP.

CAPVT V.

Spiritus innati natura perpenditur, & quotuplex in animalibus ſit, ſtatuiturque numerus, & in plantis an multiplex.

Principio Cælum, & Terram, Titaniaque Aſtra
Spiritus intus alit, & magno ſe corpore miſcet.

inquit Poeta. imò quod de mundo vniuerſo, id de partibus eius, & præcipuè de animatis, adeoque de Plantis dicendum videtur, quas & ſpiritu prçditas eſſe, eoque actionum admirandarum, ſi non principe, ſaltem adminiſtro vtiliſſimo, pariter ac potentiſſimo obſeruamus; Nec aliud eſt, quod producit fruges, inquit Seneca; quod ſegetem imbecillem, & virentes arbores erigit, diſtenditvè in ramos, aut in altum attollit, quam ſpiritus præſentia; Cæterum vox ſpiritus variè accipitur, pro Deo in ſacris, pro genio Senecæ; ſacer, inquit, in nobis ſpiritus eſt; iterum. Sacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum, bonorumque noſtrorum obſeruator, & Cuſtos; pro anima item humana Stoici ſæpius; pro aere ſæpiſſimè, quem trahimus, redddimuſque; pro flatu ab Hippocrate, & vapore recipitur: Medici tamen frequentiſſimè pro calido innato, cum quo confundi non incongruum videtur, quod præcipuè Sennerto placet. Dari autem huiuſmodi ſpiritũ etiam in Plantis variè conuincimur, quia ſemina omnia eo plena, adeoq; & membranas, & cortices in germine excitato rũpi cernimus à validda eius vi, quia ſanè alimentum quam tenuiſſimum, è ſua natura tamen potius deorſum tendens, ad duriſſimorũ lignorũ poros deuehendum fuerat in capillaris ſubtilitatis partes; quia plãtæ aridæ citiſſimè alimẽto reficiũtur ex eius interuẽtu faciliori negotio exhilarãtur & alũtur, quod aliũdè haberi nequiret, quã à tenuiſſimæ ſubſtantiæ materia, quia tandem arte ex plantis ſpiritus elicitur, vt Chimicis notum. Cæterum hunc innatum ſpiritum in Plantis, ſubſtantiam appello tenuiſſimam à ſemine, & alimento profectam, vehiculum caloris, & naturalium functionum omnium commune inſtrumentum. Cur autem ſubſtantia, & quidem tenuiſſima licet corporea dicatur; non eſt quod circa hoc multum immorer, cum ex dictis ſatis clarum euaſerit ob neceſſariam penetrationem ipſi habendam. Tribuitur ſpiritui, & non ſine ratione luciditas, & ſplendor quidam, qui ignearum corpuſculorum inſeparabilis comes eſt, nitent ob id plantæ ſplendido virore perfuſæ, in folijs, floribuſque coloratis, quæ conditio à ſpiritu proculdubio dimanat. Argenterio videtur tamen tantum opinio vulgi, quia in animantibus non obſeruatur; nihilominus Auic. obnubilati ſpiritus triſtitiam pariunt ſereni claritatem; nec ſanè ſplendor omninò in rebus negandus, nec in animalibus, & in homine, in quo apparet in genis nitor, in oculis fulgor, imò cerebrum tenuius diſſectum, & in ipſo cadauere nitet; quæ quidem luciditas impenſius obſeruatur in metallis, & in gemmis, vtpotè quæ calore, & ſpiritu non ſunt deſtitutæ, & purioris portionem ignis cum aeris elaborationis Diaphaneitate penè cæleſti, inſignem partis poſſideant. Fouetur, excitaturque ad actiones inſitus ſpiritus cum calido innato ab influente ſpiritu; cor-

Lib. 2. Quæſt. Nat. c. 6.
Epiſtol. 41. ad Luciliũ.
De Aer. & Aquis.
De Flatu.
De Conſenſ. & diſſenſ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pore, & ipſe dumtaxat ſubtiliſſimo, tenuiſſimo, calido, mobili, ex ſincerio-
ri ſanguinis ſobole à principibus partibus in cæteras prodeunte. Nec ob
id hic facultas animæ dici meretur, quamuis hoc pluribus dubitandi an-
ſam dederit, quia ſpiritu præſente facultas ſeſe prodit, abſente delitescit;
neque facultates ipſas defert, & earundem vehiculum eſt; cum hæ ſint pro-
priè accidentia animæ inſeparabilia, & per ſimplicem emanationem pro-
deuntia in animatum corpus, quo recipiuntur; multò minus anima; quia
anima eſt immaterialis; ſpiritus verò materialis, & ſubſtantia, & cum præ-
ſertim non ſolum principes partes, ſed etiam totum æquè animatum ſit,
animaque in toto eaſdem facultates, & eiuſdem conditionis habeat, ac
proinde etiam facultates vbique ſint. quod ſi ſpiritus anima non eſt, nec
animæ facultas, aut earumdem facultatum vehiculum; erit ſaltem eiuſdem
vinculum, vt mira illa verba, quæ à Platone, & Alexandro Aphrodiſeo pro-
lata ipſum efferunt ſupra conditionem materialitatis; oratoriam potius lo-
cutionem inſinuant. Hunc ſpiritum dicimus ergo eſſe ſubſtantiam tenuiſ-
ſimam per calorem inſitum ex alimenti portione temperatiore ſuſcitatum,
vt ſimul cum ſpiritu inſito ſit naturalium actionum inſtrumentum. Confert
quidem ſpiritus influens inſito iunctus ad actum ſecundum; quare eo defi-
ciente, partes, vt inepta animæ inſtrumenta, ſenſu, vitaque priuantur. hinc
mirum non eſt, ſi à quibusdam medicis eius energiam admirantibus facul-
Exercit. 280 ſect. 2. tatis nomine inſignitur; & Scaliger ipſe membrorum animatorum partem
appellat, quando præſertim determinatus ſit locis proprijs, vndè anima-
lis in opticis ſpiritus oculorum dicitur. Producitur ſpiritus influens in
plantis præcipuè in ἐγκαρδίῳ, vbi temperatius Elementum, & humidum pin-
gue. Dubitatur an aer ad eius productionem concurrat, ſitque neceſſarius;
quod licet à pluribus negandum non videatur, & eius neceſſitas inſignis in
Lib. de Nat. Fœtus. animalibus perfectis appareat, quia Hippocratis teſtimonio aer ad hoc ip-
ſum fœtui per arterias ſubminiſtratur, mouetque in naſcentium ouis inclu-
Tract. de Product. Pulli ex ovo. ſum, vt Hieronymo Fabricio placuit; in adultioribus verò hoc ipſum ie-
cur recipit per Arteriam Celiacam, ventilaturque cor mediante diaphrag-
mate, ob id aer cordi neceſſariò deſtinatus, per nares ad cerebrum fera-
tur, & ex eodem Hippocrate ſpiritus aere nutriatur; attamen res omninò
dubia eſt, & quemadmodum in animalibus nulla dictarum rationum con-
uincit neceſſariò, quia cuncta relata incerta ſunt, & ſpiritus impropriè nu-
tritur, ſed ſimilium generatione inſtauratur; ſic in plantis tranſpiratio ſa-
tis eſt ad calidi, ſpiritusque ventilationem; nihilominus tantus honos ſpi-
ritibus tributus eſt, vt dubitarint viri docti an viuerent, quia corporis ha-
bitui determinantur. Verùm cum non ſint veræ partes corporis, quia ne-
que cohærent, n c verè nutriuntur, imò pendent à ſanguine tenuiſſimo, qui
alimentum corporis eſt; tutior eſt contraria ſententia. Sunt tamen qui
autogenum, & ieiunctum dignitate, & præſtantia; cæteris mirabilius na-
Sennert. Inſtitut. cap. de ſpiritib. tura conſequi, & eum Seneca quaſi pars noſtri corporis præſtantiſſima.
Quod ſi ſpiritum hunc, exercitationis gratia, in animalibus conſideremus,
Quæſ. nat. 2. variè accipi conſtat. Sunt ſpiritus quibuſdam, ſolum vitales, alijs anima-
les, alij naturales etiam addunt, certum tamen eſt materialiter vnum eſſe,
cum quiſque ſanguinis aerea ſit portio; differunt forma, quam varijs in lo-

cis

cis acquirant. Et quemadmodum differentes ſunt ex varietate vſus ratio-ne formæ ducentis illorum actiones; ità in his ſuccorum eamdem materiam cognoſcimus: quamuis Chilus aliam in iecore ſortiatur naturam. Naturali ſpiritu ſanguinis vapida parte genito, corpus non eſt omninò negandum; quando hepatis eſt, pro cunctis partibus alimentum conficere; quo aliquid pro ſpirituoſorum refectione reparetur. Vitalis quidem ſpiritus inſitorum ſpirituum calorem fouet, & inſtaurat; at naturalis diuerſo officio ſubſtantiam reficit, dum ex venis in arterias eius quidpiam transfertur, quoniam craſsus ſanguis non penetrat, hinc ſpiritus ipſe ibi defertur ad hoc, & ad vitalis refectionem. Sunt qui addant ſanguinis perfectionem, diſtributionemque iuvare. Eſt quidem reliquis influentibus craſſior ſpiritus, ac propterea, qui tardius reſoluitur, vnde in ſat ſufficienti quantitate etiam ſemper ſubeſt. Spiritus quidem cauitatem exigunt, vbi tenuiores, copioſiores, & ſemper, confertimque preſtò eſſe debeant, idcircò ſolo venarum, & arteriarum conceptabulo ſat habuit naturalis ſpiritus. Vitalem ſpiritum nemo negat, nam ad ſenſum ligatæ arteriæ non pulſant; in ſyncope omnes actiones pereunt, intercepto dumtaxat eorum influxu, vnde reſpirationis neceſſitas, & maximè in æſtu, frigidi aeris oblectatio: locus generationis eſt ſiniſter cordis ſinus primario ex ſanguine iam in dextro leuiter elaborato, & ex aere per inſpirationem attracto. Dixi primario, quoniam Gal. 7. de Placitis Hippocr. & Plat. cap. 3. etiam in Arterijs generari tradit, materia in eodem ſiniſtro cordis ſinu attenuata, & mixta: Preparatur ad hoc ex Gal. ſanguis in dextro ventriculo ex vena arterioſa delatus, huiuſque portio pulmonibus alendis deſtinatur; reliquum per ſepti cordis foramina, quæ ideo verſus ſiniſtrum anguſtiora ſunt inſtar infundibuli ad prohibendum regreſſum in ſiniſtrum ipſum, vitalibus neceſſario gignendis ſpiritibus datum: vbi elaboratur, perficitur, & ſeſe ſpiritu imbuit vitali. quod quamuis ex parte accidere credamus, licet alij exiſtiment per hæc foramina ſeptum nutriri, cum Coronaria vena tantum cordis ſuperficiem nutriat, attamen hæc ſuggeſtio minor eſt, quam corporis continua vitalium actionum neceſſitas, grandiſque ſiniſtri ventriculi amplitudo exigat; quare Arteria venoſa per Anaſtomoſes à vena Arterioſa materiæ in dextro ventriculo præparatę non ſatis accipere credendum: vnde forſan dextri ſinus valvulæ foris intus regreſſum, ſiniſtri intus foras egreſſum prohibent. Et ſpiritus ita genitus tum proprius cordis, tum influens cæterarum partium innatum calorem ad actum perfectiorem perducit, tum in cerebro animalis ſpiritus materia fit. Dari animalem ſpiritum Apoplexia, Paralyſis, ſtupor, & cœcitas, in quibus ſenſus, aut motus tollitur, declarant: ſunt enim corpora influentia, non ſunt virtutes, vt aſſeruit Scheigius; hæ autem alieni corporis obiectu ità impediri nequirent, prout videtur: Magnes etiam per interiecta corpora ferrum mouet; differt verò à vitali non accidentibus tantum, quando in proprio membro elaboratur, & quod pars viuens, adeoque vitali ſpiritu perfuſa, huius defectu, neque ſentiat, neque moueatur; ſenſum enim, ac motum per neruos tum ipſi cerebro perficit, tum ad actum ſenſoria deducit: gignitur ex vitali ſpiritu per Carotidas, & Ceruicales Arterias, necnon aere inſpiratione attracto, in plexibus arte-

Gal. de Facult. Nat. cap. 15.

arteriarum labyrintheis præparato, in cerebro ac propria ſubſtantia locato, nouamque formam nacto, vbi tenuior, ſubtilior, & purior fit. Sed hæc obiter, quamuis parum ad rem noſtram: nunc è diuerticulo in viam recurrat noſtra Oratio. Et ad inſtitutum proprium quod attinet, dubio non caret numquid ſpiritus iſte vniformis ſit in plantis, & in omnibus earum partibus. Profectò, ſi Argenterium conſulamus, dum influentem in animalibus ſpecie differre negat; aſſerit enim omnibus facultatibus vnum ſpiritũ ſpecie ſufficere, & commodè inſeruire poſſe; multò minus hoc ipſum de Plantis aſſerendum videtur, quibus deſunt partes principes: nihilominus, vtcumque ſit, ſpiritus iſte pro partium habitu vario, varias quoque actiones induere poteſt. Exemplum ſit Baxama Arbor Indica, auctore Theueto, quæ fructu venenum, radice autem antidotum exhibet; Axedaiche quoque Arabum fructus pernicioſi, floſculi ſuaues cordi, ita & de Hyuca Americana dicunt, ex cuius partibus, & venenum, & alimentum variè paratur; de mimoſa Acoſtę item quæ mira ſunt! cuius folia cum extremo cauliculo tantum contrahit; & Sij minimè alpeſtris ſiliquæ ſolum manu appropinquante rumpuntur. Finis autem huius influentis ſpiritus, vt ſupra innuebamus, eſt inſiti inſtauratio, communiſque cum ipſo operatio; differt ab inſito ſpiritu, quo modo calidum innatum ab influente. ſed hactenus de iis, quæ ad Plantarum formam, eiuſque præcipuis, intimioribus, minuſque materialibus inſtrumentis attinebant: nunc de earum corpore, eiuſdemque craſſioribus partibus conſiderandum.

Tobias Aldinus in Horto Farneſ.

Murgrau. in hiſt. Plãt. Braxil.

CAPVT VI.

Quid in Plantis partium nomine appellandum veniat determinatur, & earum opera nondum ab ijs auulſa partium nomen non demereri ſtatuitur.

PLantarum quidditatem ſuperiùs afferentes, & eas in gradu viuentium collocantes, corpora iiſdem, & quidem organica aſſignauimus, atque adeò partium conuenienti apparatu prædita. has igitur partes nunc in medium afferre duximus, cæterum non leuem difficultatem parit conſiderare quid partium nomine in Plantis appellandum veniat; cum ea conditio ſit partium in animalibus, vt cum toto oriantur, adſint eidem ſemper, quod etiam Theophraſto conſideratum video; earumque defectum, vel detrimentum, vel mutilatio conſequatur, adeoque parte deficiente neceſſarium ſit, nec totum, cuius pars habetur, integrum eſſe, nec perfectum ſui vel ſemper, vel ex interuallo ad actionum executionem inſtrumenta deſint. At in Plantis hac adhibita norma vix erit, quod partis conſtitutionem ſuſcipiat; manifeſtum enim eſt folia, flores, fructus, germina protinus cum Planta non oriri, quemadmodum animantium in genere pennæ, pilei, ſemen item, & lac; imò vt fœtus animalium partes non cenſentur, non item ſemina, fructus, ſureuli Plantarum. Ea paſſim Ariſt. ſententia eſt, & cum eo Theophraſti, quibus Gal. aſſentitur, qui ſemina, fructuſque ἔργα, non μέρη, opera, non partes appellant: Præterea abeſſe poſſunt plerèque per naturam citrà vitæ damnum. Etenim ſemperuiuum, ſtratiotem, lenticulam palu-

Lib. 1. c. 1.

Lib. de ſimpl. medic. facult. in cap. de Oui

palluſt rem, viſcum ſine radice producit natura ſi Dioſcoridi fides habenda; quædam caulem non habent, vt Nemionitis, lingua ceruina, ſcolopendrium; aut ad tempus non habent, vt beta, aut rumex, ſiue lapatum, nonnullæ caulem tantum habent, præterea nihil, vt orobanche, hypociſtis, hipogeniſta: quibus folia nulla ſunt, vt iunco, aphilanto, atque Arabum Feſel Rumi, ſic abeſſe poſſunt pleræque citra totius detrimentum, vt de ramis, & frondibus notum etiam ex Poetæ præcepto, qui de putanda vite inquit.

Illa vbi iam validis amplexa ſtirpibus Vlmos
Exierint, tunc ſtringe comas, tunc brachia tonde,
Tunc & durum
Exerce imperium, & ramos compeſce fluentes.

Ita ablato quantumvis cortice vicit ſuber, vivunt exempta medulla ſalices, atque abſque radice ſemperuivum, & opuntia. Mihi tamen propoſitum non eſt tam ſeueris legibus hæc coercere, quin partium nomine agnoſcam quidquid ad earum corporis integritatem, actionum perfectionem, vſumque conſpirat, ſiue perenne his ſit, ſiue temporaneum, ſiue priuatim iiſdem conducat, ſiue ſpeciei generationem ſpectet; nam fructus, & ſemina quamvis opera plantarum ſint, quamdiu tamen communi cum genitrice vita fruuntur, quamdiu eiuſdem alimento vtuntur, ipſique continuata ſunt; cur partium appellationem, vel communiter ſaltem, & improprie tantumodo denegem, cauſam video nullam; & partium veluti in vtero contentarum materia fiunt: nec Theophraſtus ipſe adnumerare erubeſcit, imò & ſecundinæ quodamodo dicuntur fœtus partes.

CAPVT VII.

Plantarum corpus in ſuas partes diuiditur, parteſque ſigillatim examinantur, Theophraſti error conſideratur.

HOminem, quo ſenſu plantam inuerſam pronunciauit Plato, eodem ſi plantam hominem inuerſam dixero, nec modum comparationis excedam, nec veritati quidquam detracturus ſum. Hominem enim quemadmodum ex pauculis fecundi ſeminis guttis mirabilis efformat plaſtes, & porrectis in maternum uterum venis viſo incremento adauget; ità plantas etiam ex minutiſſimo ſemine vegetabilis quædam vis producit, & diſperſis in terram alumnam radiculis paulatim nutrit. Hominem cœleſtis caloris grata temperies excitat, & roſcida quædam ab alimentis humiditas ſuſtentat, plantas pariter, vt Catulli verba uſurpam.

Demulcent auræ, firmat ſol, educat imber.

Homini vegetum veluti florem affert adoleſcentia, vigorem iuventus, maturitatem functionum omnium viriditas, ſenectus grauitatem; & que n natiui caloris ubertas firmabat, eumdem illius inopia debilitat, & conficit: Plantis etiam ver anni adoleſcentia florem accelerat, æſtas vigorem, autumnus fructum, hyems virium, & ornamentorum omnium defluxum; ut verè dixerit Homerus ζεφυρίη πνιοῦσα τὰ μὲν φύει ἄλλα δὲ πέσσει, à zephyro hę quidē

generantur, illæ verò diſſipantur. Sed præcipuè plantam inuerſam appellem hominem ſi ſtructuram corpuſculi, atque ordinem partium appoſitum contemplemur. Nam ut homo partem, qua alimentum aſſumit in edito locatam obtinet, plantæ in immo, & à vertice maximè remoto; homo vitę, vigoriſque vim, & nobiliſſimarum functionum organum in alta corporis parte, veluti arce exhibet: Plantæ natiui caloris potiſſimum fomitem, partemque virium robore præſtantiorem vel ſub terra penitus occultant, vel leuiter ex eadem attollunt. Sed in ipſa partium ſtructura maior affinitas; nam humani corporis partes aliæ continentes ſunt, aliæ contentæ, quarum illas Hippocrates ἴσχοντα μορία has ἰσχόμενα vocat, quibus addit τὰ ὁρμῶντα σώματα corpora motum, impetumvè facientia, per quod innuit calorem ſpiritui iunctum, aut ſpiritum calorem: & continentes partes, aut ſimplices ſunt, quæ ſimilares dicuntur, quæque in partes ſimpliciores diuidi non poſſunt; tum compoſitæ, quæ contra; atque hæ, vel in trunco corporis diſponuntur, vel extenduntur ad eius extrema, vel ortus; idem obtinet in plantis; in quibus partes, & continentes, & contentas obſeruare licet. Continentium quædam ſimilares; quædam diſſimilares; atque rurſus communes pleriſque plantarum, vel quarundam ſolum partium propriæ. Ordiemur à recenſione ſimilarium, quarum aliæ κατ᾽ ἐξοχὴν tales, vt fibræ, & caro; quædam, facta tantum comparatione ad alios, vt lignum, matrix, & cortex, quæ neque abſolutè ſimplices ſunt; attamen ſingulis particulis commune nomen, & definitionem obtinent ſi κτ̀ δόξαν ſenſumque viuidiorem ſpectemus, vt in corpore humano venæ, cutis, & huiuſmodi alia. Eſt autem fibra in Plantis pars minuta, prælonga, continua, fiſſilis, per vniuerſum plantæ corpus, ut in homine vaſa quaquauerſum diſtributa, ad quorum ſimilitudinem, fibrarum in ſtirpibus aliæ venæ appellantur, aliæ nerui; Venæ dicuntur fibræ plantarum maiores, magiſque ſucci plenæ: nerui autem fibræ tenuiores, & ſicciores. Venæ in ſe humorem continent alibilem, qui inciſis plantarum partibus affluit, quamuis exiguas earum cauitates magis ratione, quam ſenſu comprehendamus. Nec tamen, vt in animantibus ad motum hic faciunt nerui, ſed ad quietem; habitum firmiorem, & robur; horum alij interius ſatis euidenter conſpiciuntur, ut in caudice Palmæ, aut Abietis; alij exterius magis, ut in plantaginis folijs, in quibus à nonnullis coſtæ nuncupantur. Caro in plantis eſt pars ſimplex, ſolidior ex humore concreto producta, quæ in omnem dimenſionem, ut terra, auctore Theophraſto æquè diuidi poteſt: hæc verò triplicis obſeruatur differentiæ; nam caris genus vnum tenellum eſt, & propemodum humori ſimile, ut in Ceraſi, Morique fructibus; alterum ſubſtantiæ denſioris, ſolidioriſque, humidę tamen, ut in piri, malique pulpa; tertium ſolidius adhuc, & in lignorum ſerie; cui humor imbuit ſubſtantiam, imò potius eidem circum affuſus videtur, quam ſecare non ſecus aptè licet, ac ſi fibris careret, qualis in pyri, & buxi radice notatur. Lignum in plantis eſt corpus durum ſecundum longitudinem fiſſile ex humore concreto, ex venis, neruiſque conflatum. Nonnunquam caro degenerat in lignum apparentibus fibris, quæ prius deliteſcebant, ut in ferulæ caulæ, herbiſque varijs arboreſcentibus, idque, pro climatum diuerſitate plus, minuſvè frequentius. Matrix eſt pars in ligno

media,

media, in herbis medulla dicitur, quam ex humore & carne etiam conſta-
re ſcribit Theophraſtus, quamuis in arboribus, fructibuſque, fibris ple-
rumque non careat, in quibus ligno ſimilis, ſed denſior. Ambit has par-
tes commune velamentum ex utriuſque generis fibris affabrè contextum:
idque vel tenuiſſimum, ut vix arte ſeparabile, quale eſt quod mori, & fra-
garum fructum veſtit; vel paulò craſſius, & ſeparabile, ut in pomo, & ficu,
quorum illud ἐπιδερμίδι hoc δέρματι comparare licet: vel craſſiſſimum, quod
corticis nomine arboreſcentibus circundatur. Fibris neruoſis, venoſiſq;
ſubſtantia medium, & cuticula exterius propria obuelantur facilè ſepara-
bili: ſed compoſitæ plantarum partes, vel intra terram, vel extra eamdem
conſpicuæ ſunt, ex illis radix eſt, ex his caudex, rami, frondes, folia, flo-
res. Radix eſt pars è cortice, ligno, matrice, fibriſque compoſita, per cu-
jus orificia vel extremum alimentum à plantis attrahitur; Et quidem ali-
mentum, quod Ariſt. 2. de partibus animalium τροφὴν κατειργασμένην, elabo-
ratum ipſis calore cęleſti aſſerit, vt conſtet minus operoſam in plantis eſſe
alimentorum coctionem. Raptum alimentum enim in radicum medulla
protinus digeritur, atque indè partibus ſingulis ſubminiſtratur. Apparet
hinc radicum neceſſitas ob humoris alimentalis indigentiam, adeoque
neceſſum eſt, ut Plantæ vel ipſæ omnes radices obtineant, vel quid analo-
gum ipſis, radicibus vel aliorum radicem habentium ſucco viuant, vt viſ-
cum, cuſcuta, & inſititia omnia. De malabatro, lenticula, & ſtratiote pa-
luſtri, quæ ſcribit Dioſcorides, experientiæ aduerſantur; habent enim ſub- *Iſagog fol.*
dita radicum capillamenta ad terram porrecta, prout abundè oſtendit *31.*
Spigellius. Caulis, qui in arboribus caudex, in lilio, fabiſque, ſcapus di-
citur, eſt pars, ut radix compoſita, quæ ſupra ſolum ſine folijs frequentius
aſſurgit, ſimplex, ſiue multiplex. A trunco rami oriuntur, à ramis frondes;
inter compoſitas partes folia quoque ſunt; ex pediculo enim conſtant ve-
noſis, neruoſiſque fibris, & has velante cute. An carne communiter con- *D. Nat. ſtir.*
ſtent dubitatur, & iure merito à Coſteo, cui ſuſpectus eſt Theophraſti tex. *fol. 41.*
qui ex humore, & carne conſtare folium dixiſſe videtur, ni error irrepſerit
in tex. quia ſi ſedo, Opuntiæ, Aloe, immò & Thelephio, Portulacæ, Caly,
Acetoſæ Indicæ, & huius generis caro competit, derogandum tamen pu-
tat commoniori foliorum ſtructuræ, ut excuſari poſſit tex. ſi de particula-
ribus; in communi verò haudquaquam. Folia an ornamenti tantum, vſuſ- *Iſagog. fol.*
vè alicuius facta, diſputat Spigelius; concludit, & rectè, folia ad ſtipitem, *27.*
florem, fructumque tuendum neceſſaria eſſe; non omnium tamen horum in
omnibus, ſed in pluribus. Flores multis partibus coſtituuntur plantarum
ornamenta, & delitiæ; habent enim calycem, aut thecam, ſiue vaginam, cui
inſident, folia pediculo inſtructa, ſtamina, appendices, hæc in fructiferis
tenellum fructum defendunt, in infrugiferis autem ſeminum vicem ſubeũt,
vt de thymo creditur: vel ornamento tantum ſunt, ut ſaſminum, imò, &
medicamentum præbere potentiſſimum quandoque valent, ut abundè Spi-
gel. Partes compoſitæ, quæ priuatis inſunt variæ habentur; nam circa ra- *Iſagog. fol.*
dices interdum conſpiciuntur granulla παραφυάδες, ſeu adnaſcentia, quales *29.*
pili poligonato, chryſocomæ, & polypodij radicibus. Circa caules, &
ramos nodi, fungi, capreoli, & ſpongiæ, ut in cynorrhodo. circà folia, gal-

la in quercu, veſiculæ balſami, & in folio Vlmi, & in Pino pro flore nucamentum; in pino quoque & iuglande cacrix, ideſt pilula nucleum continens vrendi vi prædita; ſed quercus pilulas etiam alias, nucleos, pumices; ilex granum, ſiue coccum præbet, cui incluſus vermiculus chermeſinam tincturam donat, adde ſpinas, & in florum abſceſſu pappos γῆρας Græcis; Partes contentæ ſunt humores, & cum calore ſpiritus; humor vel fixus eſt; vel influens, ſiue alibilis, qui pro temperamenti, & particularium naturarum proprietate varius, vt in tithymalis, chelidonijs, anchuſis. Fixus non ſimplex eſt, ſed terrea portione mixtus, qui, ut Hermeticis quandoque fauere videar, balſamum ipſis appellatum conſtituit, & ſalem inſitum, quibus plantæ conſeruatio debetur, & firmitas, ſine quibus potiſſimum duratio non tribuitur; calor item, vt dictum eſt, & ſpiritus ſingulis partibus inſitus, & fixus reperitur, & eſt illa ſubſtantia à quibuſdam proportione ætherea ita vocata, de qua Ariſt. locutus eſt citatis alibi locis, & quam è ſeminibus cerealium, & floribus roſarum, ſimiliumque Hermeticis elici creditur, & quo mediante alimentum per duriſſima ligna ſpargitur, vel influens à matrice veluti fonte deriuatus ad fixi, vt abundè ſupra dictum eſt, reſtaurationem.

CAPVT VIII.

Plantarum quænam præcipua pars ſit inquiritur. De ſemine item diſſeritur, & quæ pars in plantis dignitate, & neceſſitate præcedat.

Οἵη περὶ φύλλων γενεὴ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν, Homeri feria, & ex vero profecta vox non communi ſaltem homini cum plantis fragilitati fundata; ſed partium quoque, cum ordine, tum habitudine confirmata: nam, vt proxin è propoſitum fuit; Plantę non ſecus atque homo partes habent continentes, & contentas; continenteſque, & ſimplices, & compoſitas. ex his partibus quænam princeps ſit conſideratione dignum eſt. In cuius cognitione, ne difficultatum ſpinis implicemur, conſtituamus ſermonem eſſe de partibus primis in plantis perfectioribus; deinde principatum hic ſpectari, non habito reſpectu virium, aut actionum ſingularium, ſed communium plantis omnibus, quæ ſunt viuere, nutriri, augeri, generare: hoc ſiquidem hic volumus, quænam in plantis pars ſit, quæ viuendi, nutriendi, augendi, generandique munus præcipuè, ſiue principaliter ſuſtineat. Hanc igitur eam matricis, ſiue medullæ partem conſtituo, quæ inter aſſurgentem ſuperficiem, caulem, vel caudicem, & radices media conſiſtit; eſtque hoc ipſo loco planta plerumque craſſior, ac denſior, & vt plurimum parum infra terram eſt; nonnunquam cum elatiores radices ſunt circa terram; rariſſimè, vt in Muſis tantum, & Palmis obſeruauimus ſupra terram; in quibus ſub folijs explicatis, aut ramis fundamenti inſtar conſpicitur. A Theophraſto in palmis ἐγκέφαλον τῆς φοίνικος, cerebrum palmæ nuncupatur, non quod actione, vel vſu quidquam cerebro conſentiat, ſed quod candidum, tenellumque, guſtu ſubdulce, quodque in alto ſub vertice conſiſtat; Rectius Dioſcoridi ἐγκάρδιον dicitur, ſiue id quod cordis rationem intus obtinet. Dixi inter ſuperficiem,

perficiem, radicemque mediam eſſe, vt complectar eas etiam ſtirpes, quæ caulicum, caudicumvè loco ſimplex tantum pedamentum foliorum habent, ut phylitis, polypodium, aſplenium; aut ramorum ordines, ut fructus plerique. Eſſe autem matricis hanc, ſiue medullæ partem inter alias omnes principem, ex eo conſtat, quoniam in ea vitalis vigor, & calor actionum omnium organum eminentior, ſeu intenſior exiſtat; quorum probationem depromo cum ab habitu eiuſdem, tum ab actionibus: Ab habitu, quia firmiore ſtirpis parte, videlicet intimius, quæ centro collocata eſt, in quo vitalis calor intenſior eſt; ipſa verò medulla denſior, & conſequenter caloris gradu acutior reperitur, hinc alimentum per radices attractum in ea parte perfectius ſubigitur, quia ab illa, tamquam à baſi, & radices verſus terram demittuntur, & ſuperficies, caulíſque ſurſum porrigitur, ut in ſeminibus apparet, ac bulbis fœtu nouo pregnantibus; quia ab illa in maximo numero ſurculi, ſoboleſque vegeta producitur, propagationis fundamenta; & in bulbaceis quoque radicibus fœtum nouellum ſuſtinet ab eo productum, atque adductum; quia hac medullæ, vel matricis parte vigente partes reliquæ vigent, languente languent, moriente ſine vitæ germiniſque ſuperſtitis ſpe comoriuntur. Omnium horum typus in animantium corde expreſſus eſt, quod ipſum quemadmodum ratione communium vitæ animantis functionum partem agnoſcimus cum Philoſopho principem; ſic in plantis partem cordi, ob rationes dictas, analogam; præcipuam, principemvè nominamus. Scio obijci poſſe lenticulam paluſtrem, & ſtratiotem Dioſcoridis, radices haud obtinere, cum malabatro, viſco item, & cæteris relatis. Obiectioni reſpondentes dicimus quemadmodum ſupra, de perfectioribus videlicet ſermonem eſſe; quæque proprio ſucco viuunt, nec forſan, ſi quis diligentius hæc inſpexerit, deerunt radiculæ, & quid principi parti analogum. At ſalicem ſine medulla viuere obſeruatum; eſt, fateor, ſed non ſine medulla radicibus inſtructa; de medulla igitur, matricevè forſan plus ſatis. Nunc ad cætera conſideranda pergamus.

CAPVT VIIII.

Seminis natura in Plantis conſideratur, definitur; eſse partem plantarum ſtatuitur; compendio totam in ſeminibus plantam reperiri decernitur.

PArtium conſiderationi ſeminis, fructuumque contemplationem meritò modò ſubiungamus, quia non tantum opera plantarum ſunt, ut Theophraſtus loquitur, πρώτα καὶ κυριώτατα, ſed quia re vera eorum partes, quamdiu nondum emancipata, vel ſeiuncta ſunt, ſunt partes quidem compoſitæ; fructus enim, cortice, & carne conſtant; ſemen iterum pericarpio ſuo, veſica, vaſculo, ſiliqua; tum proprijs membranis, carne, & corde ſiue fœtus rudimento inſtructum. Ariſt. fructum definit illud, quod florem gerit, quod experimentis ſanè contrarium eſt, quoniam dilapſo iam flore conſtat, cum fructus in conſpectum datur. Nec paulò melius Theophraſtus. Fructum enim id eſſe ſcribit, quod ex ſemine, & carne conſtat, repugnat enim cum Gal. communi loquendi mori; quo in fico, pomo, piriſque

non

non ſemen, ſed pulpam eorum, aut carnem exprimimus. Obijcit Theophraſto Coſtæus non omnem fructum carne conſtare, vt uva, non omnem ſemine euidenti, vt fraga, non in omnibus fructibus caro à ſemine diſtincta, cum auellana, aut regia nux ipſamet ſemen, & caro videatur: denique fructibus omnibus vt dictum membranæ, & velamenta ſint. Theophraſtum hic tamen facilè excuſem qui non tam ad loquendi morem, quam rationem reſpexit, non ad id quod uni, alterivè plantæ fructui, ſed quod pleriſque ineſt. Quod autem in nuce idem exiſtimat carnem, & ſemen, id à vero alienum eſt, nam quod in illis propriè plantulam nouam conſtituit, exiguum quid eſt, & à reliqua pulpa in germinatione omninò diſtinctum: Denique cum ad præcipuas partes fructus Theophraſt. reſpiceret, membranarum haud meminit. Sunt autem re vera ſemina fructuum partes, vt & fructus ſeminum, quoniam utrorum vis defectu toti integritas ſua non conſtat. Ariſt. etiam æquiter intelligendus; nam τὸ ἄνθος φέρειν, quamuis non conueniat adoleſcenti fructui; conuenit tamen naſcenti. Iridis quidem, iaſminique, roriſmarini, & huiuſmodi flores fructus hoc Cælo non afferunt; quidquid tamen horum à flore relictum eſt, id fructus rudimentum præſumitur; ita fructum producunt ficuus, quercus, iuniperus, palma fæmina ſine flore; pro flore tamen eis eſt germen illud primum, à quo emicat fructus. quidquid tamen horum ſit, cum ad ſemen explicandum accedamus, ſeminis communis nomine corpus accipio calido vitali plenum, in quo vis plantæ uniuerſæ, veluti compendio ſtipata ad ſobolis generationem propendet. Dixi ſemen eſſe corpus, quia dimenſionum argumenta omnia exhibet: non ſimplex, ſed compoſitum ex partibus propoſitis. Eleganter Empedocles ſemina, fructuſque, arborum oua pronunciabat: in ouis autem eſt cortex externus durior, membranæ, veluti coria duplicia, amnios, alimentum genuinum ſpermaticum album, & ſanguineum, luteum. Tum ſi fæcunda oua ſunt, embrio, ſiue fætus ſubrudi vermiculi minuti ſpecie delitelcens; aut tenui vnguis reſegmine; antequam protenſis arterijs, veniſque ab alimento uberius ſumat incrementum. Ità planè res in ſeminibus ſtirpium habet, in quibus omnibus exteriores cortices craſſiores, interdum lignoſæ, mox velamenta molliora, tenuiora, tum pulpa interna maxima ſui parte alimento caloris ſeruandi gratia producta; & tandem ſi fæcunda ſemina ſunt, plantula ipſa ruditer effigiata, quo ioco ſemina vel operimentis ſuis cohærent, veluti pedamento. Ariſt. partem hanc ὄμμα oculum vocat: Accuratius alij vmbilicum; nam hoc ipſo loco, vt animantibus a proximo Encardio radicum prima germina protenduntur. In fabis id apparet qua parte δίθυροι, ideſt quæ duabus valuis commiſſæ videntur: In bulbis fęcundis inter membranam interim res inſtar matricis fętibus hęret non nihil flexa; ita rem in minutiſſimis alijs plantarum ſeminibus ſe habere dubium non eſt; quibus tamen cognoſcendis, quemadmodum ſenſuum nos deſtituit imbecillitas, ita magis manifeſta nobis fit naturæ majeſtas; Vereque Plin. rerum natura, inquit, vel in minimis tota eſt. Dixi ſemen eſſe corpus vitali calore plenum, hoc ipſo enim formatrix natura plurimo indiget, vt ſupra indigitauimus, & ineſſe ſeminibus etiam balſamicum quid, aereum pingue φλογιστόν. Arguit oleoſi liquoris copia, quam abun-

abundantius ex illis, quam alia vlla plantarum parte elicimus, & ignis opera, & expreſſione etiam ex ijs, quæ frigida vulgo arbitrantur, vt papaueris, ſolani, ioſciami, & ſimilium; Denique vim, & naturam plantæ uniuerſæ in ſeminibus quæ compendio ſtipatam eſſe pronunciaui, Democritum ſequutus apud Theophraſt. affirmantem ſemina plantarum τοῦ ὅλου ἀποστάσματα eſſe totius collectionem, ſiue contractionem. Ineſſe autem hanc ſeminibus vim non potentia, ſed opere ipſo, intelligendo ſemina perfecta & à parente iam abdicata arguit effectus; adeſt enim περιγραφία quædam fętus, quem proprio ſeminis alimento ad tempus ſuſtentat. Quacumque autem vel à natura, vel ab arte fiunt ἐπ' ἐνεργείᾳ ὄντος fieri verè ab Ariſt. decretum eſt. Item τὸ κινοῦν ἐνεργείᾳ εἶναι, mouens opere ipſo eſſe. Non eſſe autem hoc opus à calido ipſo principaliter, euidentiſſimum eſt; nam niſi ab alia nobiliore natura dirigeretur, nunquam opus hoc tam conſtantium partium ordine, & ſerie produxiſſet, ut nec accidens ſubſtantia, nec inanimatum animatũ, ut paſſim in Scholis receptum eſt. Dixi tandem propendere, nam, vel leui maceratione in tepido humore ſemina protendunt radices.

CAPVT X.

In dubium reuocatur an vis plaſtica ſeminibus inſit; ſemen ea non deſtitui rationibus comprobatur, immò veluti compendio Plantam totam poſſidere.

NVlli profectò incognitum eſt inditam eſſe huic uniuerſo vim, per quam ordinem partium, & operum ſeriem conſeruet. Zeno δύναμιν κινητικὴν τῆς ὕλης κατὰ ταῦτα καὶ ἰσάντως, facultatem motricem ſecundum eadem, & eodem modo motricem. Cryſippus λόγον ἀΐδιον τῆς προνοίας, rationem prouidentiæ æternam; quam ipſam, licet communi cuidam naturæ veteres adſcripſerint, immò fato, atque adeò Deo ipſi: optimè tamen Theophraſtus hanc rebus ſublunaribus inditam facultatem eſſe τὴν ἑκάστου φύσιν uniuſcuiuſque naturam: cuius opera, ut in animantibus, ſic in Plantis quoque clarè conſpicua; immò in plantarum fęcundis ſeminibus, aut fructu, quibus iam abdicatis à genitrice Planta non potentia, ſed ἐνεργείᾳ formam, ac vim totius Plantæ ineſſe allatis proximè rationibus conſtituimus; nec ut oua animantium fęcunda, alio indigere, quam externa cauſa fouente, ac alimenti defectum ſupplente. Turbauit tamen hanc Ariſtotelicorum ſententiam Gal. dum vegetabilium naturæ facultatem efformandarum partium, ſiue vim plaſticam ademit, quia opus ſit τέχνην σοφίαν τε μεγίστην artem, ſapientiamque ſummam referat, adeoque ſine ſapientiſſimo, potentiſſimoque artifice fieri non poſſe, quum vegetant facultas παντάπασιν ἄλογος, omnimodò rationis expers ſit. Quæ res poſt Gal. deinceps induxit alios, ut ſeminibus ſtirpium vim plaſticam, ſiue formam, adeoque animam ineſſe negarint: his potiſſimum argumentis adducti, quod animæ non informent corpora, niſi quæ ſunt inſtrumentis prædita: idque decreto Ariſt. qui Entelechijs aſſignat non ſimplex corpus, ſed σῶμα ὀργανικόν, quia in ſeminibus quamtumvis fęcundis non obſeruantur operationes animæ perfectæ, ſiue nutritionis, ſiue incrementi perfectij quia ſi ab indita ſeminum anima fit conformatio,

ſeque-

ſequeretur cauſam efficientem ingredi conſtitutionem effecti, & ex cauſa externa fieri cauſam internam. Immò ſi in ſemine principium conformationis eſt actiuum ſemen, aget in ſe ipſum, eſſet & agens, & patiens, & actu, & potentia ſecundum idem; quod implicat abſurdum. Si plantarum formæ ſeminibus inſunt, inquiunt, erunt utique diuiſibiles, & hoc quidem minutiſſimè, ut in Panico, & Amaranthi Indici numeroſo ſemine apparet; at diuiſio materialium eſt. Adde quod ſi animatum ſemen eſt, iam eſſentialiter animal eſt; neque tunc generatur, cum à terra ereſcit: ſi animatum ſemen papaueris, erit papauer. Sed hæc omnia non ſunt illius roboris, ut euincant ſemina Plantarum natura propria vegetabili eſſe deſtituta: nam Galenum quod concernit haud negandum eſt conformationem Plantarum; imò vel unius roſarum floſculi, eximium quid eſſe, & affabrè factum opus; nil obſtat tamen, quominus hoc ipſum ab indita ſemini natura proficiſci, perficique poſſit: Quamuis enim per ſe ἄλογος ſit, nec præcognito operis fine moueatur; habet tamen à ſupremo rerum architecto hanc facultatem, ut remotis impedimentis eumdem effectum, eodem ordine, & motu producat, & ſub ratione ſimplicis termini. Itaque particulares hæ naturæ non ſimpliciter αὐτοδίδακτοι à ſemetipſis doctæ, ut inquit Galen. ſed ſano magis ſenſu θεοδίδακτοι diuinitus ſic imbutæ, ut ordinata partium diſpoſitione plãtulæ corpus efformetur. Eleganter in Seruilio Catullus

Ipſa, inquit, procreatrix
Per terras, perque Cælum, perque pontum ſubditum
Peruium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit, iuſſitque mundum noſſe naſcendi vias.

Iam quod ſimplex ſeminum contextus ſit ſine organis; non impedit, quò minus in ſemen recipiatur anima, quæ partes informaturit eiuſdem plantæ ſemine longè minus operoſas, maximè cum per ſe quantitatem, figuramque determinatam haud poſsederit. Nec deſunt tamen ipſi ſimpliciter organa, cum calorem habeat ſpiritumque in ſemine vitalem, & permeabile vijs omnibus corpus. Non apparent in ſeminibus animæ operationes? imò apparent luculenter, euidenteſque ſunt non minus rationi, quam ſenſui: rationi, quia ſuſtentari neceſſarium eſt, & ali, quia non menſes, ſed annos integram fęcunditatis rationem conſeruant; cum temperamenti deſtructionem, facultatum quoque abolitio conſequatur: cum videamus, quod bulbacea omnia extra terram erumpant in folia, radices; & ut Scilla, & autumnali Colchico in flores. Efficientem verò non ingredi conſtitutionem effecti, de artificialibus potius accipiendum eſt, quam de naturalibus, in quibus non repugnat propriam ſingularum naturam efficientis pariter, ac formæ rationem habere. Semen utique non agit in ſeipſum, vel quatenus formam, vel quatenùs materiam obtinet; ſed forma ſemini communicata, agit in ſubiectam ſibi materiam. Actio autem hæc non eſt deſtructiua, ſed omninò conſtitutiua, ſiue perfectiua: Quamuis autem ſuppeditante alimentum terra ſemini, membranæ, cum pulpa corrumpantur, id mirum tamen magis non eſt, quam corrumpi ſecundinarum membranas, & placentam uteri, edito iam in lucem fœtu. Nam ut hæc, ſic illa pariter, ad tempus ſolummodò conſeruando, & nutrimentum exhibendo fętui ne-

ceſſaria ſunt: fœtum enim in ouo alimentum capere notum primò ex Calazijs, ſecundò ex albumine, tertio ex luteo. At diuiſio illa formarum non eſt propriè talis, & cum totarum diminutione coniuncta, qualis materialium. Quemadmodum enim cum ex minutiſſima ſeminis mole è plantula fit ingens arbor citra inſitæ formæ acretione; ita formarum communis cū diſpoſito ſubiecto fit citra ipſarum diminutione: Flammula unica in face an nè in mille alijs facibus excitare flammam eandem licet, idque citrà prioris deſtructionem ullam; quantò magis ſi fiat in formis ſimplici elementi forma nobilioribus. Quibus accedit in ſemine ignis calor, ſcilicet animæ feriò, naturæ inſtrumentum prout ex Ariſt. cui tamen neque ſexus diuerſitatem, neque ſimilitudinem animalis ad eum uti principem referri poſſe credimus; immò idem Ariſt. lib. 2. de Generat. anim. cap. 3. diſtinguit naturam à calore, & ſpiritu. Intenſum tamen eſt calidum in ſeminibus, quod partim ſenſus percipit, partim arguit Hermetica diſsolutio. 2. de Anim. cap. 4.

Tandem concedere poſsumus ſemina, iam abdicata ratione, incluſi fœtus plantas eſse, animamque poſſidere vegetabilem, quamuis actu ſecundo nondum adeò perfecto; nec produci plantam ſimpliciter, cum è terra erumpit, ſed productam creſcere, & augeri; ſic in animantium fętu omninò diſtinctum tempus eſt συςάσεως per ſemen, & αὐξήσεως per alimentum attractū: in fętu enim primò requiri ſiſtaſim, & materiam ſemini ſimilem, quæ conceptum vel alat, vel conſeruet; eſtque veriſimile eſse ſeminis aqueam partem γαλακτώσις, quam viri in proſtatis habent, mulieres in uterum, & collum excernunt, quæque tenello embrioni balnei inſtar ſuffunditur, quod confitetur Ariſt. lib. 2. de Generat. animal. cap. 1. & 4. Secundò alimentum χθύραθεν, accedit mediante umbilico, quod non difficulter probatur: Primò quia in conceptu primo neque intra, neque extra quicquam ſanguinei eſt; ſecundò quia ſanguis diſſimilior eſt, quam ut ſpermaticum conceptum proximè alat, aut ſeruet; adeò alterandi longè natura neceſſitatem arcet, ne abortus ſuccedat. Ratum ergo nobis ſit Plantarum perfecta, & fœcunda ſemina naturam, & cum totius plantæ veluti compendio collectā poſſidere; immò plantularum rudes perigraphias continere, quæ attracto demum ex terræ uberibus alimento, deinceps perficiantur.

CAPVT XI.

Plantarum ſuma genera inquiruntur; Expenditur Theophraſti ſententia; notatur eius circa hac opinio.

CVm verò iam conſtet plantas per naturam propriam animata eſſe corpora, & corpora partibus conſtitutione diuerſis inſtructa; ſupereſt, ut earum genera ſumma, ac veluti per claſſes indagemus: intraque ingentem illam, & ſenſibus noſtris indeterminabilem multitudinem veluti centurijs, vel potius legionibus deſcribamus. Auctor itaque libri de Plantis, qui Ariſtoteli vulgò tribuitur, Plantas uniuerſaliter in arbores, frutices, olera, & herbas dirimit, cum quo ſenſiſſe videmus Theophraſtum, qui eaſdem in arbores, fructices φρύγανα, quam vocem Gaza interpres ſubfructi-

cen exprimit, alij rectius cremium; & herbas diuidit; eaque omnia definitionibus certis complectitur. Arborem itaque ſcribit eſſe Plantam, quæ ab radice, ſimplici caule aſſurgit ramoſam, nodoſam, fractuque contumacem, talemque oleam, ficum, & vitem, ſimileſque. Fructicem verò, qui ab radice multis caudicibus, & ramis prodit, talemque rubum eſſe, & paliurum. Cremium verò, quod arborum, aut fructicum inſtar ramo lignoſum eſt, folijſque minutiſſimis, qualis roſa, elenium, abrothanum, ſerpillum; herbam verò, quæ à radice folium gerit ſine caudice aſſurgit, & ſemen in caulem gerit: ſed hæc quamuis à præſtantiſſimo Philoſopho profecta; tamen clariſſimo Viro Coſtæo parum firma videntur, cuius doctrinam, & nos ſequuti ſumus; & vtinam ita facile à nobis exprimi poſſet, prout venerari eius manes, admirarique ingenij acumen fas eſt. Si igitur dicta ad examen accuratius reuocentur, de genuina tam viri ſententia non parum dubitem, quòd ſcripta ipſius corruptiſſima ad poſterorum manus peruenerint; Nam quòd arborem ſcribit ſimplici aſſurgere caudice, id nec oleæ, nec ficui, nec viti competit, nec ſycomoro Ægyptijs ampliſſimo, quorum caudex, ut ſimplex permaneat, ſtolonum amputatione cauetur. Nodi non arboribus tantum, ſed etiam fructicibus, cremijs, herbiſque viſuntur τὸ δυσκατάλυτον, ſolutu difficilem eſſe etiam in humili ſtirpium genere, iunco geniſtiſque competit, & è veris arboribus non conuenit ſtyraci arbori fractus facillimi; quòd fructicem, caudicum & ramorum multitudine definit, non ſeiungit eas à cremijs. Cremium eſt, quod minuta habet folia, quodque lignoſa, nam nec roſarum folia tenuia ſunt, neque Elenium ampliſſimis folijs prædita planta, quæ niſi cum exaruerit, lignoſi quidquam pr ſi ſert. In herbarum verò definitione reprehenſionem haud effugit; nam quòd eas caudice carere ſcribit, ſi propriè voce tali, utitur, notatu indignum eſt; ſi communiter, conſtabit iuncos caule exire ſine folijs, nec in caule ſemen ferre poſſunt, quæ caule deſtituuntur, ut Nemionitis, lingua ceruina; nec omnes radicem habent, ut quercinum viſcum, & epithymum Adde quòd fungi, & tubera ad claſſes propoſitas referri nequeunt. Sed iam accedamus ad ea, quæ vero magis conſentanea videntur, ex dictis colligentes, quæ plantarum genera ſumma in medium afferre, & ſtatuere poſſunt.

CAPVT XII.

Summorum generum Plantarum magis arcta diſquiſitio; ſingularum natura inquiritur; & deſcriptione ſtatuitur; deque Plantarum affectibus ſummaria diuiſio.

QVemadmodum, qui in circumfuſa ſilua iter facienti comiter monſtrat viam, gratiam meretur ſingularem; ita veteres dum in diffuſa Plantarum ſerie compendia nobis exhibuerunt, & claſſes, intra quas accuratius cognoſci, & ſuccincta methodo comprehendi poſſunt, & diſtribui, præ oculis ſuppoſuerint; æternam promeruiſſe gratiam non perfunctoriè fatendum eſt. Et licet definitiones Theophraſti non arrideant, adamuſſim; exactioris doctrinæ tamen gratia eas ut comparemus; cùm præ-

ſertim ſtirpium quatuor, quæ proponit, genera, inſtituto noſtro ſatisfaciant; quibus ſi non omnia, ſaltem plurima ſe complexum confitetur. Quibus ergo innixi, cùm iam ante conſtituerimus plantarum partes, & minimè diſſidentes à Coſtæi clariſſimi Viri opinione, cui licet per nos quidquam addendum non fuerit; ea ſaltem clarioris doctrinæ gratia proſequemur. Igitur conſtat alias abditas eſſe partes, ut radices; alias manifeſtas, ut caudices, rami, frondes, folia, flores, fructus. Vniuerſum hoc Plantarum agmen in Plantas perfectas diuidemus, & imperfectas; imperfectionem tamen hic innuentes non eſſentiæ, ſed accidentium; nec abſolutè ſpectatam, ſed facta comparatione per partes. Perfectas dicemus, quæ tam abditam habent partem, quàm manifeſtas etiam alias obtinent, ſiue omnes, ſiue plures, aut etiam pauciores. Imperfectas, quæ abditam habent tantum ſine manifeſtis partibus, vel manifeſta, ſiue abdita, ceu radice. Sic enim ratione functionum animalia perfecta pronunciamus, in quibus ſenſus, & progreſſiui motus iuncta conſpicimus euidentia. Imperfecta verò, in quibus horum veſtigia tantùm obſeruamus, ac tenues umbras. Imperfectiorum Plantarum primum genus eſse conſtituunt, quæ partibus manifeſtis carét, toto corpore ſub terra deliteſcente, ut tubera, boleti Ceruini, elenum foſſile, de quo Plin. immò duplex in Belgio ligni foſſilis genus dari aſserunt quercui, & abieti ſimile; tum quod in Vmbria Prouincia Italiæ effoditur, terra lignum, ut aiunt, Cedro Mauritanico ſimile, de quo ſingulari libello ſcribit Franciſcus Stellatus. Hoc genus ſimilitudinem cum animalibus intra terram degentibus habere videtur, qualia ſunt aſcarides, vermes, ſimileſque profundè terræ ſeſe inſinuantes, ranæque rubræ, quæ in Toloſanis, & Germaniæ metallis intra ſaxum arenaceum rubrum deprehenduntur, Dactyli vocati; Cochleæ item, & conchæ intra ſaxa, vel marmora cōcluſæ, quas calabris in montibus frequenter reperiri teſtatur Alexander ab Alexandro dierum Genialium lib. 5. eoſdem in Ægypti pariter metallis deprehendi teſtatur in Iſide Plutarchus, quamuis parum indè firmum argumentum ducat, Aegyptum olim mare fuiſse; ut & Paulus Oroſius, dum tempore Nohe effuſi per orbem diluvij ſignum accipit. quin piſces etiam foſſiles, immobiles intra terram hærentes reperiri libr. de Reſpiratione prodit Ariſt. Theophraſtus quoque, auctore Plinio, lib. περὶ ἰχθύων in Paphlagonia ex altis terræ ſcrobibus piſces effodi ſcribit, cibo gratiſsimos; quod ex Polybio confirmat Athenæus Gymnoſophiſtarum lib. 8. Alterum imperfectarum ſtirpium genus eſt, quod abditam partem, ſiue radicem aut verè nullam habent, aut eamdem obſcuriſsimam; huius ordinis ſunt Viſcum, Cuſcuta, Epithymum, Hypociſtis, Alga, Muſcus, Spongię, Agaricus, & Fungorum plurimi. Similia his Plantis animalia ſunt, quæ nonniſi alteri innaſcantur, ut chartis tineæ, ligno teredines, frumento curculiones, atque inteſtinis humanis lati rotundique vermes. Sed perfectæ ſtirpes illæ ſunt, quæ præter radicem, vel caulem, habent manifeſtum, vel partem aliam euidentem. Quæ habent caulem, aut eumdem perpetuum non habent, ſed ad tempus tantum, nec hunc lignoſum, niſi cùm exaruerint; atque hæ conſtituunt genus herbarum. Vel obtinent caulem perennem, quæ tria reliqua ſuppeditant plantarum genera: nam caulem, ſiue caudicem

perennem obtinentes, aut ſimplicem poſſideret, vt erunt Arbores; aut multiplicem eumdem habent; iterumque vel craſſiorem, & qui ſtolonum reſectione facilè in arboris naturam tranſeunt, ſuntque fructices; vel caulem conſequtæ perennem, ſed renuem, quique ignem facilè concipere poteſt, atque hæc φρύγανα Theophraſto dicuntur, cremia latinis; quamuis hæc quoque cultu maiora euadant, & fructicis ſibi naturam comparare, immò arboris cuiuſdam patuę formam facilè induere poſſint. Iis ſi differentiam addamus à naturali plantarum magnitudine depromptam, ipſarumq; craſſitie, quamquam communiora hæc ſint accidentia; propriam tamen ſingulorum conditionem magis explicabimus. Sunt autem inter plantas maximæ, & craſſiſſimæ Arbores, mediocres fructices, minores Cremia, minimæ omnium herbæ, quamuis enim etiam inter herbas ſint, quæ ſingulari naturæ priuilegio Cremiorum, immò fructicum proceritatem conſequantur; in communi tamen humile eſt herbarum genus, ampliora cremia, iiſq; denuò magis fructices; ampliſſimæ ſunt Arbores verè plantarum Gigantes. Quibus ita conſtitutis, herbam definiemus plantam magnitudine, & craſſitie cæteris minorem, quæ præter radicem, vel folia tantum habeat, vt Adiantum, & Emionitim, vel caulem, ſed neque lignoſum, neque perennem; Cremium dicemus plantam herba magnitudine, & craſſitie maiorem, caule lignoſo, & perenni, ſed multiplici, & ſarmentoſa, vt roſa. Fructicem appellabimus ſtirpem magnitudine, & craſſitie conſpectiorem caudice, & ipſam perenni, & lignoſo, ſed multiplici, quique ſurculis reſectis, facilè arboris ſpeciem induere poteſt, ut Auellana. Arborem affirmamus plantam altitudine, & craſſitie præ cæteris omnibus maximam, caudice lignoſo perenni, ſed ſimplici, vt Abies, vel Pinus. attamen vt prudentiſſimè admonet Coſtæus, quemadmodum in animantibus, aliiſque rebus ſublunaribus, dum ab vno genere ad aliud tranſit natura, quædam producit ancipitis, ſiue ambiguæ conditionis; ita hic exiſtimandum eſt. Quis enim haud obſeruauit vitem, faſeolos, reptileſque conuoluulorum ſpecies ſi reperiát, quod capreolis ſuis implicent, etiam arbores altitudine ſuperare contendere? Sabina cremium eſt, & tamen ſine artis opera magnos quandoque fructices altitudine, & habitu adæquat. Inter ipſas herbas nonne arboreſcens Malaca, & Elenium, tum etiam Indicum illud, ſiue Chryſantemon à flore, ſiue heliotropium à motu vocemus: & ex iiſdem locis amaranthi, fruticum altitudinem referunt. Atque ſic de ſummis plantarum generibus dictum ſit. Iam conuertemus ſtylum ad earum affectiones, quæ duplicis differentiæ communiter cenſentur; nam aut à forma plantarum fluunt, aut materiæ, ſeu temperamenti harmoniam ſequuntur. Quæ à formis ſunt vel communes habentur plantis omnibus, ut ortus, nutritio, incrementum, duratio, propagatio: particulares ſunt, propter quas amicè, vel inimicè purgantia, Alexipharmaca, venenata, dicuntur. Et cur externas etiam formas, figuras vocatas neglectui damus? quæ quemadmodum illæ mente, ita hæ nobis viſu percipiuntur; quæ licet qualitates ſint, inſeparabiles tamen à re ipſa ſunt; ob id haſce differentias etiam adducemus. A temperamenti harmonia colores obtinent, odores, facileſque vulgo qualitates dictas, cum primas, tum ſecundas. Ordiemur ab affectionibus, à forma

vim

vim agnoſcentibus, iiſque communibus; cauſas primò inueſtigaturi, cur ſponte quædam, & abſque manifeſto ſemine oriantur.

CAPVT XIII.

Nunquid plantarum ortus è ſemine, à ſpontaneo varietatem includat, perpenditur: Theophraſti ſententia explicatur, modi diuerſitas in utroque conſideratur, quorumdam ſententiæ expenduntur.

ÆTerna lex eſt principio dicta rebus hiſce ſublunaribus naſci, denaſci, oriri, oboriri, nec quidquam firmum, aut ſtabile arbiter ille rerum eſſe voluit, præter ſeipſum. Particulas enim (cum Epicteto dixerim) vniuerſi, vt hora diei, igitur hæc omnia venire, vt illam oportet, & præterire. Communis hæc & naſcendi, & danaſcendi ſors plantis pariter contingit, quas nunc ſubducere mortalium oculis natura, nunc reducere videtur. Ortus autem harum alius ex ſemine, quo propoſitum eſt modo; alius ſpontaneus, abſque præexiſtente ſeminali principio, iſque duplex Theophraſto lib. de Cauſ. Plant. cap. 5. Improprius, & apparens cùm ortus è ſemine quidem eſt, ſed ob ſummam exilitatem obſcuro, vel occulto, qualem de thymo, & arboribus quibuſdam prodit, quod pluvijs etiam fluminibus, & alluvionibus aliorſum delato ſemine, aut ventorum vi emergere ex eodem poſse aſſerit: alius, qui abſque ſemine, cuius varias affert cauſas συῤῥοὴν ſeu confluxum, putrefationem, imbres altius terram ſubeuntes, & calorem Cœleſtem, aeris item, & terræ, ſiue loci proprietatem. Per confluxum (inquit Coſtæus) intelligere concurſum materiæ certæ, atque aptæ ad excipiendam ſtirpium formam, quemadmodum cadauer Vituli materiam exhibet idoneam ad formam apum, ad quam aptum non eſt cadauer Leoninum. idem, Theophraſtum alibi, inquit, intelligere concurſum quatuor elementorum, adeoque terræ, & aquæ putreſcentium permixtionem. Iure autem ſtirpibus hæc quatuor fide ſenſuum conſtare; nam terram oſtendit earum arefactio; humiditatem aqueam ſuccus, quo abundant: aerem earum combuſtio; ignem vita, incrementum, & inflammatio: immò facilius veriuſque exiſtimauerim ego, etiam per confluxum hic intelligi poſſe halitum ex imis terræ partibus euaporantem, non ſimplicem, ſed quatuor elementorum ſubſtantijs imbutum. Alterum, quod Theophraſtus cum Diogene affert, eſt putredo; per hanc fit ad prioris formæ abolitionem tranſitus, qui in omni generatione neceſſarius; ita etiam Ariſt. 3. Metheo. metalla generari ſcribit; ſubiungit autem huic mutationem naturalem, tamquam innuat, cùm calorem alienum, à quo aboletur diſpoſitio materiæ ad formam præſentem; tum calorem naturalem, cuius actio tendit ad materiæ diſpoſitionem pro acquiſitione formæ nouæ. His addit imbres, quia poſt craſſum, ac piceum imbrem in Cyrene inſula ſyluam ſurrexiſſe obſeruatum, numquam ante viſam; & in Africa Laſerpitium creuiſſe, plantam ijs locis nouam. Quòd autem imbrem altius terram ſubire ſcribat; id in generatione nec perpetuum, cùm in ſuperficie terræ lichen, muſcus, imò Ranæ ex irrorato puluere naſci videantur. Nec utile, cùm à calore Cœle-

ſti

ſi non affici queat materia, vel humor profundius abſortus; ſed hic Theophraſtus, illud innuere voluit, quod eſt frequentius: ſtirpium videlicet, circa terræ ſuperficiem generationem; nam affici materiam vult à ſole calefaciente, & exſiccante; in bribus enim calorem adiungit cœleſtem, cuius beneficio quemadmodum inſitus ſeminibus calor ſeruatur, excitaturque; ſic in ſponte naſcentibus materia ſecernitur, præparatur, forma ipſa inducitur. Supponit ergo tamquam duo vitæ principia calorem, & humorem terrea ſiccitate ſatiatum, vtcumque tum inſitum, tum influentem. Addit proprietatem aeris, quoniam ad huius mutationes in ſubſtantia, & qualitatibus rerum ſubditarum varias generationes, corruptioneſque conſequi notiſſimum eſt. Immò videtur aeris cum rebus genitis inexplicabilis quædam conuenientia: vndè factum, quod neque fructifera arbor ex Arabia, neque ex Indijs cinnamomi planta cum terra ſua in Italiam aduectæ proficere potuerint. Huc accedit proprietas terræ, & ipſa in rerum generatione, & mutatione mirabilis, ex qua deducitur quòd lentiſcus quamuis alibi quoque proueniat, non tamen niſi in Chio Inſula probatam ferat maſtichē. Irides nuſquam, quam in Illirico ſuauiores; in Creta inſula vix admota terra emergunt cupreſſi. Hi ſunt illi terrarum habitus, ob quos, vt in Georgicis teſtatur Poeta.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ,
Arbores fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina &c.

Vt ex ijs omnibus colligere liceat, cauſas eorum, quæ αὐτομάτως proueniunt ex Theophraſto, aliàs per accidens eſſe, vt putrefactio tendens ad priuationem, aliàs verò per ſe: Et materiam quidem eſſe terram humori, aut humidum terræ mixtum, vel exhalatio vtriuſque elementi particeps. Et efficientium aliam communem ſolis, ſyderumque calorem, aliam priuatam (calorem inſitum) cui accedit aeris, & ſolis conſtitutio ſingularis. Vt differentia inter ea, quæ ſponte, quæque ex ſemine ſuo proueniunt ſit, & in materia, & in efficiente. Materia ſponte naſcentibus plantis terra eſt, & aqua, aere, & calore variè affecta. Efficiens in ſponte genitis proxima ſolis, atque Aſtrorum calor, in alijs ex ſemine, animam ipſam. Modum autem productionis talem deſignant; à calore Cœleſti materiam, vaporem vè putrem alterari, parteſque ad generationem aptas ab inutilibus ſeparari; coctione tamen ita diſponi, ut formam induat, quam à calore largitore ſuſcipit. Hæc Interpretum Theophraſti ſententia eſt, qui, vt annuit Coſtæus, vel inuitum Theophraſtum eo pertrahere conantur, ut omnes ſtirpes αὐτομάτως naſci concedat: nam cùm imperfectiora tantum, ut paluſtrem lenticulam; non Pinum; quemadmodum imperfectiora animalia, cimices, puliceſque, ſic gigni tantum poſſe concedat. Obijciunt Adianton, Phyllitidem paſſim naſci perfectioribus plantis, nec corporum confirmatione, nec temperamenti, & virium dote cedentia; immò ipſo profitente Theophraſto Laſerpitium nobilem Alexipharmaca virtute plantam ſponte poſt imbres natam: nec valere à plantis ad animantia deductam comparationem, tamquam inter diſſimilia; immò ſi inſerta, quamtumuis abiectiſſima, ſponte proueniunt; multo magis totum plantarum genus, tamquam igno-

bilius

bilius animali, ſponte producetur: ſic etiam ignobiliora, videlicet metalla, aurum, argentum, æs, & alia ſimilia, quæ ſecundum Hermeticos à Cælo deriuantur. Sed hæc animis veritatis auidis minimè ſatisfaciunt, quibus potius ſuadet ſententia nullam abſque manifeſto ſemine produci plantam, quæ non aut ſemen ipſum δυσόρατον agnoſcat, aut ſeminale quoddam principium; nam cum Helſine, quæ à pariete creſcit, alteri, quæ è ſemine producitur penitùs eiuſdem ſpeciei ſit; neceſſarium eſt principia eſſentiam eius coſtitnentia eadem exiſtere; conueniunt in materia partium tum ſimplicium, tum compoſitarum: ergo ex eadem proximè materia conſtitutæ, ergo ſunt materiatæ. Conueniunt partium omnium etiam in fibrarum ductibus conformatione, & idea tota; igitur ab eiuſdem operis, ac ſtructuræ perita natura productæ. Denique conueniunt ex temperamentorum harmonia, & etiam agendi viribus: ergo cauſas agnoſcunt eaſdem: Concurſum enim Elementorum quodcumque non animati, ſed temperamento quidem prædicti corporis generatio conſequitur. Κρᾶσις, non Ψυχῆς; putredo quoque temperamenti mutatione, atque inſiti caloris intenſione, aut prouocatione quemadmodum per ſe cauſa non eſt, vt forma pereat; ita nec per ſe cauſa eſt, vt forma fiat. Iam candentes ſpiſſius imbres non ſunt ex ſe formarum productores, ſed vel ſecum deferentes ſeminalia principia, vel in atomis integrè deliteſcentia, vel diſpoſita ad germinationem terram nutrimento conueniente imbuendo, plantas antè non conſpicuas proferre videbuntur. Nam calor cum accidens ſit, & quamtumuis Cœleſtis, ſpecie tamen ab Elementari non diſſideat, nunquam ex ſe produxerit ſubſtantiam, & eam ſua forma nobiliorem. Aeris proprietates nullas huc ſpectantes rationes, dum firmior inuenit: cùm Elementarium qualitatum cõmune quoddam ſubiectum videatur: Nec mirum adeò ſi hiſce pro locorum interuallis multum differentibus, nec Thuris, nec Cinnamomi Plantæ in Italo ſolo proficere potuerint. Terrarum proprietates haud negandæ, ſed hactenus vt caloris inſiti vel conſeruationi, vel augmento vacet, naturam ipſam aut vim vegetabilem haud producat.

CAPVT XIV.

Quæ intercedat differentia inter ſpontè naſcentibus plantas, & quæ ex ſemine, vel quaſi, fuſius explicatur. aliquot virorum clariſsimorum opiniones circa hæc examinantur, exploduntur.

PLantarum quaſdam nullis cogentibus viribus ſponte ſua venire, aliàs non niſi producta ſemine vel ſeminali principio natas, inter veteres Philoſophos decretum quanti habendum ſit, præmiſſa diſſerratione declarauimus, oſtendimuſque nullum vegetabile ſpontè naſci ſed κατὰ δόξαν, & ſenſu noſtro, quibus, ut cum Theophraſto loquar, σπερμάτων φύσεις δυσόρατοι vix perceptibilia, interdum ob exiguitatem, aut in atomis deliteſcentia planè incognita eſſe poſſunt. huc autem inclinaſſe Theophraſtum facilè colligitur concluſione ſermonis; nam poſt allatas ſpontanei prouentus cauſas, & obſcuritatem rerum, δεῖ, inquit, ἀκριβέστερον ἐπὶ αὐτοῦ σκέψασθαι καὶ ἀνασκοπεῖσθαι,

nam

nam quod obijciunt ipſi natam in Cyrene ſyluam, & in Africa ſylphium, ſeu Laſerpitium ſponte prodijſſe ſtatuere, hoc vero conſonum non eſt, quia cùm hæc ex aliorum, non propria obſeruatione retuliſſet; non diffitetur, aquarum illuvie, aut per aerem ex Anaxagoræ ſententia, ſemina illuc deferri potuiſse. De animalium ſpontaneo ortu, quod obijciunt Theophraſto, falſum omninò ſuppoſitum exiſtimandum eſt: Quemadmodum enim, ut ſupra probatum, nec per ſimplicem Elementorum concurſum, nec per putredinem, nec per pluviarum deſcenſum, nec per ſimplicem caloris ſine Cæleſtis, ſiue Elementaris alterationem inductam, non differenti tamen natura; non item aeris, terrarumque proprietatis vegetabilem naturam producere poſsunt, quia hæ cauſæ excitantes tantum ſunt, ita multo minus id, quod nobilius eſt, ideſt quæ animantis naturam conſtituunt. Iam; ut ordine quodam examinemus in particulari ea, quæ ſponte naſci videntur; conſtituendum eſt horum quædam ex perfectis ſeminibus, principijſque ſeminalibus, quamuis nobis non manifeſtis, produci, quædam verò ex plantis, earumque partibus, ſiue corruptis, ſiue integris vegetabili natura præditis. Ex ſeminali principio naſcuntur plantæ in terra è profundis ſcrobibus effoſsa calore cæleſti indita terræ partibus vegetabili forma, quæ ſic ad actum è potentia prolicitur. In aquis quæ producuntur, aut re vera ſub ijs radices multiplicant, aut producta ſemina in eaſdem abijciũt, aut ſi horum nihil eſt, à putreſcentibus in aquis plantarum partibus, ſuccovè illarum effuſo, in quo ſeminale principium ſuperſtes ſit, oriuntur. Ab imbribus exorta ſylua Cyrenaica, & Laſerpitium ab affuſis potius terræ diſpoſitæ ſeminalibus naturis prodijt. Quæ è niue oriri videntur plantæ per ſeminalem vim niui per exhalationes communicatam potius agnoſcũt quam vel à cæleſti calore, vel potius à calido terræ vapore excitari ad actus ſuos potuiſse credendum. In ſcopulis nudiſque ſaxis muſcum, coralia, Androſacem, ſimileſque naſci videmus; immo inter laterum coagmentationem, & altiſſimis turribus ficum, hederamque emergere obſeruamus. De Coralio nota res eſt, non aliunde, quàm ex ſeminali ſucco in aqua maris, aut circa mare producto, varijſque ibidem e orporibus affuſo originem ducere. In altiſſimis turribus, quæ naſcuntur, aut ventis, & imbrium appulſu, aut excrementis auium, aut in ipſa calcis, & arenæ mixtura ſeminũ vim conſequi poſsunt. Ita pariter cogitandum de ſtatua ærea, cui plantã innatam fuiſse ſcribit Plin. lib. 7. cap. 25. & cùm è profundis lapidum nimis emergere plantæ videbuntur, cogitandum eo ventis, & imbribus ſpargi ſeminalem materiam, deferrique poſse. Ex Plantis ipſis, quæ ſponte videbuntur prodire plantæ, vel perfectiores ſunt, ut ex ſalice Chelidoniũ maius, ſolanum ſcandens, ſambucus, ſimileſque, quæ ſic naſcuntur; vel imperfectiores, ut viſcum, galla, fungi. De perfectis ſi ſermo ſit, non difficulter contingit, ut ſemina plantarum in rimas, aut vulnera arborum tenerioris habitus incidentia, locum, calorem, & nutrimentum nacta perficiant ſuas plantas. Nec magis id mirum, quàm quod inſitione diuerſarum ſpecierum ſurculis alienis arboribus plantæ ipſæ innaſcantur. Ad imperfectiora, & viſcum quod attinet, quod frequentius in Quercu, nonnumquam in Betula, & malo naſcitur perpetuis frondibus; id ſanè ex turdorũ

excre-

excrementis oriri vulgo creditum, qui cum baccis viſci cùm ſuis acinis veſcantur, eiectis in arbore cum excremento dictis acinis, ſeu ſeminibus viſci refertis, denuo huic Plantæ originem præbeant. Quæ ſententia à Scaligero Exercit. 168. haud immeritò reiecta fuit: Nam accinos in baccis viſci minimè fœcundos, necnon in ventriculis, aut inteſtinis horum animalium repertis, obſeruauit ijs arborum adhærere locis, quibus affigere ſe excrementa non poſſunt, adeoque nonniſi in determinatis arboribus exoriri ex ſucco ipſarum ſuperfluo, quem natura tamquam inutilem quantitate,& forſan qualitate non ſatis gratum certis locis ad ſuperficiem propellat; qui cum ſeminali principio, naturaque vegetabili ſit imbutus, nec alimento, nec calore deficiente, in viſcum efformatur; è ſimili materia in humano corpore tumores illi tunicati naſcuntur, quorum contentam pinguedinem, carnem, vngues, & oſſa accuratè æmulantur, venas etiam ad eos nutriendos natura exporrigente:ſic in glandiferis arboribus gallæ,in ilice Coccus, in iuglande Cacris, in vlmo Folliculi originem ducunt. De fungis Sennerti Clariſſimi Viri ſententia eſt, non aliundè, quam ex putreſcentibus ſtirpium lignis, corticibus, ſarmentis ſub terra: vel ex arborum, fruticumque excrementis, aut ſaltem inutili quodam, & vitioſo ipſarum alimento, in quibus reſidens, aut ſubordinata informanti formæ vegetabilis anima, aut deſtituta per corruptionem organis ſuis, formam aliam cùm alimentum iterum,& calorem nacta eſt, efformat rudia illa Plantarum corpora, ad quam materia diſpoſitionem habet. Ita fungorum, qui copiam volet, lignorum vetuſtorum ſegmenta, populi item, ficuumque frondes terra defodiat: populum albam ad radicem vſque diſſectam, ſi quis calida perfundat, in qua fermentum diſſolutum ſit, intra quatriduum fungos præbitura copioſos, & cibo gratos obſeruauit Mathiol. ad Dioſcorid. lib. 1. Atque hæc ſententia cùm, & experimentis, & rationi ſatis conſentanea ſit, cauſam tamen communem haud complexa videtur, cùm ad ea nec referri odoris foſſilis fungus, quem boletum Ceruinum appellant, nec fungi alij, qui ex lapidibus naſcuntur referri queant. Boletum enim Ceruinum, prout ad Iulium Moderatum ſcribit Mathiol. non ex plantarum partibus, ſed ex ſemine Cerui à coitu in terram reiecto naſci, venationi deditis hominibus expertum eſt. Lapides in Regno Neapolitano obuios fungos producere notum iam eſt pleriſque Italię locis,ſi in cellis tepidis repoſiti,aut vini guttulis irrorentur, aut terra leuiter operti aqua tepida aſpergantur. Sed de Ceruino boleto iam ſublata difficultas eſt, nam cùm hi in locis etiam reperiantur, quibus cerui non paſcuntur; nihil obſtat quominus communem reliquis fungis exortum ſortiantur. De fungifero lapide dubitat Sennertus verè lapis ſit? an potius lignea materies, quæ lapideſcente ſucco perfuſa tophaceam duritiem acquiſierit, quia dicti lapides, cùm eruuntur non ita duri apparent, quin ad contactum digitorum cedant. Veruntamen vtcumque lapides fungiferi verè tales ſint; non obſtare quidquam video, quo minus in ſpongioſis lapidis poris ſuccus delireſcere poſſit vegetabili quodam principio præditus, quod externo tum calore, tum alimentis excitatum rudem efformet plantæ contextum; cùm intra duriſſima marmora, terraſque profundas cochleas, Conchas, immò piſces naſci, & per-

fici indubitatâ iam experientia confirmet; lignaque ſubterranea ſuadeant. Plantas etiam ex animantibus produci poſſe probabile videtur Clariſſimo Liceto, quia ſi è lapidibus dictis produeuntur, ergo facilius è corporibus animantium proſilire poterunt. Cadauera animantium, & ſtercora producunt animantia, quanto promptius plantas? Si à cornu cerui teſte Ariſt. Theophraſ. Plinio hedera nata eſt; Ex cornu arietino defoſſo aſparagos naſci proditum, ex fimo animantium tot plantæ pullulant, & frequentius è porcino fimo iuncus; ſpinaque infixa pectori iuvenis Hiſpani germen dedit, ut ex Liceto habui. Sed hæc ut abſolutè negari non poſſunt, ita rariſſimi res exempli habenda ob diſſimilitudinem alimenti, & temperamenti. Hederam in cornu Cerui natam, alimento inibi hederaceo exiſtente voluit Licetus. Probabilius Scaliger. ex radicum, aut ligni fruſtulo ad cornuum exortus defixo, ibique ob loci, & alimenti conuenientem modum radicato, & alito. ſic de ſpina Hiſpani cenſendum. In excrementis animalium nil mirum ex alimento reſidua eſſe ſeminalia principia; porcique, ut notum eſt, auidi us iunco veſcuntur. Sed de aſparagis è cornu Arietum dubitat Sennertus, & optimo iure, cùm id referri poſſit in aliam, & conuenientiorem cauſam. An verò in metallis id obſeruari liceat, negat Sennertus; Marmora Arabica tamen picturas habent, imò in Calcario lapide per latum ſciſſo obſeruaui ego ſæpius delineata foliorum minutorum, & Caulis rudimenta, ſucco tamen potius aliquo id delineante.

CAPVT XV.

Confirmantur ea, quæ præcedenti capite allata ſunt, & quomodo hæc fiant clarius explicatur. Conſtituitur differentia inter ea, quæ ſponte naſcuntur, & quæ ex proprio, & euidenti prodeunt ſemine.

PLantas quotquot fœcundo ſinu terra promit, & condit, vel ſemine oriri, vel corpore ſemini analogo iam notum ex dictis: quæ ſemine, vel manifeſtum illud obtinent; vel obſcurum; idque vel ob ſingularem exilitatem, vel quia nondum à gremio terræ, veluti utero genitricis ſeparatum. Analogo ſemini corpore oriuntur quotquot à ſtolonibus, ſiue ſurculis propagantur, aut radicibus multiplicatis, immò folijs ipſis. Vt hoc efficiant requirunt alimentalis materiæ portionem uberiorem, & eam lentore quodam, ſeu ſpiſſitudine præditam, & ſpirituum, caloriſquè vim ſufficientem, qua complectantur, nec ab externis citò reſolui, aut corrumpi queat; deinde habitudinem vel partium omnium, vel certè determinatarum in duritie, & laxitate, raritate, & leuitate mediocrem; vt ſeminalis ſuccus commeare ad externa, ibidemque facilius à calore, utcumque cæleſti affici poſſit. Idem in animalium corporibus requiri, atque in homine, colligimus ex Hippocr. 5. Aphor. ἀραιότητα σώματος, & denſitatem inter argumenta recenſet inſœcunditatis; hinc eſt, quod ubicumque à vulneribus denſior cortex in cicatricem coaluit, germina non prodeunt. Accedere inſuper oportet animæ vires, huiuſque inſtrumenta; calor internus temperatus, adeoque attenuans, aperiens, laxans; tum externus, cæleſtis dictus, blandus,

blandus, interni illius conſeruator, excitator. His omnibus conſpirantibus cauſis ſobolis, ſiue ſtolonum productio debetur. Producunt autem plantarum aliæ ſobolem in caudice circa radicem, aliæ in radice; quædam omnibus caudicis partibus; nonnullæ radices parti principi, quæ adnatum fœtulum educant. Nam circa radicum, & caudicis, ſiue caulis intermediũ poſita matricis pars præſtantior ſtat, quàm ſuperius ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος, Theophr. rectius, quem Dioſcor. lib. 1. ἐγκάρδιον appellari dixit; ea igitur cum obtineant, & calorem magis vegetum habent, & ſuccum exquiſitius elaboratum, & habitudinem partis ad externi caloris cœleſtis dicti vim circa terram intenſioris ſuſcipiendam optimè compararam. Quapropter mirum non eſt circa hanc ipſam in maiore plantarum ſerie ſurculos propagineſque produci. Quæ verò latius radicibus, & omni caudicis, ramorumque tribu ſobolem fœcundam promittunt plantæ; partem medulloſam non adeò exactè deſcriptam certo loco obtinenr, & ſuccum vegetabilem quaquauerſum diffuſum; quamuis hoc pauciorum proprium ſit: quæ verò caulium tractu varijs locis terram contingentes agunt radices, ut gramina quædam, Verbena, Nodiflora, Ranunculi repentes, & hedera præcipuè, hæ præter allegaras cauſas, ſingularem obtinent corpòris raritatem; ob quam terræ amplexu, & calore vel leuiter alteratæ radiculas in eius ſinum demittunt. Exemplum pleniſſimum ſit in hedera, ex qua parata vaſcula ob raritatem ſubſtantiæ, vinum prius, deinde & aquam traſmittunt. Quæ radicum parte nobiliore ſobolem propagant, habẽt in ijſdem naturæ vim, calorem ſeminalem, denſumque ſuccum, & habitum craſſitudine commodum. Quæ bulbaceo præditæ ventre radices prædictis cauſis addunt tunicarum multitudinem ad fœtus conſeruationem idoneam, quæ omnia in Rapo ſimilibuſque non habentur. Quæ per folia ſeſe propagant, ut Opuntia, habent in ijſdem, & ſucci ſpiſſioris abundantiam, & naturæ, caloriſque, cùm naturæ viribus ars ſubnixa propagandarum ſtirpium numerum feliciter auget, idque vel propaginum, radicumve ſeparatione, vel depreſſis in terra ramis, vel folijs terræ mandatis. Stolones propagineſve in terram depangendæ, vel cum radicum à materni corporis particula ſeparantur, cùm debilior vis eſt; vel abſque ea, ut in ſalice, vel ficu, cùm abundè fœcunda planta, & habitus ſurculi mediocris. Contingit tamen, ut in quibuſdam tam craſſiores, quàm tenellæ ſoboles tranſpoſitionem admittant, idque habitudinis rationem aptam, vel ineptam. Quæ itaque ſicco ſunt caudicis corpore, ſucci ſeminei pauci, calore acriore præditæ, ut laurus, quæ per ſurculos fit, propagationem abnuunt. Radicibus, ac bulbis multiplicati fœtus ſi diſtrahantur, rectius proficiunt, quia ſeparatè vim & ſoli, & ſolis melius percipiunt, atque impedimentis inuolucrorum inutilium, ſi quæ dantur, aptius liberari poſſunt. In terram depreſſæ propagines ad æmulationem naturæ in hedera, & verbena Nodiflora ſimiles cum ijs, ob cauſas proficiunt, nimirum corporis laxitatem, humoris copioſi in eam partem, quæ terra operitur affluxum, natiui caloris robur materiam exquiſitè digerentis. Quæ folio unico propagantur, ſubſtantiæ quidem ſunt, & caloris mediocris, & ſucci abundantia lenti, atque hæc cùm Aloe non deſint, tamen per foliorum propagationem abnuit: conſtat præter

communes cauſas à priuata opuntiæ forma priuilegium hoc dependere; Iam an planta in aliam mutari plantam, & ex alieno ſemine produci ſtirpes queant, præter veterum obſeruationem, in ſiſymbrio, & mentha, ocimo, & ſerpillo, tritico, & zea, vel lolio; perſuadere quoque poteſt illud, quod inter animalia ex erucis quotidie papilionem naſci videamus, & bombycem: At ſpeciei mutationem in his non admittit facilè ratio. Nam ſpecierum ordinariam corruptionem etiam generis abolitio conſequitur. Equo enim corrupto, animalis quoque huic tributa ratio deletur. Repugnat hoc mundi perfectioni, vt & alibi clarius, & fuſius dabitur forſan nobis occaſio differendi, ſed nihil ſuper, & præter agendi potentiam propriam aſſurgit; Quomodo ergo anima artifex vniformis producat aliquid à ſe, & in ratione formali ſpecie diuerſum, non videtur manifeſtum. 2. de Hiſtor. Plant. c. 5. Adeoque Theophr. ſiſymbrij in mentham, populi albæ in nigram commutationem non ſubſtantialem, ſed accidentalem potius conſtituit: ſolent enim multa cultu neglecto degenerare id quod ἀγεωργησίαν appellat, & viciſſim adhibito cultu meliora fieri. Non eſſe autem ſpeciei mutationem colligitur, quòd non tam circa radicem, quàm colorem, odorem, ſaporem, foliorum magnitudinem, leuitatem, aſperitatem oriatur diuerſitas: quod cælo, & alimento naturæ ipſarum conuenienti redditis, per cauſas contrarias mutatæ plantæ priſtinam rurſus faciem induant: zeamque denuo in triticum, & auenam nigram in albam reuerti. Nec obſtare huic ſententiæ videtur erucæ in papilionem mutatio, cum terminus illius ſeminis, à quo fit eruca, non ſit eruca, ſed papilio: Atque hæc concedi poſſunt de ijs, in quibus leuiores diuerſitatum notæ. At cum vnius plantæ ſemen re vera ſtirpem diuerſam producit, vt cum braſſica communis in rapam, petroſelini ſemen in ſcorodoſim vertitur; alia ineunda videtur ratio. Coſtæus vir ſummus voluiſſe videtur, aut ſemina nondum actu ſtirpis formam poſſediſſe, adeo inducta per cauſas externas diuerſa forma, ad quam tamen diſpoſitionem obtinet; diuerſum quid etiam ſpecie producere, vel ſaltem conditionis ambiguæ: tale quid in generatione & Aſini, & equæ ſemina: tritici item, & lolij contingere, aut fieri cum ſubſtantiæ ſeminis corruptione. Io. Galego de La Sorna cauſam, aut in debilitatem refert formæ, aut vitium aliquod materiæ, vel in corruptionem formæ ipſius. hæ ſententiæ, quia formarum productionem cauſis vniuerſalibus tribuant, formarum iter ſubſtantialium corruptiones inferunt, tamquam accidentia producerent Pag. 337. ſubſtantias, & formæ eſſent compoſitæ, & materiales, reijciuntur. Licetus lib. 4. de Spontaneo viuentium ortu, cauſam non in ſubiecti mutationem refert, aut formæ ipſius, ob actionem contrarij ſui in ſe. Sennertus Hy pom. fol. 340. verò, cui forma vituli in formam apum meritò diſplicet, cenſet potius formis quibuſdam hoc inſitum eſſe natura; vt materia non ex ordinariæ materiæ perfectionis modo diſpoſita ſit, efforme tamen corpus, prout materiæ diſpoſitio permittit; exempli gratia pro tritico lolium, & ſic de alijs ſic mutatis: vel totum opus ſubordinatæ potius cuidam formæ tribuendum eſſe; quæ recedente ob mutationem ſubiecti forma informante priore; aggrediatur dominium; & efformationem corporis, ad quod inclinationem habet. Quod tamen inter abſtruſiſſima naturæ arcana relinquendum, quæ

noſtris

noſtris hebetioribus oculis introſpicere datum non eſt, & ſubinde quid-quam certi affirmare: an verò Calcodeam Auicen. iam reiectam reaſſumãr, conſideret Lector; ſed forſan Ariſt. ſententiæ magis fauendum πάντα τρόπον τινὰ πλήρη ψυχῆς, diſperſum per vniuerſum quaſi ſeminium rerum eſſe, quo mutationes tales emanare valeant, hac tamen lege experimento ſenſato vallata, ut poſterior forma priore ſemper ignobilior obſeruetur: ſed modò conſideremus quæ ab arte mutatio prouenire in plantis queat per inſitionem.

DE INSITIONE CAP. XVI.

Inſitionis modus inſtruitur, & varietas; conditiones neceſſariæ ad opus requiſitæ examinantur.

INter artificioſas plantarum propagationes conſideratione dignior eſt, quæ earum inſitione perficitur, de qua Theophr. 1. de Cauſis Plant. 6. nam maior in ea tùm naturæ vis, & clarior artis induſtria eluceſcit: & cui quæſo, non admirandum videbitur è quercu roſam prodire? Ex olea vitẽ? è braſſicæ caule perſicum? atque (ut cum Marone loquar)

Quod ſteriles platani malos geſſere valentes,
Caſtaneæ fagos, ornuſque incanuit albo
Flore piri, glandem ſues fregere ſub Vlmo.

Imò cum eodem obſeruet, quod

Exeat ad cælum ramis felicibus arbos,
Miraturque nouas frondes, & non ſua poma.

Eſt autem inſitio ſurculi, vel particulæ externæ nodoſæ è fœcunda planta deprompti in vegetam alterius medullam inſertio, ad fructus non tam varietatem, quam amplitudinem, bonitatemque maiorem facta, partium diuiſione inſtituta. Ea fit vel inter ea, quæ ſunt eiuſdem, aut generis, aut ſpeciei; vel diuerſi generis; ut ſi iuglandi vitis, quercui roſa, braſſicæ cauli perſicus inſeratur: vel diuerſæ ſpeciei, vt ſi oleæ vitis, roſæ iaſminum committatur. Expendemus hæc breuiter primò in matre, filioque adoptando conditiones, tum opus ipſum, & euentus in eo cauſas. In matre, quæ ſobolem alienam ſuſcipere debet, requiritur, vt ſucco alibili, ſufficienti, probo, & nonnihil lento perfuſa ſit: ita Theophr. ἡ γλισχρότης αὐτὴ λεπτική, quod in eo ſpiritus, calorque tum nutritionis, & agglutinationis opus rectius commoueatur: an oleoſus requiratur, non de abundanti habendus, & caloris nimis remiſſi, licet Coſtæus libr. 2. cap. 26. Oleoſas etiam facilius glutinari, & coaleſcere dicat; Corticem habeat pro inoculatione, vel emplaſtroſis mollem, & nitidum; materiam pro teneriori ſurculo non nimis rigidam, & ſiccam. In ſobole adoptanda ſpectatur, vt à planta depromatur, quæ iam edito fructu ſeſe fœcundam profeſſa eſt, partem quæ ſolem reſpicit Orientalem, ob viuacitatem ibi ramorum, & nutrimenti bonitatem maiorem: parte non ſumma, ſed quæ radici propior, ob matricem ibi nobiliorem, & efficaciorem: Quippe quæ ἐγκάρπιον conſtituat. hinc illud à Marone muſa monitum.

Neue

Neue flagella
Summa pete, aut ſumma defringe ex arbore plantas;
Tantus amor terræ.

In vite tamen ſummi ramuli, magiſque ſucci pleni; In olea verò ſurculi medij, quorum omninò habenda ratio. Soboles ipſa tota integra non vlceroſa ſit, aut alicubi exuſta, non iuſto humidior, vel aridior; quorum vnum, ſi adeſt, corrigimus, ſi per decem, aut amplius dies arundini incluſam ſeruemus ab aere: alterum præcauemus ſi cumpaſta cretacea circumdemus, vel cera incruſtemus; malo, aut rapo infigamus; in melle reponamus, vel conſimili liquore. Sit præterea prægnantibus gemmis turgidula, nec ætate immatura, corporiſque tenellum nimis habitum gerat, neque vetuſtiorem, ſqualidioremve exhibeat. Seneſcentibus enim, vt notum eſt, confracta oſſa non facilè vniuntur. In vtraque ſimilitudo quædam exigitur, generis primò; ob id Theophr. ad id alluſit, dum lib. 1. de cauſ. plant. 6. ἰσχυρὸς φύσις ἐπὶ τὸ ὅμοιον τοῦ ὁμοίου dixit. Hæc præſertim in ea, quæ per terebram perficitur inſitione haud ita neceſſaria iudicatur à Columella, quippe per quam omnia in omnibus coaleſcant, quia facilius iungitur cum ſalice perſicus, aut cum armeniaca idem perſicus: vel ſecundò etiam ſpeciei eiuſdem, ut cum pruno prunus. Requiritur inſuper ſimilitudo temperamenti, nam calidiores ſtirpes in frigidioribus, humidiores in ſiccis haud perfectionis ſummum attingunt; non aliam ob cauſam, quàm intemperati vteri ad ſeminis concepti rationem. De qua re Hippocrates 5. Aphor. 3. Succi quoque affinitas ad facilem coaleſcentiam ſine dubio fuerit, corticumque non primis tantùm, ſed & ſecundis qualitatibus conuenientia, præcipuè verò ὁμοπαθῆ morumque conſenſus: hinc pino inſita citrea malus haud prodijt, nam illa frigoris patientiſſima, hæc è contra caloris auidiſſima: quamuis ſubſtantiæ duritie, ſuccique pinguedine cætera conueniant. Exigitur ad germinationem propterea par tempeſtiuitas, ut tandem operam rectius mutuam ſibi præſtent. Opus inſitionis ipſum peragitur, vel ſurculo introducto, vel applicato cortice gemmato, vel intromiſſo ſolido trunco, vel denique iniecto ſemine; quod tamen impropriè inſitio dicendum. Introducitur ſurculus vel non protinus auulſus, proxima ſtirpe ſuſceptrice oblique perforata, vel auulſus; tumque ſuſceptricis amoto cacumine, vel ſcinditur cultro, aut ſecuri quàm exigua, vel ſerra ad medullam vſque obliquè foratur, cui rei ſerra Gallica melior eſt, quæ nihil intus aſperitatis relinquit. Braſſicæ caulis fixus perſici ramum admiſit, edito olim nobis fructu, sed ignobiliore, nec diuturno. quæ per corticem fit nodis gemmeis oblitum abſoluitur, aut applicato cortice integre fiſtulæ ambitu à ramo delibrato, remoto prius pari ſpatio susceptricis cortice, * & gemma tantùm cum corticis particula intra diductum per inſitionem corticem ſuſceptricis recondita; vel remoto tantum huius corticis pari ſpatio, & applicita: horum priorem modum ἐμπλάστρωσιν veteres, poſteriorem ἐνοφθαλμισμὸν nuncuparunt. Per truncum facta inſitio dicitur, cùm è ſuſceptricis plantæ craſſiore ramo, ſummoto prius cacumine, ſerra ad medullam uſque diducitur, diductum ſerrula ſemicirculari forma aufertur; tum verò in ſedem hāc gemmis aliquot fœcunda propago ſimilis exactè craſſitie, & figura demittitur,



a Signū corticis diuiſi pro ſuſcipiēda traduci.
b Cortex inſerendi cum Gemma o.

ſitu. Impropria inſitio illa eſt, immò ſatio potius, ſeminum in rapam coniectio, fitque cum rapæ quo loco radices egit excauato umbilico, vel facto (ſtilo ligneo) per totam eius ſubſtantiam orbe, ut foraminibus ſingulis, ſingula braſſicæ ſemina inijciuntur, quæ terra deſuper leuiter operienda, & cætera perficienda. Non mirum eſt ſemen braſſicæ rapæ inſitum caulorapam ferre, quia vetuſta braſſicæ ſemina per ſe in rapum degenerant: magis mirum, quod ex diuerſarum ſpecierum mixtione producta hæc planta ſemen etiam producat fœcundum; ſecus quàm fiat in mulo, ex equa, & ex Aſino genito. Sed in animalibus operoſior operum cõtextus, & opus naturæ ſublimius; quamquam, & hæc ſpuria braſica ſaltem in tertijs nepotibus durabilem, hanc facultatem amittat. Tempus operi optimum eſt vernum in pleriſque, ſed in medica malo, & huius generis, æſtivum, quia tardius ſubſtantiæ conuenientem laxitatem, raritatemque acquirit: melius plenilunio, quàm ſecus, ſique ſerupuloſiores ἀστρόφιλοι audiendi ſunt, luna in ſeſtili tauri, vel trino Saturni verſante. Agreſſurus opus inſtrumentis ferreis politis utatur; Trepana enim ferugine ſordida nocent. Tempore veſpertino, vel matutino tranquillo vulnera, nec minora, nec maiora infligat, quàm opus exigit, è quibus aſperitatem omnem cultro diligenter excindat. Vulnerum magnitudini, & figuræ ſurculum unum, aut plures adamuſſim aptet, ſiue cunei, ſiue ſimilem aliam figuram exigant. Inſito ſurculo, medullaque medullæ iuncta, partes diuiſas adducit vinculo firmat hiatus, rimiſque omnes, vel luto, quas vel cera ſimplici, aut terebintina obturat. Surculi etiam cacumen abſciſſum ſimilem in modum munit cera, vel corticem oui impoſuit, atque hæc ad aerem excludendum, & Solem; quorum ille non uno modo præſertim noxius eſſe poteſt. Hinc præcipuè de rara vulnerum medicatione Cæſaris Magati fundamentum depromptum eſt; quamuis male hic rei medicæ præceptoribus vulgares impingat errores; quia aeris in vulnere noxas haud agnouerint. Re ipſa tamen, ſi particulares vulnerum conditiones reſpicimus, exceptiones admittit plurimas; & hoc artificium, & de reparandis mutilatis Taliacocij totum eſt: ſed hæc obiter, & forſan præter rem. Particulares inſitionis verò modi quid requirant, ex Coſtæo potius rimandi. Iam quibus cauſis *Lib.2.c 25.* adoptata ſoboles vitam, nutritionem, habitum mitiorem, fructus magnitudinem, bonitatem, ſimilitudinemque debeat, inquirendum. Vitam ſurculus, & formam vegetabilem à parente habet, à qua depromptus, hæc adminiſtrante calore, nutrimentum nutricis allicit; conſtat enim animantium conceptus habere vitam per ſe, & vaſa umbilicalia ex ipſis protendi, non ad ipſos, ex Gal. monitis, & ſenſata viſione. Vulnus quoque glutinat, cicatricem inducit, & non nunquam deinceps otioſa reliqua conſumit, ut pudor ſit exiſtimare vaſa illa umbilicalia extrinſecè fœtui induci, & vitæ ſpiritum, caloremque à matre primitus deriuare. Quod poſt unam, alteramque inſitionem cedrina mala, ſimileſque plantæ ſpinarum horrorem deponant; id alimento tribuendum eſt, ubi excrementitiæ partes, vel paucæ, vel nullæ. Alimentum autem optimum eſt, quippe in nutricis medulla iam ante præparatum, ut tenuius, puriuſque exiſtit, quia denſatis à circumducta cicatrice meatibus, nonniſi per anguſtiores poros attrahi poteſt.

poteſt, ab eadem itaque cauſa accedente ubertate fructus, & magnitudo, & in ſapore, gratia deducitur. Similitudo in odore, ſapore, figura patriū, parentibus aſſignanda eſt: ſed & partim alimento; parentibus idest tam ſurculi, quam nutricis proprie naturæ: ergo, & in animantibus ita habet, nec in calorem differentia ſolum referenda, ſed formam ipſam, adeoque ſecundum Ariſt. in δύναμιν κινητικὴν & ποιητικὴν tam eam, quæ in ſemine virili, quam, quæ περιττώματι muliebri, cui facultatem θρεπτικὴν non denegat; In qua ſimilitudinum differentiæ referre etiam in materiam videtur. Quamuis enim pyro inſita malus nunquam pyra, ſed mala producat; attamen in ijs quoque piri notæ quædam perpetuò ſeſe manifeſtant. Exemplum euidens in perſico nuci iuglandi inſitæ; quæ perſica quidam profert, ſed colore, odore, ſapore, figuraque inuicem æmulantia; Aurea mala acida inſita dulcibus malis dulcacida ferunt. Et meſpilus cydonio iuncta meſpilos conſueto ampliores; idque mirum non ſit; cùm hæc in ſurculo iam formato contingant. Dubitare poſſe viros doctos video, ſemina ipſa animantium, quia permiſceantur ſetus ſimilitudinem, qua ſpeciem, qua figuram ab utriuſque natura dependere, & ſexum præcipuè ab eo, quod prædominatur in opere peragendo. Alimenti proprietas expetitur etiam in fructum circa vitem; ſi copioſius elleborus marceſcat circa radices, uvæ purgandi vim aquirunt; ita pruna, armeniaca inſita, ſi propago prius moſco, ambra, item colocynthidis ſucco, aut ſcamonio ſoluto imbuatur; pruna, vel odore halitu moſcum ſpirabunt, vel aluum comedentis eicbunt.

Lib. 1. de gener. animal. cap. vlt. Lib. 4. c. 3.

CAPVT XVII.

De tempore ortus plantarum, & Reuiuiſcentia. Celerioris, aut tardioris plantarum ortus cauſa diſquiritur: an ad caloris viuidioris vim id referendum, vel naturæ potius proprietatem, & quid amplius requiratur ſtatuitur: Cur aliqua a longo tempore exſiccatæ plantæ reuiuiſcant deſignatur.

QVi ad Prometheiaram curſum olim contendebant, lampadam accenſam alijs tradebant, pars citius, pars verò tardius metam attingentes. Contingit idem in hoc viuentium, & generantium cœtu, & præcipuè plantis, quæ licet productæ fœcundo ſemine, fœtui nouello vitam veluti lampadem accenſam tradant; non omnes tamen in lucem hanc eodem tempore venire conceditur. Eſt enim qui protinus à ſatione emergat e terra: Eſt qui longo poſt interuallo excludatur. Cauſas huius differentiæ indagantes, an ad natiui caloris diſparem conditionem referamus dubium; eaſque plantas ſcilicet celerius oriri, in quibus ille vegetior, atque auctior: tardius verò in quibus idem imbecillior; aut etiam terræ, dum committuntur crudo, frigidoque ſucco perfuſæ. Confirmat hoc diuturna in animantium generatione obſeruatio: in qua marium cum conceptus, tum conformatio celerior eſt, tardior fœminarum; & mares quidem celerius, quia ſemine producuntur calidiore, & loco uteri dextro concipiuntur, qui calidior, & è dextri lateris ſpermatici vaſis facta ſeminis profuſione,

ne, quorum hoc Ariſt. illud Hippocr. ſententia notum eſt. Qui inter humanos fœtus marem triginta, aut triginta quinque, fœminam quadraginta, aut quinquaginta diebus vix conformatione conſummari; maremque in uteri loco dextro μᾶλλον fœminam ſiniſtro concipi. At hæc licet in ijs, quę ſpecie conueniunt vero ſimilia videantur; erronea tamen ſunt, ſi diuerſæ conſiderentur ſpeciei animalia; e quibus Vrſa naturæ frigidioris bellua circa trigeſimum parit, canis ferè calidior nonniſi ſexageſimo propè; Elephantem ingens, & pugnaciſſimũ animal, triennio integro Ariſt. teſtimonio geſtat utero mater. Atque in his, de quibus ſermo eſt plantis, lactuca frigida omnium conſenſu planta, amaraco calido celerius in auras luminis prodit; nec ſatis ratione firmatum eſſe dextram uteri partem calidiorem eſſe; cum utrobique vaſa, & viſcera nil tale contineant; mareſque generarint, quibus dextra ſpermatis vaſa defuerint, adeoque differentiam omnem in ortus tempore, ad naturæ potius vim, quàm caloris diuerſitatem reſpiciendum eſſe. Sed medium hic tenere omninò conſultius fuerit: nam, ut à celeriore, vel tardiore ortu formæ, ſiue naturæ inſitæ vim, & inclinationem, tamquam principem operis cauſam minimè reijciendam ſentio; ita nec caloris, & alimenti variam diſpoſitionem, tamquam adminiſtram omninò non admittendam arbitror. Nec alia ſanè cauſa, quòd in Ægypto, alijſque ad Orientem ſolem prouincijs, eiuſdem ſpeciei vegetabilia etiam Decembri menſe proueniunt, quæ locis hiſce niſi Martio non germinant. *Infantes* Aethiopum nonimeſtres incedere poſſunt, & earum feminæ undecimo, vel duodecimo anno menſtruales fiunt. Addendus tamen ijs ſeminum ipſorum habitus, in mollitie, duritie, raritate, denſitate. Nam quo duriora illa fuerint, & denſiora, eò difficilius alimentum hauriunt, quo intumeſcant; hinc peoniæ ſemen ſerò admodum germen profert, ſerius etiam Mandragoræ, quod durius eſt, ac denſius; quia etiam ex accidenti contingit tardius oriri plantas; cùm ſemina, quantumuis fęcunda, terræ non committantur bene diſpoſitæ; vel iam germinantia, ab animalculis erodantur, vitientur. In terra detrimentum conſiſtit quotieſcumque, aut humida nimis, aut arida contra, & ſicca: in illa inſiti caloris ſuffocatio, & putredo; in hac alimenti defectu contabeſcentia contingere poteſt. Reſiſtit utrique damno humani generis ſolertia, cùm humiditate nimia madentem terram exſiccat, quod fit vel ductis foſſis, & canalibus, ut humores hinc inde deriuentur, ſemotiſque arborum inutilium umbris, ut aprico ſoli magis tellus exponatur. In agris utique ſic affectis, veteres, aut combuſtis in ijs ſtipulis, aut cicerum ſatu vitioſum humorem abſorbendum prius monuerunt. Præſtant autem hoc cicera, quòd ſicca ſit ipſorum & ſalſuginoſa natura. Sic eam terræ intemperiem inductis arborum ſerie, diſpoſitis umbris, aquarum aut riuis excitatis, aut adhibita aſperſione, veluti artificioſo imbre corrigere licuit. Animantium damno iamdudum ſolertia nihil non experientium remedia quoque deprehendit; cognitumque ſemina, ſemperuiui ſucco, aut cancrorum fluuiatilium decocto prius irrigata, vel ſimplici teſtudinis pelle inuoluta fuerint, ab animalium noxa deinceps immunia eſſe. In quibus tamen, ſi fallax experimentum non eſt, cùm nullus deprehendatur manifeſtus, aut ſapor, aut odor, qui portendat virium ex-

ceſſum, rem potius à formæ proprietate proficiſci, vero conſentaneum eſt; nam iactis ſeminibus, in hellebori decocto prius maceratis, abigi, imò interfici auiculas; formicarum item murium combuſtorum fumo, formicas ipſas, & mures fugari manifeſtis cauſis rectius tribuemus. Atque in hac ipſa re, quid non ab hominibus aut utilitatem ex plantarum cultu maiorem, aut voluptatem, & delicias quærentibus excogitatum eſt; ut rerum natura, veluti in ordinem, & dominium ſuum redacta pro arbitrio, nunc ſerotinum florum prouentum, nunc properatum, atque intempeſtivum imperent. Qui tardius oſtendere flores exoptant, aut ſemen tardius terræ mandant, aut germina aliquoties traſponunt, unde neceſſe eſt iterum firmandis radicularum oſculis tempus expendant, aut bulbis caulium profundius terræ inſertis decuſſis in cauliculos erumpentibus plantarum germinibus. Denique vel rarò, parciuſque alimenta ſufficiunt, & externo calori, frigidis, opaciſque locis detenta planta, non exponunt. Quòd ſi contraria ratione citius florea voluptatis ſcena inſtruenda ſit, citius plantam ad germen compellent ſuum, qui ſemina deteriora prius aquis immacerant, donec parum intumeſcant; cumque durior corticum, ſeminis corporiſque compages adſit, aquis nitroſis infundunt, aut tunicam ſeminis circa ἰχαφέδον, ſiue umbilicum, dexterè ſcalpello incidunt, uti corio veluti ſoluto, citius matricis inuolucris exeat fętus. Immò ſi modis omnibus incitandus, excitanduſque inſitus ſtirpium calor ſit; fimo etiam largius equino, bubulo, ſuillo, uvarum acinis, oliuarum corticibus terræ permixtis. Dactylorum nuclei ſpiritu vini immacerati citius producere plantam compertum. Scillæ acri carni quidquid ſeminum inſeritur, plurimum ad fœturæ celeritatem cogitur. Immò quiſquis nondum oſcitantes flores cum caulibus ſuis præcipuè ſi, & radices, bulbivè ſeruantur vaſe optimè operculato incluſi, vel in frigidiorem cellam, vel puteales undas recondat, his quocumque deinde volet tempore extractos, & ſolis, furnive calore excitatos facilè ad apertionem inuitabit, illibata odoris gratia. Salem è planta, qui per combuſtionem paratum habuerit, optimeque depuratum ſpiritui ardenti eiuſdem imbuet, eodem in ſuccum ſoluto ſi plantę eiuſdem radices imbuat, quouis tempore, ſed adminiculante blando calore plantas euocauerit; quod manifeſtum fit ex Ferrario de Cultura Flor. lib. 4. Palladio quoque, necnon ex Fabri Myroth. Illud conſideratione dignum plantas ex ſiccis lignis regeneratas, ex inferis, veluti ad lucis uſuram emergere. Acanthum ubi ante octennium emarcuerat, denuò germinaſſe obſeruauit Scalig. Exercit. 140. Herculis clauam, quæ ex oleaſtro; Romuli haſtam, quæ ex Orno, longo poſt tempore denuo germinaſſe tradit Plutar. Fecerunt idem vetuſtæ ex olea trabes operibus addictæ. Lotum terra de-
Lib. 2. de Hiſtor. Plant. cap. 4. fuſſam germinaſſe ſcribitur, ut conſtat apud Theophr. ut mirabile amplius viſu non ſit, quod, occinente Marone.

Truditur ex ſicco radix oleagina ligno.

Hic autem aduertendum animo eſt plantam etiam ſiccam, quamuis eroſam, hoc eſt tenuiorem humiditatem amiſerit, non protinus vitali calore, humidoque fixo, quod in ſale radicatum agnoſcunt, & profitentur Chimici, pingui ſuo lentore in totum deſtitui: in quo & ipſum ſeminale principium,

pium, & natura plantæ ſeruari poteſt. In extractis v. g. rhabarbari facultas ab ipſis intenſior aſſeritur, quia forſan ſubſtantiæ aereæ, & ſpirituoſæ forma intimius coniuncta eſt. Ita paſti ſoncho ſues plantam redditis excrementis propagarint, e quibus renaſcitur. E cinere, quia ſalem habet adiunctum, ſi Chimicis adſtipulari velimus, prodit planta. Simile obſeruatum in gummi, & reſinis, ſtirpes denuo ſuas præbentibus. Quidni etiam in oleæ ſicco ligno, oleoſo tamen, pingnique ſucco prædito vegetabilis vis conſeruetur? Salia Chimicis ſpiritibus impregnata quid præſtent, iam Hermeticis ad ſatietatem decantatum, proditumque. Hinc puluis ille reſurrectionis, ſic Gallis dictus, & meritò, ſi tales ſortitur effectus, quia etiam ratione item ex ſale puro, ſeminibuſque plantæ germinantibus contritis, admixta terra pura, admoto artificioſi caloris foculo; materia tandem phiala vitrea Hermeticè ſigillata incluſa, tamquam ex cineribus ſuis rediuiuus Fœnix eadem languida, quamuis, & exili umbra ſeſe in conſpectum proferre, vidit Ferrarius. Sed abunde hæc ex eodem de Cultura Flor. In lixiuio congelato è cineribus urticæ, & in maceratione cineris cancrorum, apparere tradunt cancrorum figuram. In deſtillata aqua ſpermatis ranarum, ranarum imagines videri Scroderus aſſeruit, quamuis hæc vera generatio non ſit, ſed conatus quidam, & apparentia, forſan ad libitum volentis interpretata. *Lib. 4. cap. 451.*

CAPVT XVIII.

Quænam intercidat differentia ratione loci in plantis: an aliæ ſylueſtres, aliæ mites ſint; an loca propria ſibi ea poſcant, ut proficiant, vel quid amplius requiratur, inquiritur. Summatim horum omnium ſtatuuntur cauſæ, & an à propria eorum natura diſcrimen pendeat, definitur. De plantarum nutritione nonnulla, & an ſalſus humor nutritionem iiſdem præſtare valeat, decernitur.

QVis plantarum ex ſemine ortus; quæ citius, quæque tardius germen ſuum proferant, quæ ſiccatis, combuſtiſque corporibus Fœnicis inſtar è cineribus poſtliminio reſurgant abunde hactenus propoſitum fuit. Conſiderandum porrò quibus modò locis plantæ differant, & quæ alimenti, pro diuerſitate locorum conditio ſit. Nec mirum ſi diligenti indagine hæc à nobis perſcrutentur; ſummam enim plantarum eſſe vtilitatem tam quoad alimenta, quam quoad medicamenta nemo non nouit: Atque, vt ab eo ordiamur, communiter ratione loci plantis hoc tribuitur, vt ſylueſtres aliæ, aliæ mites cenſeantur. Sylueſtres, quæ natali in ſolo ſine cultura degunt; mites, quæ in hortos translatæ cura humani generis in melius profeciſſe videntur. Reuera tamen hæc diſtinctio non ex natura plantarum, ſed hominum potius opinione ducta fuit; nam ſi manſuetudo plantis cultorum diligentia obtigit; planè conſtat, vt Hippocrat. fatetur, plantas omnes ſylueſtres extitiſſe; quod ipſum licet à vero non abeat, eo tamen veniendum non eſt ſententiæ, vt cum Hippone apud Theophr. lib. 1. de Hiſt. Plant. cap. 5. Sylueſtres omnes plantas cultu miteſcere poſſe credamus. Nam ut in animantium ſerie Hirundo, aliaque cicurari nequeunt,

queunt, ita plantarum quædam hoc veluti genio ſunt, vt adhibito cultu, cortice, ramis, folijs, totaque forma externa, tum fructu deteriores fiant, quemadmodum in pino, in Cupreſſo mare, in Nuce Iuglande, Caſtaneis. Capparem quoque licet radice, ſeminibuſque traslatis excolere tentarint multi, vix tamen cultioribus in locis emolumenti quidquam aquiſiuit; quid autem cauſæ eſt, quod plantarum quædam in aquis, quædam in terreſtribus, quarundam ambigua conditio? Quæ in terrarum tractu degunt, aliæ montes amant, aliæ valles, nonnullæ in aſperis melius degunt, nonnullæ in molliori ſolo lætius vivunt; cui rei hoc nonnulli prætexunt cauſæ, quòd res naturales à proprio loco conſeruentur, adeoque tum ab eo trahi has, alias ad illum vltrò ferri; nec mutationes eius citra diſcrimen contingere: at hæc niſi commodè explicentur, numquam auido veritatis animo ſatisfecerint: nam ſiue locum διάστημα cum Platone, ſiue ſpatium nominem, quod trina dimenſione corpus occupat; ſiue cum Ariſt. περιέχον σῶμα, & ſuperficiem corporis ambientis; nihil tamen horum ad conſeruationem plantæ per ſe conduxerit; utpote accidentia ignaua, & à materiæ neceſſitate fluentia. Itaque cum plantarum locus ratione partium abditarum terra ſit, ratione ſurgentium ſupra terram aer; nec terra tamen, nec aer plantis conſeruandis ſimpliciter apta ſunt: ſed quatenus adminicula præbent, & commoda naturæ ipſarum debita, non quatenus ſpatium, aut ſuperficiem impertiuntur. Et terra quidem duplici potiſſimum ratione commodum plantis hoſpitium præbet, habitu, & alimento conuenienti. Per habitum, terræ modum conſiſtentiæ intelligo in raritate, & denſitate. Per alimentum conueniens; quod non minus ſubſtantia, quàm copia, & qualitate plantæ conſentaneum. Igitur quæcumque ſtirpes amplas radices altè lateque diffundunt; in ſicco, denſoque ſolo non reperiunt, vt ſeſe explicent, ac firment, vt Robora, & ſimiles glandiferæ arbores: Quæ vero tenues agunt radices, & per ſummam tantum tellurem ſparſas, ut punica malus, & ſimiles; cum ex alto alimentũ attrahere nequeant, in rariore terra non ſatis cõmodè vivunt; vel ob leuem aeris ſqualorem, & ſiccitatem exareſcentes. Ita quæ alimento indigent copioſo, puro, frigido, dulci; malè degunt in locis, vbi paucum, & id quidem impurum, calidum, ſalſum, amarum ſuppeditatur; & contra, quæ impuriore gaudent, ſecus requirunt. aliquæ aerem frigidum expoſtulant, vt Pinus, & Buxus, quoniam abunde propria natura calidæ, acceſſione caloris vberiore, tamquam igne addito igni, immoderatius laxantur, reſolvuntur. Aliæ tepidum exoptant, vel quòd imbecillum habent inſitum ſibi calorem, aut ob raritatem corporis frigoris ſubeuntis, penetrantiſque noxam non ferunt. Pluvia, aere, & hybernis imbribus, niuibuſque humecto potiſſimum perficiunt arbores, non auſtrinis tamen, & confertim inguentibus: ſed Borealibus, & paulatim terram ſubeuntibus; adeoque nocturnis potius, quam diurnis. Sunt quæ tenui opus habent aere, quarum compages denſior non admittit, niſi quod ſubtili ſubſtantiæ modo penetrabile. E contrario in denſo, atque opaco melius vivunt, quibus tenella corporis conſtitutio, & ab aere tenuiore facile ſolubilis; ut in Lychene, Adiantho Polymio notamus. In calidis aquis, ac thermis, quæ vivunt per hyemis decurſum tepentibus ijs aquis natæ, paula-

paulatim aucto calore, & in craſſiore ſubſtantia minus penetrabili aſſueſcunt, quamuis totum admodum paucæ; quod ſanè prodigioſum veteribus viſum eſt, vt de noſtro fonte Aponi cecinit Claudianus, & miratus eſt Caſſiodorus, ut qui circa marginem, & eiuſdem verbis loquar. *Salem generat ſterilem, nutriat pariter, & virores, & igniti fontis rideat florenti gramine facies*. Conſuetudine autem, non utilium tantum, ſed etiam per ſe maximè noxiorum uſum tandem iniri poſſe notum aliundè eſt, & ex medicis obſeruationibus conſpicuum. Illud obſcurius eſt, cur ſtirpium quædam in montium cacuminibus tantum agant; quædam in planis, quædam in conuallibus. Calidæ ut cyperus, & hydropiper in locis aquoſis, frigidis, & humidis; plantæ frigidæ, ut ſolanum, papauer, hyoſcyami, in Ægypto, locisque ſimilibus calido, imò feruido cęlo ſubiectis. Cur Balſamum in Arabiæ tantum collibus propagatur? Viſcum epithymum, cuſcuta niſi plantis alijs inhæreant, nuſquam verò ſubſiſtant: nam ut animalia quædam obſeruamus in terris degere, alia in aquis, nonnulla ambiguam per ſe naturam ferre, idque per naturæ eiuſdem incognitas nobis leges, ita de plantis habendū eſt, & locorum illam, vel potius cœli, & telluris varietatem conſpirare; ſtirpeſque quaſdam tacito conſenſu non aliunde, quàm à proprijs earum formis, naturaque profluentem. At quocumque tandem loco plantæ degant, notum eſt, quod nutriuntur ab eadem cauſa, tum principali, tum inſtrumentali, & finali, ob quam fit nutritio in animalibus. Differunt aſſumendi modo per radices, aut radicum analogas partes; tum quòd præparatum à terra hauriunt, adeoque non indigum excrementorum ſeparatione. Hoc ſanè, & præcipuè videtur animantibus, & plantis commune; quòd alimentum in totum corpus diſtribuitur mediantibus (addit Coſtæus) fibris rectis; quamuis parum ad rem faciat rectæ ſint, an obliquæ, cum ex iјs neruoſæ in plantis fibræ potius ad robur ſpectent, quàm alimenti diſtributionem. Cauſa cur quod ſtirpium quædam copioſius, aut parcius alimentum aſſumant, cùm in temperamentum ſiccius, quale leguminum, aut humidius, tum in ſingularem naturæ, caloriſque natiui conditionem referendum; Quemadmodum inter animalia quędam inſitas habent *ἀσιτίας* cauſas; Arabum equi, & Cameli ſobrijſſime degunt alimento deguſtato, quod de chamęleonte etiam ferunt: ita Parietaria, & Saxifragia, petreæ plantæ vix alimento mente concepto ſeſe alunt: quod ad refectionem videtur reducendum, niſi diutina eorum vita obſtaret. Adianthon puriſſimo gaudere alimento; impuriore verò limoſo, nitroſoq; olera, quod ad ſimilitudinem rationis transfert Coſtæus lib. 2. Frigidum alimentum cum leui quadam repulſione caloris natiui eumdem quodamodo roborat; communius tamē gratum, ſed inimicum impenſius frigidum; at calidum moderatum imbecillioribus gratum: Quod verò ſi ocimum tepido gaudet, non tam ad caloris debilitatem, cùm calorē eius ſatis arguat odoris vehementia, quàm raritatem ſubſtantiæ, pertinere videtur. Qua verò cauſa frigidum actuale ipſis ingratum, ex Coſtæo peti poteſt; natura namque ſua calorem extinguit, aut ſaltem imbecillum reddit. Salſum etiam, & amarum ſuccum quibuſdam plantis familiarem eſſe arguit in Kali, in Crithmo, Chryſanthemo, Fęniculo marino, & ſimilibus ſapor: Quin Braſſica, Eruca, & Ruta

locis

locis ſalſis ſatæ euadunt dulciores. Aquis tamen marinis nutriri poſſe plantas negat Plutarchus; quoniam natura ſalſum abhorret; quia craſſus ſuccus, grauis, quia lixiuium, & veluti bilis eſt; oleoſaſque grauius, & vehementius ſiccare valet; quia plantæ ſalſo humore conſperſæ contabeſcũt, & ſolum ſale ſterileſcit, In lacu Tiberiadis, mari videlicet mortuo, ob amaritudinem, & ſalſedinem nulla, nec animalia cuiuſcumque generis, nec piſces viuere notum eſt. Igitur ſalſus humor non modo plantis alibilis ſubſtantia non eſt, ſed etiam noxius. Pace tamen tanti viri, contrarium deprehendit experimentum, & ratio quoque idem ſuadet; nam ſapor dictarum plantarum ſalſus contrarium arguit; quod aſſeruiſſe viſi ſunt, tum idem Plutarchus, tum Plinius de plantis Arabici maris. Plantæ enim trahunt id, quod ſibi familiare eſt, ideo etiam ſalſum, ſed non purum, at humido dilutum. Hinc & in maritimis plantis diuerſi ſapores, quod craſſum enim eſt, attenuant inſito ſuo calore; nec oleoſum ſpecialiter ſtirpibus aduerſari probant reſinoſæ plantæ. In mari verò mortuo, quod vegetabilia non degant, exceſſui ſalſedinis, & amaritudinis tribuendum eſt, cætera vero marina remiſſius obtinent ſalſedinem: at quid exemplo Platani dicendum de his ſtirpibus, quæ vino ſingulariter afficiuntur, quaſi is alimentum proprium ſit, hoc potius ad naturæ proprietatem referendum, quàm temperamenti modum.

Quæſt. nat. Quæſt. 5.

Coſt. lib. 2. pag. 217. Theophraſt. lib. 2. cauſas cap. 7.

CAPVT XIX.

De Plantarum incremento, & duratione. Quæ differentia inter incrementum, & nutritionem intercidat ſtatuitur; arborum quarumdam immenſa magnitudo, & duratio, & in quam cauſam tacienda diuerſitas ſit. Qua arte incrementum excitetur: miræ arborum durationis hiſtoria, tum cauſæ afferuntur.

PLantarum nutritioni affine eſt earumdem incrementum, nam & materiam exigit eamdem alimentum, & efficientes prætereà cauſas ſimiles, tum principem, animam videlicet, ſiue formam ipſam, tum inſtrumentalem, ſeu famulantem animæ inſitum ſpiritum, & calorem. Differentia tamen agnoſcenda eſt tam in opere ipſo, quam in operis ſiue incrementi fine. In opere ipſo, quia intentio naturæ eſt, ut nutritio ſit deperditæ ſubſtantiæ reſtauratio; itaque non tam ad motum, quam ad generationem referendam. Incrementum autem eſt partium ad iuſtæ magnitudinis legem extenſio; finis nutritionis eſt ſimplex deperditi reparatio; incrementi debitæ magnitudinis aquiſitio. At in plantis quidem incrementi ratio præcipuè admiratione digna. Humani generis prolixiorem ſtaturam ſepteni, aut largiter octoni pedes conficiunt; nec enim per hæc tempora gigantes, & Polyphemos præter quam fabulæ retinent. Inter animantium quoque greges quamquam minima ſint, & vix ſenſu noſtro deprehendenda, ut ἐχαφίδις, magna item & humani corporis modum excedentia: certis tamen veluti limitibus definita. In vegetabilium ſerie non tantum minimis, & maximis locus eſt, qua & hominis, & animalium omnium terreſtrium magnitudinem multis partibus excedant. Sed nec inter ſe ſatis determina-

tam

ſum incrementi legem obtinet; cum non rarò fructices ad arborum altitudinem perueniant, eremia ad fructicum; herbæ nonnunquam eremiorum, fructicumque magnitudinem tranſcendant, ut de ſmilacibus, conuoluliſque notum eſt. Arbores tamen verè, inter vegetabilia gigantes, ſi non altitudine, craſſitie tamen cæteris omnibus plantis conſpectiores. Licondo arborem memorant rerum Indicarum ſcriptores, tam vaſto caudice, ut ſex viri extenſis brachijs vix circumdare queant. Cerbades item arbores quarum truncum quatuordecim homines complecti non poſſint, & è quibus ædiculas ſuas inſtruant incolæ: ut fabuloſum non videatur, quod de Platano Lyciæ ſcribit Plin. ſpecu domicilij inſtar excauatam eam fuiſſe, ut in ipſa cum duobus, & viginti comitibus cœnare potuerit Lucius Murianus Conſul. Cauſæ verò cur aliæ plus, minuſve plantæ creſcant citius aliæ, aliæ tardius, conſideratione dignum eſt: eas autem in alimenti præcipuè rationem referunt authores, ut quæ plantæ copioſiore nutrimento redundant, eæ plantæ & maiore incremento, & citius perficiantur; Et confirmat rem ipſam non fallax obſeruatio, cum plantæ, quæ in aridioribus degunt locis, & minus, & tardius adoleſcant, quàm quæ degunt in locis humidioribus. Animalia ſanè, quorum temperamentum ſiccius, ſiue cum frigoris, ſiue caloris dominio, minus vegeta magnitudine promouentur. Verumtamen contrarium obſeruatur in lactuca, & Heliotropio Indico, quarum illa multo ſuccoſior, minimè tamen ad huius altitudinem pertingit: In aridis Aegypti, & ſabuloſis locis ingentes ſycomori, & Palmæ altiſſimæ. Ego principem incrementi cauſam inſitam plantis naturam, & formam ipſam agnoſco; quæ veluti corpus determinato partium numero, ſitu, proportione, ac nexu pro diuerſitate ipſarum efformat, quo ſe cumque modo ſubiectum obtulerit; ita plantarum corpus determinatæ, magnitudinis menſura definit. Hinc cucurbita intra quattuor menſes tantum augetur, quantum intra quattuor annos vix excreſcit vitis, aut ſtirps alia; attamen in plantis, quæ ſunt eiuſdem generis ad incrementi tam varietatem, quam celeritatem, tam ſolum concurrit, ſiue tellus, quam aer: tellus, & quatenus ſubiectum plantarum exiſtit, & quia ſuppeditat alimentum. Quemadmodum enim, quæ in latum, & profundum ſeſe agere debent, & altiori ſtructuræ, magna etiam, & valida fundamenta prius iacere neceſſarium eſt. Impediuntur ſi denſa nimis, & ſaxea terra: ſicque tenuibus; radiculiſque capillamentis ſparſis ſummæ telluri ſe committunt; eandem pro ſtabilimento maioris incrementi denſiorem, minuſque raram exigunt terram. Ita ubicumque locorum plantæ copioſius potius, quam parcum ſufficitur alimentum, lætius & amplius creſcunt: ſiue id purius ament, ſiue ſordidius exoptent, dulcius ve, ſiue ſaporis amari, aut ſalſi proprietate conducibilius ſit. In aridis autem Aegypti locis, ubi ingentes proueniunt arbores, cur ſic commodè explicandum: quamuis enim terra illa circa ſuperficiem talis appareat, in receſſu tamen arida nō eſt, ſed rara, & ſpongiæ inſtar aquis facilè imbuenda; maximè quibus locis, aut Nilus ipſe fluvius, aut ipſius canales propiores ſunt, ijs enim locis prædictæ arbores ſpectantur, atque hoc terræ proprietatem arguit, aquæ incrementum in puteis, prout aquæ Niloticæ plus, aut minus augentur. Salia quoque, quæ ex profundo ter- Lib.12.c.3.

rarum

rarum eruuntur paulatim grauiora ſunt, quo propius ad ſuperficiem acce-
dunt, ob humidi attractionem. In quam igitur terram ob eius raritatem
profundiſſimis radicibus deſcendant, partem etiam incrementi uberioris
aer ſibi vindicat, quem plantæ, quarum compages denſior paulò calidio-
rem exigunt, ut inſitus calor excitari queat; aliæ blandiorem, minuſque ſub-
tilem, quarum habitus magis, rarus vim externorum alterationum omnem
aueſatur. Arborum genus uniuerſum humido, & frigido aere lætius aſ-
ſurgit, & humido quidem per imbres Borealibus Ventis paulatim affuſos
per noctes; nam ex Antiperiſtaſi collectus, coercituſque calor internus ad
incrementum, ſiue extenſionem partium vegetior euadit. Atque hinc in
Septentrionalibus locis altiſſimarum arborum ingentes ſyluæ deprehen-
duntur. Facit etiam ad maius incrementum ars; & humana ſolertia, ſi plā-
tis incommodo loco degentibus hoſpitium, & alimentum paret, ipſarum
naturæ conuenientius. Obſeruatumque fuit, aquæ ſtillicidio continuo, in
qua Arietum Cornua præmacerata fuerint; vitem, ſimileſque plantas in-
tra breue tempus mirabilem in modum adoleuiſſe. ita certum eſt, quæcum-
que plantæ intra vaſorum fictilium anguſtias degunt, non tam alimenti de-
fectu, quàm Radicum extenſione prohibita infra magnitudinis ſuæ modum
conſiſtere. Terminus incrementi non eſt formæ terminus, quia per ſe non
contrahitur, non explicatur: non caloris defectus ſimpliciter; Cum enim
adulta iam vegetabilia intenſiorem habent: non humiditas ab alimentis,
quia præbetur; ſed partium ſolidiorum aquiſita denſitas, & ſiccitas, ob
quam ulteriorem extenſionem haud admittunt; ad hunc tamen incrementi
terminum pro inſita naturæ lege cauſarumque adminiculantium varia con-
ditione aliæ citiùs proueniunt, aliæ tardius; At nutritionis, & incrementi
actiones vitæ quædam mora, & diuturnitas conſequitur. Theophr. μα-
κροβιότητα nominat. Ea profectò in plantis, quàm alijs omnibus viuentibus
admirabilior. Doctiſſimus Veslingius olim mihi retulit ſycomorum ob-
ſeruaſſe circa Memſebrim Vrbem, ætate annorum mille, & ſexcentorum ad
minimum, idque indubitata Chriſtianorum hiſtoria. Cauſæ autem diu-
turnioris æui ſunt inſitæ humiditatis copia ex Theophraſt. lib. 2. de Cau-
ſis Plant. cap. 14, & 16, lentorque pinguis, qui quoque facit multum ad
foliorum durabilitatem: tum habitus plantarũ firmus, rectèq; compactus:
radicum craſſities, & longitudo; quorum illud medullæ copiam innuit,
adeoq; ἐγκαρδίῳ vegetum robur: alterũ δυσαπόθεσαι ab iniurijs aeris, & vento-
rum. Democritus radicum rectitudinẽ, debilioris; obliquitatem, durabilio-
ris vitæ argumentum ducebat; Quarum prius redarguit Theophr. exem-
plo Pini, Abietis, & viuacium ſtirpium: ficum etiam facilè perire, quam-
uis craſſas, & longas obtineat radices. Sed hæc εὐπάθεια ſecundum partes
extremas eſt, non inferiores, à quorum vigore frequens ipſi regerminatio
eſt, reliquis pereuntibus. Conducit etiam ad μακροβιότητα, fructuum, ſemi-
numque moderata fœcunditas, non coacta, quæ cultis ferè plantis exitium
affert. Theophr. in eiuſdem generis plantis fructus, quamuis paucos, ta-
men benè compactos, membrauiſque ſolidis munitos, nec intempeſtiuè
properatos, vitalis vigoris notas habet: quorum utique prompta ratio eſt.
Ex accidente vitam prorogamus plantis, à quibus ſoli, & aeris incommo-
da

Theophr. 9. de Cauſ. Plant.

da propulſamus; præcipuè quorum coercita in frondibus putatis luxurie, vitæ calidum, humidumque in radicibus conſeruamus.

CAPVT XX.

De duratione foliorum. Cauſa arborum perpetuo virore comantium inquiritur, ſtatuitur; deque plantarum occultis agendi viribus cauſæ perſcrutantur.

NVtriendi, & creſcendi vitales functiones ut in animantibus, ſic in plantis determinato temporis interuallo circumſcriptæ: quæ diutius perſeuerent, quibuſque cauſis μακροβιότητα debeamus, hactenus explicitum nobis eſt; e quibus inita ratione contraria, quæ βραχυβιότητος plantis cauſa ſit, facilè conſtare poteſt; & caducas eſſe, æuique breuioris, quarum inſitus calor exiguus, humidum radicale paucum, tenue, aquoſumvè, corporis contextus rarus, adeoque fortuitorum noxis expoſitus; quarum radices tenues, & per ſummam fere tellurem ſparſæ. Democritus, ut vidimus, rectitudinem radicum etiam accuſat; ſed refellitur opinio ab Abiete, Cupreſſo, & cæteris viuaciſſimis; nec ficus, quia denſas, & amplas habet radices facilè, niſi circa partes extremas detrimentum patitur. Fœcunditas plantarum, ſcilicet πολυκαρπία Theophraſto, quamuis ea pyro, glandiferiſque arboribus alijs alibili ſucco nimio turgentibus ad vitæ cõſeruationem neceſſaria ſit, quorum in eodem genere fructus imperfectiores, molliores, membranis velati debilioribus ijdemque intempeſtiue excitati vitæ inſitæ languorem Theophraſto indicant. Illud conſiderandum ſupereſt, quæ cauſa ſit, quod plantarum aliæ perennia habeant folia; quædam pro tempore citius, tardiuſve caduca. Mneſtor apud Theophr. foliorum perpetuitatem in caliditatem plantæ refert; taleſque eſſe Iuniperũ, Piceam, hederam, quæ folia ſeruant. Ariſt. frondium virorem durabilem ſucci inſiti lentori, ac pinguedini tribuit, deducto argumento à ſuibus; quorum pili decidui non ſunt; ut decimo Problem. XXII. quem ſanè, Abietes, Pini, Cupreſſi, Cedri, ſimileſque reſinoſæ arbores poſſident. Auctor librorum de Plantis, ut foliorum defluxum ad alimenti inopiam refert; ſic eorumdem ſtabilitatem ad alimenti copiam deducere videtur. Cæterum ſi relata præcedentia vera ſunt, cur Ficus, & Vitis, & Hydropiper, & Capſica plantæ calidæ foliorum fluxum patiuntur? Semper vivum planta frigida folia ſeruat? Cur larix arbor reſinoſa folia perdit, rubus verò ſimileſq; non reſinoſæ eadem retinent? Probabilior ſanè foliorum deficientium cauſa, aut perennantium alimenti conuenientis, & calidi copia dicitur, vel contra, ex inopia; nec aliam ob cauſam animantibus decidere pili conſueuere. Adhuc tamen nondum ſatis explorata cauſa eſt, cur eodem in loco uni plantæ, ut Pyro nutrimentum deficiat, alteri non deficiat, ut Buxo. Theophr. ingenioſè defectum alimenti, & conſequenter defluxus foliorum cauſam in naturæ plantarum, locique proprietatem refert. In naturæ proprietatẽ, dum inquit; reſpicit caloris humidique variam conditionem; nam debilior calor non attrahit efficaciter; & humiditas diffuſa nimis, ac tenuis, non præbet alimentum reſtaurandis partibus aptum. In loci pro-

prietate tum terram ſpectat, tum aerem; terram quia nutrimenti neceſſaria acceſſione deſtitui poteſt; aerem, quia contingere ſolet ut immoderato vel calore inſitum Plantis calidum diſſentiat, vel frigore penetrabili extinguat; vel ſuperflua humiditate obruat, & obtundat. atque adeo hæc vera videntur; ut ſi quis ficum, vitem, ſimileſque folia perdentes plantas ex intemperatis locis in temperata transferat; foliorum in ijs defluxum impediet: atque è contrario, quibus folia perſeuerant, ſi calidioribus è locis in frigidiora reducantur, folia perditura ſint. Sed hæc quamuis vero conſentanea ſint; nondum tamen explicitum, cur plantis, quibus inſitus calor temperatus, humorque lentus, quem requirebat Ariſt. potius quam aquoſus, ut Larici, ſimilibuſque folia decidant, non ſemperuiuo. Denique cur in eodem cœlo, videlicet aere, & tellure ſimilibus concurrentibus cauſis non omnes æque plantæ folia retineant. Ariſt. 10. problem. probl. 22. ubi cauſam inquirit, cur non volatilibus animalibus pili per hiemem decidant, præter quam ſui calidiſsimo. Mihi proxima, & præcipua foliorum perennium, aut caducorum cauſa natura ipſa, & forma plantæ videtur. Reliquæ allegatæ cauſæ, prout habent ſcholæ, ſunt cauſæ ſine qua non, ut ex Mneſtoris ſententia calor, & ex Ariſt. pinguedo ſucci, ex auctoris lib. de Plant. alimentum, Item loci, aeriſque proprietate, ex ſenſu Theophraſt. adeo ut larix calida, & pinguis planta etiam calidis in locis folia non retineat: retineat autem frigidiſſimis Pinus, quodque faciat ſempervivum, nec calida, neque pinguis planta: ſed aqueo alimento referta humido; tum cupreſſus frigida, tam calidis, quam frigidis locis folia non demittat; naturæ potiſſimum, atque inſitæ formæ beneficium eſto. Sed de ortu, nutritione & incremento, Item, ac duratione plantarum ſatis. Ad earumdem igitur affectiones explicandas modò pergamus.

CAPVT XXI.

De Occultis formæ vegetabilis viribus. Numquid vires admirabiles rerum ad manifeſtas cauſas ſint reuocandæ inquiritur; nec à materia pendere ſtatuitur, nec ab elementorum formis.

PArticulares plantarum affectiones, quibus cum inter ſe tacite conſentiunt, aut diſſentiunt animantibus nonnullis odio, vel amicitia notę; denique in humano corpore particulares humores commouere, ſeu purgare alexipharmaca vi; malignis, ac venenatis cauſis reſiſtere, aut deleteriam facultatem, & cum diſcrimine iunctam exerere poſſint. Has agendi vires, ad quas referre cauſas conueniat, quibus ſubiectis primariò, & per ſe conſpirent, adeò controuerſiatum difficillimarum obuallatum eſt; ut etiā nunc clariſſimorum ingeniorum pertinaci certamine dubia ſub iudicibus ſententia pendeat. Obſeruantur enim hi ſingulares affectus varij pariter, atque admirabiles, tam in corporibus anima carentibus, quam anima præditis; Inter anima carentibus ſunt mineralia: Hydrargyrus, gemmæ, magnes, præcipuè; cuius effectus euidentior ad polos ſe conuertendi, ferrum trahendi: Inter animata alia actu viuentia, particulares effectus produnt, alia in partibus ſuis etiam vita defunctis: è viuentibus Echeneis, ſiue Remora

mora piſcis, de quo mira Plinius, torpedo piſcis, Tarantula, Baſiliſcus. Singularis antipathia inter hominem, & felem ciſta incluſum: Ex ijs, quę amplius vitam non obtinent, ſunt bufones iam exſiccati attrahentes peſtilentiæ virus, cancri in puluerem redacti. Alios ungulas, & cranium humanum, è quibus illi ad rabidorum morſus, hæc aduerſus Epilepſiam antidotum præbent. Præter naturam quoque in animantium corporibus generari deprehendimus, quæ in homine producta Epilepſiæ, uteri ſuffocationi, malignis, & peſtilentibus febribus originem præbent. Hos igitur nonnulli ab elementis deriuarunt, & ab elementorum qualitatibus; ſed à nobiliori forma tamquam ei inſeruientibus directio: alij extrinſecè, & à cœlo dependere exiſtimarunt. Qui ab elementis prouenire effectus hoſce iudicant: vel ad formas ſimpliciter eorum reſpiciunt, vel ad eorum mixtionem: unde partim ἰδιοσυγκρασίαν, & inexplicabilem temperamenti modum proficiſci volunt: partim per formas ipſas vegetabiliū, & animantium oriri poſſe aſſerere non dubitarunt. Atque in hac ſententia videtur Gal. qui cum de particularium naturarum proprietate loquutus eſt, nō ad aliud videtur reſpicere, quàm determinatam in ſingulis temperamenti rationem. Equidem in libello, quem de morum animæ, & corporei temperamenti mutua conſequutione ſcripſit. Vniuerſa (inquit) corpora ex duobus conſtant principijs; materià nempè, & temperie, quattuor qualitatū primarum, quæ illi ineſt, & ſpecies neceſſario dicenda eſt; quandoquidem à ſimilaribus partibus primo actiones proficiſcuntur; agunt autem, quia temperamento prædita ſunt. certò concludit ipſam animæ ſubſtantiam quodamodo calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperamentum exiſtere. Ex qua tanti viri imprudenti aſſertione ſequuntur deinde peiora; nimirum, cum temperamentum imminui, & aboleri totum poſſit: & animam, adeò ipſam ſubſtantiæ ſuæ corruptionem incurrere, & naturalem, atque iraſcibilem animæ ſpeciem cum animali ſimul interire. An rationalis anima, adeoque nobilis illa in homine intelligendi, volendique vis ſimilis cum prioribus conditionis ſit; ſi verum prius eſt, omninò conſequens eiuſdem fuerit. Diſſimulat tamen hoc Gal. & animam rationalem immortalem aſſerenti Platoni, non habere ſe fatetur, quod opponat. Alibi lib. 2. de Placitis; de ſubſtantia animæ rationalis aliquid pronunciaturus iam aut æthereum, lucidumque corpus, aut prorſus incorpoream ſubſtantiam neceſſariò dicendam eſſe concedit. Quod ſi propoſitam rem perpendamus exactius, & intimius; admodum verè prolata egregia Annæi Senecæ vox: Rerum naturam ſacra ſua ſimul non tradere: etenim ſi in corporis phyſici cōtemplatione hoc ſenſata, ſingulare prorſus verificari comperimus, in cujus eximia ſtructura ſemper admiranda quædam ſcrutantibus objiciuntur; multo magìs vera cenſenda, cum præſertim ad ea contemplanda conuertimur: quorum eſſentia ſenſibus noſtris ſubducta, nonniſi per ſimplices effectus ſui notitiam aperit: tunc enim Æſopicæ inſtar vulpeculæ corticem tātum lambimus, nucleum non attingimus. tales autem effectus ſunt, quos in magnete, in echeneide, ſiue Remora, & ſimilibus, tum in plantis Alexipharmacis, aut Catharcticis obſeruamus; ut mirum non ſit, ubi ſenſuum adminiculo deſtituimur, diſſenſum oriri, & diſcrepantium plexum. Cauſas

plures auctores, variaſque allegarunt, ex quibus, ut patet, Gal. utique fatetur rabidi canis, aut ſcorpionis deleteriam vim eſſe facultatis à tota ſubſtantia promanantis; & profectò diſerte ſatis lib. 3. de Temperam. cap. 3. facultatem naturalem attractricem, retentricem, alteratricem, ſeparatricem effectum inquit eſſe totius ſubſtantiæ. Addit tamen ſubſtantiam illam totam ex calido, frigido, ſiccoque mixtis conflatam eſſe: adeoque mirum non eſt, quòd ob hanc cauſam ſturni cicuta, coturnices helleboro, veluti familiari ſibi, & grato alimento fruantur; in temperamenti ſimilitudinem refert. Sed in neutro horum verè ſibi conſtitit ſatis Gal. nam in lib. de Nat. animæ, & temperamento corporis conſecutiuè, fatetur ſe animæ ſubſtantiam prorſus ignorare; Quod & repetit lib. de Vſu reſpirationis. Ita quoque tamquam altiorem dictorum effectuum cauſam agnoſceret lib. 11. de ſimplic. medic. facultatibus, Pelopem Præceptorem ſuum reprehēdit, tamquam nimis ambitiosè iactaret cognitam ſibi cauſam eſſe, quare cancrorum fluviatilium combuſtorum puluis rabidi canis veneno aduerſetur: Item de facultatibus nat. lib. 1. cap. 14. Aſclepiadem, & Epicurum irridet, quòd dum effectus naturales omnes ad manifeſtas cauſas reuocare conantur; vel rationes afferant ineptas, & ridiculas, vel negent ea, quæ experientia confirmata ſunt: Itaque cum nuſquam hac in re ſolida nobis fundamenta reliquerit; immò ſibi non ſatis conſtare videatur; non eſt cur Gal. vel tamquam ducem hic, vel tamquam dominum ſequamur. Non eſſe autem mirabiles effectus enarratos ab elementis, abundè ſenſuum fides concurrit; nam calidum, ignem videlicet, calefacere, ſiccare, rarefacere, attenuare; Aquam remollire, humectare, refrigerare; terram denſare manifeſtè deprehendimus: Nullum autem horum, aut ferrum attrahere, aut ad polos mundi ſe conuertere, ſiſtere Nauigiorum curſum, torporem abſque immediato contactu inducere obſeruatum fuit: Elementa corpora animantium afficientia ſi magnas inducere mutationes debent, neceſſarium eſt, ut mole pariter magna ad effectum producendum concurrant. Nec enim ab exiguo, vel calido, vel frigido magna intemperies excitari poteſt. At effectus de quibus ſermo eſt etiamſi ingentes induant mutationes vel à minimo dependent. Quantillum enim eſt, quod ſcorpio, viperæ, caniſque rabidi per vulnera communicant, à quibus tamen protinus ingentes dolores, tumores, partium inflammationes validæ, & continuatæ febres, vitalium functionum ingens ruina, cum facultatum principum horribili deprauatione ſuccedunt? Elementa corpus animantium afficientia cū determinatas alterant partes, ulterius vires ſuas nō extēdunt; non enim, quod digitum refrigerat, aut calefacit, refrigerat, aut calefacit corpus vniuerſum: at effectus enarrati, quamuis in punctum incidant corporis, ſubiectiuè diſpoſiti, diffundunt ſe per uniuerſum. Itaque cum à ſimplicibus elementis effectus enarrati non edantur, cum productiones, & mole, & intenſione elementorum conditionem excedant; neceſſarium eſt, ut aliam agnoſcant originis ſuæ cauſam, quàm elementa. Nec etiam ex elementorum mixtione enarrata facultas oriri poteſt; quamuis enim haud negem elementis per mixtionem ad armoniam quamdam redactis oriri ἰδιοσυγκρασίαν, videlicet temperamenti modum ſingularem; is tamen aliud non eſt, quàm

calidi,

calidi, frigidi, humidi, ſiccique mixtorum certa proportio, quam conſiſtentiæ ratio in tenuitate, vel craſſitie, raritate, vel denſitate conſequitur: quorum hoc temperamentum ſubſtantiale, illud accidentale nuncupatur: Cui ſi agendi vires maiores accedant, eæ procul dubio aliam agnoſcent cauſam: nam ut egregiè Scaliger ad Cardanum. Nihil eſt in re quapiam, quod non fuerit actu in ſuis principijs: ſed in elementis mixtionis omnis, principijs actu non eſt vis, aut facultas attrahendi magnetem, conuertendique ſe ad polos, in minima mole maxima operandi: itaque nec in mixto, aut in mixti temperamento, quatenus eſſentiam ſuam elementis debent. Quattuor colores ſi miſceantur, color quidem producitur, & is à prioribus mixtis diuerſus; ſed color reſultat, non vis, aut facultas agendi qualis in Opio, & Scamonio deprehēditur: ita de calido, frigido, & cęteris mixtis cenſendum eſt; Formas ipſas vegetabilium, & brutorum animantium ex elementarium formarum mixtione produci, manifeſtas indicat abſurditates. Etenim cum mixtio materialium tantum ſit nulli per ſe formę, tamquam rei à materiæ conditione per eſſentiam diſtinctę propriè tribui poteſt. & quamuis concedamus elementares formas, utpotè quæ Ariſtot. ſenſu ἀτιμώτεραι ignobiliores materialium inſtar, miſceri; attamen, quod exinde producitur formale mixtum, naturam redolebit ſuorum principiorum, è quibus productum. Nec aliam actu poſſidebit agendi vim, quam actu habuerunt illæ ipſæ elementorum formæ: Gal. ipſo teſte, dum vegetabilium, & brutorum corpora magnitudine, numero, nexuque miram per artem, & ſapientiam ſummam efformata eſſe, non tantum admiratus eſt, ſed obſtupeſcere contigit; ut neceſſarium ſit in corporibus mixtis præter materiam, & elementare temperamentum cauſam huius operis, & artificem nobiliorem concedere. Quippe purgatricem illam in Rhabarbaro vim, canum ſagacitatem, Elephantum æmulam humanæ rationis prudentiam, apum, formicarumque ſolertiam ad calidum, frigidum, humidū, ſiccumque, tamquam adæquatam, proximamq; cauſam ſi referant illi, obſurduiſſe videantur contra naturæ vocem ipſam, & ſenſum. Nec alicuius momenti eſt, quod vim dictarum facultatum ab elementis aliqui deriuantes, eamdem nobiliori formæ veluti inſtrumentum ſubijciunt. Nam inſtrumentum cuiuſcumque conditionis ſit, non poteſt ſub eminentiore forma ultra ſpeciei ſuæ virtutem agere; nec pario è marmore vultus educi, neque ſerra quidquam dolari, aut poliri. Qui è Cęlo dictas agendi proprietates deducunt, exterius, & longius accerſunt; quod quominus deberet, & propius equidem, ut à Cœlo ſubiectum rebus ſublunaribus non tribuitur; ita nec formæ ſubſtantiales, quæ in ſinu materiæ deliteſcunt, & quæ à generantibus, tamquam cauſis proximis per ſemina multiplicantur; ut de plantarum ortu ſuperius declaratum: adeoque cauſæ externæ fouentis, conſeruantis, aut immutantis rationem habent; Quidquid etiam, quod à Cœlo deriuari Clariſſimis Philoſophis ſtatutum eſt. Concludo igitur vires particularium, ocultarumque facultatum, non à formis elementorum; non eorum mixtione, aut κράσει, non à directione elementarium formarum, ſub forma nobiliore, nec à Cœlo ſimpliciter dependere; ſed à propria cuiuſcumque mixti natura, ſiue forma; quæ prout etiam elementares formæ

ſuas

ſuas habet agendi vires, & ita hæc quoque præter communes facultates; proprias obtinere poteſt operandi doctes; immò mirandorum horum effectuum relatorum nulla alia aſſignãda cauſa, ſubſcribentes lubentiſſimè ſententiæ Auic. in modum, qui ſequitur, loquentis. *Sui verò ſubſtantia operans eſt forma, ſui ſpecifica agens illa, quæ ipſum eſt id, quod eſt, & non qualitate ſui; cumque dico qualitatem, vnam ex quattuor qualitatibus intelligo (deinde ſubiungit) & ſua quidem operans ſubſtantia eſt illud, quod forma ſuæ ſpeciei operatur, quã aquiſiuit poſt complexionem, ad quam cùm eius principia ſe commiſcuerunt, & ex eis generata fuit res vna; præparauit ſe ad recipiendam ſpeciem, & formam additam ſuper illud, quod habent ſimplicia. Hæc ergo forma non eſt qualitates primæ, quas habet materia; neque eſt complexio, quæ generatur ex eis: ſed eſt perfectio, quam aquiſiuit materia ſecundum aptitudinem, quæ fuit ei aquiſita ex complexione.* Hiſce licet Clariſſimis verbis rem totam examuſſim explicantibus ſummus Vir haud contentus, explicat etiam poſtremò, quid ſit tota ſubſtantia operari; dicens. *Tota autem operatio hæc non prouenit ex eius complexione; immò ex eius forma ſpecifica adueniente poſt complexionem: unde propter hoc vocamus huiuſmodi operationem à tota ſubſtantia, nempe forma ſpecifica, & non aliqua qualitatum quattuor, neque ex eo, quod eſt eorum commixtio.* Cęterùm in his, quæ priore informante forma deſtituta ſunt; vel ſubordinatis ante priori, formis, vt Sennerto placet, vel ab eadem priore non informante amplius, attamen in humido, calidoque natiuo etiam non deliteſcente.

Hyppomne. cap. 3.

CAPVT XXII.

De Viribus Vegetabilium ſpecialibus. An quæ viribus occultis agunt plantæ vitâ deſtituta à forma propria, vel à ſubordinata agant decernitur. Quodnam huius formæ ſit ſubiectum ſtatuitur. Examinantur particulares harum occultarum virium effectus in ipſis.

QVi rerum naturam Protheo ſimilem conqueritur Poeta, & in mille ſe facies conuertere, & ſequentes ipſius veſtigia angere, & eludere, non tam reſpexit ad euidentes elementorum qualitates, & tenuiſſima illa ſenſibilium obiectorum ſimulachra; ſed potiſſimum effectuum admirandorum, ſiue magneticorum principia, quorum congeries mira Plin. lib. 32. cap. 1. ſuſpexit: Itaque cum hæc ipſa in elementis non ſint, adeoque nec ex eorum quacumque mixtione, vel temperie prodire queãt, neque extrinſecè; ſed ex re ipſa promantur; non aliò, quam in formas, naturamque propriam ſingulorum corporum referendam eſſe proximè ſatis expoſitum fuit. Iam vegetabilia cum effectus quoſdam integro vitæ munere edant; ſiquidem elementorum conditionem tranſcendant, eos ab ipſa informante ſtirpium forma prodire probabile eſt; & etiam cum vita priſtina amplius non fruantur, ut Peonia, & Rhabarbarum ſiccata, & diutiùs terra exempta vim ſingularem exercent; Tunc verò effectus vel in ſubordinatam formam referendus, ut in calce præcedentis capitis innuebamus; quæ cadente forma priore informante, dominium corporis ſuſcipit; quæ ſententia, ut dictum eſt Sennerti; vel in ipſam illam priorem formam,

Hyppomne. lib. 2.

non

non informantem quidem perfecte, nondum tamen ab humido plantæ radicali ſeparatam. Non enim doctiſſimo Viro facile aſſentior, dum formas ſtirpium ſecundum eſſentiam corruptibiles ſcribit; nam ſi elementorum mixtio, aut materiæ diſpoſitio cauſa non eſt, ut forma eſſentialis planta fiat; nec mutatio temperamenti, aut diſpoſitionis ſubiecti, in cauſa fuerit, ut eadem intereat. Si enim materia ſiue ſubiectum formarum vegetabiliũ per mutationes diſpoſitionum præſentium ſecundum eſſentiam non perit, tam ignobilior, & ad patiendum tantùm comparata; multò minus propter mutationem temperamentorum peribit forma eſſentialiter materia nobilior, & actionum omnium fons, & ſcaturigo; formæ enim non habent internum corruptionis principium, & mouentur per ſe; ergo neque habent externum, videlicet in elementis, quæ per ſe formam non afficiunt. Elementorum profectò formas haud interire cum diſſoluitur mixtum vel ſenſu ipſo cognoſcimus. Terra priſtinam ſeruat naturam; Aquam etiam, quamuis in vaporem diſperſam haud exuiſſe naturam ſuam innuit prompta eiuſdem vaporis frigidi in aquam reuerſio: Ita ignem & calidum, quod exhalat in deſtructione mixti, non perit, ſed cedit, mutatque locum. Quid igitur cauſa eſt cur interire neceſſum ſemper ſit formas elementis nobiliores, quæ nil impedit, ſi non informent, quominus materiei, tamquam ſubiecto ſuo aſſiſtant, aut in gremium eiuſdem illibata eſſentia reuertantur; è quo prius conſpirantibus ad generationem cauſis fuerunt eductæ. Manet etiam in combuſtæ roſæ cinere illibata roſæ formalis eſſentia; manet in ſuillo excremento Sonchus non extincta per digeſtionem eſſentiali forma: Manet in exiccata per multos annos Olea integra Oleæ natura; nec aliam admirandæ Plantarum regerminationis cauſam eſſe, ſatis in ſuperioribus examinatum. Hyppomne. lib. 2. c. 13. fol. 53.

Perſeuero igitur in eadem opinione venenis reſiſtendi, purgandi humores cathárticè noxios, ſimileſque proprietates in plantis è terra iam exemptis, & ſiccis ab eadem priore forma proficiſci nondum abolita, quamuis ob mediorum defectum vitales nutriendi, augendique functiones haud exequatur, donec ſanior forſan opinio contrarium appoſitis rationibus mihi perſuadeat. Subiectum autem harum facultatum ſingularium, quamuis communiter corpus ſit, plantæ, totius; præcipuè tamen inhærent humido ipſarum fixo, quod calore & ſpiritu puro, quaſi æthereo perfuſum eſt. Manifeſtum id apparet in eſſentijs plantarum, ita à Chimicis vocatis, & extractis Hermeticè præparatis; in quibus ſingulares illæ Cathareticæ, & Alexipharmacæ virtutes κατ' ἐξοχὴν, & eminentius, ad actiuitatem quod attinet, efflorеſcunt. Nec aliud per occultas qualitates intelligunt huius ſeculi Philoſophi præſtantiores, & medici, quàm formarum proprietates agendi, & potentias ſingulares, quas manifeſtis elementorum qualitatibus opponunt. Rident tamen hoc nonnulli è recentioribus præſtantes Viri, & neſcio quod ignorantiæ aſylum vocitant, ſed hi dum elementarem tantum ſapientiam profitentur; non poſſunt, non cum Epicuro, & Aſclepiade facere, quin aut ineptas afferant rationes, aut negent ea, quæ experientiæ fide ſatis fundata ſunt. Cæterum, ut per exempla rem illuſtremus: plantæ formarum ſuas ſingulares vires vel inter ſe ipſas exerceant, vel in ani-

animantia, hominem, aliaque extra ſpeciem ſuam conſtituta. Inter ſe vel odij, vel amicitiæ indicia proferunt, à quibus odium, aut diſſidium euidens conſpicitur. Inter quercum, & oleam Braſſicam, & Vittem, arundinem, & Filicem; amicitiæ verò ſingularis argumenta apparent, inter ficum, & Rutam, Rapum item, & Braſſicam, & Quercum ſanè, oleamque non aliam diſſidere ob cauſam arbitrantur elementarium formarum propugnatores, quàm ob alimenti corruptionem: Quemadmodum enim animalium cibum eumdem auidè appetentium contentiones, pugnaſque obſeruamus; ita inter eas plantas diſſidium manifeſtatur, dum Quercus ſiccitate alimentum, quo nutriri olea debet, auidius, & ſiccius euadit, quam, ut vitæ illius ſeruādæ aptitudinem inducere poſſit. Verumtamen non omnia, quæ animantibus intercidunt diſſidia, alimenti gratia ſuboriuntur, nam cui ignotum quæſo eſt miluium ob alimenti diſpendium non odiſſe Gallinaceos pullos, nec Araneam, Bufonem. Quod ſi nutrimenti corruptio pugnam faceret, non creſceret utraque planta, non ferret fructum. Itaque auerſionem harum plantarum ramorum ad inuicem, internum à natura propria profectū diſſidium parit. Quo modo homo ſerpentem auerſatur; imò, & homo idē in morum diſſimilitudinem hominem alium: At Braſſicæ vitis alimentum ſubducere poteſt, quod copioſum trahit, aut ſparſa foliorum umbra Solem excludit. denique Braſſicam temulentiam impedire poſſe videtur, vel adſtringendo ſuperius ventriculi orificium, vel ſalſuginoſa ſubſtantiæ tenuitate copioſius urinam mouendo; vel ſiccitate vapores diſcutiendo. Nihil tamen horum vero conſentaneum, nam in loco, in quo utraque poſita, aut humectata, vlterius non patitur alimenti inopiam Braſſica: non caloris defectum, amputata frondium vitis luxurię; nec manifeſta in Braſſica adſtrictoria vis; diuretica quoque debilis: euidentior autem laxatiua, & abſterſiua: ſiccitas etiam vel intenſior in alijs, nihil horum facit. Ergo quod adſita propius Braſſica, vitis ſuccum uvarum minus generoſum, uvaſque pauciores, minoreſque fert; nec Braſſica ipſa proficiet; in formarum potius diſſenſum referemus. Quod filix, & arundo diſſideant, in locorum diuerſitatem quidam referunt; cum filix pingui in ſolo, arundo verò in macro melius degat. Verum quia filici in natali ſolo fixis diu radicibus altè propè circumpoſita arundo, ſimulatq; adoleſcit exitium affert; ad naturæ potius contrariam vim referendum adeò: ut veluti ſparſis radijs malignis inuicem ſe confodiant, confugiendum. Helleborus utique albus, & Cydonij mali fructus inſigne præbent antipathiæ exemplum; illius enim mortiferi ſucci vis, quia illinunt Hiſpani ſagittas ad venationem, & Baliſtariam herbam vocant, ſolo Cydonij odore proſus hebeſcit, inquit Coſtæus, & frangitur; euidenti, claroque diſſidentium formarum argumentum. Porrò fici, & rutæ familiaritatem, quamuis præſtantiſsimi Philoſophi ad calorē referant, à fico Rutæ communicatum, per quem ex accidenti melior, altior, ſapidior, odoratiorque fiat: Vel à calore ficus ſubductum alimentum craſsius, aut acrius, aut amarum; quorum poſterius licet concedi queat; ſi ficui inſita Ruta ſit; ſi tamen adſita tantum eſt, & ab unius caloris communione dependeat effectus, quid eſt quod ſi ſit ſub Lauro, ſimilem in modum Ruta non perficitur? Itaque naturarum potius conſenſus cognoſcendus

eſt, quemadmodum, inter Rapum, & Braſsicam non tantum inſitionem fe-rendo, ex qua Caulorapum mixtum vegetabile genus exoritur, ſed Braſsicæ ſemine hoc præſeferente, ut vetuſtum in rapi generationem inclinet.

CAPVT XXIII.

Quos inſignes affectus occulta ſua vi, tam in animatis, & homine ipſo, quàm in anima carentibus in conſenſu, & diſſenſu prodant Plantæ, perpenditur; & an quarumdam ex priſcorum teſtimonio portentoſæ vires ſint credendæ.

PLantæ latentes formarum vires vel inter ſeſe exerunt occulto vel conſenſu, vel diſſenſu; de quo ſatis in proximo ſuperius capite explicitum: vel diffundunt extra ſeſe in corpora anima expertia, vel in animantia, atque hominem adeò ipſum. Ex his, quæ vim ſuam communicant inanimatis corporibus Æthiopis herba veteribus celebratur, qua in aquas coniecta, amnes, & ſtagna ſiccari, cuiuſque contactu clauſtra portarum aperiantur. Latace item planta, quam à Perſarum Rege Legatis dari ſolitam, ſcribitur, ut quocumque veniſſent rerum omnium copia abundarent. Cognoſpaſtos, quam cum Babaras Ioſephi eamdem arbitrantur, & maris tempeſtati ſedandæ conferre tradunt. Verùm Æthiopidis, & Lataces hiſtoriam nimiæ antiquorum credulitati adſcribunt, & humani ingenij vitio modum in rebus neceſſarium non tenentis. At notum Venetijs inſigne furis exemplum; collecto in Æthiopide planta viſco aditum ſibi ad pretioſas merces, & opes hominum ditiorum patefaciebat, pretioſas ſurripiebat opes. Ad me quod attinet vix crediderim rem tanta cum vi coniuncta in plantarum naturam cadere poſſe; ſed altioris cauſæ ſpiritualem concurſum exigere tam pertentoſos effectus, ſi vera ſunt, quæ referunt. Althææ autem radicis cum Mercurialis ſucco, ac Portulacæ, qua ratione manus ſic munire queant, ut liquatum plumbum innoxiè tractare poſsint, adhuc controuerſum eſt. Nonnulli ad frigiditatem referunt, quæ ſenſus vigorem hebetat; vel ſuccorum lentorem, quo manuum cutis, veluti cruſta quadam aduerſus ignis iniuriam muniatur: vel leuitatem ijſdem inducere, ob quam citius defluat metallum, quam ut calor manum ſubire queat: eamdemque ob cauſam Ariſt. aquæ calidæ perfuſionem minus eos ſentire ſcribit, qui oleo prius inuncti fuerint. Cæterùm quia hunc effectum non præſtat Solanum, allegatis frigidius, glutinoſiuſque, Coſtæus (non temerè) ipſarum formæ tribui ex iſtimat. Spinæ mentionem facit Theophraſtus, item Plinius, quæ aquam congelat; in ea ſanè immoderatæ frigiditatis exceſſum cognoſcere par eſſet, cuius intenſione non minus, quàm a frigidiſsimo aere aqua concreſcat. Quod etſi qualis à coagulo in lacte effectus intelligatur; tamen utcumque ex his admirandus. Verùm quod neque cryſtallus, neque hydrargyrum, quamuis gelidiſsimi temperamenti ſui rigore præſtiterit; multò minus id planta præſtare poterit, quam inſito calore, citra vitæ abolitionem exui poſsibile non eſt; adeoque hic quoque potentioris naturæ facultas admittenda potius fuerit. Quod referunt mirum eſt, in Bengala, & Zeilano de herba, quæ ligna ad ſe ellicit, imò è manibus homi- Lib. 24. c. 23

num trahit; numquid elementorum qualitatibus hoc tribuendum? Iam in animalia, quæ expetunt occultiores plantarum actiones vel conſenſum, ac familiaritatem naturarum arguunt, aut diſſenſus, graminis radices canes indagant ſtomachi, ut loquitur Plinius, faſtidium deducturi; vulneratæ ſagittis Ceruæ dictami ope ſagittas excutiunt; hirundines in Chelidonio oculorum heberudini remedium quæſiuerunt, in fœniculo ſerpentes, quo deguſtato ſenectam exuere perhibetur. Sic verè & Lyſimachia, ſiue enethera Crateuæ, ſi qua facultas eſt, quæ ferarum agreſtium impetum, & ſæuitiam refrænet, ea ſanè alia non eſt, quàm tacitus formarum conſenſus; nam quod ad calorem plantæ aliquis confugiat, tamquam eo veluti oblectamento oblato domari ſe patiantur, non eſt alicuius momenti. etenim in odoris fragrantia ſi conſiſtit effectus, animantia ad plantam hanc ſpontè certatim concurrerent, quemadmodum de felibus notum eſt in mentham felinam furenter pronis, eas calaminthæ Cattaniæ odore, ex tota vicinia animalia eòdem congregari. Plantago minor bufonis cum Aranea pugnantis aſylum eſt. Diſſenſus verò ſit exemplum inter cætera, fraxini & ſerpentis, necnon Coryli; at in hominem quæ recipiuntur latentes vegetabilium vires ad partium eius nutritionem, aut confortationem, ad morborum curationem conducunt; vel aduerſaria quadam vitæ partium corruptionem, ac morbos inducunt, ut venena. De alimentis iam dictum eſt. Ea exhibent quidem familiarem homini temperamenti modum; ob quem aurum, Corallia, uvarum acini, & huiuſmodi alia, quamuis formaliter utilia homini ſint, in partium ſubſtantiam conuerti non poſſunt; ſed & neceſſarium eſſe formæ ipſius conſenſum. quæ determinatis partibus roborandis etiam humani corporis ijſdem determinatis partibus operam ſuam conferunt, non caloris, aut frigoris, humidi, & ſicci certum gradum obtinent: quia nil obſtaret, quo minus id alia ſimilis in temperamento conditionis efficerent, ſed formæ quoque virtutem aſciunt propriam. Ita quidem à partibus animalium noxæ, & iuvamenta obſeruantur, nam cerebella cerebro & neruis, Pulmones Pulmonibus, Iecinora Iecori, ventriculos ventriculo prodeſſe cognitum experimentis. Et è contrario cerebella quorundam animalium cerebro, Lepus marinus pulmonibus, Cantarides veſicæ noxia maximè deprehendantur, per naturæ ſuæ non ſimplices temperamenti vires, ita capiti Betonicam prodeſſe, pulmonibus farfaram pulmonariam, crocum, ac meliſſam cordi, eupatorium iecori, mentham ventriculo, artemiſiam utero experimur. Ita & contrario effectu hyoſcyamum, & Lolium capiti, mezereum iecori, Aloem hęmorrhoidibus infeſta eſſe comperimus. Mirum ſanè cuipiam videatur quod de Baxama planta rerum Indicarum ſcriptores prodiderunt, eius fructum magna virtute cor aduerſus toxicorum vim roborare; radicem autem pręſentaneum venenum eſſe. Similiter in zedateth flores, & fructus idem operantur; ita arboris in Malaca radices ad Orientem vergentes ſunt Alexipharmacæ, ab Occidente autem ſunt venena. quomodo quæſo ſi à forma effectus prodit, in eadem planta contrarius reperitur? quod idem etiam de Iuca Indica perhibetur, cùm præſertim nihil ſibi ipſi ſit contrarium: hinc deductus Plempius fundamentorum Medicinalium lib. 2. cap. 3. negat occultas qualitates eſſe

acci-

accidentia propriæ formæ; attamen reſpondendum, nec malè puto, cum Coſtæo, ab una eademque forma pro diuerſitate partium, diuerſos effectus dimanare poſſe, quemadmodum ab eodem artifice pro inſtrumentorum diuerſitate, aut varietate, multiplex opus produci poteſt. Idque tunc præcipuè verum eſt, cùm actiones à forma quidem tamquam commune principio dependeant; caloris tamen, & ſpirituum, imò & conformationem parti determinatam exigunt; ut enim edatur actio formalis, requiritur diſpoſitio temperamenti determinata; habet ſe hic temperamentum, ut inſtrumentum, non ut cauſa princeps, à qua actio denominanda ſit. Nec verum eſt ferrum tactu magnetis aliquid de temperamento eius accipere; Mutato igitur etiam temperamento, manet tamen vis occulta, dum permanet forma. Exempli gratia Coturnicis caro aſſumpta purgat, ſi temperamentum ex aſſumpto cibo purganti mutauerit. Ita de herba Bengalla, & de herba Tudifera. Quid quæſo præſens Reus interfecti ſanguini de temperamento communicauit, ut in conſpectum proſiliat? quid Remora, vel Piſcis alius abripiens nauilia? Quemadmodum igitur Veſpæ, & Scorpiones aculeo, aut caudæ veneno maximè nocent; viperæ capite, dentibuſque potius fixis, reliquo verò corpore non ſolum non obſunt, ſed etiam venenis ſuis obſiſtunt; ita hic cenſendum eſt. Iam morbos, quos curant Plantæ, idque ſingulari formarum virtute præſtant vel inſenſibili cauſarum ablatione, quod in alijs ἄδηλον διαπνοὴν traſpirationem haud manifeſtam pronunciat Gal. vel manifeſta quadam humorum veluti facta commotione per alvum, aut os, quod fieri obſeruamus à purgantibus propriè ſic nuncupatis. Inter ea, quæ imperceptibili pugna morbos tollunt Peoniam extollunt veteres, cuius radices Epilepſiæ antidotus habetur. Gal. præſertim, ut ex eo in lib. de Simpl. Medicam. apparet: immò à collo ſuſpenſam id præſtare emiſſo vapore, quo & vicinus aer, & cerebrum ipſum tandem, ut aiunt exiccatur. Verumtamen ſi à calore, & ſiccitate vaporis ſimplicis palma, ſeu victoria dependet; quid cauſæ eſt, quòd nec Theriaca, nec Mitridatium, imò nec Moſcum, nec Ambra hoc ipſum? in quibus præter caloris, & ſicci animalis, vigorem cerebro delinificum, & ſuauiſſimi halitus gratia dominatur. Anagallidis utique flore rubro radicem, Epilepſiæ quoque reſiſtere multiplici praxi compertum eſt; in qua tamen nihil horum ſenſui manifeſtum eſt; adeoque igitur prudentius fuerit ad ſingularis naturæ facultatem opus referre. Superſtitionem tamen redolere videtur peoniam certa ſyderum, planetarumque poſitura, certiſque adhibitis ceremonijs colligendam eſſe. Satis opinor factum arti fuerit, ſi eam radicem colligamus, quæ natali in ſolo, non incommodo hoſpitio degit, quæ perfecto iam flore, & addito ſemine roboris naturalis ſpecimen præbuit; denique marem potius radicem adhibeamus, quàm fœminam, quia illa craſſior, adeoque ſub auctiore mole virtutis pariter auctarium poſſidet; non quod & nos vulgari credulitate irretiti maſcula omnia maribus tantū prodeſſe exiſtimemus. Porrò quod Clematis Daphnoides, ſeu vinca peruinca, Polygonum minus non propter aſtrictionem hernias curent, nec Plantaginis, aut Portulacæ ſemen id iam dicta cauſa efficiant, hoc conuincit; Lib. 2. c. 2.
quia, ut rectè exiſtimabat Coſtæus, Rhoe, Galla, Rubuſque magis aſtrin-

gentes id non efficere compertum eſt; quæ & vermibus necandis adſcripta facultas abſynthio, abrotano, & huiuſmodi amaris, ſeminibus portulacæ, plantaginis, necnon oxalidis etiam proprium eſt minimo amarore prçditis; ideò vir ſingularis meritò non ad has manifeſtas qualitates vim refert, ſed rectiſſimè ad occultas, prout etiam in Anthitoræ viribus deprehenditur; imò vermes extra tamen humanum corpus productos abſynthio non offendi obſeruaui. Iam, quæ venenis impotentiam excitant alia aucta materia, aut flatu copioſius generato, aut calore ſuſcitato, aut acrimonia excitata operari dicentur? & modis etiam ſimilibus combinatis: At quod Indica illa planta, de qua Theophraſtus externo tantum in uſu reuocata potentis titillationis cauſa ſit, imò effrænis; altioris conditionis, quàm elementariæ qualitatem expoſcit: Surnag item planta in Athlante monte ad ſolem occidentem nata, quod non aſsumpta tantum radice, ſed urina tantumodo inſperſa homines in libidinis œſtrum agat, & inſedenti tantum Puellæ hymenem rumpat, non profectò ordinaria vis, ſed maioris potentiæ cauſæ aſſignandum eſt. Quid de Orchidis maiore, aut minore bulbo, quid de mercuriali mari, vel femina in conceptus promotione cenſendum ſit, opinor omninò Coſtæo aſſentiendum loco citato, ut Orchidis ſcilicet facultas naturali etiam, & ordinariæ cauſæ tribui poſſit; Mercurialis verò minimè.

De Plantarum Alexipharmaca vi.

CAPVT XXIV.

Alexipharmacorum natura explicatur, vireſque ſuas à propria forma cognoſcere ſtatuitur. Galeni, & Auic. diſsidentes ſententiæ perpenſæ, Rudij opinio conciliata. Quomodo venena Alexipharmaca ſint. An detur Alexipharmacum omnibus venenis æque contrarium.

INter plantas, quæ ſingulari formę ſuę virtute corporis humani particulares ęgritudines expugnant Alexipharmaca ſunt, ita dicta, quod determinatis venenis aduerſentur ſingulari prouidentiæ munere homini patefacta; ut nec hac quidem in parte habeat, de quo conqueratur Plinius, tamquam nouitatibus morborum victa medicina ſit. Dixi autem Alexipharmaca ſingulari ſua formæ virtute reſiſtere venenis; nam quamuis tradatur communiter in veneno frigido à calidis eſſe auxilium, in calido à frigidis, in ſicco ab humidis, in humido à ſiccis; cum tamen nulla res ideo veneni nomen mereatur, quia calida, frigida, humida, vel ſicca; ſed quia, ut iam dictum eſt, vim habet formæ ſingularem corpori humano inimicam; ita nihil propriè Alexipharmacum eſt, quia calore, frigiditate, aut cæteris præditum; ſed quia determinata naturæ ſuæ facultate venenorum impreſſioni reſiſtit. Gal. 5. de Simpl. medicam. facult. Alexipharmacum medium pronunciat inter venenum, & corpus à veneno paſſum: Tantus vir tamen non effugit Auerrhois cenſuram; contendit enim alexiteria ita vocata minime media exiſtere inter medicamenta & venena; imo potius contraria.

traria. Aſſerit enim alexipharmaca duas operationes edere, unam vitalem & proficuam, alteram pernicioſam; concluditque ea utiliter exhiberi venenatis corporibus, ſanis vero haudquaquam. Excipit tamen ſemina citri, quæ etiam ſanis tutò adminiſtrari poſſunt: ita ex Auerrhois mente concludendum videtur, alexipharmacorum alia eſſe per ſe talia, alia verò ex accidenti, horum illa, vel leuem habent temperamenti exceſſum, vel inſignem; utraque tamen proprietate formæ cordi amica: iſta verò ſimpliciter deleteria, ut Vipera, Aconitum, hydrargyrum, & huiuſmodi alia, quæ potius fugienda eſſent; attamen hæc ipſa fieri conſuetudine familiaria poſſe; ut olim contigit cuidam Cambaiæ Principi, & Turcis quoque, opium ſumentibus: ſed inculpatam tamen valetudinem non ſeruant, licet externus horum uſus concedatur, ut Scorpionum fricatorum vulneri per eos inflicto, aut eorundem in oleo tabefactorum: Viperæ in antidotis receptæ: & horum ſimilium. Hac igitur allata diſtinctione, utraque ſententia defendi facilè poteſt, imò verificari. Auicenna tamen lib. 2. tract. 1. cap. 18. qui Alexipharmaca bipartito nominat diuerſo planè ſenſu, hæc ipſa ſanitatem, & robur ſpiritus vitalis ſeruare ſcribit, & proprietate ſua tale ſit, ut veneni noxam à ſe repellat; ex quo deducere licet Alexipharmacū non directè venenum opugnando, ſed cor tantum roborando opitulari; adeoque ex accidenti morbum ipſum, ſiue venenum ſuperare. Huius inter recentiores reijcit ſententiam Euſtachius Rudius lib. 2. de morbis occultis, & plantam Alexipharmaca virtute imbutam non ad cor, ſed venenum dirigi, ipſique totius formæ viribus aduerſum eſſe ſtatuit: hac potiſſimum ratione ductus, quod cum venenum formam obtineat, qua vitæ humanæ præſidia labefactat, & vincit; etiam Alexipharmacum neceſſe eſt, ut vim obtineat, qua aduerſarias veneni vires expugnet, & deſtruat. Atque hinc eſt quòd Alexipharmaca ſi largiori doſi aſſumantur, nocere homini, imò in diſcrimen adducere queant. In hac tamen clariſſimorum virorum diſſenſione neutra ſententia ſimpliciter admittenda videtur: nam ad priorem quod attinet, idcò Alexipharmacis ſuperari venena, quia cordi robur addant, vero conſentaneum non eſt; quia conſequens ſanè foret quidquid cordi robur præcipuè confert, hoc ipſum omnibus pariter venenis ex æquo reſiſtere. Id autem experientiæ cenſuram minimè ſuſtinet, cùm non pauca ſeſe offerant venena, quæ niſi proprijs ſuis antidotis expugnari non poſſint. Rudij quoque mens explicatione debita componenda; nam Alexipharmaca modo quodam cordi contraria eſſe concedi poteſt, quia non vt alimenta temperamenti familiaritate Cor humanum attingunt, quamuis formæ proprietate non diſcrepent, attamen ex ijs ipſis Alexipharmacis non deſunt, quæ temperamenti blanditie non multum ab alimenti conditione recedant, vt meliſſa, Cydonia, mala Citrea, & his ſimilia, maior tamen horum pars ad medicamenti vim magis aſcendit; Sed hoc in ipſis, quoque cor roborantibus obtinet; è quibus tum calidiora, tum frigidiora non niſi iuſto pondere exhibita deſideratos effectus præſtiterint. Obijci tamen pro Rudianæ ſententiæ confirmatione poſſet, Plinium Aconitum pernicioſiſſimum venenum inter Alexipharmaca referre: quandoquidem id in vino calido contra ſcorpionum ictus veteres exhibebant; adeoque remedium Lib. 27. c. 27

illud

illud homini experiebantur dumtaxat, ſi reperiret, quod in eodem homine perimeret. Sed Aconitum, & venena ſimilia propriè Alexipharmaca non ſunt, & de quibus aliàs à nobis, & infrà ſermo erit: non enim medio horum, ſed per ſe extremorum cum corde, & veneno rationem habent. Illud à doctis viris non immeritò in conſiderationem vocatur; detur ne Alexipharmacum, quod venenis omnibus æqualiter contrarium exiſtat? Mouerunt expectationem huius præſidij Chimiæ hoc ſæculo profeſſores, dum uniuerſalem promittunt medicinam, qua, & vitales ſpiritus roborant, & cauſas morborum omnium tollunt, ignis inſtar, qui ſimilia omnia congregat, ætherogenea verò ſegregat, & reſoluit? Ita & ſtibium vim habet metalla omnia abſumendi, & deſtruendi, ſolum autem aurum intactum relinquit, & remotis impuritatibus ſplendidius exhibet. Quod autem induxit eos in hanc ſententiam, hoc præcipuè fuiſſe videtur; nam obſeruantur venena, quæ omnibus hominibus æqualiter nocent, itaque pari ratione veriſimile eſſe dari quoque Alexipharmacum, quod omnibus æqualiter, & in uniuerſum proſit. Habentur medicamenta, quæ determinatæ partis morbis omnibus aduerſantur: Eſtque exempli gratia iecur lupinum in affectibus iecoris, aut abſynthium, quod in morboſis eius affectionibus tam à pituita, quam à bile profectis opem affert. Itaque abſurdum non videri medicamentum exhiberi tale, quod in uniuerſum omnibus affectibus medeatur. Hoc itaque uniuerſale præſidium, quamuis in magiſterio ſuo, ſiue lapide Paracelſi repoſitum aliqui velint; non nulli tamen in ſtibio illud exhiberi manifeſtum arbitrantur, quod pro varia, atque artificioſa propria ratione, varium exhibet medicamentum: quod & omnis generis humores tam per os, quam per aluum expurget, ſudores commoueat, adeoque malignos, & venenatos humores propellat; externis etiam affectibus balſami ritu variè auxilietur. Alij in hydrargyro ponunt, ſed ad id fixitatis redacto, ut amplius reducibile non ſit. Alij in ære ratione venenatæ ſubſtantiæ, ut unum alteri aduerſetur. Alij in Sale volatili, & in præcipitato Mercurio. Verùm exoptanda hæc magis ſunt, quam re, & effectu demonſtranda; cum illi ipſi, qui tam diuini theſauri ſeſe non aſſertores, ſed poſſeſſores prædicarunt; morbis tamen particularibus ſeſe victos agnouerint; & in ſumma præſidiorum copia, tandem maxima laborauerint inopia. Equidem corporis humani non ea firmitas eſt, ut metalli inſtar, ignis aut igniti ſtibij ritu agentis id ſuſtinere queat citra vitalium præſidiorum læſionem iuxta cum morbo ipſo. Dari venenum particulare, quod omni homini noceat, non arguit dari Alexipharmacum uniuerſale; ſed particulare, quod contra illud omni homini proſit. Abſynthium non tollit calidam, & ſiccam iecoris temperiem, niſi à craſſis, & pituitoſis humoribus exortum habeat; non ſcirrhos eiuſdem, non vulnera, aut ulcera perducet ad cicatricem: ſtibium, licet artificioſis præparatum manibus, & elaboratum πολύχρηστον præbeat medicamentum, minimè tamen utcumque purgans ſit humanæ naturæ formæ ſuæ proprietate familiare; nec propriè adeò Alexipharmacum; imò contra particularia venena plurima minime proficuum. Conſtet itaque nobis cùm morborum diuerſorum diuerſæ quoque cauſæ ſint, & occultis, & manifeſtis viribus diſcrepantes, atque hæc ipſa varie-

tas in venenis quoque deprehendatur, non omnibus ijs unum ſatisfacere poſſe; nec fruſtra à rerum Auctore Deo varietatem hanc remediorum productam. Illud interim dandum eſt ex i js, quæ propriè Alexipharmaca dicimus, alia pluribus aduerſari venenis, alia paucioribus, aut determinato unico. ex prioribus ſunt Angelicæ, enulæ, gentianæque radices, aut contraieruæ, quæ Bauhino cyperus longus odoratus Peruvianus vocatur, ſcorzoneræ, Ariſtolochiæ rotundæ, Valerianæ, Vincetoxici. Ex herbis Carduus benedictus, dictamus Creticus, ſcordion: Ex plantis temperatioribus, radices Biſtortæ, Pimpinellæ, Tormentillæ, necnon hypericon, & flores Calendulæ: ex frigidis radices plantaginis, acetoſa, flores Boraginis, Roſarum, & huiuſmodi; tamquam nihil horum tamen eatenus Alexipharmacum ſit, quatenus calidum, frigidum, humidum, ſiccum, temperatumque, nec eo nomine particularibus venenis proſit. Antipthora Pthoræ veneno, Gentiana Cicutæ, nucleorum Pini oleum auripigmento, ſublimato mercurio; oleum amygdalarum dulcium cum cryſtallo, & ſimilibus potius particularium antidota, & Alexipharmaca cenſenda veniunt. At cùm incongruum non videatur hic preſſius ſingulis venenis aptare propria ex plantis deſumpta Alexipharmaca; ab re factum non erit breuiter modo, & veluti per compendium aliqua etiam de venenis præbere; ut indè integra in gratiam Alexipharmacarum plantarum, venenorum etiam habeatur cognitio: Quibus expugnandis ſelectiora antidota ſeiunctim ſubnectemus.

CAPVT XXV.

Diſquiritur an neceſſarium ſit agere de Venenis: eſſe Dioſcoridis genuinum librum, qui de Venenis inſcribitur. cum eodem Auctore ſtatuitur agendorum ordo; pharmaci vocem diuerſa ſignificare innuitur. Gal. excuſatur. Venenum definitur; & à natura qua venenum eſt, non eſſe productum aſſeritur.

Ethalium profectò venenorum præcautionem, & curam proponere, & abſolue re, eſt quidem res tum humano generi uniuerſo, tum principibus viris maximè expetenda; quod ſi namque gratum homini eſt eas nouiſſe remedia, quæ morbos expugnant, in diſcrimen, & ambiguum certamen naturam adducentes; quantò gratius fuerit, & utilius arma poſſediſſe, & præſidia, quibus hoſtes arceamus, qui, niſi ſtatim occurramus, certam mortem inducunt, & arcem vitæ ipſam à fundamentis ſubruunt, ſubuertunt. Ex ijs eſſe venena, non imprudentia tantum hominis, ſed auaritia, libido, regnandi cupiditas, odium, adeoque immanitas, atque inhumanitas hominis, proh dolor! crudelibus exemplis ab omni æuo patefecit; quorum ſanè venenorum homini potius, quam naturæ inuentio, ut feriò loquitur Plinius, tribuenda eſt, qui naturalibus venenis minimè contentus, etiam inhumana arte ea componit, & exacuit. Impiorum ſanè animorum ſunt tantum inſtrumenta venena; & quæ magis crudeles exercent in nos actiones, quam cętera malorum genera; nam cum maxima morborum

borum pars ignobiliores corporis ſedes occupet, calculi, renes, & veſicam; inteſtina, vermes, & flatus: Torpor, & convulſio neruos: Artuum compagem arthritis; Venena cor inuadunt, vitaliſque caloris fontem celerrimè exhauriunt, & exiccant. Febres reformidamus, quas ob ingens æſtuantium viſcerum incendium ardentes καύσους appellamus, quod intra tres, quattuor, vel paulò amplius dies ægrum abripiant; formidabiliora magis ſunt venena, quæ pauculis non diebus, ſed horis hominem, utcumque viribus ſuis pollentem, attrociter vita deuoluunt; ac veluti in arida materia victrix flamma vitale humidum celeriter populantur. Pleriq; morbi cum magnitudine periculi, aut molem, aut ſpeciei ſaltem magnitudinē ſecum trahunt, ut latum profundumque vulnus: intemperiem inſignem: colluviem redundantis, aut putridi ſucci magnam, calculi immane pondus: In venenis quod ſummam affert vitæ perniciem ſæpè exiguū quid exiſtit, ſæpe oculis humanis imperceptibile, nonnunquam halitu ſimplici, & vapore ſe diffundit. Habent ægritudines propemodum omnes ſua ſigna, quibus eorum initia, progreſſus, vigoremque cognoſcimus; In venenis adeò occulta ſæpe eſt pernicies, ut arcem in homine occupent vitæ, antequam inuaſiſſe deprehendantur; cumque iam ſe manifeſtant, non pugnæ cum natura (ut inquit ille) ſed victoriæ ſuæ mortalia ſigna proferant. Minatur febrium impetum præcedens horror, epilepſiam vertigo, lethargum capitis ardor, & grauedo, paralyſim neruorum ſtupor: venena, quemadmodum de morbis extremis fatetur Hippocrates, extremos protinus afferunt labores, & protinus extremis debellanda remedijs, ut Alexandri illud μηδὲν ἀναβαλλεῖν nihil cunctari, nuſquam magis, quam in venenorum curatione locum obtineat. Auget periculum remediorum inueniendorum difficultas; nam cùm in morbis calidis refrigerantium, in frigidis calefacientium auxiliorum uſu proficiamus; in humidis affectibus ſiccantia, in ſiccis humectantia, iuxta Hip. decretum efflagitemus; curationem tamen lethalium venenorum tantum abeſt, ut ratio eadem oſtenderit; ut medendi præceptor Gal. eam extra methodum rationalis normæ poſitam exiſtimet; & non rationi, ſed experientiæ vindicet. imò ſi verum fateri velimus, diuinæ potius prouidentiæ munus, quam humani operis videtur inuentio. Atque hæc potiſſimum cauſa eſt cur magni Principes in culmine felicitatis humanæ noxijs inuidiæ oculis, & odijs expoſiti, à venenis tanquam pernicioſiſſimo monſtro iurè ſibi, ſummaque cum ſolicitudine caueant.

Humi iacentem (inquit Seneca) *ſcelera non intrant caſam*
Tutuſque menſa capitur anguſta cibus. — *In Thieſte act. 3.*
Venenum ex auro bibitur.

Immo hoc ipſum eſt, quòd Attalum Pergami Regem ſplendidiſſimum, & Mithridatem Regum, ut loquitur Plinius, ætate ſua maximum, ad innumera experimenta deduxit; ut tandem antidota reperirent, quibus noxiū virus tamquam claua Herculis domarent. Hoc Marcum Aurelium Antoninum Imperatorem ad quotidianum theriacæ uſum impellebat. Hinc factum eſt, ut clariſſimi viri malitiam humani ingenij veriti, diſſuaſerint quidquam de venenis publice doceri, producta Hippocratis authoritate ex iure iurando: ut Platonis 2. de Republ. Gal. quoque 2. de antidotis diſ-

ſuadet lethalium venenorum doctrinam eſſe publicandam; & eodem lib. cap. 7. reprehendit horum auctores, in quos & inuehitur Plinius in procœmio lib. 28. & in cap. 1. 18. lib. idemque Gal. lib. de purgantibus medicamentis: exemplum affert eius, qui herbam nouerat, qua ſanguinem ducebat; quamuis Meſue, & Hieronymus Mercurialis fabuloſam rem exiſtiment, ob id ea in parte, qua venenorum meminerunt, reprehendunt Hippocr. Theophr. & Gal. Alij tamen contra licitum id putant, quia res non naturales, ut vitentur ſi noxiæ, diſci, & pernoſci debent; quia occaſionem detegere, eſt tollere peccandi anſam, & ſic etiam opportunè remedijs venenis congruis occurrere poſſumus, ideo non eſt cur ſcientiam eorum reformidemus, patefactis præſertim antidotis ea expugnantibus, quæ animantibus quandoque ſalutaria cõperiuntur. Vtiles enim apud Hippocratem Cãtharides iudicantur, & ad antidota requiruntur opium, & viperæ; quia tandem ſæpiſſime venena ipſa alteri præaſſumpta, aut poſt ſumpta vincunt, & ſuperant, ut notum eſt ex Plinio præſertim de Aconito locuto, & ex Auſonij lepidiſſimo Epigrammate dum uxor mœcha exhibito hydrargyro zelotipo marito, ut eũ citius neci traderet, cùm à toxico ante tradito nimium mors tarda ſuccederet; inde unum horum venenorum alteri alexipharmacum fuit, & ſic vir euaſit. At melius tamen foret horum doctrina non indigere; optimũ eadem carere, ſi venena ipſa non eſſent, Immo exoptatiſſimum, ſi nec vitia eſſent, nec fraudes; tunc enim parcerent operi ſuo, & morum magiſtri, & Logici. Iam quia venenis homo tam per imprudentiam, quam per ſcelus ſæpe manus admouet; neceſſarium eſt ſuccurrere volenti, & periclitanti; ob id expedit igitur tum venenum ipſũ noſcere, tum antidotum, quod aduerſatur; cùm præſertim & faueat Eraſiſtrati exemplum: cum & idem fecerit Gal. 6. Epidem. 3. ſimpl. & 3. de temperamentis. Rhaſes, qui Gal. lib. vidit, hoc ipſum argumentũ abſoluit, & proſecutus eſt: ipſamque prouinciam egregiè explicat Dioſcorides, quem adamuſſim ſecutus eſt Abenſina lib. 4. Fen 6. Agemus itaque de venenis non occultis adhuc, ut à pleriſque, aut Dæmoniacis; ſed paſſim cognitis, & in artificum officinis obuijs, & à quibus frequens lætio. In ijs primò communiter naturam ſpectabimus, deinde uſum; non in perniciem tamen; hoc enim eſt quod Hippocrates, Plato, Galenus, & cæteri nobiliſſimi auctores deteſtantur, & quod legum ſeueritate iure coercetur; ſed in ſalutem ſiue intus aſſumpta, ſiue extra admota prodeſſe queant. præcautionem, & curationem in uniuerſum primo; tandem, & deinde ſingularium proſequemur, antidota proponentes præſtantiora; quæque, tam antiquorum experimentis, quàm recentiorum induſtria inuenta fuere. in quorum ſingulis modum præparationis, ſi opus fuerit, exactiorem, adeoque etiam, neceſſitate exigẽte, Hermeticum patefaciemus, ut partium ſubtilitate venenis operoſiores euadant, & ſuperiores. Igitur cùm in gratiam plantarum Alexipharmacarum breuis hæc tractatio inſtituenda veniat; Dioſcoridem grauiſſimum ſcriptorem ſequemur, qui in Libro ſexto de materia medica venenorum, & Alexipharmacorum utiliſſimam hanc Prouinciam abſoluit. ſunt tamen qui dicant, minimè eius Libri auctorem fuiſſe; inter quos enumerãtur Ianus Cornarius, Melchior Guilandinus, & in eiuſ-

dem Dioſcoridis ſcholijs Ianus Antonius Saracenus, qui dicunt materiam hanc alterius argumenti eſſe, quam eorum librorum, qui de materia medica inſcribuntur, quia ſpectant ad uniuerſaliora, & ad proximos libros præcedentes. Deinde quoniam Gal. lib. 6. ſimplicium, quinque tantum librorum meminerit, & eo magis quia Dioſcorides ipſe in Præfatione ad Areum, quinque ſolum refert; & eſſet facilis error ex ε in numerum ς, quẽ Ruelius neglexit; nihilominus eſſe hunc librum Dioſcoridis fatetur Bahuinus, & profitetur Mathiolus in Commento eiuſdem Dioſcoridis. Ego à reliquis libris tractarum, & obiecto diuerſum confiteor, & nec, niſi ordine, ſextum eſſe fateor; Dioſcoridis autem Anaxarbenſis genuinum eſſe quidni ſtatuamus? perſuadet hoc exemplarium omnium conſenſus, & Dioſcoridis in re medica ſtudium, qui ut ἐμπειρικὰ, ſic hunc quoque librum conſcribere potuit. Galenus ſaltem, & cum eo potiſſimum Auicenna in his ipſis hunc Auctorem diligentiſſime ſequuntur: igitur, & nos. & quemadmodum idem librum ſuum in duas ſecat partes, quarum altera complectitur venena, quæ imprudenter ab homine aſſumuntur, quibuſque medeantur remedia proprie Alexipharmaca dicuntur, altera venena, quæ extrinſecus homini incidunt, quibuſque opitulentur Θηριακὰ nominantur, quo aduerſus θηρίων ferarum videlicet morſus ictuſque proſunt; ita & nos eumdem ordinem imitati hanc tractationem abſoluemus deſignantes venenum ſub pharmaci nomine latiſſima ſignificatione ſumptum. Vox etenim pharmaci Dioſcoridi tam ſalutare medicamentum, quam noxium indigitat; cum Homerus idem etiam profeſſus ſit dum ait φάρμακα, πολλὰ γὰρ, etque ſequuntur. nihilominus ut ſenſum ſuum idem Dioſc. clarius exprimat, & ſi noxiũ pharmacum ab innoxio diſtinguat; ſe quidem de pharmacis agere ait; ſed de deleterijs, quia hæc vox communiter idem ſignificat, quod κακώριον Hippocrati, & θανάσιμον. Ariſtot. 1. probl. 46. θανατηφόρον, Gal. φθοροποιὸν. at hic Com. 6. lib. 6. epidem. diſtinguit inter θανάσιμα & δηλητήρια. Hæc ipſa tamen non parum implicat & confundit; quia primo deleteria lethalium ſpeciem facit lib. 6. de compoſ. ſecundum genera; Secundo quia deleteria etiam facit, quæ aliquando prodeſſe poſſunt, ut Hyoſcyamum & huiuſmodi alia. Comment. 2. de ratione victus in acutis 3. quia ipſa cathartica ibi & alibi pharmaca deleteria facit. Hoc ſtrenuè negat Euſtachius Rudius lib. 2. de morbis occultis cap. 4, quia numquam prodeſſe exiſtimat hydrargyrum, & Aconitum, quorum illud toxico apud Auſonium, hoc apud Plinium viperæ veneno aduerſatur; attamen facilè excuſauerim Galenum, ut qui nũquam tam ſeuerus ſectator verborum fuit, ut notum eſt lib. 2. methodi medendi cap. 2; hinc dicendum videtur Galenum accepiſſe deleterij vocem, nunc ampliore, nunc ſtrictiore ſenſu, & cathartica valida omnino venenatorum communiſſima voce recenſuiſſe; eximenda tamen ab ijs Alexipharmaca ſunt illa, quæ immoderato uſu mutare temperamentum queunt; quod autem Aconitum & Hydrargyrum inter Alexipharmaca connumerentur; hoc per accidens eſt, cum per ſe nullam naturæ humanæ utilem qualitatem habeant: quod etiam de Antimonio fatendum, prodeſſe ex accidente, & præſente alio veneno, aut ſarcina humorum; alioqui inſuperabili exiſtente. aſſerendum igitur omnino eſt vocem de veneno proprie ſic dicto, accipiendam;

ſpiendam: & eſse venenum, rem non naturalem formæ ſuæ viribus calori cordis vehementer inimicum. Dixi rem non naturalem, quod extra hominem, & citra putredinem obiecti ſui producitur; ſubiunxi formæ ſuæ viribus, quia non agit manifeſtis qualitatibus; quod ſi hæ intercedant, his quoque utitur tamquam inſtrumentis; tandem addidi cordis calori inimicum, hæc enim ſi non omnia præſtant primario, ut Lepus Marinus & Cantharides; mediatè tamen id exequuntur, ſed plurima immediatè; veluti metam ſuam nobiliſſimum viſcus petunt, calorem extinguendo videlicet, reſoluendo, corrumpendoque. tandem vehementer id facere protuli, quia in minimo maximas venena habent agendi vires, & cordis & corporis totius; quæ quamuis validiſſimæ ſint, citiſſimè conficiuntur. hæc tamen venena longa aſſuetudine familiaria etiam fieri poſſe Mithridatis Regis exemplum nos admonet.

CAPVT XXVI.

Quid pro genere in venenoſum definitione ſtatuendum ſit inquiritur. Opiniones Mercurialis, & Capiuacei perpenduntur. Statuitur venenum eſse ſubſtantiam; Veneni tamen actionem à qualitate prouenire.

DE genere veneni res obſcura, tum quia cauſa occulta eſt, tum quia in eo ſtatuendo magni viri ſummopere inter ſe diſsentiunt. Hieronymus namque Mercurialis lib. 1. de venenis cap. 5. ſubſtantiam eſſe contendit; quia venenum contrarium alimento eſt; quia non poteſt adeſſe, & obeſse abſque ſubiecti corruptione, quod accidentium proprium eſt, imo quod magis eſt, ſenſatum illud experimentum, quacumque rationem eludit, quod qui morbo aliquo venenato intus genito corripiuntur, auram quandam prius ab aliqua determinata parte eleuari percipiant, ut de Epilepſia fatetur Fernelius, & ante ipſum Galenus, qui huic opinioni pluribus in locis fauere videtur, dum venenum fatetur à tota ſubſtantia agere. addit poſtremo Mercurialis, quòd actiones ſunt compoſitorum, quamuis hoc tantummodo verificetur de principijs ſecundum ſe ſpectatis, non verò contra. Hieronymus tamen Capiuaceus ſuſtinet contrariam ſententiã; *Lib. de Ven. cap. 1.* aſſeritque venenum non ſubſtantiam, ſed qualitatem eſſe, idque probat exemplo ſerpentis Baſiliſci, ex Auicenna, cuius efficaciſſimum virus per haſtam, qua tactus fuit, penetrauit ad corpus ipſius, qui eumdem tetigit; quod à Lucano Poeta accepiſſe facile crediderim, quod etiam de torpedine ex Galeno notum ſit. addit Vir ſummus deinde, quia venenum habet cõtrarium; ferunt enim hydrargyrum toxico aduerſari, & veneno ſcorpionis Aconitum, quia intenſionem admittit, & remiſſionem, quæ omnes conditiones à ſubſtantiæ natura alienæ videntur. Refellit hæc tamen Mercurialis citato loco, quia inquit ſubſtantiam conſiderari debere non vnico modo, aut ſecundum ſe ſolam ſpectatam; ſed ratione differentiarum, & qualitatum eidem copulatarum, ſic quo ſecundo modo, & magis, & minus ſuſcipere, & ſibi quodamodo contrariari aſſerit; habet quoque auras illas à veneno eleuatas eſſe corpus mixtum, quamuis exiguum, vaporoſum, te-

Lib. 2. de Morb. occul. cap. 1. nuiſſimumque, cuius ſanè opinioni conſentire videtur Euſtachius Rudius; qui venenum in tenuiſſima corpora, & halitum diffundi tradit. At Daniel *Lib. 6. Praxis p. 2. c. 1.* Sennertus mediam quamdam viam arripuit; partim enim in veneno de atomis, & tenuiſſimis corpuſculis concedit, vt in contagio peſtilenti, & ſimilibus affectibus; partim verò negat, vt in veneno torpedinis, & baſiliſci; tunc enim ad qualitatem confugit, ſed intentionalem ſpiritalemque; *Exerc. 344. ſection. 5.* quæque ſpecies cum Scaligero, & Rudio dici queat; prout idem ſummus vir loco citato exemplis rem claram reddere conatur. Ego ſubſtantiam venenum eſſe affirmo, quamuis ſæpè ipſa à qualitate proueniat, rationibus potiſſimum ductus, à Mercuriali propoſitis; non tamen eſſe mixtum ſimpliciter, ut voluit idem Mercurialis; ſed forma mixti ex elementis tanquam materia minime conflata. hæc autem afficit hominem vel in proximo, & in primario ſubiecto informationis ſubſiſtens, dum afficimur manifeſtè, cum ſenſibile ſubiectum eſt; ſiue occultè cùm venenum in atomos diſtractum; aut irradiatione tantùm diffunditur; ſiue unitum aliquod corpus ſit, adeoque ſenſibus perceptibile, & tactu, ſiue in atomos ſolutum, adeoque minutiſſimas particulas habeat, & inhalitum reſolutum, in quibus tamen ipſa forma integra perſiſtit, vel in ſecundarium, & propinquum radij inſtar diffuſa, quod contingit in torpedine, ſerpente Auicennæ, & Magnete. Diffundi autem formas materiales manifeſtat lux, quæ producit calorem; aer igni propinquus, qui ab eodem inflammatus aſſat, immo comburit; frigus à terra, & aqua in propinquum aerem diffuſum, aut Magnetis vis mouens trahenſque ferrum per menſam, tabulamque ligneam. Non diffundi autem hic ſimplicem qualitatem arguit vis operandi potens; qualis ipſius propriæ formæ, tamquam proprij ſubiecti; deinde abſente primario, à quo producitur corpore, talis vis, non aboletur, ſed in ſecundario diſpoſito, corpore permanet, & mirabilem in modum ſeſe propagat, ſecus ac faciunt colores, & ſoni, ſiue qualitates intentionales vulgo dictæ. fundamentum huius aſſertionis luculentius deſumi poterit ex doctiſſimis lucubrationibus Hieronymi Fracaſtorei, qui quidem egregiè hanc prouinciam ab*Lib. de Sympat. & Antipat. cap. 5.*ſoluit; ſic inſita, & propria formis materialibus ſeſe propagandi cupiditas ſeſe exerit; motus vero veneni, & velocitas partim à vigore formæ pendet, pondere materiæ plus, minuſve impeditæ, partim in aptitudine ſubiecti ſecundarij conſiſtit. Exempla peti poſſunt in igne, in arida palea, in pyrio puluere. An verò venenum à natura, qua tale productum ſit, percunctantibus, à nobis negatur: & ò quàm rectè, ut omnia, Seneca, Dijs, inquit cauſam benefaciendi eſſe naturam; falli hominem, ſi quis putet eos nocere velle, aut poſſe, nec accipere eos iniuriam, nec fallere: prouida namque illa mens deſtinato vel lædere hominem voluiſſe, vel ſpecie bonorum fallere videretur; quod incredibile eſt. Hinc capiendum eſſe Plinium apparet, qui naturam inique increpat; ſed finis falſus; verus uniuerſi perfectio, varietas, ornatus, atque animantium utilitas, ſiue altio: cum homini etiam à peſſimis emolumentum emergat, ſpecialiter ex frigidis, & calidis temperamento venenis. Falli nihilominus homo ſubinde diceretur, etiam ſub ſpecie boni, ſi rationem comitem haud accepiſſet; quippeque ſemper, niſi peruertatur, ſenſuum ſagaciſſimo utitur miniſterio, quo ſanè medio omnis

horum

horum reconditas ſcrutatur vires in ſaporibus, odoribus, coloribus, temperamentoque repoſitas, adhoc ut, periculum inter colligendum venenatas plantas ſub uno virore delatum præuia ratione, à qua cognitio emergit, prouidè vitet; & ſic innoxia ab herbis nocentibus diſtinguere queat; cùm præſertim nullum venenum ſit, in quo priſcorum diligentia vel commodũ, vel Antidotum non repererit: quod vt nonnullas è multis eligam, non ne ex eorum monlmentis conſtat, deterrimum Aconiti virus, quo forſan nihil nocẽtius, ſub amœno ſuo virore plantarum naturas abſcondi, ſcorpionum ictibus valenter aduerſari? quod conuincit dum tactu ſtirpis ſcorpiones torpeſcere veluti à fortiore hoſte ſuperatos obſeruamus; ſic & innoxiè exhiberi, & cum fructu aiunt, ſi ab homine præ aſſumptum vel poſtſumptum venenum inueniat, cum quo colluctetur, quodque proſternat, ut tandem homo à binis venenis ſuperſit: & ex noxiorum inimicorum interna pugna beneficium incolumitatis reſtitutæ à vincente recipiat. Nec vulgò ignotum eſt hanc ipſam plãtam oculorum medicaminibus utiliter miſceri: nec obſcurum ranunculorum genera flammularumque, & quaſcumque plantas ob igneum feruorem ita vocatas, conuulſis partibus, & paralyticis cum roſaceo re miſtas opitulari: immò eſcaram, ſeu veſicam inducendo antracium peſtilentum, & malignarum febrium virus auocare; quartanis contuſas mederi, ſyncipiti admotas, profluentes ſalſas capitis fluxiones ſiſtere, adeoque earum puluere naribus intruſo, materiam infeſtam deriuare, educereque; contuſas item hiſchiadicis cæteriſque articulis admotas opẽ ferre. Sic opium in ſalubrem vertimus uſum, ſic mandragoræ poma, foliaque radiceſque contumacioribus vigilijs apponimus, prout & paueris ſemina, & hyoſcyami, cuius folia ſanguinem ſiſtere, & fluxiones acres oculorum, & Ophtalmias compeſcere notum eſt; inflammationeſque alibi obortas, & doloribus ſedandis prodeſſe ab omni æuo ſenſata rerum dignotio patefecit. Igitur ratum ſit plantas origine ſua optimas, etiam ſine tales euadere, ſi ratione duce harum notitiam aſſequamur, ut quempiam naturam culpare fruſtra ſit, nè & inique agere dicam.

CAPVT XXVII.

Perpenditur an Venena in viuentium corporibus generari queant. Concluditur affirmatiue contra Mercurialis ſententiam, inquiritur an huiuſmodi Venena per putredinem euadant talia, & affirmatur, in dubium reuocatur an cor ſubiectum Veneni ſit, & quo modo, cur ipſum venena inuadant, & tandem affertur cauſa cur Venenorum alia citius, alia tardius operentur.

CVm nemini ignotum ſit extra nos produci venena, & generari; quæritur oportunè modo, an etiam intra hominem paribus concurrentibus cauſis generari queant; arridet affirmatiuæ ſententiæ Auctoritas Galeni 8. de locis affectis quinto, & præcipuè lib. de conſtitutione Artis cap. 19. dum inquit, hominis corpori humorum prauitatem, obſtructionem, & corrumpens virus innaſci. Exempla elicimus ex diris mulierum morbis, à ſanguine menſtruo emergentibus, & à corrupto ſemine, ſicuti, & à ſanguine,

guine, & carnibus diu digeſtis, putridiſque cadaueribus humanis peſtem generantibus; & potiſſimum deterrimum illud virus, quod in canibus, & alijs animalibus rabie affectis generari comperimus: recentiores quoque fatentur ab aura venenata ab intus veneno latente eleuata epilepſiam produci; cui quidem opinioni etiam Galenus fauere videtur; quinimo & ab humoribus malignis & veneficis lepram gigni producat;nihilominus multi hoc fieri poſſe negant, quia nativus calor nil niſi naturaliter agat; quia præter naturalis eò non aſſurgit; tum quia ſeminis natura nimis benigna eſt, & ex ſanguine elaboratiore genita; & eo magis quoniam ſi ſemen turgeat, facilè per ſomnum irritata expultrice facultate, vel vellicata excernitur: humores vero Epilepſiam, ſuffocationem, aut lepram producentes non ſunt cordi infauſti, quod proprium venenorum eſt. Mediam quamdam viam tuetur Hieronymus Mercurialis,non venenum propriè dictum, ſed tantum quid veneno ſimile in nobis produci, idque tale oſtendi celeritate nocendi, ſimilitudine ſymptomatum, & modo læſionis. Quæ tamen ſententia facile euertitur euerſis fundamentis, quibus nitebatur, quia calor hic eſt tantum cauſa adiuvans, & externa,non materialis, & formæ auctor; quia ſimilitudo illa, qua utrumque venenum operatur, potius identitatem arguit: & reuera affirmantium rationes, me iudice, validiores ſunt; ſeminis enim temperies optima prohibet corruptionem experiri; & cor in venenis non immediatè ſemper afficitur, ut Leporis marini, Cantharidum, & ſimilium venena abundè conuincunt. Generātur igitur in corpore noſtro venena. Quod ſi per nos ita decretum ſit, inquirendum, quod conſideratione dignum eſt,an ſemper per putredinem fieri debeat; ſtat communis medicorum ſententia potius per putredinem fieri debere; quia putredo eſt ordinatium medium, & extremum, per quod res tendunt ad corruptionem, eo quia & venenum canis rabidi ſic produci videtur. Negat tamen hoc Hercules Saxonia lib.de Phenigmatum uſu in febre cap. 37. Quoniam, inquit, in plantis, & animantibus ſine omni putredine producitur; quia non calida, & humida tantum corpora, ſed etiam calida, & ſicca, frigidaque & ſicca venena generant; quia putrida manifeſta qualitate nocēt; quia peſtis non Auſtrino tantum vento, & aere ſimpliciter generatur; quia malignæ, & peſtilentes præcipuè febres à contagio, exiguæ putredinis ſigna exhibent. his igitur, & conſimilibus rationibus ſententiam ſuam roborare nititur: at contra excuſant ſe priores, quòd venena putredinem requirant excellentem, prout Rudius lib. 2. de Morbis occultis, & non tantum putrefactum humorem vult; ſed etiam eius fæcem, & inquinamentum, naturam veneni induere. Verùm excellens putredo diu latere nequit, ut venenum canis rabidi. Optimè meo iudicio, ſtatuit Sennertus, produci in homine venenum ob latentem in eo in materia veneni, formam. Ego cauſam efficientem atque excitantem exiſtimo calorem, tum naturalem, tum præternaturalem, mediante putredine, atque fermentatione noxia, quæ latebant, quæ ἐμφύτον actuantem humores ipſos tum putridos, tum corruptos, & venenati miaſmatis latibula eſſe, quia tales res & ſibi facile eam labem afferunt, ut in Vrbium obſidionibus, & Caſtris militum ſuo damno notum. Iam cum ſubiectum venenorum in allata definitione cor ſtatuerimus,

Ariſtotel. 4. Metheoror.

Lib. 6. Prax. par. 2. c. 3.

mus, quia de lethalibus adeoque κατ᾽ ἐξοχὴν talibus nobis ſermo eſt; non eſt cur ſoluere negligamus id, quod pluribus controuerſum videtur, cùm hoc idem in omnibus venenis perpetuò verificari non videatur; negat enim hoc Greuinus, cui ſubſcribit etiam Sennertus, quia, inquiunt, aliqua venena dari videntur, prout Leporis marini, Cantharidum, Solani maniaci, Hyoſcyami, aliorumque, quorum alia pectori & pulmonibus, quædam veſicæ, cerebrove ſunt primo infenſa, & ſic aliam à corde partem, & ſæpe longinquam obſidere, & expugnare videntur; cùm etiam iiſdem partibus remedia applicari ſoleant, ut eorum virus ſuperetur. Cæterum non immerito ſubiectum venenorum, cum Conciliatore noſtro, cor ſtatuimus, quando de venenis lethalibus, adeoque κατ᾽ ἐξοχὴν talibus nobis ſermo eſt, & auctores, qui contrariam tuentur ſententiam, latius veneni nomen confundunt, ut ex Sennerto palam fit citato loco. Nec impedit dictum aſſerere quamuis nonnulla venena ſint, quæ partem à corde diuerſam primò impetant, quæ tamen mediante, cor ipſum inde pertingant, ubi tunc maior afflictio infligitur, & ad cuius læſionem interitus neceſſario conſequitur. Febres enim illæ ex bubone non prius ſe produnt tales, quin vapor materiæ putridæ in bubone contentæ ad cor uſque deueniat; nec neceſſarium eſt partes intermedias corrumpi antequam vix illa venefica cor petat, quod eſt obiectum, quo utuntur. Qui contrariam opinionem ſuſtinent, negant neceſſum eſſe corrumpi intermedias partes, quia vis illa veneni, quæ celeriter operatur, exiguam moram in partibus illis intermedijs trahit, cum venenum recta ad cor, & ocyſſimè tanquam ad proprium centrum properet, tanquam ad obiectum ſibi inuiſum, & infenſiſſimum: quod & à Gal. 1. de ſemine confirmatum eſt. Quomodo verò venenum cor ipſum inuadat, non eget dubitatione, an videlicet formæ multiplicatione, ut quidam opinati ſunt; an diffuſis atomis, vel ſpecierum productione; ut opinatus eſt Sennertus; aut attractione ratione vacui, quod refellitur ab eodem, dum conciliatoris opinionem conſiderat; nihilominus attractionem in arterias concedit, cum aere eas ſubeunte. ſed hic uſus Dyaſtoles valde ſuſpectus. Detexit difficultates præclariſſimus Haruæus in Proœmio, rationibus deductis, à craſſitie tunicarum, plenitudine arteriarum, profunditate ſitus, & uſu unico ſūptum experimento eorum, qui in utero, & in aquis verſantur. Mihi verò ſatis venena ad cor ſe propagare per naturam, per atomos, vel extra, vel in corpore excitatas, exemplo moſci, & odoratorum ſimilium; Mandragoræ item, ſi Goſtonum audiamus, qui mira refert accidiſſe in Lemnio, & probat ex hiſtoria, quam refert Amilcharis Pœni. quomodo vero à venenis lædatur cor, ut inde mors ſubſequatur, diſcutitur optimè à Hieronymo Mercuriali lib. 1. de venenis cap. 10. quo in loco laudat Aponenſis opinionem; igitur ex eo; venenum lædit corrumpendo, extinguendo, reſoluendo, & omnino alterando calorem natiuum; & uno verbo, per mutationem totius temperamenti, & totius corporis ſubſtantiæ; quod expreſſit Galen. 3. de Simpl. Medicamc. facultatibus cap. 18, & fuſius Auerroes 5. colletaneorum cap. 2. quamuis is in recenſendis modis admittere videatur, medicamentum dari ſanguinem catharticè trahentem, ſecutus Galen. lib. de ſanguinis miſſione, cuius opinionem refutauit Meſue. Huic ſimilia ſunt, quæ

Lib. 2. de Ven. cap. 24.
Lib. 6. Prax. par. 5. c. 1.
Dioſcor. lib. 7. cap. 15.
Lib. 3. c. 3.
Lib. 2. c. 54.
Et Gal. 1. de medica. ſec. genere.
Lib. admir. Plant. c. 24.

Ari-

Ariſtoteles habet de calidi abſumptione naturali, ſeu μάρανσιν, vel præter-naturali σῆψιν ſic ut mutetur ſecundum ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, motum. Cur autem venenorum aliqua citius lædant, & contra; quomodo aliqua nihil, aut tardius, perſcrutatione non indignum omnino videtur. Citius lædit venenum 1. quia ſecundum propriam eſſentiam ſpiritale,
Ariſt. de mirabil. auſcultationib. & potentiſſimum eſt; quale ex Ariſt. in monte Circeo obuium eſt, & in Nubia, cuius unicum granum inter decem homines diſpartitum, & exhibitũ, omnes, ſpatio unius quadrantis horæ perimere tradidit Scaliger; quod
Libr. 1. cap. 5. & 7. habuit Franciſcus Ordelaphus, ut refert Mercurialis; ſecundò quia ſecundum materiam veneni, & diſpoſitionem corporis quid ſimile præſeferat, prout conſiderabat Sennertus, exemplo puluerũ odoratorum; tertio quia quantitate maiore aſſumptum; quarto quia collectum loco, aut tempore ſui vigoris, & actiuitatis, prout innuebat Teophraſtus; quinto quia coctione ſeu artificio chimico attenuatum eſt; exemplum peti poteſt ex Suetonio de illa nequam fęmina venenorum magiſtra & Neronis miniſtra Locuſta appellata; quæ cum venenum temporaneum paulo iuſto coxiſſet, vim ocyſſimam & præſentaneam eidem indidit: ſexto quia homo temperamenti calidi ſit, ſit ieiunus, debilitauerit propriam naturam exceſſibus diuer-
3. Simpl. 18. ſis. Nihil omnino quandoque venenum lędit, ut Liſidem Cicuta, Athenagoram Scorpiones, & ſic de alijs. primo ob ſingularis naturæ proprietatẽ, & calidi natiui defectu, quo venenum actuari neceſsariò debet, vel ſingularis indiuidualiter natura talis: ut Pſyllis, & Marſis populis contingere videtur; vel quoniam ex veneni aſsuetudine, ut mulieri illi contigit, quæ Cicuta veſcebatur, & Puellæ Auicennæ ex Ruffo, quæ Napello, nec non Cambage Regis Filiæ veneno nutritæ, quæ non homines tantum, ſed et. ã
Scalig. exercitat. 175. muſcas halitu necabat; aut Alexipharmacorum familiaritate aquiſita reſiſtentia, ut Mithridati Regis exemplum admonet. Tandem dubitatur nũquid dentur venena, quæ certo, & determinato temporis ſpatio hominẽ interimere valeant; quod ſi Theophraſtum conſulamus, pro certo habendum eſt, qui ex Aconito venenum ad ſtatum temporis ſpatium, & determi-
9. de Hiſtor. Plant. 16, & 19. nata die interimens confici refert, quemadmodum ad Venerem citandam, aut impediendam: Nec deeſt authoritas Galen. de partibus artis medicæ cap. 5. & Auicennæ 5. 4. tractatu 1. cap. 2. nec deeſt ratio; quia naturalia
Annal. lib. 12. & Annal. lib. 4. agunt intra terminos limitatos. non deſunt exempla, præſertim ex Tacito ce prompta, vt Claudij, & Druſi veneni vi lento quodam marcore confecto. Nihilominus ſi pro determinato actionis tempore, certam diem, aut præfinitam horam intelligimus; negantium ſententia verior videtur; quia gradus agentium ſunt incogniti; quia venena non agunt cum deliberatione; quia calido natiuo dari poteſt talis contrarietas, per quam venenum, vel ſuperetur ab eodem, vel ſaltem inueniat validam reſiſtentiam; quinimo in ſubiecto conſiderari debet varietas, & diuerſitas ratione ætatis, temperamenti, anni temporis, ſexuſque; & præſertim, quòd ſcribit Theophraſtus, non ita præciſè de certa hora accipiendum; quæ enim ſcripſit, ex audito protulit, & alij certam diem aut horam non deſignant; vt concludendum ſit arte quidem venena confici poſſe, quæ modo citius, modo tardius

interimant; non tamen præſcribi, aut determinari certam diem, aut horam funeſti euentus.

CAPVT XXVIII.

Differentia Venenorum inueſtigatur; dubitatur an in viuentium corporibus frigida venena generari queant; & ſi poſſunt an manifeſtis qualitatibus operentur. & an poſſint actuari. an Venena viſu communicari poſſint perpenditur.

POſt veneni naturam, & cauſas propoſitas examinandæ veniunt eius differentiæ, quarum prima eſt, quod quædam venena talia per naturam ſunt, quædam per corruptionem, quædam vero per artem: quæ per naturam eiuſmodi ſunt, varias iterum admittunt differentias pro ratione ſubiecti, in quo quantitatis, qualitatis obiecti, quod inuadunt; temporis quo perimunt, & actionis determinatæ. ratione iterum ſubiecti ſunt in aere, aquis, ſub terra, & ſupra, adeoque in plantis imperfectis, vel perfectis, & animantibus. Quæ in plantis, ſunt in flore, fructu, ſemine, radicibus, ſucco; quæ in animantibus ſunt vel in toto, vel partibus, vel humoribus, vel excrementis, ut urina, ſudoribus, felle, ſaliua. Viperæ ſaliuam huc refert Hieronymus Mercurialis, de quo ſuboriri poteſt ambiguitas, quia alij bilem in folliculis venenum viperæ conſtituunt, alij vero dentes, de ſaliua tamen, & bile plerique aſſerunt experimento certo innoxiæ qualitatis eſſe, ſi abſint dentes, qui venenum poſſident, ratione quantitatis minimæ vel ſenſibilis, qua homini ſunt infeſta: ratione formæ qua vel cominus agunt, vel eminus facta propagatione ſui, vel irradiatione. ratione qualitatis, cuius ratione venena dirimuntur; primo in agentia qualitate manifeſta, vel occulta: ſecundo ratione ſaporum: tertio odorum: quarto colorum, licet penitus reijciat Sennertus, idque authoritate Galeni, agentia manifeſta qualitate venena, & rationibus ab inuentione determinatorum ſubiectorum, & partium damno æqualiter, non cordi tantum inferendo; qualitate, in omnibus non valde intenſa. antidotis ratione qualitatum ſimilium innoxiè uſurpatis; ſed quid obſtat eas conſiderare in veneno, tamquam eius inſtrumenta? De frigidis haud minor dubitatio; primo an generari queant in corpore, præcipuè animantium, tum vegetabilium, negandumque videtur, quia vis eorum à calore animantis deſtrueretur, quia animantis calor eſt actuoſus, quia vegetabilium calorem exceſſus frigidi, in gradu quarto non patitur; ſed hoc leuius eſt, experientia tamen, & Galen. authoritas, necnon Auicennæ contrarium ſuadet in plantis; in animantibus verò nihil obſtat, ut notat Mercurialis, nonnulla frigida eſſe, venenum tamen eorum minime tale. Secundo dubitari poteſt an actuari frigida queãt venena, nec hoc vero ſimile videtur, quia vis eorum deſtrueretur, quia natura contra ſe ageret, quia etiam attenuata amplius haud noceret. in cõtrarium tamen ſtat authoritas Gal. qui fusè ſatis in 3. ſimplicium addit in venenis frigidis, ob eius torporem, maxime omnium neceſſariam eſſe à calore attenuationem, ut inde facilius cor ſubeant, quæ attenuatio fit per ac-

Lib. 1. Venenor. cap. 13.

Seuerinus de Vipera.

Lib. 6. Prac par. 5. c. 2.

cidens, cùm in quacumque actione ſemper neceſſario ſupponatur pugna; in qua & paſſio, & repaſſio fit; hoc tamen non impedit, quin venenum tale, ut notabat Mercurialis cap. 11. frigiditate ſua deinceps nocere queat; quæ enim per accidens calefiunt, facilè rurſum ad ſuum reducuntur ſtatū; ſed iam attenuata per calorem & actuata, ut facile etiam reſponderi poſſit obiectioni, quæ ex Theophraſto, & ex Diodoro Siculo fieri poſſet, quorum alter refert Thraſeam Mantinenſem cicutam conſueuiſſe colligere in frigidiſſimis locis, & miſcere frigidiſſimis medicamentis, ut compoſitum ex his venenum intenſa ſua frigiditate citius, & facilius interimeret: alter verò in Arabia Felici plantam reperiri, ſupra quam ſi quis quieſcat, ſopore blando corripitur, & inde placidè interimitur; igitur inquiunt talia venena interimunt ſine actuatione caloris noſtri; nec frigidiſſimum venenum Thraſeæ eo opus habet, cùm intenſiſſima ſua frigiditate interimat, quæ à calore ſuperari nequit; nec eodem calore actuante indiget Diodori Siculi ex Arabia herba, quæ exterius tantùm admota, ſuum prodit effectum. Obiectum tamen facile ſolui poteſt, ſi dixerimus, venenum frigidiſſimum alterari nihilominus aliqua introducta à calore attenuatione, ut inde facilius ſua frigiditate actuali nocere valeat; tunc enim illud permeabile fit, quod ante ſuo torpore ſegnitiem ſolam nouerat; quod ex Platonis Phędone apparet in morte Socratis, cui carnifex imperauit, ut ab hauſta cicuta, paululum ambularet, ut ab illo motu venenum attenuationem actuationemque aquireret, & ſic patentibus tandem poroſitatibus calido, per antiperiſtaſim vi intendente virus in cor ſeſe inſinuaret. idem dicendum de planta narcotica ex Diodoro relata, quæ à calore ſupra ipſam incumbentis, & attritione eiuſdem corporis, ad actum ſuum deducebatur, venenum per poros, immò per nares, aeris neceſſaria attractione introductum, aut per alias cauitates in atomos diffuſum. Non neganda igitur frigidam qualitatem veneno coniungi poſſe, quamuis per eam tale non euadat, vt probatum à Mercuriali loco citato; nec actuatio frigidæ qualitatis aliunde, quàm à calore petenda, eam excitante, non ſuperante. Differunt præterea venena ratione obiecti, quia horum quædam vitalia viſcera occupant primariò, quædam vero non, vt Sennertus conſiderauit loco citato. ratione temporis alia citò, alia tardius interimunt; citius, quale illud venenum ab Ariſtotele relatum reperiri in Monte Circeo; ſic illud, quod à Scaligero proditum eſt in Nubia; & ſimiliter Aſpidis ictus, arſenici, Realgaris, Aconiti, & Pthoræ: tardius ut venena illa, quæ naturaliter non ita intenſam actiuitatem habent. ratione actionis, qua calidum vitæ corrumpant, dum id operantur vel diſſoluendo, vel extinguendo, vel ſuffocando. Per corruptionem, quæ venena fiunt in homine, ſunt humores alieni à ſanguine, ſanguis, ſemen, extra hominem caro, piſces, oua, braſſica, & ſimilia, quæ per putredinem inſignem labem acquirunt. Fiunt quoque venena per artem; hinc horum differentia conſurgit, ut illud apud Theophraſtum Traſæ Mantinenſis; Ordelaphi fumus apud Nicolaum Florentinum; & huius generis alia ab authoribus pluribus relata; Hydrargyrum ſublimatum, Aqua fortis, quæ chalcanthum, & ſal Armoniacum recipit, quorum exemplum luculentiſſimum habemus apud Tulpium, huc Mercurialis refert adamantis

Obſer. Med. lib. 7. obſ. 43

mantis puluerem, qui inter venena ab eo numeratur, & à Franciſco Pona; *Lib. 1. c. 13.*
negat tamen hoc Anſelmus Boetius deducto experiméto ex Garcia Aborta, immò inter Alexipharmaca medicamenta reponit, & pluribus viribus non perniciei, ſed humanæ ſaluti conducere ſtatuit; immò temperamentum adamanti à Pona aſſignatum, me Iudice, ſuſpectum eſt, quoniam nitida, & pellucida eius vis, quæ gemmarum propria, aquæ adſcribenda non eſt; immò ſi Garciæ experimentum verum eſt, vt calefaciat, paleas attrahat, ignis potius, quam aquæ conditiones præſefert, ob id in eo præſtabit temperamentum igneum & aereum cognoſcere; quapropter male aſſignabitur eidem temperamentum frigidum in quarto gradu. Igitur ſi deleterius eius puluis eſt, hoc erit ex accidenti; non quidem omnibus in corporibus, ſed in quibus angulis ſuis acutis adhæreſcens, inteſtinorum, aut ſtomachi exeſionem, aut perforationem moliatur. Idem Pona huc refert calcem auri, ſed hic ex accidente venenatus, adhæreſcente ♁ ☿ & ♀ cum quibus conficitur. Fallitur Pona ab auro ſeparari ſubſtantiam bonam à *Fol. 28. de Venenis.*
mala; aurum enim homogeneæ conditionis eſt. Tandem diſtinguuntur venena in ea, quæ per imprudentiam hominis aſſumuntur, & ea quæ extrinſecus occurrunt. Quæritur tamen hìc opportunè, an extra nocentia intus quoque lædant, & è contra. Celſus grauiſſimus autor, & Latinorum *Lib. 5. c. 27.*
merito Hippocrates dictus, ſcribit dari venena, quæ in vulnere apposita interimunt venatoribus nota; vorata tamen non afficiunt, cuius opinioni Galenus non diſſentit, dum 3. de temperamentis 3. habet, quemadmodum quæ intus aſſumpta perimunt, extra adminiſtrata non nocent, ita neque quæ foris admota occidunt, intus idem aſſumpta præſtant; quorum etiam opinioni Plinius ſubſcribere viſus eſt; & quibus etiam inter recentiores fauet Fabius Columna. Nocere tamen, immo exitialia eſſe venena illa, *Lib. 29. c. 4.*
quæ exterius operantur, ſi intus aſſumantur, aſſerit Cardanus, quamuis interius pernicioſè ſumpta exterius non nocere poſſe aſſerat, cuius opinioni ratio planè fauet; ſed contrarium experimento indagare, æque fallax, & periculoſum eſt. *Stirp. variarum par. 2. cap. 18.* *Lib. 1. de Venenis c. 18.*
Exterius lædunt animalia morſu, punctura, ſaliua, tenui humore; ut bufo ſaluiam inficiens, quam à rictu, & infuſione dein ſe lethalem reddit; inunctione telorum, gladiorum; quorum illud propriè toxicum à Dioſcoride vocatur, inunctione manuum, auctore Pigapheta, portarum, ocrearum, ſtapedum; halitu ut fumus Ordelaphi, & cerei, quo Clementem Septimum Pontif. fuiſſe interfectum ſcribit Paræus lib. 20. c. 7. Caryophyllis, aut roſis infectis odore, auctore Mathiolo; atomis in litteris, linteolis, veſtibus, & huiuſmodi rebus infectis. An viſu venenum communicari queat, vix dubitationi locus relinquitur, tot vigent authoritates, totque experimenta hoc idem comprobantia. Extat exemplum Baſiliſci ex Plinio Gal. & Auic. & confirmant ſpectra, tum eorum, qui Gallũ, erinaceum, felemque, aut alia animalia conſpicere ſine perturbatione nequeunt. auditu etiam nocere probatur ex Plinio exemplo catablepæ. Vtrũ tamen hæc poſtrema veneni præſeferant indicia, dubitandum. Odoratu quoque præcipue, qnod ſuadent varia exempla, ut roſarum, & allij odorem non ferentium. Viſu tamen venenum inficere animalia, cautè accipiendum, cùm hoc niſi receptione ſpecierum viſibilium, & ſenſibilium fie-

ri nequeat, non è contra; & ob id cauſam harum alterationum proximam haud eſſe ſpeciem ſenſibilem exiſtimauerim, ſed atomos, & halitus, & ſpeciem, & qualitatem ſpiritalem; de quarum propagationibus non ambigendum, prout ſupra attulimus. Exemplum affertur de ſerpentibus, torpedine, & araneis; prout de illo, qui calcatus à quodam Vicētino, per calceorum ſoleas vim veneficam communicauit; de quo Scalig. Negandum tamen haud eſt, dæmonem naturalium rerum uſu veneficijs cooperari poſſe.

Amatus Luſit.

Exerc. 186.

CAPVT XXIX.

De Signis Diagnoſticis Veneni & Prognoſticis.

Recenſentur ſigna Prognoſtica ex Diagnoſtica Venenis Communia; item & particularium venenorum; inquiritur an ex cadaueris inſpectione dignoſci poſſit, ægrum vi veneni interemptum.

Signorum cognitio, quæ petenda venit ab hoſtibus truculentiſſimis noſtris, venenis ſcilicet, quam maxime neceſſaria eſt, & quam ſic Cardanus deſumebat; (nec malè) antequam ſumantur venena: cùm ſumuntur: & poſtquam ſumpta ſunt. Antequam ſumantur, rariſſimè dignoſcuntur, ob fraudes ſceleratorum ingenio ſuo abutentium; inſeruiunt tamen egregiè, cornu ſerpentis, aurichalcum, ſmaragdum. tradunt enim cornu præſente veneno ſudare, aurichalcum varios mutare colores, ſmaragdum verò lepidum ſuum virorem, quo effertur inter gemmas, amittere. Ætitidis verò lapidis puluis (ſi datur) inſperſus venenis, venenorum deglutitionem impedire aſſerunt; quod tamen fabuloſum puto. item parum tuta electri vaſa ſuo ſtridore ſe pandere, aut in ſolitis vocibus obſtrepere iuxta menſam poſita, & ita fraudem detegere; quod idem de perdice aſſerit Ælianus; quod tamen cum Pona omnino commentitium puto. Antequam verò venena noceant, & aſſumantur, tutius cognoſci poſſunt inſolito colore, tetro odore, ſapore ingrato, aut inſigniter linguam alterante, prout voluit Cardanus. Sed infidas eſſe notas iure admonet Sennertus, cùm plura dentur venena, quæ nec colore, aut odore, vel ſapore, quidquam ingrati præbeant; immò quædam iucundi ſaporis eſſe venena fertur, ut de colchico Dioſcorides, de Aconito Aetius. præterquamquod à flagitioſis hominibus, ſi quæ notæ ſunt, velantur abundè. Optimum deprehenditur experimentum, ſi canes, vel renuant deguſtare, vel proprio periculo fraudem detegant; quemadmodum & feles, & Gallinas, muſcaſve. Addit Mercurialis animalia venenata deprehendi, quæ formæ horibilis ſunt, fœdi odoris, in locis, & ſub arboribus ſuſpectis; & in domeſticis animalibus corporis, oculorum, morumque inſolitæ mutationes, & motus. Sumptum autem venenum, aut celeriter lethale eſt, aut temporaneum; quod inſtantaneè lethale, protinus grauiſſima infert ſymptomata, adeoque ſigna ſimilia habet, & efficit; videlicet cordis anguſtias, lapſum virium, & palpitationē, animi defectiones, ructus fœtidos, ſingultus, urinæ ſupreſſiones, tremores, conuulſiones, linguæ labiorumque tumores, inflammationes, nigredinem, extremorum refrigerationem, oculos fractos, & maligna luce radiantes, frigi-

Lib. 2. de Venen. cap. 1.

Lib. 6 part. 5. cap. 3.

frigidos ſudo res, ſyncopes, & huiuſmodi alia; quæ quidem ſi non omnia, pleraq; tamen in multis reperiuntur. Differunt ab ijs venena intus genita, quia adiunctam habent prauam corporis diſpoſitionem, antecedenteſq; cauſas clariores; quia plerumque paulatim accedunt; quia plerumque cum febre, cum acceſſionibus, & remiſſionibus, ſçuioribus tamen ſymptomatis annexis, non adeò ſolitis, ſyndrome prius cæterorum expenſa; prout exactius ex Sennerto colligi poteſt. Ad temporaneorum venenorum quod attinet, obſcuriora ſigna ſunt, quod vomitu reijcitur, obiectum cum cibo canibus eoſdem perimit. Oui luteum urinæ patientis infuſum, hora cititius nigreſcere tradunt. ſed id ſignum iam ultra iecur penetraſſe venenum indicat, nec vomitum amplius proficuum eſſe inſinuat, vel Cardano ipſo teſte. Si venenum non tantum proprietate formæ, ſed etiam manifeſtis qualitatibus noxium eſt, indicia erunt alia calidi urentis, & erodentis, alia frigidi, alia ſiccantis, ſuffocantis videlicet, necnon narcoticorum venenorum effectus conſimiles emergunt; quæ omnia exactè expenſa ſunt à Mercuriali. Si ex cadauerum partibus, aut in puro ſanguine viuentium venenum fit, ex ſaliua, ex ſudore furentium animalium, maniam, odium, terrorem, melancholiam, viriumque euidentiſſimam perditionem induci obſeruamus. ſimilia cerebrum domeſticorum animalium; & veſpertilionum partes aſſumptæ conſequuntur ſymptomata; prout à Pona fusè recēſentur. An verò certo cognoſci poſſit ex inſpecto cadauere aliquem veneno fuiſſe peremptum, quod de Martiæ venenorum miniſtræ veneno perhibent, quæ in crinium nodo tale lethale pharmacum occultabat; de eoque Antonij, & Cleopatræ; quod etiam aſſerit Pona de admantis ſcobe, immò & Gal. notat à veneno peremptos non ſemel extare aſſeruit; Immò Plinius, & Lucretius veneno extinctorum cadauera à feris numquam deguſtari aſſerunt, vt ex ijs exemplis manifeſtari ex noxij veneno peremptos eſſe, per illas appareat. Quidam tamen exiſtimant etiam inſpecto ventre, ſi extincti de repente corpus diſſecetur, non deficere indicia, quod nec perpetuo verum, nec veriſimile. nam ſi venenum exhibitum exiguum quantitate fuerit, ſi forma liquida, ſi vomitus, & deiectio ſubſequta eſt; vix ſignũ ſupereſſe poteſt; ſed hæc in erodente veneno locum habent. Addunt aliqui corpus liueſcere, & maculas fœdas concipere, vngues paulo poſt ſecuto interitu nigreſcere, facileque euelli; capillos copioſè ſine vi effluere, & ſolo tactu; quorum pleraque ambigua. Cor veneno peremptorum an comburi nequeat, optimè iam deciſum eſt ab Adriano Spigelio Epiſtolarum lib. de forma fœtus.

Lib. 6. de Venenis cap. 5.
Tacitus 3. Annalium.
5. de locis affect. 7.
6. de locis affect. 5.
1. lib. 2. cap. 63.
Rerum Natur. lib. 6.
Senn. Prax. lib. 6. par. 5. cap. 45.

De Præcautione venenorum.

CAPVT XXX.

Quomodo præcauenda ſint venena explicatur.

IAm ad præcautionem venenorum quod, attinet eam ex duobus ponit Dioſcorides; ne ſcilicet venena ex incuria aſſumantur, & vt homo anti-

tidotorum beneficio ſic roboretur, ne ab aſſumptis deinceps lædatur. Declinabit homo venena fuga aeris malignis vaporibus infecti, ab antris, cuniculis, balneis, locisque vbi fęde exhalationes, aut animalium mortiferorum habitatio frequens, prout Nicander hoc nobis ſatis lepidè inſinuauit. Quod ſi fugere nequeat; ſuffitu aerem corrigat, & animalibus venenatis aditum ſic impediat, unguentis odoratis, pulueribus, ſuffitu linteaminum: præſtat unguentum roſaceum, & alia unguenta propoſita à Nicandro, & Aetio, quorum uſus obuius ſit. Sternatur pauimentum herbis odoratis, & contra ſerpentum vim pollentibus, utpote origano, ſerpillo, dictamo, orni, & fraxini folijs, calamintha, abrotano, aſphodelo, & alijs huiuſmodi. ſub arbotibus umbra ſuſpectis minime degat; ut nuce, picea, taxo, aut ſub ijs, ſub quibus faeilè animalia venenata cubare ſolent. munditiem ædium, culinæ, cellæ vinariæ procuret, ab araneis ſerpentibus caueat, & inſecta alia vitet; cibos, fugiat prauos, & qui peſſimos humores gignere ſolent, & ex accidenti corruptos, aut animalibus inquinatos, & prægustatos, ſie ſapore, odore, colore, peregrinum quid obtinentes, vel ſingulariter ſibi paratos, mixtura varios, elixoſve. non facilè comedat extra familiam, non famelicus, aut ieiunus, non illoto ore, non auidè deglutiat. Vaſa, orbeſque figulini ſint, cultrum proprium ſit, potum aſſumat non medicatum, non peregtinis qualitatibus imbutum, ne id ei aceidat, quod eueniſſe Statyræ admonet Cteſias; non ſitibundus & auide, non totum hauriat, ob pulueres, & ſuccos in fundo faeilè ſubſidentes. pocula munda ſint, ſed quæ præcipue patentur ex animantium cornu; quod ſi Æliano credimus, familiare fuit Indorum regibus hoc ipſo argumento; ſed ex unicornu præcipuè, ſic ex terra lemnia, & ſimilibus terris contra venena pollentibus. Prægustatores ſanè, licet expertæ fidei, principibus parum utiles euadent, quoniam, quod minimum deglutiunt, parum nocere poteſt, præterquamquod non intercedit temporis debita diſtantia, ut periculum ſagax fieri poſſit; ideo præcautio nulla cùm una cum principe quoque prægustator interimi poſſit; animo alacri ſit, & fiducia innocentiæ ſuæ erecto, & aurei illius diſtichi memor.

De rebus Perſicis.

Lib. 4. de Hiſt. anim.

Inuidiam virtute, malum bonitate, fauore
Oſores vincat; ſpe precibuſque Deum.

mulieres hominum ſuſpectorum concubitum fugiant, Calphurnij memores, qui dormientes uxores digito ſucco Aconiti madido immiſſo interimebat; quamuis ſæpè amatores à complexu innoxiè dimiſſos linteolis rabidorum animantium ſpuma, aut ſudoribus infectis ſuſtulerit; ſeruos habeat fidos, benè moratos plures, cum ſuſpectis non conuerſantes, & eos pariter amore, & beneficentia in officio continendos.

De

De Prognoſtico.

CAPVT XXXI.

Venena quacumque fuerint, ſemper mala, venenorum arte paratorum ad tempus peculiaria alexipharmaca opponi debent, veneficis illis peculiaribus tantum nota.

AD venena quod attinet aſſumpta, vel exterius inflictà, malum ſemper ominari decet, cum plura venena, præſertim arte parata, alexipharmacorum vim eludant, & propria ſui alexipharmaca requirant, quæ tantummodo illis nota ſunt naturæ veneficis euerſoribus, peculiariter venenum illud parantibus. alia quoque venena repentinum auxilium medici requirunt; alioquin rariſſimè ſuperantur. Quæ cor prima inuadunt, magis perniciosa ſunt, quam quæ determinatis partibus infenſa; ſic pro veneni conditione magis, vel minus noxia; ſi quantitate debita, magis lethalia, quàm ſi modica ſint aſſumpta; ſi minima enim, ut plurimum ſuperantur. Exitus expectandus pernicioſior in ijs, quibus ſymptomata ſæuiora ſuperuenere; magis tamen pernicioſa apparent ea, quæ indicant cor ſtatim affectum eſſe, quamque alias licet principes partes commonſtrant. Si venenum citò viam extra corpus ſibi ſternat, hoc eſt, vel per aluum, per urinã aut per vomitum, tunc non ſpernenda viget ſalutis ſpes; licet hæc ipſa nõ natura, ſed medici ope eueniant. Symptomata, quæ ſenſim minui obſeruantur, ſenſimve augeri; ſalutis ſpem prænunciant; ſic ſi virus vel alicubi decumbat, aut occupet partem ignobilem, vel penitus extrudatur; benè ominandum eſt, quamuis tamen ægro melius ſe habente in dies; non omnino in toto fidendum ſit, cùm ſenſim leuis veneni ſoboles neglecta incrementum novum ſuſcipere, & quaſi ſpreta ſint illa, incendium ſummum quandoque excitaſſe compertum ſit, quod de venenis potius præſentaneis intelligendum, nam temporaria illa diutius latent; ſenſim enim, & vix perceptibiliter operationes vitæ lædunt; at dum ſeſe produnt, actum eſt.

De Alexipharmacis præcauentibus Venena.

CAPVT XXXII.

Quæ in venenorum ſuſpicione ſecurior ſit præcautio. Detur ne aurum potabile, eiuſque vſus. De terra Lemnia conſideratio, circa quam dubium ſoluitur, defenditurque Dioſcorides cum Galeno. numquid noſtra ſit eadem cum veteribus. ſit ne alexipharmacum genuinum diſquiritur. Communium alexipharmacorum contra venena, & particularium ſummaria conſideratio. an alexipharmaca venena corroſiua ſuperare valeant. alexipharmacorum cenſus proponitur, & numquid Theriacæ vſus ſit improbandus diſcutitur.

Q*Vod quiſque vitet nuſquam homini, ſatis cautum eſt in horas*, verè cecinit Lyricorum Princeps Horatius; itaque in ſummis inſidiantium fraudibus Ode 13.

dibus potius agendum, ut præaſſumantur ea, quæ tutum cor efficere valent; id vero quidam per alimenta ſe conſequi poſſe prodiderunt, ſi præſertim ea copiosè ſumantur, & præcipuè ſi lac aſininum, & butyrum; at melius, & tutius id aſſequi poſſe crediderim, ſi ea uſurpentur, quæ ſingulari formæ ſuæ virtute corporis humani non modo particulares ægritudines expugnat; verùm & venenis reſiſtendi, expugnandique vim peculiarem poſſident, & alexipharmaca ſunt; ob id ſic dicta, quòd determinatè venenis aduerſentur, ſingulari prouidentiæ munere homini patefacta, ſuntque ſmaragdus, Adamas, Topaſius, Iaſpis viride linea rubicunda, albáque valatus, Bezaar Minerale, Corallium, & huius conditionis alia quædam, quæ etiam externa eſſe poſſunt, & Amuleta vocantur. Ex alexipharmacis naturæ conuenientibus, quædam interna ſunt, quibus potius confidendū: ex his quædam ſimplicia, quædam compoſita, illorum alia temperamenti gradibus, ſiue ordine frigida, alia calida; quædam mediocria. è frigidis primo recentioribus celebris eſt lapis, quem Perſæ Pazaar, idest contra venenum; Arabes P. litera deſtituti Bezaar nominant, à quo & reliqua alexipharmaca nomen ſortita ſunt. Plura per alios miros Auctores haberi poſſunt: & præſertim ex libro de Venenis Franciſci Ponæ cap. 15. & ex Anſelmo Boetio de Gemmis cap. 93. ſic etiam plura ex his habentur de utilitate, & doſi. Alterum quod in famam venit eſt Vnicornu veterum, ſed rariſſimum: magis verò obuium Cornu Rhinocerotis. Tertium ſunt Margaritæ: de quarum temperamento, ſimulq; Gemmarum natura alibi forſan fuſius: dum metallorum, foſſiliumque cæterorum naturam explicabimus: ubi & terrarum, & ſuccorum concretorum conditiones ſcrutabimur. Sed inter cætera ſingulare Antidotum cordis viribus opitulandis aurum cenſetur. Aurum ſanè non externis tantum incommodis corporis, ſed internis valetudinis damnis auerruncandis magna mortalium viciſſitudine adhibitum paſſim obſeruamus. Arabum familia, immo & mulieres noſtrates demptas brachijs armillas, colloque monilia iuſculis incoxiſſe ſæpius vidi ad malignas ægritudines expellendas. recentiores chymici præſertim Antidotis miſcent, quibus cor aduerſus venena roboratur, & aſſumpta fugati tradunt, quod autoritate Plinij, & Auicennæ confirmant: & multo magis ob analogiam auri cum Sole, & ſubinde Solis cum corde, ob Mercurium (inquiunt) puriſſimum & valde fixum, quo humidum radicale, ſeu Mercurium (ut aiunt) vitæ auget. Et ob id tribuunt vires inſignes auro ſuo potabili, potiſſimum ſuperandis venenis. quod parant calcinando ſtratificatione ſalium, extractione, attenuatione, tandemque deſtillatione. Cui tamen medicamento miras, quas tradunt vires ineſſe; experimenta verbis ampulloſis dumtaxat innixa fidem derogant, nec eorum rationes conuincunt. Analogia namque inter aurum & Solem in ſubſtantia, & qualitatibus, immò in effectis nulla ſenſibilis, quemadmodum ingens diſcrepantia inter hydrargyrum metallorum, & Mercurium iſtud ſuum animalium; & cum aurum potabile reddi non poſſit ob Analyſeos impoſſibilitatem non à calore ignis, non à corroſiuis potentiſſimis, multò minus à calore animantium alterari admodum, & mutari poterit: calcinationes

Anſel. Boet. lib. 1. cap. 2.

enim

enim extractiones, & deſtillationes non eſſe veras auri ſolutiones contendit Angelus Sala Chryſologiæ parte 2. Haud negandas tamen omninò eſſe duxerim Clariſſimorum hominum obſeruationes, & experimenta in pluribus prodeſſe auri igniti vim in iuſculis extincti: compertum enim eſt agere etiam in nos ea, quæ non ſoluit calor noſtri ventriculi, ut chalybeata, lapis lazuli, Armenius, Terræ, Vitrum Antimonij, Cryſtallus, & in hyſtericis magnes: quinimò à calore alterari aurum docet experimentum Sennerti: auri ſcilicet diuiſi, & diſtributi in corpore Gallinarum; cùm præſertim calidæ auro adiunctæ ſubſtantiæ ex aromatibus in auri præparatione Chimicorum ſolutionem quoquomodo adiuvent, ut in Angeli Salæ præparatione. Et re vera magiſteria auri, quæ fiunt calcinatione per ſalem communem, attenuatione per ſpiritum ſalis, aut vini, non ſunt in aliquibus caſibus omninò improbanda; licet re vera aurum non ſoluant. Interim non minori exiſtimatione viget inter antidota, ſeu alexipharmaca innoxia, terra lemnia, ſiue ſphragis lemnia, ortus natalis eius in Lemno Archipelagi Inſula; hanc terram ſphragidem appellarunt, ut ſigillum inuerent: & re vera melior huius terræ ſpecies ſacro ſigillo Dianæ circumferebatur, quod ſanè Capræ imaginem (ſi Dioſcoridi credimus) repræſentabat: nominarunt quoque miltam, ſiue Rubricam à colore, licet vulgaris Rubrica non ſit, ut ſtatuebat Fallopius contra Gal. qui hanc terram à Rubrica non diſtinguebat: Hoc tamen animaduerſione dignum eſt, an terræ lemniæ caprinus ſanguis olim remixtus fuerit; clarè Dioſcorides id aſſerit; Gal. vero fabuloſum tradit, immò nunquam in uſum fuiſſe. Hinc apparet vel deceptum Dioſcoridem ex aliorum relatione, vel ſuis temporibus, cùm deorum ſuperſtitio magis vigeret, admiſceri ſolere. Nec tamen ſine emolumento; cùm caprinus ſanguis inter antidota à Gal. connumeretur, tamquam remedium ab Aſclepiade receptum. Dubitant tamen cum Braſauola, Falopius, & Matthiolus, numquid per hæc tempora ad nos huiuſmodi terra deferatur: procul dubio tamen hoc fieri notum his, qui cum Venetorum Legato apud Turcas degunt, qui & vaſa, & globulos ex eadem Terra ſigillatos ſecum portant. Terra Lemnia inter præcipua alexipharmaca reponitur à Dioſcoride, Plinio, Galeno, qui in particularibus venenis ſe expertam fatetur, videlicet marinorum piſcium. An vero id agat proprietate totius ſubſtantiæ, an roborando ventriculum, vomitumque promouendo conferat; dubitari à Falopio video, quia conſimiles Terræ vomitum ciere ſolent; immò de Terra Lemnia idem tradidere Dioſcorides, & Galenus, & rationi conſonum eſt, ut totius ſubſtantiæ proprietati alexipharmaca tribuatur; & ratio eſt, quia non tantum in aſſumptis, ſed ictu illatis venenis ſuccurrit opitulando; & in peſtilentibus febribus etiam tantum ſudore commoto prodeſſe reperiatur: omnibus denique antidotis ſe familiarem prodit, adeoque non immeritò inter uniuerſalia annumeranda alexipharmaca. Coralia quoque his copulantur, quæ non lapidibus, aut gemmis, ſed Plantis accenſenda: & ſanè vegetabilia conſentiunt magis humanæ naturæ quam terrea pleraque. Ex vegetabilibus igitur, quæ propriè alexipharmaca dicimus, alia & ipſa pluribus aduerſari venenis, alia paucioribus, aut determinato unico. E prioribus, ſed calidioribus

In Præfat. lib. de Conſ. & diſenſ.

Quam terrã Dioſco. teſte lib. 5. c. 113. σφραγίδα αἰγὸς incolæ hoc eſt Capræ ſigillum vocabant, eius paſtillos capræ imagine ſignantes.

9. med. ſimpl. facult.

M ſunt

ſunt Angelica, cui calidiras in ſecundo tribuitur æqua cum ſiccitate; Imperatoria, quæ alterum gradum caloris ſibi adiungit, e qua Agyrtæ diu ſecreta ſua vendiderunt; Scorzonera, cuius temperamentum nondum determinatum, Gentiana ſingularis etiam in obſtructionibus tollendis, Calamintha nobilis illa, ſeu præſtantior, quæ æqualem gradum caloris cum ſiccitate poſſidet, tertium videlicet, pectori quoque, & utero amica; dictamus verus Creticus calore vigens, utilis etiam in fœtu, & ſecundinis retentis; vulneribus item malignis, ferroque infixo moleſtis; Carduus benedictus in ſecundo caloris, & ſiccitatis gradu conſtitutus, Scordium inſigne aduerſus putredinem remedium, cui ſiccitatis tertium adſcribunt gradum, ſecundum caloris; Ruta tam hortenſis, quam Capraria, quarum illa calida, & ſicca in tertio; Petaſitis exceſſum tertium ſiccitatis obtinēs; & ſecundum caliditatis, ad alios quoque plurimos affectus utilis, Valeriana in tertio calida, ſicca in ſecundo, maior earum optima præſertim; Vincetoxicum, quæ vix primum gradum ſiccitatis, ſecundum vero caloris obtinere traditur. Inter exotica celebratur radix drakena Cluſij, quæ Bahuino Cyperus longus odoratus Peruvianus, vulgo contrahierba Hiſpanorum, de cuius viribus Monardes abundè pertractat. Perſonatæ ſuccus vilioris alioquin plantæ, pedibuſque paſſim conculcatæ, ſed eximiorum contra venena præſertim virium, quæ caloris primum gradum obtinet in temperamento, ſecundum verò ſiccitatis, pluribus alijs nominibus expetenda. Sic Pimpinellæ, ſaxifragiæ radix, ſemenque, quæ vigorem ſatis validum caliditatis obtinet, & quæ meatibus vrinarijs peruijs redendis, calculiſque frangendis, prout eius nomen indigitat, venenis aduerſando ſummopere proficit, & inter primas commendatur. Sic & Abrotani quæcunque ſtirpes calore, æquaque ſiccitate vigoroſæ cum ad plura vtiles ſunt, tum venenis arcendis opportuniſſimæ cenſentur. Platani quoque echinatæ pilulæ, quæ & ſparganei fructibus facie correſpondent, pariter cum huius radice venenis aduerſantur. Hęc quamuis valido calore pollentia, & æquali ſiccitate ab Alexipharmacorum cenſu non arcentur; Ami, ruta, Eruca, Caſtoreum, Bdellium, Aniſum, Amomum, Cardamomum, Laſerpitium, Cuminum, Nigellæ ſemen, Naſturtium, Myrrha, Helenij radices, Menthaſtrum, ononidis floris lutei radices, Piper, Rhaponticum, Poliū, Rubia, quæ præter vites auerruncandi venena, & vrinæ efficaciter ciendæ proſunt, & menſibus trahendis validè conducunt, præter innumera alia, ad quæ commendantur. Nec Ariſtolochiæ longæ, rotundæque radicibus ſub hac temperamenti conditione poſitis deeſt facultas venenis reſiſtendi, puerperiſque etiam benignè opitulandi; accedunt & Baccharis radices, & Caryophylli noſtri flores, & Cardiacæ folia, Carlinæque radices, necnon Argemonis, & Eryngij, quorum omnium vigor venenatis præſertim generosè fauet, & poſtremi facultas non minus hydropicis conducit: ſic & hedyſari ſemen, ireos, braſſicæque non leuem opem venenatis conferſit. Ex plantis verò temperatioribus radix Biſtortæ, Tormentillæ, Pimpinellæ, Hyperici, flores Calendulæ. Ex frigidis radix Plantaginis, Acetoſæ flores, Boraginis, Roſarum, Coronopus, Conſolidæ regalis flores, uterque Cyanus, Boni Henirci ſuccus, Rapi ſemen, & Napi, Glandes quercuum,

cuum, Iuglandes, Vincetoxicum, Polemonij radix, phaſiani caro recens. Præbent quoque contra venena remedia & lapis ophites, & Ebur foſſile, & ex tot plantis venenis reſiſtentibus compoſita Theriaca, Mitridatique confectio, Theriaca diaterreum, electuarium de ouo Maximiliani Imperatoris, & puluis Viperinus, & huiuſmodi alia permulta, quorum exactum cenſum adducere nimis longum eſſet: ſufficiat in præſentia præſtantiora, & magis in praxi vſitata recenſuiſſe; quamuis nihil horum eatenus Alexipharmacum ſit, quatenus calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Particularibus venenis ſpecificè etiam proſunt quædam ex relatis; etenim bufonis veneno, & rubetæ, ſmaragdus redactus in pollinem aduerſatur. Euincitur virus Bupreſtis, & Erucæ oleo Melino, necnon Irino, Dactylis, Caricibuſque. Cantharidibus opponitur Ami ſemen, Terra ſamia, Nuclei pinei. Corrupto Caſtoreo, Limonis, citriq; ſuccus, ſemenque Coriandri vſtum. Cerebri Cati veneno opitulatur Moſcum, terraque Lemnia; Medullæ Arietis corruptæ phaſiani caro exſiccata. Veneno caudæ Cerui opponitur oleum ex ſeminibus citri, quo totum corpus illiniri debet, Piſtachia quoque veniunt opportuna, Auellanæ, & oleum ex his expreſſum. Viperinum fel oppugnant Paſtilli viperini, Theriaca, Mitridatica confectio, oleum Scorpionum Matthioli; Ixiæ veneno contraria extant Aſa fœtida, Ben albi ſemen, & Rutæ ſylueſtris, ſuccuſque horum, Reſina Terebinthina, Theriaca. Sudori quadrupedum obſtant paſtilli Viperini, necnon Margaritæ *præparatæ*, vel eius magiſterium, aut lac, roſarumque pallidarum ſuccus cum vino, quæ omnia veneno etiam ex ſanguine menſtruo illato aduerſari compertum eſt. Sanguini verò taurino, quo Themiſtoclem interemptum fuiſſe tradunt, & veneficis ſuis viribus, lactique in ventriculo concreto contra pugnant cum victoria braſſicæ capitatæ ſemen, chelidonij maioris ſuccus, coagulum vitulinum, Calamentum montanum, oxymel, thymum, Poſca, acetum ſcyllitieum, Nitrum. Toxico veneno, de quo Auſonius in illo lepido Epigrammate, opponitur Carpobalſamum, Rapi ſemẽ, ſanguis caninus, Caprinus, Ceruinus, Hircinus, Leporinus frixus, & pro cibo ſumptus, Tormentillæ radices, mala Cotonea, Cubebæ, Galbanum. Canis rabidi morſui, diro & formidabili veneno plura opportuna ſeliguntur alexipharmaca, dummodo hydrophobia non apparuerit; utcumque tamen conuenientia Aliſſum Galeni, Bitumen Iudaicum ex aqua potum, Cancrorum fluuiatilium cinis, & medicamentum ex eo compoſitum à Gal. Ariſtolochiæ rotundæ radix, hepar rabidi canis toſtum, & in cibis uſurpatum, Capreoli coagulum, leporiſque, & vulpis, Ciceris rubri decoctum, Roſę caninæ radix, remedium ex Plinio celebratum, Pimpinella vulgaris; ſic & extrinſecus plura occurrunt, & Plantæ quamplurimæ conferunt ad hoc ſua propria radice; Confert enim fœniculi radix contuſa, Hippolapathi, Perſonatæ, & ſcorzoneræ radices cum ſale tritæ, triticum maſticatum ieiuno ſtomacho, & vulneri appoſitum, Scordium, Theriaca, Mitridatum. Morſui viperino mirifice proſunt Anagallidis, Fraxini, & Iuniperi ſuccus, tum folia, Ebuli radix in vino decocta, & Sambuci, Ocimi, & Echij ſemẽ, Cerui genitale, Brioniæ radix, Coſtus aromaticus, Ius ranarum & caro, Paſtilli viperini, & ſal, Viperæ caro, & Theriaca. Extrinſecus morſui ap-

plicantur Anagallidis ſuccus, Abrotanum, Allium cum Aceto tritum, Orobi farina cum vino ſubacta, Galbanum, Lauri folia, Origanum, Pix liquida, Raphanus cum aceto tritus, ſcilla in aceto cocta, Trifolium bituminoſum, oleum ſcorpionum Matthioli. Morſui Aſpidum opponimus fœniculi ſemen, & ſcorzoneræ ſuccus, pconiæ radicem & ſemen, Naſturtium. Extrinſecus pariter adhibentur Angelicæ radices tritæ cum ruta, betæ nigræ, & centaurei minoris ſuccus, ſcabioſa recens contuſa, oleum ſcorpionum Matthioli. Morſui Hæmorrhoi aduerſamur allio copioſe ſumpto, Gobio piſce cum allio comeſto, nec parum prodeſt meracius vinum copioſè ſumptum. Euincimus morſum Ceraſtæ raphani ſatiui ſemine. Morſui ſcolopendræ adhibemus Aſphodeli radices, & ſemen, item cuiuſcumque Ariſtolochiæ radices, ſerpillum, mentham ſatiuam. Morſui muſtelæ Erucam ſatiuam propinamus contuſam, vel decoctam, & oleum ritu ſumptam, & vincetoxici radicem. Morſui muris aranei medelam afferunt recentes cupreſſi pilulæ ex aceto ſumptæ, Verbenaca, Capparis cortex; ſic morſui phalangiorum adhibemus atriplicis ſuccum, & mori foliorum, nigellæ, & aniſorum ſemen cum ſemine trifolij, necnon aſparagi radices; ſic etiam extrinſecus apponimus Mullum piſcem diſſectum, & Caprinum ſtercus. Morſum Tarantulæ ſuperamus iiſdem remedijs, ſed præſertim Muſicis inſtrumentis, & continuis ſaltationibus ad laſſitudinem uſque. Ictum Veſparum, & Apum compeſcimus Malua contuſa puncturis in modum cataplaſmatis admota, & lacte ficulneo. Draconis marini, & Paſtinacæ marinæ ictui venenato opitulamur Eringij, laurique radice, necnon etiam poſtremo cortice, ſaluia, floribus Rubi, item Paſtinacæ ſylueſtris ſemine; conferunt quoque extrinſecè admota animalia ipſa diſſecta, fomentum ex aceto calenti adhibitum, & ex pice liquata cataplaſma acerrimum in modum fotus, ocimum ex aceto, ſulphur. Compeſcimus ſcorpionis ictum floribus, & ſeminibus Aſphodeli in vino ſumptis, Auellanæ ſylueſtris folio ex vino ſumpto, blito, atriplicis ſucco, Ariſtolochiæ rotundæ radice, coſto, citri ſemine, cyperi rotundi radice, gentianæ maioris, & hippoſelini ſemine, lauri baccis, myrti ſucco, & ſonci, mumia, ſerpilo, verbenaca. Extrinſecus galbanum, laſerpitium, amomum, ficulneum lac, meliſſa, decoctum rutæ. Cæterum quoniam fato noſtro malo ex plantis ſæpè haurimus non alexipharmaca, ſed venena, quæ & ipſæ crudelem necem hominibus inferunt; attamen ex ſtirpibus aduerſarijs aduerſaria venena ex iiſdem prodeuntia ſuperamus. Prodeſt antiptora contra ptoræ venenum. Auripigmento ſuperando oleum nuclei pinci opponimus. Hydrargyro ſublimato oleum amygdalarum dulcium. Aconiti igitur veneno aduerſatur abrotanum, ariſtolochia longa, Balſamum orientale, origanumque; Cicutę veneno opponunt amomum, cardamomum, iridis radices, ſeſeli Maſſilienſe, lauri folia: Colchici venenum ſuperant polygoni ſuccus, glandes quercus, ſerpillum, caſtaneę caro, & tenuis illa tunicula, quę carnem ipſam tegit. Colocynthidem venenatam ſuperant, quęcumque exulcerantem eius vim demulcere valēt, ut ſunt amygdalarum oleū, mucilagines ex ſeminibus cydoniorum, lini, pſilij, altheę, maluarumque; citrum quoque commendatur, ſępius repetitum, ſed pręſertim acidum; ſic prodenda ſucci

Aconitum venenum ſuperantia alexipharm. Cicutam. Colchicum.

ēpoti, & portulacæ, nymphex ſolani, violarum, lactucæ. Sic Cameleæ, *Cameleæ,*
Timeleæque venenum arcent Origanum, coſtum, meliſſaque in vino infu- *Timeleæ ad-*
ſa. Cyclamini radicis virus emendant lauri folia, bacæque, & gentianæ *uerſantia. Ciclamini.*
maioris radices. Extinguitur elaterij vis à menthæ ſucco. Fungorum vene- *Elaterio.*
natorum virulentiam lethalem ſuperamus, allio, raphani ſatiui ſucco, *Fungis.*
braſſica, ſatureia, ſinapi, porro, meliſſa, naſturtio, pipereque in vino ge-
neroſo. Napelli veneno fructuosè opponimus antoræ radicem, & cappa- *Napelli vi-*
rum, necnon glandium putamina. Hyoſcyami venenum arcemus allio, *rus emen-*
cepis, cortice arboris mori, ſyluestri raphano, ruta, abſynthioque in vi- *dantia. Hyoſciami.*
no infuſo. Venenum albi ellebori cohibetur nympheæ floribus, maloque *Album elle-*
cydonio. Nigri quoque ellebori vis venefica extinguitur ſemine aniſo- *borum; ſu-*
rum, vulgatoque abſynthio. Mandragoræ venenatos effectus tollimus *perent ale-xiph.*
pulegio ſylueſtri, coriandri ſemine, origano Cretico. Papauer cornicula- *Quæ Nigr. Quæ Man-*
tum vires ſuas amittit aſa fętida adhibita, ſucco artemiſiæ, nigro pipere, *dragoram.*
rutaque ſylueſtri. Noxias rhododendri facultates irritas reddimus agni *Papau. cor-*
caſti ſemine, fęnugræco, dactylis, ſcamonij vires compeſcit ſuccus cydo- *nicul. virus extinguen.*
niorum, limonumque. Sic & dorycnio, & maniaco ſolano, necnon, & ſom- *Rhodod. quæ*
nifero opponunt amygdalas amaras. Tandem etiam è plantis alexiphar- *enimeant venenum.*
macis vires ſufficientes elicimus pro ſuperandis foſſilium venenis. Vene- *Quæ Scam.*
no enim ſpumæ argenti opponimus apij ſemen. Ceruſſæ oleum ex maiora- *ven. Doryc. Solan. man.*
na, & ex perſicorum nucleis; gypſo, allium, meliſſam, naſturtium, porrum, *& Somnif.*
ſuccum raphani, ſatureiam, ſinapi, braſſicæ ſuccum. Magneti opponimus *Quæ oppon.*
cydoniorum malique punici ſuccum; ſquamæ tandem, & ęruginis æris ſu- *vene. ſpum. argē. & vet. foſſil.*
perando veneno proficuè commendantur acori radices, coralium rubrum, *Coralliumq.*
& ſuccus menthæ. Ex harum plantarum præcipuè radicibus fiet decoctū,
aut iiſdem blande exſiccatis puluis, è puluere electuarium; idque cum ſy-
rupo ex iiſdem factum, imo efficacius vinum generoſum repetitis radicum
infuſionibus medicatum, quibus adhuc præpollent aquæ ſpirituoſæ, eſſen-
tiæ, & extracta cum ſpiritu vini, & potiſſimum aquis ſpirituoſis, ideſt iuni-
peri, & lauri baccis paratæ; quorum exemplum facilè deſumi poterit ex
Pharmacopęa Scroderi. Conſultius tamen, cum præſeruationis ergo, cre-
brò aliquid horum aſſumendum eſt pulueris, electuarij, aut conditi forma
medicamentum uſurpemus; quia diutius perſeuerabit in nobis facultas;
parte ſaltem aliqua eius ſolidiore viſceribus ſe iungente. Cum verò cura-
tionis gratia, tunc vel maximè ſpirituoſum eligendum, ut veneno pene-
trabili tenuitate par ſit. Dubitari poteſt an contra corroſiua venena ſer-
uare queant hominem, quæ actu alexipharmaca? hoc eſt quia talia non tā-
tum occultis, ſed manifeſtis viribus nocent, quibus manifeſtis propoſita
non aduerſantur, & ad ſublimati hydrargyri vim ſuperandam non ſatis
eſſe virium in Contrahierua fatetur Monardes; prout etiam dubitatum à
Parckinſonio Tom. 3. cap. vlt. Dubitationi reſpondetur, quòd in pugna
formarum ipſa temperamenti conſtitutio ſæpè mutatur. ex. gr. in ſpiritu
vitrioli, & ſale inuicem oppugnando ab erodendi vi ſpoliantibus; ita co-
rallorum aridus puluis reſiſtit eroſioni aſſumpti ſpiritus vitrioli, vt ex An-
ſel. Boet. experimento notum. Cum contingere queat, ut roboratis viſce- *Lib. 2. c. 154*
ribus, concitato vehementi celerique vomitu, ex accidenti corroſiua ſu-
perentur.

perentur. at claudant alexipharmacorum agmen Citria mala ab Athenæo lib. 3. Dimnoſophiſtar. maximè commendata, quemadmodum, & à Virg. 2. Georgic. dum inquit.

Media fert triſtes ſuccos, tardamque ſaporem
Felicis mali, quo non præſtantior ullum,
Pocula, ſi quando ſæuæ infecere Nouercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.
Auxilium venit, ac membris agit acre venenum.

Nec ſanè alius fructus eſt, qui temperamenti varietate æquè luxuriet ratione partium, tamquam omnis generis venenis vniuerſalem medicinam Dioſcor. lib. 1. cap. 131. complectatur, medicamentum ex cortice, carne, ſucco, ſeminibus emulſione, & ex tota eſſentia, ex flauedine corticis; item magiſterium ex ſucco condito, oleo corticum, & ſale e combuſtorum cinere, item quę vulgò aqua ex toto citro; Accedunt & mala cydonia aduerſus toxica ſummum remedium, & particulare ellebori albi etiam ſolo odore, aſſerente Matthiolo; inter aromata enumeratur cinnamomum, Amomum, Caryophylli aromatici, Zedoaria, Galanga, Crocus item; qui tamen & quantitate nocere ſolet, licet non implendo pericardium, vt opinatus eſt Pona. Sed è viliſſi- Lib. de Ven. cap. 18. mis vnum recenſere non pigeat; graminis videlicet radices, naturæ indulgentia contra frigida, & calida venena prophylacticum eximium, canum inſtinctu compertum; quinimo, & Vrticæ vrentis radix ingreditur antidotum Saxonicum, & Alexipharmacum Quercetani. Compoſita ex prædictis ſimplicibus varia; Pulueres videlicet, electuaria, & aliæ ſupra recenſitæ compoſitiones apud varios auctores, inuenta ſua ſingulis experimentis comprobata laudantes. Dioſcorides laudat Mitridatis compoſitionem ex nucibus, ficubus ſiccis, folijs rutæ, & ſale; Celebrior tamen præ omnibus theriaca; de qua dubium quoque an Principis titulo digna, quia Mat- Comm. in 6. lib. Dioſcor. in Præfat. thiolus inualidam iudicat ob defectū cinnamomi, item opobalſami, quod ob maculam, coagulationemque odorem ambræ inferiorem, nondum ipſi cognitum fatetur: amomi item veri defectum agnoſcit: Affert etiam contra eam difficultates Auerrois, quod per Theriacam homines ſimiles veneno fiant, cum nihil à veneno patiantur; & Theriaca venenum attrahat, quod per ſimilitudinem fit, tum quia ſummæ actiuitatis cùm ſit (nam venena debellare valet) ſequitur quod ſanis corporibus conuenire nequeat; Addunt, quia frigidis venenis non aduerſatur. Nec deſunt Plinij conuitia in Theriacam lib. 29. cap. 1, quòd compoſitionem vocat excogitatam in gratiam luxuriæ. Conſtat tamen ſpecioſiſſimis ab omni æuo experimentis cæteris antidotis Theriacam præualuiſſe; & Matthioli dubia de Amomo ſatis diſcuſſiſſe Nicolaum Marognam lib. de Amomo. De Opobalſamo vero, & quomodo notæ eius ſint intelligendæ; optimè hanc prouinciam abſoluit doctiſſimus Veslingius in ſuo de Opobalſamo. Auerrois autem ra- Lib. 6. par. 5. cap. 5. tionibus facilè ſatisfacimus cum Sennerto, dicentes non acquirere corpora veneficam qualitatem ab his, qui Theriacæ uſum familiarem habent; ſed potius qualitatem veneno repugnantem; nec attrahere Theriacam venenum, ſed impugnare, expugnareque: quod etſi actiuitatis ſummæ ſit; cautè tamen adhibita conuenienti doſi, & uſu diuerſo, pro ratione ætatis;

id

Id etiam in onente Gal. doſis & mixtura cum temperatioribus hic locum retinet: ſic enim minimè nocere poterit: quod exemplo Mitridatis, Antonini Pij, aliorumque facilè apparet. Plinio verò iniquè ne dicam temerè. compoſitionem exprobranti opponimus Gal. ſalubrium effectorum certum experimentum non ſemel, aut bis expertum. An verò purgatione opus ſit, an ſudor excitandus, vel aliud ſimile moliendum ante Alexipharmaci uſum; facilè hoc ſtatuendum, ſi ſtatum hominis particularis conſideremus, prout bona, mala, aut mediocri valetudine fruatur.

Lib. de Theriac. ad Piſ. & de Comp. ſecund. loca.

De Curatione Venenorum in genere.

CAPVT XXXIII.

Quæ in Venenis aſſumptis ſuperandis remedia conueniant, & quando eorum uſus proficuus. De dieta adhibenda methodus certa conſtituitur.

CArdo agendorum verſatur in eo, ut hauſtum primò venenum ilicet reijciatur, euacuetur, extrahatur, reuellatur. Deinde ut impreſſa venenata labes alexipharmacis deleatur. Ad prioris executionem requiritur primo vomitus per remedia blanda, per untuoſa, & viſcida, Butyrum, lac, oleum. Alexipharmacis ſemper ijs, quæ vomitum promouent mixtis; *qualia* Terra ſigillata, Cornu cerui, Bolus armenus, Lapis bezoar, & ſimilia, & ſæpè repetitis, donec nullum inditium amplius veneni deglutiti remaneat; ad colorem ſcilicet, ſaporem, odoremve quod attinebat: ſymptomataque omnia ſublata ſint. An in ijſdem vomitorijs attenuantia immiſcenda ſint, & acida præſertim; ſunt qui omninò adhibenda eſſe dicunt, quia citius vomitum excitant; Exempli gratia Lixiuium, Acetum, Oxymel, nihilominus minus tuta eſſe videntur ſi acre, & mordax fuerit venenum; ſecus vero ſi narcoticum; immò & Mercurialis ipſe, qui in vomitorijs laudat acida cathartica, & quidem propter attenuationem, damnat. Quod ſi jam ad inteſtina deſcenderit venenum; clyſteres requiruntur blādi, deinde fortiores; & optimi tunc ex decocto centaurij minoris, mercurialis, & ſimilium: Non verò ex Thymelea, aut agarico à Mercuriali commendatis; quia Thymelea malignis viribus prędita eſt; agarici verò inutilis decoctio, quam haud ſuſtinet. An conueniant tamen, quando, & qualia, optimè dirimit controuerſiam Mercurialis; quemadmodum & de diureticorum uſu, per rarò illa, & in quibuſdam venenis vſurpari poſſe; iſta frequenter, & dū venenum ad illam partem raptum habuerit. Deſperatum tamen ægrum habet Cardanus, ſi in ægri urina demerſi oui luteum nigreſcat. Quod ſi tamen in veneno non violento motus naturæ ad vias urinarias obſeruetur, his proſecutionem exigit. Cathartica tamen diureticis mixta antequam naturæ conatus obſeruetur, fugienda. Verum paulò fortiora, ut ſint vomitoria, expedit, vitatis tamen acribus, & malignis. Perſuadet enim periculi magnitudo, quod blanda, & parum minuentia non auertunt: incoquantur protinus iuſculis, vel aqua Bulbus narciſſi, cortices raphani, aut rapi. cortex internus juglandis, & ſi nil aliud ad manum, radices graminis

Lib. 1. c. 22.

undique, & ſemper obuiæ. Venæ ſectio, ſi lethale venenum, nulla admittitur; ſi temporaneum, & quidem inflammatorium, conceditur ratione flegmonis, & in homine præcipue plethorico; ſed etiam tunc quoque moderanda: Cucurbitulæ non ſcarificatæ; frictiones, & ligaturæ in partibus extremis locum habent: ſed profectò languida ſunt remedia. Probantur à Mercuriali, Schnerto, & Matthiolo mulorum, & bouum mox exenteratorum ventres, attractionis gratiâ ad exteriora; immò etiam nunc, non improbatur uſus, quia Cæſari Borgiæ Nepoti Alexandri VI. Pontificis benè ſucceſſit: hic enim, quod alijs deſtinaucrat venenum, imprudens hauſerat; ſed hoc operoſum nimis, nec obuium adeò remedium. Promptius, eiuſdemque valoris medicamentum eſt iugulati mox vituli, agni, veruecis pulmones cum corde adhuc calentes extracti, maximè anatis, gallinæ, vel palumbæ totum corpus per dorſum diſſectum, cordi, & partibus applicare; quarum illa animalia, quæ venenis veſcuntur, ad idem accommodatiora admouebuntur. Primò ventriculo tantum, ſi protinus aſsumptum eſt venenum; vel cordi, & ventriculo ſimul, dum utriuſque ſymptomata ſe manifeſtant.

Alterum erit præſtandorum, tollere impreſſam à veneno labem, idque per alexipharmaca ea partim frigida, partim temperata, partim calida, ut ſupra tetigimus, habentur, adeoque prout venenum fuerit, diuerſimode uſurpanda. Sennertus quoque admittit hoc conſilium; magis tamen ad vim alexipharmacam reſpicere iubet. At hæc vis cum in omnibus præſupponatur, optimum fuerit, ſi manifeſtis qualitatibus alexipharmacum etiam veneno aduerſetur; Nam inducta illa manifeſta qualitas veneno, ſublata licet veneni vi, ſuperſtes morbus deinceps, & pericula producere poteſt. E frigidis, & temperatis iam ennarratis partim potiones parantur; tum ſyrupi, prout ex Coralijs præſertim, perlis, matrice margaritarum, & ſimilibus: Conſeruis, electuarijs, pulueribus, emulſionibus ex nucibus iuglãdibus, aut auellanis recentibus, addito ſaccharo roſato tabulato, aut rotulis perlatis. Externa frigida ſuſpecta, vel ſaltem imbecilla, vnguentum ſantalorum Meſue cum refrigerio adſtringentium poſſidet. E calidis item potiones, ſyrupi, vina medicata, eſſentiæ, extracta, pulueres, condita, conſeruæ, flores aurantiorum, Citri ante maturationem decerpti, conſeruæ meliſſæ, florum cyani vulgaris, electuaria præcipue Alexipharmaca temperata, prout confectiones de Iacyntho, quæ temperatior eſt, de gemmis de cryſtallo. Calidiores verò confectio Alchermes, Theriaca, Mitridatum, Theriaca diateſſerum, electuarium de ouo Maximiliani Imperatoris, & quæ particularia electuaria parantur ad particularia venena, prout illud ex muſca napelli, & ſimilia.

Lib. 6. par. 5. cap. 6.

Theriaca, quæ recens in frigidis venenis non adhibenda, perficitur duodecim annis, perdurat triginta Gal. teſtimonio ad Piſonem; ſic Antidota magna Matthioli; electuarium Dioſcoridis, Fracaſtorij, electuarium Camphoræ Kegleri, quod falſo frigidum perhibetur; Pulueres de bolo, Griſeus Imperati, Saxonicus, ſpecies diambræ, & emulſiones ex ſeminibus citri, Cardui benedicti, napi; Adde aquam cinnamomi, ſales Theriacales, Viperinus recentiorum puluis, ſal, vel viuis iiſdem combuſtis, vel

mor-

mortuis, & exenteratis, quæ vel ſimplici exſiccatione in balneo Mariæ, vel ſubſtrato puluere aromatico, vel fumo ſulfureo fit. Qui è viuis paratus eſt, ſuſpectus Scrodero euadit. De vino viperino ambiguitatem optimè diſcutit Hieronymus Mercurialis. Et reuera tutum antidotum efficitur vinum illud, quod aire ex vipera paratur, amputatis amputandis, ſecus quod caſu fit; cùm vinum vehiculum veneni viperæ eſſe poſſit; quæ cum toto ſuo veneno ibi extinguitur. Nec valet experimentum eius, qui à lepra, huiuſmodi vino epoto quiſpiam liberatus eſt, vt refert Gal. eum multoties vnum venenum alteri aduerſari videamus. Sal pariter ex bufone præparatus laudatur à Fabro, ob vim attrahentem. Externa etiam calida veniunt in uſum epithemata ex aquis ſpiritoſis, inunctiones ex oleis deſtillatis, nardino, rutaceo, Coſtino, Corticum citri, Caryophyllorum, Cinnamomi, nucis moſcatæ: electuaria quinimo recenſita, reformata, additis ſuccis acidis. Diętæ rationem optimam ex Mercuriali exhaurire poſſumus. Aer calidus mediocriter aromatibus imbutus, iiſque fragrans redditus; qui etiam reddi poterit in os ægri exhalantibus amicis, aut miniſtris, manducato prius aromate. Sit aer ſplendidus, purus, cibi lenientes, pingues, oleoſi, butyracei, mucilaginoſi, ex decoctione pedum verucis, capitis vituli, & pedum, aut cerebri, & huiuſmodi alia: ſic oua recentia butyro condita; in acetarijs uſurpentur Meliſſæ, Pimpinellæ, Tormentillæ, Veronicæque folia. Pro bellarijs ſint Paſſulæ, Carices, nuces, ficus, Caſtaneæ, poma, citria, Cydonia, ſal, & prædicta aromata. Vinum album, quod pro ratione ſignorum veneni ſit plus, minuſve potens; Abſintque in queſtus, & lachrymas erumpentes, qui mœrorem excitant; æger enim alioquin lepidis alloquijs, canticiſque erigendus. Venus eliminanda, ſomnus interdicendus, ne virus intra trahatur; aluus in dies irritanda pilulis aromaticis, pilulis Ruphi, aut Plateri peſtilentibus.

Farmaceut. lib. 5.

Lib. 1. de venen. cap. 20.

Myrothec. lib. 1.

Lib. 1. c. ult.

De Venenis Metallorum frigidorum.

CAPVT XXXIV.

Scrutatur hydrargyri natura, & primæ eius qualitates perpenduntur; ſententiæ inuicem pugnantes examinantur, & tandem frigidæ naturæ ſtatuitur cum Auicenna; ſymptomata, quæ ſub diuerſa forma inducit, referuntur. Ferri natura tam indagatur eiuſdemque ſymptomata quoque. Plumbi conditiones patefiunt, ſicque, Ceruſsæ, Minij, lithargyrij, Gypſi; ſtibijque tandem, horumque omnium ſymptomata produntur.

FRigidis metallis communis medicorum ſententia Hydrargyrum annumerat, tum ferrum, plumbum, & quæ ea plumbo concinnantur, Ceruſsa, Minium, Lythargyrium, tandemque ſtibium. Calidis Arſenicum, Æs, viride æris, æruginem, boracem, chryſocollam, calcem, lapidem Armenium, lapidem Lazuli, ſal ammoniacum, euphorbium. Ordiamur ab argento viuo, quod frigidum quibuſdam, nonnullis calidum, alijs calidum, & frigidum videtur. Frigidum, & humidum eſſe in gradu 2. tra-

Argentum viuum.

dit Auic. Fernelius, & Matthiolus etiam in 4. gradu conſtituunt, frigiditatis, & humiditatis; Nec deſunt ijs rationes, quibus ſententiam ſuam roborent; nam ipſis ſupponitur oriri ex vapore aqueo, qui vapor, Ariſtotele teſte, frigidæ naturæ, tum humidæ in ſummo perhibetur; quia deprehenditur ſenſu in eo frigiditas, eaque durabilis, neque ab hominis calore ſuperabilis; vt potentia, & actu tale cum ſit, argumenti firmitas conſurgit natiuæ ſuæ diſpoſitionis; tum quia aduerſaria eius eſt igni natura, à quo ſi agitetur, in auras totum faceſſit, ut inde contrarietatis inditia facile emergant. quinimo ubi eius copioſa minera, ibi locus plantarum minime ferax; aut ſi naſcantur, nulla proceritate extolluntur, & haud fructus ferunt; at hæc morbi, quos producit in metallurgis, planè id oſtentāt; ut Apoplexia, Paralyſis, tremores, Epilepſia; immò licet robuſtiſſimi, qui fodinis eius eruendis interſunt, vix ad ſenium incolumes præſeruantur; quod ſanè etiā, cùm vomitum concitare valeat, ventriculi refrigerationem ab eo inductā coarguit. Poſtremo Dioſcorides vim eius expugnat calidis remedijs Apio, Ormino, Saluia, & ſimilibus; & quamuis Gal. 4. Simpl. hydrargyrum corroſivum dicat, & calidis venenis adſtipulari aſſerat; ingenuè tamen fatetur ſe eius naturam penitus ignorare. Sennertus verò mentem fuiſſe Punceti, & Saxoniæ dicit, hydrargyrum diuerſam obtinere naturam, & crudum, vivumque frigidum; ſed ignis elaboratione, aqueis partibus digeſtis, calidum euadere; cui tamen neutra ſententia ſatisfacit, quia hydrargyrum totum homogeneum ſtatuit, conflatum mixtione exquiſitiſſima; ut & quod remanet ex ignis actione, & quod mutatur, eamdem naturam ſemper ſeruet. Quod ſi hydrargyrum ſublimatum dicant, inquit, corroſivum eſſe; id ſanè acquiſiuit beneficio ſalium acrium, quæ eidem admiſceri ſolent; ſtatuit ob id calidum eſſe, prout determinat etiam Falopius. Et eò magis, quia vim poſſidet euidentiſſimam penetrandi metalla omnia, & oſſa ipſa perſuadere. quod ſi ſcabiem ſanat, inquit Falopius, & ulcera; hoc eidem accidit ob vim adiunctam non leuem, quam obtinet exſiccandi. Quòd ſi obijciant crudum facultatem nullam erodendi habere, eam verò adipiſci ab igne exagitatum: ergo ubi decantata homogeneitas Sennerti? Reſpondent crudum etiam corrodendi vires poſſidere, vivum tamen eas non oſtentare, quia ſuam actiuitatem conſtipatam habet, quam mediante igne diuidit, & attenuat, ut tunc facilè erodat. Quòd verò à ſenſu frigiditatis opponitur, ſolvunt, quia hoc eidem ex accidenti euenire ſtatuunt, non ſecus atque de vino, id admirante Ariſtotele. Quòd autem cerebro, & neruis inimicum exiſtat; id à proprietate euenire affirmant, & ob id effectus, quos exerit non ad frigiditatem reducendos; ſed ad totius ſubſtantiæ proprietatem. Sed me iudice, hæ omnes rationes parum firmæ ſunt, ut anteactas contra pugnantes euertere valeant. Ego quidem quamuis probabiles tantum rationes utrinque afferantur; plures tamen & ſenſui propinquiores ſunt, quæ frigiditatem metallo deſignant; hinc eſt, quod pro hydrargyri frigiditate, facile ſtatuo cum Auicenna; habere etiam coniunctam crediderim ſiccitatem inſignem peſtilentialem; utriuſque namq; qualitatis nimis vigent effectus: Stupor, & tremor, quos inducit, & paralyſis quoque id ſatis clare coarguunt; hæ enim qualitates omninò contra-

Lib. 6. part. 4. cap. 21.

3. Probl. 3.

riæ

riæ ſunt humido radicali, ut facile vitam cum calore extinguere valeant; auget tamen vim ſuam à ſubſtantiæ, formæve proprietate ſua, quæ præcipue cerebro aduerſatur, & cordi quoque. Nec ulla ratio manifeſtè ſuadet, ut calidum eum decernamus, cum penetrandi vis non ſit tantum calidorum, alioquin eadem vis aceto non tribueretur, non alijs acidis; ipſam enim penetrabilitatem ab intima ſua obtinet ſubſtantia, interim etiam id potentiali ſiccitati tribui poteſt, quæ & ipſa frigiditatem penetrabilem facit; adeoque vires diſcutiendi nanciſcitur. Quod ſi Gal. viſum eſt hoc referre inter calida venena, id de non crudo pronunciandum; quamuis etiam crudum, venenum, licet non exactè, aſſerendum ſit; quia ſua maligna, ſiccaque metallica vi, cerebro, neruiſque, ſtomacho, & interaneis, vitæque tandem noſtræ principijs inimicum eſt; & ob id de venenata hydrargyri vi paſſim auctores omni exceptione maiores conueniunt: ſi enim ob ſupinitatem pilori, aut inteſtinorum impedimenta non excernatur aſſumptum, noxæ, quas tunc inducit, id euidenter demonſtrant. Dixi appellari lato modo, & non ità propriè venenum; alioquin ſi propriè venenum eſſet, quomodo intra laminas cranij, oſſiumque fiſtulas longo tempore ſaluis ægris contineri poſſet? Eſt igitur hydrargyrum metallicus liquor natura frigidus, & ſiccus, cordi, & cerebro potiſſimum ſubſtantiæ proprietate inimicum. Hydrargyrum crudum ſi in corpore ſubſiſtat, talia ſymptomata excitat: ſtomachi, inteſtinorumque tormina, deiectiones frequentes, vrinæ retentio, tumor corporis, liuor deinde plumbeus, mox tremor; *paralyſis*, apoplexia, epilepſia, ſyncope. Symptomata vero hydrargyri igne ſubacti, ſiue ſublimati, aut præcipitati dicti, vel ſubſtantia, vel ſale no præparati ſæuiſſima & ipſa ſunt; vt inde vim ſuam veneficam potius augere, quam exuere videatur; dum enim in vapore recipitur, ſiue data opera ob Gallicæ luis debellationem moliendam, vel caſu ex incuria aſſumatur; vtcumque convulſiones parit, tremores, articulorum imbecillitatem, ſenſuum externorum labem, paralyſim, facultatumq; tandem igemonicarum deprauationem. Si verò præcipitatum occurrat, tunc eadem obſeruantur etiam accidentia. dentium infirmitas, fætor oris, & vlcerum buccæ prouentus, & gingiuarum, faucium inflammatio, immo quoque fere ſemper alienatio mentis obſeruatur. Sublimatum tandem hydrargyrum adhuc ſæuiora excitat ſymptomata; ex adhærentia etenim ſalium uſtrinam igneam adipiſcitur, ita ut quocumque repat, exedat, inflammet, urat, ſitim inextinguibilem excitet, & inteſtinorum, & ſtomachi tormina, ſingultum, dyſenteriam, urinæ ardorem, ſanguinis mictum, ſyncopem, delirium, ſpirandi difficultatem, urinæ retentionem; à quibus tandem breui mors ſequitur. Addunt præterea hydrargyri familiæ Cinnabarim hodiernum auctores, quod ex argento viuo, & ſulfure paratur, & relatis modo ſymptomatis ſuperuenientibus aſſumptum fuiſſe cognoſcitur. Hydrargyro metallico ferrum metallum non ignobile ſubnectimus, optimum ſi Plinium conſulamus, & peſſimum vitæ inſtrumentum; quod quidem veneficum, immo exitiale quandoque euadere ſolet, etiam pro medicamento uſurpatum, ſi ingeſtum fortè iuſtam medicamenti menſuram excedat. Ferri namque, & chalybis copioſiorem, quam par ſit, limaturam aſſumptam, exitialem futuram

Symptomata crudi hydrargyri.

Symptomata Præcipitati Hydrargyri.

Sublimati ſymptom.

Cinnabar.

Ferrum.

 turam

turam ſuis, vt infrà ſymptomatis cognoſcimus. Ferrum vulgò traditur temperamenti calidi, & ſicci, & pro vt quibuſdam, Vechero præſertim, placet, in gradu 2. à Chimicis inter Planetas Marti ſubijcitur, ſatis ſane friuola comparatione, cùm hic incendij perhibeatur cauſa, & combuſtionis, ſub qua ratione magis cuprum Marti conueniie videtur, quod citra dubitationis aleam calidum eſt; ob id minimè Veneri, ſed Marti potius ſimile. Sed quemadmodum ferrum euidentem ſiccandi, & attenuandi obtinet facultatem; ſic dubiæ ſunt, quæ circa eiuſdem frigiditatem, aut caliditatem dignotiones à ſenſu percipiuntur. Sapor namque qui metallo ſeſe iungit, alienus aberit; ſed de hoc quemadmodum etiam de alijs metallis, & metallicis alibi fuſius. Falopius frigidas partes plures in ferro, calidas tamen etiam reperiri, & tenuiores aſſerit, prout de aceto conſpicuum; ſuntque illæ tenuiores, quæ ſenſum magis afficiunt. Exiſtimo autem ego ferro in ſua puritate exiſtente, & externis cauſis minimè alterato, determinatos gradus frigiditatis, aut caliditatis ad ſenſum haud percipi poſſe; ſiccare tamen valenter, aperire, ſtrenueque diſcutere, necnon adſtringere, quæ ferri inſitis principijs tribuenda ſunt; ac quidem hæc non implicate, prout aliàs innuebam, quod etiam ſenſato experimento patefit. Hauſta
Symptomata ex Ferro aſſumpto. copioſè ferri limatura cognoſcitur ex oris ſiccitate, inſigni ventriculi dolore, & quandoq; vomitu, dolore item inteſtinorum, & corporis totius in-
Plumbum. flammatione. Plumbum, Hermeticorum ſchola ſegni, & torpido Planetarum Saturno adſcribit, quod & venenorum familiæ adſtipulatur. Cuius ſi
Plumbi ſymptomata. puluis copioſè ſumatur ſtomachi, tormina ſæuiſſima excitantur, flatus, dyſenteria; excreta, & reiecta per vomitum plumbeo liuore prædita ſunt, alui adſtrictio, icterus. De temperamenti eius conditione adhuc contro-
9. Simpl. c. de molybdē. uerſa res eſt. Galenus enim plurimum aereæ humiditatis poſſidere aſſerit; tum quia facile liqueſcit, tum quod præcipuum idipſum aereum eſſe decernit eſt, quia in locis humidis & mole, & pondere augetur; quod in eo plumbo apparet ex Plinio, quod ſtatuis firmandis adhibetur, & quod tectis ſacrorum ſuperimponitur. Frigidum deinde eſſe experimento deducit; quia quæ frigida ſua natura ſunt in mortario plumbeo ducta maiorem inde aquirunt frigiditatem; quia plumbi lamina appoſita renum ardores compeſcit. Auerroes tamen Plumbum ſiccum aſſerit, cui quoque conſentire videtur Dioſcorides, qui plumbum adſtringere, replereque ulcera ſcribit; tum excreſcentia imminuere, & poſtremo lotum Cadmiæ ſi-
9. Simpl. 3. de Compo. per loca. milem eſſe. Addit idem Auerroes etiam calidum eſſe, quod nec à Galeni ſententia videtur alienum, qui aquam per plumbeos canales traiectam dyſenteriam efficere; & quia metalla terræ plurimum, item etiam multum igneæ ſubſtantiæ obtinere ſcribit. Exiſtimo ego idem de Plumbo dicendum, quod de ferro diximus; Plumbum per naturam ſiccum eſſe, eſſe item frigidum; ſed cum multum vaporoſum ſit præter terreſtrem partem, quæ admodum præualet, operari, dum in nos agit parte ipſa vaporoſa, aerea, tenui; & hinc eſt, quod vincentem potius humiditatem, & magis actiuam ſenſimus cum frigiditate, quàm cum ſiccitate experiamur; quamuis inſi-
Ceruſſa. gnem ſatis ſiccitatem adiunctam habeat. Ex Plumbo Ceruſſa emergit eo-
Lib. de lapidibus. dem uſto, vel corroſo, natiuam tamen etiam Ceruſſam dari ſcribit Falopius

tecla-

reclamante Theophraſto, quam tamen etiam dari poſſe naturalem non difficulter crediderim cum Falopio; eo videlicet modo factam, quo ex Cupri vena fit natiua Chryſocolla in profundis locis terræ ſita, iuxta ſuccos, vel ſpiritus acidos poſita, & indè corroſa. Ex aſſumpta Ceruſſa eadem ſubboriuntur ſymptomata, quæ de plumbo diximus, tum præterea partium oris dealbatio, reſpirandi difficultas, delirium, urinæ cruentæ, aut nigræ, frigus extremorum, ſingultus, tuſſis. Ægri ſunt modo ſomniculoſi, modo vigiles, ſed ſemper ob eorum oculos ſpectra obuerſantur. Minium & ipſum intra huius generis venena adſciſcitur, ut quod ex Plumbo prodit, eadem habeat ſymptomata, quæ Plumbo, & Ceruſſæ attribuimus; addit Aetius linguæ, & faucium inflammationem. veteribus minerale etiam Minium fuit. Lithargyrium tandem metallicis, frigidis venenis è plumbo elicitis adſtipulatur: fit enim ex exuſti Plumbi vena in argenti purificatione ſpuma; & cum duos ſortiatur colores, album unum, alterum fulvum; nomen Lithargyrij, & aurei, & argentei ſortitur. habet & ipſum, ſi aſſumatur, ſæuiſſima, quo ſe prodit, ſymptomata: ſtomachi dolor infeſtat, & inteſtinorum, urinæ ſuppreſſio, dyſenteria, flatus moleſtiſſimi, tumor uniuerſalis, cui accedit color plumbeus, ſpuma circa os obſeruatur; mox motrix facultas imminuitur, ad hanc mors. Gypſum deinde his connectimus venenis à foſſilibus deſumptis; de cuius temperamento licet ambigua ſit ſententia; tamen maior eruditorum pars frigidis adſcribere non eſt verita. De eiuſdem tamen ſiccitate vix dubium aliquod relinquitur; Galenus etenim etiam idem ſtatuit; huius enim qualitatis vires ſatis violenter ſe manifeſtant: calidum tamen eſſe gypſum, immò calidiſſimum aſſerit Theophraſtus, quia inquit aqua perfuſum inflammatur, quia dum manibus contrectatur, incaleſcit, immo urit, quod calorem neceſſario arguit. Galenus tamen, & Serapio eſſe gypſum repercutientis facultatis tradidere; & ob id Arabes eidem ſecundum gradum frigiditatis aſſignant. Exiſtimo ego gypſum dum adhuc intra viſcera, vim ignis, ſiue ſubteranei, vel arte inducti retinet, calidum eſſe; euaneſcente verò igne, & in ſua propria redactum natura, ſiccum cum Mercuriali exiſtimo non ſine refrigerio; lapidis enim propriam conſequitur prorſus naturam; ſaluo quod à tota ſubſtantia, vitæ aduerſetur. Symptomata quibus iſtud virus ſe manifeſtat aſſumptum, ſunt partium oris omnium dealbatio, ariditas linguæ, & ſitis ineſtinguibilis, tuſſis, mentis alienatio, torpor, dolor ventriculi, & inteſtinorum, anxietates, ſyncopes, ſtrangulationes. Tandem ſtibium agmen claudat venenorum à metallicis frigidis putatis deſumptorum. quod ſi eius temperamentum inquiramus, & veteres conſulamus; frigidum, & ſiccum antimonium dixere: Dioſcorides enim certam de eiuſdem ſiccitate protulit ſententiá, dum adſtringere inquit, quam qualitatem cum Gal. clare eidem aſſignat; clarius Auic. qui 2. Canon. determinauit etiam gradus eiuſdem temperamenti, dum in primo gradu refrigerare, in ſecundo verò ſiccare ſtatuit: cuius ſententiam plures ſequuntur; inter quos Greuuinus qui non tantum frigidum eſſe credidit, ſed uſque ad tertium gradum; addit deindè etiam eumdem humiditatis gradum obtinere, quod tamen vix concipi poteſt. Falopius verò intimius eiuſdem naturam ſcrutatus, tribuit eidem partes

Ceruſſæ ſymptomata.

Minium.

Litbargyr.

Gypſum.

1. de Simpl. medic. c. 9.

Lib. de Lapidibus.

Gypſi ſymptomata.

Stibium.

4. Simpl.

Lib. 2. de Venen. c. vlt.

acres,

acres, & ſulfureas: Hermetici addunt & Arſenicum crudum, & Hydrargyri multum, hinc facilè arguitur varias partes Antimonium conſtituere, diuerſis, immo contrarijs qualitatibus præditas; quod etiam non erit difficile cognoſcere ex halitibus fœtidis, quos igne expoſitum exhalat, & quia valenter purgare valet: immo & corpus totum, eiuſque temperamentum valenter immutare; ita ut quemadmodum ſiccitas in Antimonio conſpicua eſt; ita & caliditatis effectus, ſi præſertim igne alteretur, magis produntur. Vtcunque tamen ſit, cum à pluribus inter venena frigida recenſeatur, anteactis frigidis etiam antimonium adſtipulari non erubeſcimus: ſymptomata ſane huius, quibus ingeſtum in ratione veneni ſe manifeſtat, ſunt euidentia; nam præcipue laborioſos vomitus, & deiectiones molitur. adſunt inteſtini coli ſæua tormina, ileum ſubſequitur, lipothymiam, & conuulſiones excitat; fumus vero paralyſin, epilepſiam, ſuffocationem.

De Particulari Curatione Venenorum frigidorum.

CAPVT XXXV.

Inſtituitur ſummatim metallorum metallicorumque frigidorum curatio, & communibus & proprijs alexipharmacis faciendis, præſertimq; ex Plantis depromenda proponitur, & ſigillatim vnicuique venenorum relatorum propria aſſignantur alexipharmaca.

VT omnibus hiſce relatis venenis vniuerſaliter occurramus, pro iiſdem tollendis in communi proſpiciendum; deinde particularibus antidotis vnicuique occurrendum. Communia omnibus vomitoria ſunt, dum adhuc in ſtomacho morantur: clyſteres deindè etiam, & præſertim, quæ leniter purgant, dum deſcenderunt venena in inteſtina: mox temperantia eorum mordacitatem, & emplaſtra, quibus tandem aſſocianda erunt propria alexipharmaca. Dumque de his loquimur in primis Mercurio opponimus aurum, eiuſque limaturam, aut folia. Ex herbis verò alexipharmacis, in quorum gratiam hanc ipſam tractationem iam inſtituimus, erit præcipuè Coſtus, & eius radix, abſynthium, ſaluia, roſmarinum, origanum ex vino generoſo, & mox ſudoris concitatio. A Skenkio commendatur ſuccus pimpinellæ, puluis rutæ, proponitur necnon ſaluia in vino, aut in aqua propinata, quemadmodum & harum decoctio: addunt aliqui Cupreſſi nuces; Dioſcorides laudat apij decoctum, vinum abſynthite, ſemen hyſſopi, origani, ormini cum vino. Rhaſes menthaſtrum montanum proponit. Præter ſupra relata alij conferre dicunt ciceris erratici ſemen, & ex Nicandro vrticæ ſemen ſiccum. Præter hæc, & myrrham laudant, & Theriacam, & Caſtoreum in vino; immo Plinius vinum meracius exhibitum, tamquam proprium remedium notat. Sunt tandem, qui & laridum lupi, & fimum columbarum ſylueſtrium argenti viui epoti remedium memorent. Si verò hydrargyri fumus perceptus ſit, hauriat æger vinum in quo decocta ſint folia ſtœcadis arabicæ, roris marini, centaurij minoris, ſic zedoariæ, & ſaluiæ aqua. Quod ſi ſublimatum hauſtum fuerit hydrargyrum,

Mercurio, quæ opponantur.

Fumo Hydrargiri, quæ.

gyrum, aut præcipitatum; ipſi ſtatim præter uniuerſalia propoſita, in venenis corroſiuis adhibenda ſæpius repetita, commendatur ex herbis alexipharmacis decoctio apij, iuniperi, coſti, aut radicum apij, vel cyperi, ſic ſemen rutæ, & apij proponitur; ſal quoque abſynthij inter optima particularia antidota recenſetur. Addunt tamquam proprium antidotum cryſtalli puluerem cum oleo amygdalarum dulcium ingeſtum: adhæc Sennertus ſalem tartari addit; Myrrha quoque, & caſtoreum in vino commendantur. Eadem ferè remedia contra aſſumptum cinnabarim erunt adhibenda. Ferrum, eiuſque noxiam limaturam ſuperare tentamus proprio alexipharmaco, puluere ſcilicet magnetis; qui tamen magnes lapis & ipſe venenum eſſe ſi ſolus aſſumantur à pluribus perhibetur, cui tamquam antidotum ſmaragdum opponunt, cornu cerui item, & coralia. Ex plantis pro ferri noxis ſuperandis veneficis, mercurialem eligimus tamquam eiuſdem ferri alexipharmacum, & eius ſuccum magneti adiungimus, ut efficacius medicamentum reddatur, addito ut plurimum vino. Plumbi lethalia incommoda euincimus exhibitis granis cydoniorum, corticibus denudatorum in vino dulci, tum Theriaca cum vino, aut mellis aqua. Ceruſſam aſſumptam expugnamus angelica, eiuſdemque radicibus, abſynthioque ex vino albo generoſo cum Theriaca, Mithridatoque. Nuces etiam iuglandes, necnon & folia fraxini utiliter uſurpantur. Minium prę aſſumptum expugnamus prænarratis antidotis, ſed præcipue ſpodio, & ebore. Lithargyrij incommoda ſuperantur præſertim, & tamquam à proprio alexipharmaco à ſemine keruæ, ſiue cataputiæ maioris Ricini vocatę ex Conciliatore; Dioſcorides abſynthium laudat, hyſſopum, flores liguſtri, apij ſemen, piper, ſpicam celticam, ſemina ormini ſylueſtris, aqua ex baccis iuniperi, oleum angelicæ, Theriacam quoque, & Mithridatum. Gypſi tandem ingeſti vim eludimus ſpeciali antidoto, Origano videlicet ex aceto mulſo exhibito, lixiuio ex ſarmentis vitium, ſiue ficulneis, ex vino albo, & ex Guainerio, eius cinere, ſtercore murium, myrrha. Stibij poſtremò veneficas vires è fumo contractas, aut ſubſtantia inflictas extrudimus maſtichæ, caryophyllorum oleo deſtillato cum vino, puluere ex caryophyllis: ſed præcipuè boloarmeno.

Quæ Cinnabari. *Plumbi antidota.* *Contra Ceruſſam.* *Contra Minij venenũ.* *Contra Lithargyr.* *Oppugnantia Gypſ.*

De Venenis calidis curandis.

CAPVT XXXVI.

Venenis calidis ex metallis metallicisque deſumptis oppoſita alexipharmaca aptantur; ſymptomata ex illis ſuperuenientia recenſentur. an Arſenicum ſit alexipharmacum, & medicamentum thoracicum diſquiritur.

HAbita præcautione venenorum, & cura frigidorum hucuſque è metallis, & metallicis aſſumptorum, quibus homo, vel per propriam imprudentiam, vel ſubdolorum fraude decipitur; nunc eadem prouincia abſoluenda in calidorum venenorum curatione, exordium ſumentes ab ijs, quæ ex ipſo ore deſumuntur; qualitate namque ſua, qualiſcumque ea

fit,

ſit, humanis corporibus infeſtum ſit; immo ſi poculenta, & eſculenta acidis præſertim remixta in eiuſdem metalli vaſe imponantur, conditionem prauam induere ſolent. Prodeunt igitur ex ære uſto flos æris, & ſquama eiuſdem; eſt deinde ærugo, ſiue viride æris, quæ omnia omnium ferè conſenſu calida perhibentur, & ſicca ad quartum uſque gradum, quæ ſi ingerantur, grauiſſima edunt ſymptomata, & eiuſdem ferè conditionis; nam hæc recenſita differunt quidem inter ſe, ſed ſecundum magis & minus. Æs enim uſtum vomitum, & nauſeam proritat, ſitim excitat, & linguæ ariditatem, ventriculi dolores, & eroſiones, alui fluxus, & dyſenteriam, ſpirandi difficultatem, ſuffocationem tandem. Ærugo verò æris adhuc vehementiores effectus prodit; nam præter ſymptomata enarrata, etiam urina ſupprimi ſolet, fauceſque ita conſtringuntur, ut ægri ſuffocari videantur; dolores ventriculi, inteſtinorumque vehementiores ſunt; & venenum hoc in noxis edendis Arſenicum æmulatur; Huic veneno occurrimus uniuerſalibus, primò iam propoſitis in generali venenorum cura; deinde proprijs antidotis, quæ præcipuè ex plantis deſumuntur: ſuntque menthæ ſuccus, aut apij cum vino, puluis zedoariæ, oleum aniſorum, & præter hæc Theriaca, bolus armenus, terra lemnia. Hæc eadem curatio inſtituta pro debellando æris veneno, aptatur aurichalco læſis, cuius ſymptomata eadem ſunt, quæ de ære modo propoſita. Modo Arſenici venenum expendendum validiſſimum. Eſt enim Arſenicum, ſi de natiuo loquimur, ſal minerale, præter inſignes corrodendi, & putreſaciendi vires, natiuo calori vehementer infeſtum. Natiuum duplex aſſeritur; Citrinum, quod propriè Arſenicum vocatur, & auripigmentum; & rubrum, quod Sandaracam appellant. Item Arſenicum etiam factitium dari notiſſimum eſt, & hoc quidem duplex; alterum, quod per ſublimationem ex ambobus his relatis arſenici natiui generibus fit, & hoc etiam nomen generis obtinet; alterum verò, quod ex auripigmento, & ſulphure fieri ſolet, ſolis quandoque, quandoque ſale, & viua calce additis, & realghar, ſiue riſagallum dictum. Patefit arſenici cuiuſque generis hoſtilitas, ſi humanum corpus adoriatur ex vomitus, & ſingultus frequentia, ſtomachi, & inteſtinorum torminibus vehementibus, inextinguibili ſiti, ſpirandi difficultate, linguæ, & palati ariditate, aſperitateque, tuſſi vehementi, dyſenteria, urinæ difficultate, & quandoque convulſione, & paralyſi uniuerſali, à quibus mors ſubſequitur; & cryſtallinum ipſum realgar pernicioſiora ſymptomata cæteris ſpeciebus Arſenici edere ſolet. Verùm antequam eiuſdem curationem aggrediamur, duo expendenda veniunt. Primo an hoc dirum venenum etiam alexipharmacum ſit; nam plures auctores id ipſum commendant contra peſtem; immo hoc adſtruunt certiſſimis deductis experimentis: ſed hanc ſuam actionem, qua ratione efficiat, non ſatis conſtat. exiſtimant plures, inter quos Sennertus id fieri potius ſympathica proportione cum veneno, quam antipathica ſua familiaritate, videlicet attrahendo, ſiue alliciendo ad ſe: Mercurialis verò opinatus eſt venenum oppugnare validiſſime; alij credidere manifeſtis iuvare qualitatibus per ſe diſcutiendo, & valenter exſiccando. Eurnius tandem credidit iuuare ex accidenti ſyſtolem cordis augendo: Contrà tamen plures mordicus tuentur, & fabuloſum omninò

ſta-

Aeris uſtum. Aeris flos. Eius ſquama. Aerugo, ſeu æris viride.

Aeris uſti ſymptom.

Aeruginis ſymptom.

Expugnantia & æris venenum.

Arſenici venenum.

Differentiæ Arſenici.

Arſenici ſymptom.

ſtatuunt, & Arſenicum Alexipharmacum non eſſe; & hoc ob experimenta
calamitoſa eius exterius adhibiti; & quæ fauſta euenere, dubia & incerta,
an ab hac cauſa prodierint. Ego conſultius crediderim rem ancipitem me-
lioribus, tutioribuſque remedijs poſtponere. Alterum quæſitum eſt, an
hoc ipſum medicamentum pectorale ſit, quod videtur aſſeruiſſe Dioſcori- *Lib. 5. c. 113*
des; hoc enim exhibet purulentis, adeoque febrientibus, & languidis cum
mulſa; ad vocem expeditiorem quoque reddendam, cum melle, & ad tuſſim
veterem, aut ad ſuſpirioſos iuvandos cum reſina; Igitur cum nullum tam
noxium medicamentum detur, quod ſuas etiam vtiles partes non habeat;
non eſt improbandus Dioſcorides, ſi pro debellandis prænarratis affecti-
bus, etiam veneno vſus ſit in quantitate non ſuſpecta, prout de Borace fie-
ri ſolet, & remixto cum eiuſdem noxam corrigentibus, cum præſertim ve-
teres in maiori medicamentorum penuria verſantes, etiam non planè in-
noxia pharmaca uſurpauerint, ut ex Hippocrate notum: Nihilominus hi-
ſce noſtris temporibus præſertim in ſuffitu, quidquid dicat Vaſcus, fugien-
dum Arſenicum exiſtimo; tutius enim uti debemus alijs; cum medicamen-
torum innoxiorum ſatis larga copia nobis ſuppeditetur. Sunt tamen qui
exiſtiment dum Arabes Sandaracham medicamentis ſuis remiſcent; intel-
ligere gummi iuniperinum, quod tali nomine ab ijſdem inſignitur; cuius
opinionis eſt Sennertus. Vero tamen ſimilius eſt eos etiam in ſimilibus af- *Lib. 2. pr. sc.*
fectibus à Dioſcoride deſcriptis remedijs & ab eodem deſumptis, quod *p. 3. c. 2. q. 6.*
Græci etiam innuunt, intellexiſſe, Prudentius tamen factum, quamuis re-
ſinæ, & gummi valde coerceant erodentia; tutioribus medicamentis uti
pro pectoris vitijs emendandis, ob cauſas à Sennerto allatas. Arſenico
nocendi viribus proximum eſt argẽtum vivum ſublimatum, & cinnabaris,
quibus, dum de hydrargyro loquuti ſumus, etiam proportionata remedia *Arg. vivum ſublimatũ;*
attulimus, cum Mercurius ijſdem ſit materia, quamuis ex accidenti tem- *Cynnabaris.*
peramentum mutet. Huc deinde referunt viuam calcem, Aquam fortem,
Vitriolum, Boracem hoc eſt natiuam, chryſocollam: addunt ſalem Ammo- *Viua Calx. Aqua fort.*
niacum, Lapidem lazuli, item Armenum; è quibus tria prius relata è Vene- *Vitriolum.*
norum claſſe non immeritò eximit Sennertus; quia potius manifeſtis qua- *Borax, ſeu chryſoc.*
litatibus, ijſque corrodentibus afficiunt, quàm quod occulta qualitate *Sal amonia.*
agant. Vtcumque tamen his etiam occurrere non eſt inconueniens, tam- *Lapis laz. Lapis arm.*
quam noxijs ſaltem manifeſtis qualitatibus, etiamſi igne agitata, aut alte-
rata non fuerint; & eo magis, quia ex aliquorum ſententia nomen veneno-
rum non effugiunt, quamuis viua calx cum in calidum ſtomachum incidat,
& calidis cibis ſit permixta vim igneam ex antiperiſtaſi exercere non va-
leat: Aqua fortis item ex ſale ammoniaco, & vitriolo ſuſpectæ malignita-
tis producitur; denique vitriolum cùm cupream venam poſſideat, quam
valetudini infeſtam produnt, & à notis malignitatis auctores haud exi-
munt, præſertim illi, qui iſthæc venenis adiunxere. De chryſocolla mi-
nor hæſitatio, cùm procul dubio conditiones cupri poſſideat, vires tamen
eius haud malignæ, niſi iuſtam medicamenti menſuram excedant; ſic de ſa-
le ammoniaco dicendum, ſic de cæteris metallicis, prout calcyti, Mily, So-
ry, melanteria, & cæteris mineralibus huius conditionis: ita de lapide la-
zuli, & armeno, quæ cum notis malignitatis non ſint deſtituta; attamen

coercitis earum viribus corrigentibus proprijs, noxiam eorum qualitatē, & debita quantitate exhibita, medicamentum ſatis utile euadunt; cùm, præſertim inter venena propriè dicta reponi nequeant; immo neque à Dioſcoride, neque à Galeno inter hæc recenſita ſint. Iam horum omnium ſymptomata ſubnectamus, quibus præaſſumpta ſe prodant. Quæ ferè omnibus hiſce ſunt communia. Calcis etenim viuæ ſunt inteſtinorum, & ventriculi eroſiones notæ, ſitis inextinguibilis, linguæ, & faucium ariditas, ſpirandi difficultas, urinæ ſuppreſſio, extremorum refrigeratio, & ſyncopes. Oſtendunt aquam fortem ingeſtam fuiſſe gutturis, & faucium exulceratio, horumque inflammatio, & quaſi ſuffocatio, mox ventriculi dolor, & inteſtinorum, eroſis eorum tunicis. Excitat vehementem tuſſim, nauſeamque vitriolum, & dyſenteriam inductis inteſtinorum, & ſtomachi torminibus cum moleſtiſſima ſiti; quod etiam in alijs ſalium mineralium ſupradictorum portionibus excedentibus aſſumptis euenire ſolet. Lapides quoque lazuli, & armeni ſymptomata eadem ſunt cum ſupradictis, dum hi proprie venena dici non poſſint. Ventriculo enim primo noxam inducunt inſignem, nauſea primo, & vomitu præſertim excitato, mox ingruunt dolores ſtomachi, & inteſtinorum, deinde eroſionis emergunt euidentiſſima inditia, dyſenteria præſertim ſuperueniente. Opponimus hiſce venenis omnibus, uniuerſalioribus prius adhibitis, medicamenta alibi allata, emplaſtica præſertim non bis, ſed ſæpius repetita: Horum igitur cura communis prout in cæteris ſimilis erit, & conſiſtit præcipuè in citiſſima per vomitum reiectione ilicet hauſta copioſa aqua, ſed tepida; atque in Arſenico præſertim eidem tribuit inſignem vim Hieronymus Mercurialis, quia, & actinitatem erodentem, & vomitum facilius proritat. commendatur etiam ſerum, ſed præcipuè lac, & ius carnium, & his utimur puris, vel cum oleo oliuarum maturo, amygdalarum dulcium, butyro, pinguedinibus; & ad vomitum uberiorem proritandum ex uſu veniunt radices graminis, cortices raphani, aut rapi, vel membranæ internæ nucis iuglandis in decoctione propinanda impoſitis. Secunda curatio conſiſtit in lenitione acris, & corroſiuæ qualitatis; talia, aqua hordeacea, lac, tum ex althea, malua, abutilo, borragine, bugloſſo, violis, glycyrhiza, caricibus pinguibus, paſſulis, dactylis, iuiubis, ſebeſtenis, & ſimilibus decoctiones, ſyrupi, conſeruæ, tum mucilagines; Inter cætera commendantur decocta ſeminum cydoniorum, fœnugræci, pſyllij, & huius generis, e quibus ſi iam ad inteſtina vis veneni peruenerit, clyſteres ſunt parandi cum ſaccharo, caſſia, melle roſato, & melle violaceo. Tertio pugnandum eſt particularibus ſingulorum antidotis. In Arſenico, & hydrargyro corroſiuo præſtat puluis cryſtalli ad grana decem, bezoar oleo tartari diluto; cuius ratio ex Sennerto petenda. In calce verò, vitriolo, & alijs iam recenſitis ſalibus competit peculiariter terra lemnia, bolus armenus, corallium, ſic & ſpodium, vel ex Canna, vel ex Ebore uſtis. In aqua forti conueniunt decocta omnia mucilaginoſa, ſed præſertim ſeminum cydoniorum, quæ etiam vim antidoti obtinent. Lapidibus tandem armeno, & lazuli præter prædicta antidota commendatur ſuccinum, quod quidem peculiariter hiſce aduerſatur.

Calcis viuæ ſymptom. — *Aquæ fortis ſymptom.* — *Vitrioli ſymptomata.* — *Lapidis lazuli, & armen. ſympt.* — *Communi corroſiuis venenis remedia.* — *lib. 2. de venen. c. 9.* — *Hydrarg. corroſiuo. Oppoſita remedia.* — *Loc. cit. c. 17* — *Calci, vitri. cæteriſque ſalibus corroſiuis. Remedia.* — *Aq. fortis, quæ appoſit.* — *Lapid. laz. & Armeni alexiphar.*

Poſt expugnatam veneni vim ſi iam veſtigia eroſionis, aut exulcerationis inditia perſeuerent, prout ex dolore, & excretis apparebit; mundificantibus opus eſt, & conſolidantibus; quorum illa ſint ex epiceraſticis propoſitis, vel ex reſinis oui luteo dilutis, vinoque albo tenui temperatis, vel inſpiſſatis pulueribus glycyrhizæ, & farris, hordei, tritici, lentium; item ſi grauior corruptio, aut putredo; uti poterimus etiam balſamo Toletano, aut Opobalſamo arabico addito ſcordio, abſynthio, myrrha, thure, & ſimilibus. Conſolidantium alia calida ſunt, alia frigida, alia temperata; utendum potius temperatis, vel frigidis, maximè ſi & alexipharmaca virtute polleant.

De Venenis frigidis ex Plantis putatis.

CAPVT XXXVII.

Dubitatur an Hyoſcyamum, Amaranthum bacciferum, Herbam mirabilem, Solanum ſomniferum, Opium, Mandragoram, Cicutam frigidas plantas aſſerere ſit veritati conſonum, vel ob effectu potius calidas cenſendas: ſoluitur dubium. Notatur Salmaſij opinio circa cicutam. Coriandri qualitates ſtatuuntur. Pſyllium non eſſe venenum decernitur. Fungorum quædam conſideratio affertur.

QVamuis frigidorum venenorum è plantis deſumptorum certum cenſum adſcribere ſit res dubietatis plena, ob varias circa hæc auctorum opiniones; nos verò effectus potius ſecuti, & eos ſummos viros, qui veteribus ſeſe obſequentes tradidere, & duces habuere, viam iam preſſam calcabimus; liberè tamen quod cenſuerimus in difficultatibus enodandis proferentes. Inter frigida plantarum venena auctores quamplurimi hyoſcyamum reponunt, & Præuotius in 4. refrigerantium ordine in *Hyoſcyam.*
ſuo Elencho connumerat: quod tamen non ita facilè admitti poſſe videtur, ſi ea præſertim, quæ habet Dioſcorides de eadem planta conſulamus; ſemen enim commendat ad tuſſim, quod ſi frigidiſſimum, potius noxium fuerit. Hippocrates namque huius generis frigida membranoſis, & ner- *1. Aphor. 4.*
uoſis partibus inimica pronunciat, Quod ſi algidas febres, quas Epialas *3. Aphor. 5.*
interpretantur, à pituita originem ducentes ſanat: quis hyoſcyamum audebit amplius frigidum aſſerere? fouebit potius eius cauſam, naturamq; quæ morborum ſola medicatrix eſt, imbecilliorem reddet. Sic ſolanum ſo *Solan. ſomn.*
mniferum, cuius etiam ſpeciei amaranthum bacciferum Indicum, herbam- *Amaranth. baccif. Ind.*
que etiam floris mirabilis variegati faciunt ſomniferum ab effectu vocatū, *Herba mirabilis varieg. flore hiſp.*
quod inter frigida venena à plantis deſumpta reponitur; dum ſemen eius valenter urinam ciet; dum hydropicos iuuat; quod tamen intemperiem iecoris augere debuiſſet, & ſic cauſæ morbificæ ſtimulum addere; nec expectandum ab eo, ut oculorum hebetudinem tollat, ſi frigidiſſimæ naturæ eſt. Annumeratur deinde frigidis venenis Opium ex Papauere emergens, quia Gal. manifeſtè, immo valentiſſime refrigerare, ſic & Auic. dixere; eo quia papauer, à quo lachryma, ſiue ſuccus prodiens in Opium faceſſit, inter frigidas plantas repoſuere, ſiue ſatiuum ſit, ſiue ſylueſtre, Rhea vocatum.

At quomodo clariſſimorum veterum dicto ſtandum, ſi Papaueris ſemina, Germanis in cibum cedunt, ſintque ſatis dulcia, quod nullum frigiditatis ſignum prodit? immò potius argumentum ſecus deſumendum, & quamuis ſomnum conciliare, & inducere dicatur, hoc potius eius humiditati tribuendum videtur; quamuis hæc qualitas etiam in mechonio apud plures ſit ſuſpecta; nec cęliacis ex Dioſcoride prodeſſet, ſi frigiditatem præſeferret cum humiditate. Nec ſufficiens videtur argumentum, Opium effectus inducere, qui frigiditatis ſunt; nam caliditatis inditia, ægros videlicet ad ſtuporem uſque, torpore, & ſomno inducto, & ad mortis extremũ deducere; quoniam etiam hæc à vino, & ſpiritu vini producuntur; producuntur à tabacco; præterquamquod amariſſimum eſt Opium, & odore graui præditum, quæ qualitates calorem, non frigiditatem conſequuntur; ſic & ad Venerem homines concitare, & propellere, & audaciam ſuſcitare caloris opera ſunt: præter quam quod pinguem obtinet Opium, & inflammabilem naturam. Excitat quoque aſſumptum labiorum, fauciumq; ariditatem, & ſitim ſatis intenſam. Concludendum igitur, quod potius crediderim, quemadmodum Opium ſuis manifeſtis qualitatibus non inſenſum naturæ ſe prodit, ſic ſua non manifeſta, ſed venefica effectus lethales, & edere, & naturæ tota ſubſtantia aduerſari; nec Mercurialis ratio ſatis ſuadere poteſt Opium compoſitæ eſſe ſubſtantiæ, & partes frigidas, parteſque calidas obtinere, ac ſubinde contrarios effectus edere; cùm ex Gal. monitis ſatis conſtet à vincentibus qualitatibus rationem temperamenti deducendam. Nec dicendum nos admittere ex communi conſenſu, ex effectuum contrarietate hanc diuerſitatem temperamenti in roſis, in violis, & alijs plantis; nam effectus iſti ad perniciem non tendunt, ita ut ſi qualitate operentur, neceſſarium ſit vincenti qualitati id tribuere, etenim in iſtis nullum admittimus exceſſum, ratione cuius aliquis vehemens effectus prodatur. Veteres igitur ſi frigidum Opium dixere, & à frigido effectus eius emanare; non formaliter, ſed effectiuè exiſtimauere. Mandragoram item frigidis venenis adſcripſit Gal., cui tertium gradum etiam frigiditatis aſſignat, Præuotius quartum ordinem frigoris tribuit incluſiuè. Et quamuis Dioſcorides quas actiuas qualitates Mandragora habeat, non prodat; ex effectibus frigidæ conditionis eſſe aſſeruiſſe videtur, dum ſomnum inducere tradit, & doloris ſenſum auferre. Obſtant horum clariſſimorum virorum decretis tamen aliqui effectus, quibus contrarium potius ſuaderi videtur, nam in fructu non leuis dulcedo reperitur, & eius odor grauis eſt, quæ ſanè notæ oppoſitum deſignant, & non mediocrem calorem arguunt; nec à Mandragora tactu fricata humanum corpus ſenſum vllum frigiditatis percipit; quod ſi & bilem & pituitam per aluum Veratri inſtar ſubducere valet, & etiam per vomitum; hoc profectò frigidorum non eſt opus. Nam quantumvis eius vim ad facultatem catharticam referamus; frigiditas tanta, quæ tribuitur Mandragoræ non acuere catharticam vim, ſed obtundere debuiſſet; ſic & partum accelerare, & Ganglios diſcutere, & emollire, caloris potius, quàm frigidi opus eſt, cuius propriũ eſt denſare, cohibere, & conſtipare. Vtcumque tamen ſit huius temperamentum, & eius gradus deſignare difficillimum eſt; & eo minus quidquam

Mandrag.

certi

certi ſtatui poteſt, cum effectus quos edit, & venefica vis non à manifeſtis qualitatibus, ſed à tota ſubſtantia emergant, ut de alijs etiam dictum eſt. Immò facultas narcotica, qua exitialem ſuam vim exercere videtur, ab eodem fonte proueniat. Glacies enim, ipſa Mandragora magis frigidam poſſidet naturam; & tales tamen non prodit effectus. Cicutæ deplorabile virus etiam inter frigida venena locum ſuum occupat: vel hoc ipſo nomine deteſtabilis planta, quod virtutis, & ſapientiæ inimitabile exemplar Socratem exitiali ſua vi extinxerit. Cardanus frigidiſſimum venenorum aſſerit; nec Theophraſtus diſſentit. Duplex Cicutæ genus recenſetur à doctiſſimo Salmaſio, alterum venenatum, alterum verò catharticum. Fallitur tamen vir ſummus pluribus nominibus; quia dum teſtimonia clariſſimorum poetarum Horatij, & Perſij adducit, pro ſuæ opinionis confirmatione, horum mentem & proprium verborum conceptus, ſenſumque ſe haud aſſequutum eſſe oſtendit; alterius ſiquidem mere poetice loquentis dictum nimis ſeria ſignificati one accipit, ut perpendenti manifeſtum ſit. At Perſius dum inquit.

Cicuta.

Lib. de Cauſ. Plant. c. 19.

Exercit. in Solin. pag. 1054.

Calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna Cicutæ.

His verbis euidentiſſime ſummam Cicutæ frigiditatem innuit, quam bili humorum noſtri corporis calidiſſimo extinguendæ, non educendæ, aptam vix autumat. Errat deinde, ut qui catharticam ſuam cicutam Lathyrim eſſe dicat, quæ tamen nunquam apud auctores Cicutæ nomine inſignitur; quod ſi Lathyrim Citocaciam, quibuſdam dici aſſerat corrupto nomine, quaſi Cicutaciam; in hoc quoque etiam fallitur; quoniam tale nomen ſortitur à celeritate, qua euacuationem molitur, quemadmodum etiam ipſe fatetur. Demum allucinatur, eo quia Lathyrim cauo caule facit, cum tamen hoc minime verificetur, quod obiter dictum ſit, vt ſciamus etiam criticos ipſos nimis uniuerſales quandoque non leuiter impingere. Flos Caryophyllus Aphricanus, quem & florem Aphricanum vocat Dod. & Caroli V. Imperatoris temporibus nobis innotuit, venenatarum frigidarum plantarum, aut quæ ſaltem à pluribus tale temperamentum poſſidere creditur, auget numerum. Dubitatur à botanicis numquid ſub alio quopiam nomine à veteribus traditus fuerit. Lacuna ſuſpicatur eſſe othonam Dioſcoridis, ſed flore Aphricano non erucæ folia, nec eadem creberrimis foraminibus reſecta, & veluti tineis pertuſa. nam licet huius plantæ folium aduerſo ſole perforatum videatur hyperici inſtar; hæc tamen foramina peruia non ſunt, nec ſqualore velut obſita, ut de othona perhibetur. Non eſt Plinij Petilium flos ille autumnalis, ut qui forma & colore toto cælo ab hoc a Plinio lib. 21. cap. 8. deſcribatur. Non Tanacetum Cordi Peruvianum, quia folia Tanaceto ſimilia admodum gerat; nec Caltha Aphricana Geſneri: flos enim Aphricanus nihil aliud habet Tanaceto ſimile, præter coloris florem, & quoquo pacto foliorum in lacinijs diſſonam ſimilitudinem; cum præſertim ſtirps hæc, quam deſcribimus, venenata ſit, ille ſalutaris: periculoſumque nimis ſit ſalubribus nominibus noxiam herbam indigitando velare; ne fortè quis nominis umbra deceptus, cum vitæ diſcrimine hac ipſa, loco calthæ, vel tanaceti utatur. Eſſe verò ſicoperſium, ut

qui-

quibuſdam creditur, de quo Gal. 4. ſimplicium non leui coniectura ſuaderi poſſe videtur; cuius ſuccus tam graui odore præditus erat & ingrato; vt timorem ipſi Gal. incuſſerit, quominus eum guſtare auſus fuerit, crediderit-que odore vinoſo, necnon viribus, & qualitate temperamenti cicutas æmulari, & noxia ſua vi iiſdem ſimilem eſſe. Dod. ſaltem licoperſis ſpeciem autumat ſi præcisè non ipſum cum Gal. Plantam non deſcripſerit, & quia ingratiſſimo odore compererit, & qualitate venefica; quam & ipſe ſimile cicutæ fecit; odore enim ingrato, eodem modo, quo cicuta caput, tentat validè, & admodum graue reddat. Præterquamquod obſeruauerit ſenſato experimento, cuidam puero, qui huius plantę flores mandere ceperat, labia, & os intumuiſse, non ſecus atque accidere ſoleat pueris illis, qui ſimpliciori incuria cicutæ fiſtulis per iocum modulantur. Nec de eius venefica vi ambigit, dum feles, mureſque florum plantæ & ſeminum caſeo remixtorum eſu, ſe necatos vidiſse aſſerat. *Coriandr.* Coriandrum inter frigida venena connumerat Dioſcorides, & hoc quidem præcipuè; quoniam ſoporem inducat, immò inter narcotica reponatur, quia Eryſipelatibus, Vlceribus ſerpentibus, Carbunculis, teſtiumque nomadibus opituletur; quæ omnia frigidæ conditionis eſſe non leuiter innuunt; nihilominus vir ſummus Dioſcorides cenſuram, & reprenſionem Galen. non ſubterfugit, quamuis ab Auic. excuſetur, qui odorem, ſaporemque eius, alios & eiuſdem effectus perpendens, potius frigiditatis, quàm caliditatis inditia eſſe credat: quod quidam videntes, ne diſſidium hoc ſtare inter hos clariſſimos auctores cernerent, vim à qualitate occulta emanare dixere: ſomnum ſcilicet excitandi, & occurrendi relatis ſymptomatibus. Præuotius cum Parkinſonio eius ſucco frigiditatem aſſignant, calorem ſemini præcipue ſicco; mihi verò cum Clariſſimo Sennerto plantam calidam eſſe magis arridet, & vires, quę à frigore emanare creduntur, & effectus eius tales eſſe, quales in porri ſucco, & nitro conſtat: inſaniam verò, & mortem inferendi vires eſſe à proprietate formæ. *Pſyllium.* Pſyllium eſſe venenum plures exiſtimant, immo ſuſpectę frigiditatis; cùm præſertim ſint, qui ſemini exurentem attribuant facultatem; attamen nec inter venena connumerari debere, nec calidæ conditionis eſſe experimentum à ſeculo clare patefecit. Et quod de ſemine eius à quibuſdam perhibetur, quod detracto cortice exurat; inter aniles fabulas reponendum autumo. Cenſeo ego opinionem, quod venenum ſit, emerſiſſe potius ex veterum codicibus corruptis, quàm quod unquam hoc idem de Pſyllio veteres docuerint. *Fungi.* Fungi tandem ſolent inter frigidorum venenorum cenſum connumerari: Neroni boleti deorum cibus appellabantur: Divum enim Claudium eorum eſu Agrippinæ fraude è viuis ſublatum tradit Suetonius. Extat non ſpernenda controuerſia inter veteres de eorũ ortu; Theophraſtus, & Gal. appellarunt ſine radice plantam: at cur ſine radice, ſi ipſa conſpicua contrectantibus apparet? ſed talis, quæ huic plantæ, fere ephemero competere poteſt. Igitur non ab elementis ſimpliciter eorum origo ob quantitatem, & figuram determinatam, propriamque habent formam, eamque vegetabilem ob manifeſtas nutritionis facultates: unde tamen ea forma erumpat, obſcurum ſanè eſt, & nobis præſertim, qui hæremus in rerum naturæ veſtibulo. Non ſunt tamen

Mercur. lib. 1. cap. ult. Card. ſubtil. lib. 13.

Senner. Hypon. cap. 6. & 7.

men fungi omnes inter venena reponendi; quoniam horum multi innoxie, & cum voluptate comeduntur; igitur cum pravum nutrimentum edant, quamuis de ſe venenata non ſint, quantitate nonnihil excedente, ſummopere nocere ſolent: & ob id Seneca ſatis ſanè apte fungos appellabat voluptuarium venenum. *Licet. de ſpont. viu. ortu.*

Iam ſymptomata relatorum venenorum afferamus. Hyoſcyami veneno quomodocumque hauſto, præſertim nigri, delirium cum rixa ſuperuenit, ut quaſi verberibus exagitati, de totius corporis dolore cōquerantur, locoque ſtare nequeant: Vertiginoſi fiunt, tum clamoribus, & vociferationibus varijs beluarum ritu obſtrepunt, difficulter reſpirant, tremore corripiuntur, & facilè epileptici fiunt. Quibus Solanum maniacum malè ceſſit, varijs ſymptomatis exagitantur; furenti ſiquidem delirio, & ſomno etiam profundo, vel ſaltem in ſomnum propenſione, ſpirandi facultas difficilis fit, ſpectraque terribilia ob oculos circumuolui videntur, & læſi cerebri inditia præſeferūt. Dum hæc ſcriberem in duobus puerulis fratribus hæc ſymptomata conſpexi, qui cum acinos Belladonnæ voraſſent, intra quinque horarum ſpatium, magnis clamoribus editis, veluti furore perciti, mox epileptici facti obiere. Huius Solani ſpecies creduntur, & herba mirabilis variegato flore, & amaranthus baccifer Indicus à Bahuino vocatus, quorum ſymptomata referre mihi non libet, cum de horum effectu nihil mihi notum ſit. Mandragoræ aſsumpto veneno ſomnus profundus ſequitur, & ferè lethargicus, a quo eo detenti vix excitantur: excitatique tandem garrientes, & rixantes facilè in ſomnum delabuntur, obmurmurāt delirantes ut plurimum, immo rubore oculorum, & genarum perfunduntur, lingua ijs aridiſſima, oſque, licet de ſiti non conquerantur. Cicutam epotam oſtendunt delirium, ut plurimum cum furore, ſingultus, ſpirandi difficultas, ſuffocatio, ſtupor, corporis tumor uniuerſalis, refrigeratio extremorum præſertim inferiorum partium. Cicutæ ſuccum præaſsumptum denotant vertigines, & ita oculi caligine offunduntur, ut nec tantillum quidem cernatur; ſingultum etiam ciet, ac etiam mentis alienatio extremorumque artuum ſtupor. Tandem ægri intercluſa arteria, conuulſi ſtrangulantur. Caryophylli Aphricani venenum hauſtum indicant capitis vaporoſa repletio, & facultatum torpor, mox dolor grauis, & ad veternum inclinatio. Labia, & os intumeſcunt, ſitis oboritur, tandem torpida euadunt membra. Coriandri propinatum fuiſſe venenum oſtendūt delirium furens, ſed inconſtans, vertigo magna, & inde ad ſomnum inclinatio, corpuſque deinde uniuerſum odore fœtido exhalat. Pudet me inter venena Pſyllium agnoſcere, ob id notas à Meſue relatas referre erubeſco; cum nullum in eo cognoſcam erodentem facultatem, nec exceſſum ullum in qualitatibus actiuis; immo nec Meſues ipſe, qui inter plantas venenatas, ad ſemen quod attinet, Pſyllium repoſuit: id ſerio credidiſſe videtur, cum in electuario de Pſyllio integras tres uncias poſuerit eiuſdem ſeminis. Fungorum tandem venenatorum noxæ ſunt ſatis notæ, quia ſatis frequenter conſpiciuntur, dum homines eorum edulio maximè curioſi ſæpè ſæpius ex eorū eſu mortis periculum ſubeant; cum & ſuffocationem inducant, & ventriculo præſertim inſenſiſſimi ſint; ſingultum enim excitant, & inflationem, & eiuſ-

Venen. relat. ſymptom. afferuntur. Hyoſc. ſym. Solani maniaci ſympt. Mandrag. ſympton. Cicutæ ſym. Cicutæ ſym. Caryophyll. Aphr. ſym. Corian. ſym. Pſyllij ſym. Fung. Ven. ſymptom.

dem

dem ſtomachi dolorem, grauitatemque, mox quoque exulcerationem; quemadmodum & inteſtinorum: pulſus hebetantur, ſudor frigidus emanat, pallor inde mortiferus, ſyncopes tandem; inducunt etiam epilepſiã, & ſomnum, ſuppreſſionemque etiam vrinæ. Ex venenis itaque relatis peſſimum eſt Opium, deinde Mandragora, ſolanum poſtmodum, & hyoſcyamum, Cicuta quoque paulo recedit ab his; cætera licet pernicioſa, mitiora tamen ſunt. Horum igitur occurrere cum opus ſit venenatis noxis, operæ pretium eſt primo vniuerſalem curam adhibere, eamque præcipuè per vomitoria perficere, & quidem validiora, addito etiam melle, quod præſertim fungorum venenatorum alexipharmacum eſt, vel oxymelite: clyſteres quoque in vſum reuocandi, deinde diuretica accerſenda: ægri à ſomno interdicendi, mouendi, excitandi omni conatu: ſenſus odoramentis, Pcharmicis, maſticatorijs irritandi, fricandum caput; victus ratio proportionata inſtituenda ex calidis cibis medicamentoſis, vt raphano, allio, naſturtio, ruta, nucleis perſici, & aromatibus: vtantur vino albo generoſo; præcipuè abſynthite; Particularibus deinde antidotis ſunt ſuperanda; Opponimuſque primo hyoſcyamo, piſtacia, caſtoreum, abſynthium, rutam, baccas lauri, item & folia, vrticæ ſemen, allium, Theriacam, Mithridatum.

Hyoſcyami remedia.

Solani cuiuſque generis antidota ex plantis ſunt ruta, aſa fœtida, inde caſtoreum, terra ſigillata, Bolus Armenus, Theriaca, & Mithridatum. Opij vim deleteriam ſuperant ſupradicta omnia, ſed præcipuè vinum generoſum cum pipere diatrium, pipereum, diacalamenthum, Theriaca, caſtoreũ.

Solani antidota.
Auic. lib. 4. Fen. 6. tract. 1. cap. 1.
Opio aduerſantia.

Mandragoræ vires venenatæ expugnantur & ipſæ proprijs antidotis, quæ præſertim ex plantis deſumuntur ſunt ruta, ſcordium, Abſynthium, origanum, pulegium: ſed id quod inter cæteras plantas præcipuè aduerſari creditur eſt raphani radix cum ſale ſæpius comeſta, Theriaca, Mithridatum. Cicutæ aſſumptum venenum expugnant vinum generoſum, ruta, dictamus creticus, lauri folia, gentiana, daucus, piper, cardamomum, vrticæ ſemen, caſtoreum; & ex compoſitis Theriaca, & Mithridatum in vino generoſo Aphricani caryophylli veneno aduerſantur. E fungis tandem imprudenter ingeſtis venenum ſuperamus vniuerſalioribus, vt ſupra prius adhibitis, ſed præſertim valide vomitorijs è ſtomacho materiam educentibus, quibus ſemper addi poterunt propria antidota, inter quæ commendantur puluis ſtercoris gallinæ, vel cinis ſarmentorum vitis, ſic & rutam, & pulegium, & origanum, calamintham montanam vſurpamus; ſic & allium quoque, & radices ariſtolochiæ, & naſturtium, abſynthium, hyſſopumque. Perhibent pira auſtera præaſſumpta tutare corpus à fungorum veneno, quemadmodum hæc ipſa prædicant tamquam tutiſſimum remedium pro curatione. Quod ſi cum fungis eorum fru ſtula coquantur, valere dicunt ita, ut è venenatis, innoxij reddantur. E compoſitis medicamentis laudatur Theriaca, & Mithridatum; ſic & melle expugnantur tamquam peculiari ſuo antidoto, & oxymelite; nec minus proficuæ euadunt ſpecies diatriumpipereum, diacimini, diacalamenthi, diagalangæ, & ſimiles.

Mandragoræ remedia.
Cicutæ venenum ſuper. Antidota.
Fungorum venenatorũ alexiphar.

De Venenis e Plantis calidis ortum ducentibus.

CAPVT XXXVIII.

Colchicum noſtrum an idem ſit cum veterum ephemero inquiritur; Quia eorum Dorichnium, Pharicum, Toxicum, Ixiaque fuerit ſcrutatur, Doronicum à conuicijs Matthioli vindicatur. Pthora ranunculorum genus, licet forſan priſcis Aconitum vocata. Aconitum cum Gal. calidum & humidum; cur leuiſſime eius ſucco ſagitta, licet imbuta feras perimant, quamuis cuſpis altius non infigatur, fœminiſque infenſum ſit tactu genitalium eas ociſſime interimendo.

QVamuis venena, prout venena ſunt à forma talia dicantur, ſuaſque exinde exerant operationes, nec qualitatibus primis, aut ſecundis primariò, aut per ſe operentur, niſi quatenus eorumdem venenorum apta euadunt inſtrumenta nocendi, ab eadem occulta qualitate directa; attamen vſus inualuit diſtinguere venena, quæ è metallicis, & plantis reſultant, in calida, & frigida. Et cum de præſumptis frigidis verba fecerimus ſupra; nunc calidorum cenſum ex plantis deſumptum ſubnectamus. At ne videamur præterire, quod controuerſum modo eſt, an in rerum natura aliquid ſemper tale fuerit, aut ſaltem hiſce noſtris temporibus cognitum id ſit, quod illis innotuit; exordium ſumemus ab ephemero, vel Colchico vocato à veteribus, ignoto nobis veneno. Ephemerum igitur Matthiolo incertum eſt, quemadmodum de Colchico dicendum; quoniam illud, quod apud nos copioſe creſcit, non eſt venenatum, & quod ab Ægypto, & Syria prouenit purgat quidem tantùm, & eſt Hermodactylus officinarum; licet quod in Colcho Inſula naſcitur vere lethale eſſe poſſit, ephemerum dici, ſiue diarium venenum: hoc quidem de malo perſico eueniſſe proditur; variant enim quandoque plantæ naturam pro ratione ſoli, & climatum. Dorychnium quoque veterum venenum contendunt multi eſſe furioſum ſolanum, probantque Dioſcoridis auctoritate. Verùm ſi quis intimius ſenſum verborum Dioſcoridis ſcrutabitur, hoc haud aſſerendum videbit; etenim ſymptomata ſolani furioſi differentiſſima ſunt; præterquamquod differentibus etiam capitibus diſtinguuntur. Hauſtum enim Dorychnium ſtatim perfundit linguam, veluti lactis dulcedine, mox & ſingultum excitat vehementiſſimum, linguaque humore perfuſa ſummam moleſtiam arripit; ſanguis inde reijcitur per vomitum; inteſtinorum tormina excitantur, cui dyſenteria ſuccedit. Recentiorum quidem Dorychnium, nec temperamento, nec ſubſtantia veterum Dorychnio correſpondet. Bahuinus Dorychnios hos inter lotos fruticoſas, Pentaphileas inſanas recte refert. Pharicum, & Toxicum deinde quid fuerint incertiſſimum eſt; certum quidem ocyſſima, & infeſtiſſima venena fuiſſe, quibus tela ad hoſtes facilius interimendos, citiuſque inficiebant priſci. Pharicum herbam fuiſſe patet ex præfatione Dioſcoridis in lib. 6. circa finem. Conſtat etiam fuiſſe compoſitum apud Scribonium. Toxicum verò licet particularem naturam indigitet, commune tamen nomen venenis omnibus poſſide-

re videtur; forſitan quia pernicioſiſſimum iſtud per antonomaſiam omnibus alijs nomen communicauerit; quid tamen proprie fuerit obſcurum. Non eſſe Napellum demonſtrat contra Manardum Matthiolus in Commentarijs; at nec helleborus albus fuerit, quamuis utrique alexipharmacum cydonia, quia diſtinctè nimis de hoc veteres: non Pthora Valdenſis, quam alij rectius Aconitum Pardalianchen Dioſcoridis conſtituunt ex diuerſitate effectuum: igitur nobis rectè ignotum omnino ſtatuitur. Ixia peſſimè me calidis venenum Dioſcoridi, an ſit chamæleum nigrum Matthiolus in commento; ſuſpicatur; negat tamen Guillandinus, tum Fabius Columna, & cum eo Parkinſonius in cap. de Chamæleone, quibus aſſentitur Danus Saracenus in Commento lib. 3. Dioſcoridis cap. 10. & lib. 6. cap. de Ixia, & quibus ego ſubſcribendum duxi: Venenum tamen eſſe ex chamæleone nigro Ixiæ ſatis ſimile adeſt experimentum Bellonij idem comprobantis: Turcis enim illis, qui chamæleonis nigri radices in Lemno ſecuere, & fruſtula filo traiecere, eadem ſymptomata obuenere, quæ ab Ixiæ veneno ex Dioſcoride relata ſunt; ſed hoc dicendum de chamæleone utroque, & præcipuè albo quia ἰξὸν viſcum fert in calidioribus regionibus rectè vulgo ἰξίαν dici potuiſſet eſſe Theophraſti ἰξίνην, quæ producit ἀκανθικὴν μαστίχην, maſtichen ſpineam; & ego quidem inter meas reconditas curioſas res chamæleonem ſeruo cum maſtiche, quod ex Creta Inſula olim habuit Illuſtriſs. felicis recordationis Dominus Nicolaus Contareno, à quo poſtremis ſuæ vitæ annis dono accepi. Euphorbium ab Euphorbo medico Iubæ Mauritaniæ Regis nomen deſumpſit, ob id Theophraſto haud cognitum, ex ferulacea planta reſina potius, quam ſuccus. numquid arbor ſit, dubitatum video; & forſan ætate prouectior facta planta fruteſcit; Nam Dodoneo herba eſt; ſummam acrimoniam habet, ideo vehementer exulcerat. Gal. 7. Simpl. cauſticæ facultatis aſſerit; calore enim ab aliquo ſiquorum non ſinit ſe ſuperari: de hoc Scite ſatis Parkinſonius Theatri ſui Tract. 2. cum Dioſcor. qui in ſuffuſionibus oculorum adhibet, & in Iſchiadico dolore; quod tamen ſatis cautè accipiendum eſt: ſed Meſues diligenter reliquas proſequitur vires; miſceri in eo poſſunt condenſati refrigerantes ſucci. Aconitum ſequitur perpendendum venenorum deterrimum, quod Dioſcoridi duplex eſt; Pardalianches, & Lycothonon, quorum prius à Theophraſto ſimpliciter ſcorpius, & telephonium dicitur; an cognitum tamen exactè illud? nobis dubium eſt, quia Plinius id homini pernicioſum pronunciat; & tamen quadrupedibus non venenatum aſſerit; quia poſita à Matthiolo figura ſuſpecta Geſnero, inciſa Columnæ; Bauhino; quoniam & additamentum caulis, & florum adiunctum à Lugdunenſis hiſtoriæ ſcriptore Ioanne Molineo ſub nomine Daleeampij: Parkinſonius Doronici plantam fuiſſe putat artificioſius expreſſam, idque vero ſimile eſt; male Matthiolus utrumque Doronicum à Clariſs. Cortuſio noſtro ſibi miſſum Aconiti Pardalianchis nomine infamauit, & dæmonicum potius, quam doronicum dicendum ſcripſit. quamuis enim externa doronici brachiati figura ſimilis ſit; innoxium tamen eſſe homini, immo ſalutare, præter Geſnerum, teſtatur Cluſius, Lobellius, & Penna, & Quatromius apud Columnam, Bauhinus Tractatu de Belzoar, & Parkinſonius. Et profectò neceſſarium

Plant. Rarior. cap. 1.

Lib. 2. c. ſerv. cap. 4.

Minus cognitar. plantar. part. 2. c. 19.

ceſſarium non eſt, quæ canes interficiunt, homini venena eſſe, ut chamæleonis albi radix, Nerium, Apocinum, Dioſcoridis, recentiorum Aſclepias, & Fabij Columnæ. Vulpi aloe, & amygdalæ amaræ exitioſæ ſunt; contra verò homini noxia ſunt, quæ animalibus ſalutaria; ergo aut veterum aconitum pardalianches homini venenum non fuit, aut doronicum rotundifolium, aconitum, pardalianches non eſt habendum. Huic non inepte à Geſnero, & Parkinſonio ſubſtituitur pthora valdenſis, quamuis radice non ſit ſcorpioides; tamen cæteris ſimilis valde, maxime pernicioſa prædita vi. Exiſtimat Parkinſonius, & recte quidem meo iudicio, aconitum pardalianche idem fuiſſe cum pthora; huius tamen figuræ plures, & elegantes reperiuntur apud Tabernemontanum, & expreſſa eius natura, & vires, ſed ſæuitia ſua maiores; præſentaneum enim venenum eſt; attamen licet inter aconita reponatur, noxiorum ranunculorum procul dubio ſpecies eſt; dantur enim ex Dioſcoride ranunculi, & noxij, & innoxij. Alterum Dioſcoridis aconitum, lycoctonum non eſt controuerſum. Theophraſtus ei tribuit folia κιχορίαξ, ſed legendum cum Dodoneo βατραχώδη. Nocet non radice tantum, ſed etiam folio, & ſemine contra opinionem Hieronymi Mercurialis, qui radicem ſolum venenatam aſſerit, quia contrarium ſcribit Theophraſtus, & idem habet experimento. Huius tres ſpecies tradit Dioſcorides, recentiores plures, ut ex Bauhino in Prodromo manifeſtum. Aconitum non eſt frigidum, quia in Ponto naſcatur, hac de cauſa ſic fateri ridiculum eſſet; nec quia eius cura medicamentis calidis perficiatur, ut exiſtimauit Goreus in adnotationibus ad Nicandrum; cum Gal. ſceptica omnia calida, & humida 5. ſimpl. 15. pronunciauerit, quale aconitum eſt; ſiccis enim medicamentis euincimus eius virus, & putredinem humidi ſobolem, quæ ſiccitas calidis iungitur, quibus oppugnamus eiuſdem vim; præterquamquod non quatenus calida ea ipſi veneno opponimus; ſed potius quatenus alexipharmaca. Epilepſiam namque excitari ab aconito non eſt argumentum eius frigiditatis, ſed potius caliditatis; fit enim ſpirituum animalium intercepto, ſeu retuſo motu, aut vigore: Dubitari de humiditate eius poſſet, quod à Mercuriali aſſeritur; quia radix, & folia calida, quia guſtu dulce cum adſtrictione, quia ſiccæ radici puluis longe efficacior, quia ſapor piperis, & idem apud Matthiolum; tum quia arſenicum ipſum putrefacit, & tamen ſiccum perhibetur. Immo hæc corrumpendi vis non à temperamento præcipuè, ſed proprietate naturæ dependet, qua ex ſede ſua expellit cum calore ſpiritus; igitur ſuſpecta eſt aconiti humiditas; idem etiam ſentit Franciſcus Pona. Hic quæri ſolent duo. Primum quomodo venenum aconiti, quo tela miſſilium olim intincta fuere interimat, vix ſoluto leuiter continuo? non credibile eſt ferrum illud ita patentes in ſe habere poroſitates, quæ veneno imbutæ, venenum tam facile deferant, & communicent; communicari tamen aſſerit Plinius, qui Gallos ſagittis hellebori ſucco infectis conſueuiſſe feras venari ſcribit; & quæ tunc teneriores cæteris euadebant, inditium virus altius penetraſſe. At ferrum licet denſum, ſuis poroſitatibus non caret; immo & ſuccum ipſum iuxta ſagittarum mucronem adhæſiſſe exſiccatum credi par eſt. Alterum quæſitum eſt, quomodo verificetur ſolo genitalium tactu, digito ſuc-

Pthora. *Lib. 2. de ven. cap. 10.* *Lib. 2. cap. 20. de ven.*

co aconiti madefacto, mulieres interfici; quod Calphurnio familiare fuit; qui hac ipſa arte uxores diuerſas defunctas unam alteri ſubſtituebat. Soluit Mercurialis problema loco citato non ineptè; quia viſciditatem, & lentorem in ſucco illo arguit, quo ferrum tingebant; ex motu namque ferrum calorem concipere, quo facile virus illud communicabatur; ſicque mulieres facile interimi tactis eodem ſucco genitalium partibus, quia ibi uteri vaſa, & ſpermatica magna & viſceribus præcipuis communicantia, ſed cordi præſertim. Addo ego quod ex tactu genitalium, & titillatione ſpiritus ad eam partem recurrentes eadem labe facile infici poterant, prout in Gallico morbo notum euadit; inde ſeſe retrahentes, & ad principium ſuum recurrentes, ibi noxam deponebant; venenum enim quodcumque cordi in primis inſenſiſſimum eſt. Nerium Dioſcoridi quale nobis Oleandrum, ſeu Rhododendrum, florum varietate, colorisque differt, & magnitudine; vni flos candidus, alteri rubellus; maius, & minus botanici cognoſcunt, & minus Chamæneriũ vocat Lobellius. An hoc per ſe venenum? dubitatur ex Gal. 8. ſimpl. cum Dioſcorides Aſinis, Mulis, Canibus, aliiſque quadrupedibus permultis exitiale venenum eſſe dicat; homini verò prodeſſe contra ſerpentum morſum: Experimentum tamen docuit etiam hominibus lethale Nerium eſſe; quinimo & ſola umbra nocere: hinc ſtatuendum ipſum Nerium quidem venenum eſse, ſed etiam particulare antidotum particulari veneno. Nerium Taxi venenum conſiderandum memorat, arbor venenata, vel ſola umbra deteſtabilis. Matthiolus calidæ ſit, an potius frigidæ naturæ dubitat non immeritò, cum videatur à Dioſcoride; & Gal. inter frigida venena recenſeri; attamen, & dulcedinem effatu dignam fructus eius præſefert, & commanſus febres, dyſenteriaſque excitat; Aues ex eiuſdem fructus eſu dum nigreſcere traditur, caliditatis potius inditia ſunt. Vtcumque quamuis effectus, quos prodit, à tota ſubſtantia promanare potius decernendum videatur; non eſt, quod auctores clariſſimos ab obiectis ſubinde vindicare non poſſimus. De noxa eius dubitatum etiam video, cum Petrus Penna arborem iſtam dicat, nec umbra, nec baccharum æſu nocere, quia pueri impune eas heſitent: Hæc eadem arbor ſmilax, quoque vocatur, & eodem nomine quo fructex ille ſarmentoſus, & hiſpidus, à Plinio, ut notat Salmaſius, male à coronamentis ſecluſus, tamquam infauſtus ex nota fabula ſmilacis, & croci: quam tamen plantam idem Plinius in ſe reuerſus addit tamquam præcipuam in coronamentis; ſed facilis ſolutio; cum hoc pronunciandum ſit de ſmilace arbore à coronamentis ſecluſa, non de ſmilace hiſpido frutice, quamuis Heſichius, licet male hanc ipſam arborem coronariam vocet. De Nuce vomica confuſio non leuis apud Serapionem; & ſanè vera Nux vomica in officinis obuia eſt; quę tamen non eſt recipienda inter electuaria confortantia; videlicet in electuario de Ouo Cæſaris Maximiliani, prout faciunt Auguſtani in Pharmacopea. Huic ſuccedit Nux Metella, quæ procul dubio ſtramonium eſt, ſpinoſo fructu, adeoque & datura. De vomica, & metella vide Parkinſonium, quæ enthuſiaſmi ſub ſpecie homines diuino alloquio, aut commercio beent, e ſymptomatum aliqua ſimilitudine, prout ex Sennerto etiam. Iuccam Canadenſem plantam aduenam; & mo-

Nerium. *Taxus.* *Com. 477.* *Nux vomic.* *Nux metel.*

do

do in hortis ramquam peregrinam excultam, venenum, & alimentum præbere, obſonium, & condimentum plures Auctores tradidere; vt mirum ſit quomodo ex vna & eadem radice contrarij effectus emergant. Huius plantæ hiſtoriam præbet Monardes, quam Carolus Cluſius vir doctiſſimus annotationibus condecorauit. ſic de eadem loquuti ſunt Conſalvus .... Fernandus Ouiedus, Franciſcus Gomora, quemadmodum & Cardanus, quem Scaliger Exerc. validè perſtringit. Sed omnium poſtremus Tobias Aldinus: hac igitur radice exucca tamen prius reddita, Indi illi à ſæculis panem conficiunt, qui ſane admodum nutrit, quamuis dum manditur, & deglutitur fauces ita exſiccet, & exaſperet, ut cogantur alterno ſumpto bolo aquæ portiunculam haurire: ſuccum vero ex radice expreſſum præſentiſſimum venenum eſſe; quod vero ſi talis expreſſus a radice ſuccus ebulitionem ad dimidij conſumptionem patiatur; in innocuum acetum vertitur. ſi verò idem ad ſapę conſiſtentiam decoquatur, dulcorē talem acquirit, ut pro melle incolumi ſalute uſurpari poſſit. Panis incolis vocatur Cazaui, ſiue Cazabi. Ceterum in dubium vertitur an ubique terrarum, ſed præſertim ubi planta ſponte emergat, vel cultu adoleſcat, venenatam naturam obtineat. Monardes in Inſula Sancti Dominici tantummodo lethalem eſſe aſſerit, ſiue radix cruda & non expreſſa voretur, ſiue ſuccus ex eadem expreſſus accipiatur, in quocumque verò alio loco naſcatur, & in Inſula S. Marthæ, & in continenti, & alibi, minime venenatam, immo alibilem eſſe. Gomara vero ſcribit non ſolum in Inſula S. Dominici, ſed in Cubæ inſula & Hyathi venenatas iuccas omnes proferri. Conantur aliqui ſuadere ex ſola conditione, & mutatione iuccam vim venenatam inſtar perſeæ de qua Dioſcorides & induere & exuere. Tandem alij aſſerunt iuccam Canedanam innocuam eſſe, Mexicanam verò venenatam; immo collatis iſtiuſque iuccæ tam canadenſis, quam Mexicanæ iconibus, eſſe forma inter ſe differentes repetere. Arguunt igitur non mirum ſi etiam viribus diſſimiles fuerint, immo contrariæ; Verum experimentum Aldini caſu in ſeipſo factum conuincit etiam canedanam iuccam (& ea eſt, de qua loquimur in præſentia) venenatam conditionem obtinere, cum ipſe mucronata folij cuſpide in manu vulneratus, ab ictu acerbiſſimos dolores paſsus ſit, & ægrè ad ſalutem, niſi balſamo ſuo reſtitutus fuerit. Ingenioſè ſatis ſcrutatur idem Aldinus numquid iuccæ noſtræ radix ſit eadem cum illa, quæ iuxta ſententiam Diodori Siculi naſcebatur apud Rizophagas gentes in ea Æthiopiæ parte, quæ ſupra Ægyptum eſt, cuius folia arundinis erant, qua ſubacta cum aqua, & in placentæ formam redacta utebantur loco panis, numquid calidi an frigidi temperamenti ſit adhuc incertum eſt; verum ſymptomata, quæ Aldino ex folijs punctura ſuperuenere, potius caloris quam frigiditatis inditia ſunt; quamuis magis à forma, quam à temperamento prodijſse fatendum; & potius eam calidam confirmari dulcedo mellea quam ex coctione extenſiori recipit. Amaranthus baccifer Indicus, & planta dicta mirabilis Hiſpanica non immerito ſolani ſpecies videntur, ac iure à Babuino inter ſolana relata fuere, cuius familiæ & nos adſcripſimus. Iuccæ etiam Indicæ ſuccum, & ſpinam, eſseque venenatas ex Aldino, & Pajkinſonio notum. Aeſulæ à Sennerto venenata creditur ſua natu-

Lib. 4. antiquitatum cap. 3.

Amaranth. bac fer indicus.

Planta mirabilis hiſpanica.

Ante amaranth. Bacificum indic.

Iucca indic.

Æſula.

ra; licet inter Pharmacorum purgantium numerum reponatur; quod tamen ſi de impropriè dictis venenis uſurpetur, non implicat; ſiquidem etiā quæque noxia humana arte, ad bonam frugem reduci poſsunt, dummodo, & menſura coarctata ſit, & qualitas mala corrigatur. Purganti æſulæ aliud ſtrenuum purgans annectimus, quo venenorum calidorum claſsem randem claudamus; Helleborum videlicet album, quod, prout de æſula dictum eſt, non propriè venenum eſt, ut ſemper noceat; adeò controuerſia, quæ apud plures viget, ex ſuperius dictis facile tollitur.

Elleborum album.

Iam horum ſingulorum ſymptomata explicanda, quæ quidem loco ſignorum ſuccedunt, ut lethalem eorum perniciem ſuperare valeamus quoad poſſibile fuerit. Et ut ab ephemero exordiamur, notas ex Dioſcoride manifeſtas didicimus; aſsumpto enim ephemero, quamuis aſsumenti præſeferat dulcem, & iucundiſſimum ſaporem; ſtatim tamen in toto corpore excitatur pruritus ſimilis ei, qui ab urtica, ſcillaque euenit; inde palatui, & labijs maxima moleſtia; eaſdem enim partes valenter arrodit; ſic eodem tempore ſenſus ſuffocationis ſuccedit, veluti ijs, qui à fungis ſtrangulantur: ſtomachus, & inteſtina torminibus acerbiſſimis diuexantur; exulcerantur enim; vomitus quoque frequens, & vehemens perſentitur; etſi Nicandrum audiamus, aquoſa euomunt loturis carnium ſimilia, quæ mox per ſedem etiam excernunt, inteſtinorum ramentis admixta; immo, docente Scribonio, ſanguis ſtatim eo epoto e palato, mox à ſtomacho, deinde per ſedem erumpit.

Ephemeri ſymptom.

Dorichnij. Dorichnij ſymptomata concomitantia ſunt ſingultus cōtinuus, cui, ut plurimum adiungitur animi defectio, ſtomachi ſanguinea reiectio, & inteſtinorum exulceratio; hinc dolores utrobique ſatis magni, cum etiam excernantur mucoſa, & cruenta excrementa; & quod peculiare huius veneni eſt, inter hauriendum, os, & palatum veluti quadam lactis dulcedine perfunditur.

Pharici. Pharicum ex Dioſcoride hæc edere ſolet ſymptomata. Neruorum reſolutionem, delirium furioſum, conuulſionemque, & haurienti hoc venenum nardi guſtum repræſentat.

Toxici. Toxici inditia interius deuorati (ſi Dioſcoridem conſideremus) ſunt labiorum, & linguæ inflammatio, aſſiduus mentis furor, & eidem variæ, & enormes imaginationes occurrunt; renuunt quæcumque eis offerantur ob delirij ſummam vim, ut cogantur vinculis coerceri.

Ixiæ. Ixiæ veneno familiaria ſunt accidentia; Inflammatio linguæ, mentis alienatio, animi deliquium, rugitus inteſtinorum, excrementorum ſuppreſſio, difficilis reſpiratio; & dum hoc ipſum venenum ſumitur; odorem, & ſaporem ocimi repræſentat.

Euphorbij. Euphorbium licet à Dioſcoride inter venena non recenſeatur; cum tamen deleteriam obtinet; an à tota ſubſtantia dubitatur, cum ſufficienter ſit noxium proprijs qualitatibus manifeſtis. Cardanus tamen, & cum eo Sennertus veneficam per ſe qualitatem obtinere credidere, cum & extra exulcerationem occidere ſubitò valeat, quod exulceratio ipſa facere nequit; & quidem delirium inducat, quod exulcerationis tantumodo non eſt effectus, nec qualitatis manifeſtæ; fauces, ſtomachum, & inteſtina adurit, & exulcerat, & cum vehementi dolore vomitum, & ſingultum mouet; delirium magnum, & ſitim excitat inextinguibilem, totiuſque corporis intenſiſſimum calorem, tum humorum omnium, tum ſanguinis præcipuè euacuationem copioſiſſimam;

mam ; ſudores inde frigidi, & mox animi deliquium. Aconitum, cuius *Aconiti ſym*
ſpecies eſt Napellus, ſi aſſumptum ſit, hiſce ſymptomatis ſe detegit; ver- *ptom.*
tigine, delirio, convulſione, paralyſi, tremoreque, oculorum inuolunta-
ria lachrymatione, horûmque inſigni rubore, ſtomachi grauitate, & eiuſ-
dem cum præcordiorum dolore, murmure inteſtinorum, & flatuum copia,
difficili anhelitu, tumoreque totius corporis; immo qui ab aſſumpto aco-
niti veneno interimuntur, liuidas maculas ſub ſcapulis habere, circaque
caput, & pectus tradunt; & licet mortui, puncti ſanguinem emittunt, im-
mo eorum pili, vel leuiſſimo quocumque conatu, facilè euelluntur. Ra- *Ranunculor.*
nunculi venenum exulcerationem parit ſtomachi, & inteſtinorum, at cum *ſymptom.*
Valdenſium pthorá aconito deteriorem exiſtiment, cum in ſummo delete-
riam obtineat qualitatem, & perniciem, ſymptomatibus idem aconitum
æmulatur, quamuis ranunculis potius accenſenda ſit; quapropter in hoc *Pthoræ ſym*
loco ibre eius noxæ afferuntur, & ſunt convulſiones, anhelitus difficultas, *ptomata.*
vomitus cruentorum, ſudores frigidi, lipothymiæ. Ranunculis quoque
adſtipulatur & planta, quæ apium riſus, & herba ſardonia vocatur, ita ap-
pellata ex effectu, quem prodit, riſum ſimulando, dum ex eius eſu contra-
ctis buccæ muſculis, iſte motus riſum æmulatur; excitat in ore ardorem
validiſſimum, & in gutture; inde excitatur horum inflammatio cum ven-
triculi, & inteſtinorum exulceratione, & cruenta deiectione, delirio etiam
interim accedente. Nerij virus oſtendunt præcordiorum anguſtiæ, flatus *Nerij ſym-*
copia, inteſtinorum murmur, alui deiectiones frequentes, vehemens to- *ptomata.*
tius corporis calor, tandem exitialis ſyncopes. Taxi hauſtum venenum, *Taxi veneni*
comeſtaſque eiuſdem baccas indicat uniuerſalis corporis frigiditas, inde *ſymptom.*
eiuſdem virulentia correpti ſtrangulari, ſuffocarique creduntur; dyſente-
ria ſuccedit copioſiſſimis humoribus referta. Nucis vomicæ aſſumptæ in- *Nucis vomi-*
ditia petuntur ex vomitu frequenti & copioſo, ſuccedit ſitis magna, & al- *ce ſymptom.*
ui *fluxus* immodicus, ſpirandi defectus, virium lapſus repentinus, con-
vulſio, *frigidus* ſudor, & tandem animi defectus. Nux metella hyoſcya- *Nucis me-*
mi aſſumpti venenum æmulatur in ſymptomatibus producendis; ſomnus *telle ſympt.*
namque occurrit profundus, & fere lethargicus ingruit, valide labiorum,
naſi, unguium, & aliarum extremitatum frigiditas, & liuor, pallor inde
uniuerſi corporis, cui frigidus ſudor ſuccedit, mox ſyncopes. Aeſulæ ſum- *Æſulæ ;*
ptæ inditia ſunt nauſea, ſingultus, vomitus, ſitis, totius corporis æſtus, &
inflammatio, ventris tormina, & fluxus dyſentericus; inde convulſiones.
Hellebori tandem albi ſymptomata ſunt ingentem, & perennem excitare
vomitionem humorum, & copia inſigni, & qualitate differentium; cru-
ciatus ſtomachi, ſingultum, inteſtinorum tormina, validas deiectiones,
difficultatem anhelitus, palpitationem cordis, convulſiones ex Hippo-
crate, virium proſtrationem, tremorem, ſummam corporis totius agita-
tionem, lipothymiam.

De Curatione Venenorum ſupradictorum.

CAPVT XXXIX.

Quæ plantis venenatis calore vigentibus ſingulariter opponantur plantæ. De Napello Moyſis, ſiue Moſchi. Auicennæ nonnulla produntur.

SVpereſt modo ut relatis omnibus venenis congruis occurramus remedijs, & quidem primo uniuerſalioribus, prout erunt vomitoria citiſſimè adhibenda ex aqua tepida, & butyro parata; quibus in principio utiliter addi poterit & ſal, & nitrum, & præſertim in valida reſiſtentia, vitrum antimonij, clyſteres. ſecundo loco, conueniunt etiam, purgantia, ſed præcipuè utendum ſyrupis cum ſaccharo, aut melle paratis ex roſis, violis, & tamarindis, alijſque alibi in cura uniuerſali traditis; lactis inde ſequitur frequens uſus; adhæc ſyrupi, aquæ ſtillatitiæ, & emulſiones ex refrigerantibus, & humectantibus propoſitæ, tum ſero etiam utendum; victus quinimò ex ferculis hordeaceis, amygdalis dulcibus, ſeminum frigidorum emulſionibus; ex his parando videlicet panatellas; ſic ex oleribus refrigerantibus, piſcibus, & præſertim oſtreis, gammaris, & huiuſmodi; his & ſimilibus exactis, ad particularia alexipharmaca tranſitum faciendum; quæ tamen ſemper ſunt admiſcenda ijs, quæ adhibentur in cura uniuerſali. Opponit Dioſcorides Ephemero tamquam eius proprium antidotum lac aſininum calidum, quod omnes abſoluit numeros; loco cuius, & bubulum commendat, ſi tum potetur, tum in ore detineatur. Ad hæc origanum in lacte decoctum recenſet, ſerpillique potionem, decoctum frondium quercuum, aut glandium, vel malicorij. Probatur polygoni ſuccus, virgultorum, vitis, aut rubi, necnon medulla recentis ferulæ in vino; ſic, & myrti folia, & baccæ tuſæ, aut tritæ, & in aqua maceratæ. Vtiliſſimum commendatur origanum cum lixiuio potum; & tandem tunicula illa media caſtanearum in aliqua ex prædictis aquis, aut ſuccis. Dorycnij veneno aduerſantur tamquam particularia antidota à Dioſcoride memorata, aqua mulſa, lac aſininum, aut caprinum, vinum dulce tepidum cum Aniſo, amygdalæ amaræ, & Gallinaceum pectus elixum: inſuper conchiliorum omne genus crudorum, toſtorumve: ita ab eodem Dioſcoride commendantur locuſtæ marinæ, & gammari, & ſumptum eorum iuſculum. Pharico opponit idem Dioſcorides vinum abſynthite cum cinnamomo, aut mentha, vel Gallico nardo, aut ſpica nardi, paſſulis remixtis; ſic commendat irin cum croco in vino ebibitum. Et ut parti, quam primo petere ſolet proſpiciamus, admonet vir ſummus, deraſo capite prius cataplaſma ibi applicare ex hordeacea farina, ruta trita, & aceto. Toxico veneno aduerſarium aſſerit Dioſcorides vinum dulce cum roſaceo, idque bibere, & reuomere; ſic & rapi ſemen in vino, & inter cætera commendat & quinque folij radicē, & ſanguinam hircinum, aut caprinum; immo & corticem fagi, roboris, vel ilicis cum lacte tritum, & ſumptum; Cotonea quoque mala in cibo ſumpta, oua cum pulegio trito vorata, aut in aqua diſſoluta; ſic & Amomum, &

Marginal notes: *Ephemerus à quo expugnetur.* — *Dorycnium.* — *Pharicum.* — *Toxicum.*

& Carpobalſamum in vino. Ixiam particulariter expugnant dilutum Abſynthium ex vino, aut aceto mulſo bibitum largiori copia; ſic iuvat rutæ ſylueſtris ſemen, ſic & laſerpitij radix, vel tragorigani decoctum in lacte cum reſina terebinthina: ad hæc & nardus, & laſer, & caſtoreum ex vino, ita & iuglandium nuclei triti ſimul cum reſina, caſtoreo, & ruta; ſic chamælçæ, & praſiæ ſuccus cum aqua mulſa, vel acetum calidum copioſe bibitum. Hæc igitur alexipharmaca venenis nobis in præſens ignotis, ſed Dioſcoridi notiſſimis ex Veterum conſenſu proponuntur, & nos recenſuimus; eo quia ſi quis credat hæc cum noſtris venenis confundi, & tantum nomine differre; etiam eorum curationem in promptu habeat. *Ixia.*

Euphorbij virulentiæ occurrimus præſertim ſeminibus citri in vino, in quo coctæ fuerint, vel contabuerint radices helenij, ſic & terra ſigillata proponitur; proponitur & ſmaragdus, & cryſtallus, & Theriaca quoque laudatur. Aconitum pernicioſiſſimum venenum expugnamus ruta, origano, marrubio, quæ herbæ ſi ſiccæ ſint, ſtatim pulueriʒandæ; virides verò, aut crudæ aſſumendæ, aut leuiter incoctæ: Proponit Dioſcorides opobalſamum, intelligitque Arabicum. Pauſanias tamen hoc viperis venenum adimere tantum ſcribit; nihilominus utrobique ſummopere proficere poſſe vix dubitamus. aurum commendat, & ferrum, vel argentum ſæpè ſæpius iuſculis extinctum; quod quidem remedij genus non eſt poſthabendum; nam & cordialibus medicamentis vim indere, & ea penetrabiliora ad cor uſque efficere autumandum eſt; Orientales mulieres namque in ægrorum curatione detractos elenchos, & monilia iuſculis incoquunt, ratæ in febribus malignis vim ſummam cordi indere. Præcipuum autem aconiti, aut napelli antidotum eſt lapis bezoar Orientalis verus: Habemus experimẽtum ex Matthiolo; ſed vix non adulteratus inuenitur, ideò præſtat Occidentalem accipere, qui magis obuius, dummodò quantitas augeatur: pro pauperibus præſtat radix Ariſtolochiæ rotundæ, & ex Aponenſis monitis pardalis, ſiue pantheræ ſtercus; immò aconiti venenum ſuperari excrementis humanis aſſumptis aſſerit Ariſt. 9. de Hiſtor. Animal. 6. quod etiã ab Alberto Magno aſſeritur in Commento, qui ſtercus calens adhuc inſignem vim Theriacalem poſſidere tradit, quod & à Rhaſe commendatur tamquam fungorum venenatorum antidotum: ſed abominabile remedium eſt, & pectore generoſi hominis indignum; ut hæc non ineptè Plinius lib. 28. in Procemio dixerit; ab his vitam non adeo expetendam, ut quoquo modo trahenda ſit. Sed præter ea, quæ adducuntur à Dioſcoride duo proponit Auicenna, unum ab animali, alterum à planta, quorum utrumque lib. 2. cap. 94. Appellat napellum moſchi, vulgò moyſis, ſed male, vox tamen forſan alicuius propria, in lexicis non habetur: facit idem lib. 6. ſumma 11. ubi interpres animal, inquit, vocatur Turing: ſed textus Arabicus habet vocatur napellus Moyſe. Cæterum hoc animal Matthiolus exiſtimat vere eſſe murem, & à ſe viſum in montibus Tridentinis: alij repugnant, ut Antonius Guainerius, & cum eo Lobellius, & Petrus Pena, quia napellus eſt muribus venenum, & quia à nullis curioſorum, & monticolarum circa napellum viſi: ſed eſſe muſcas circa plantam eam alimenti gratia commorantes, quæ præclarum napelli antidotum euadunt, ut ex *Euphorb.* *Aconitum.*

Theatr. c. 3. de Accon. Parkinſonio; & ideo Arabes facillimè conſonantia vocum decipi potuiſſe, cum Græci muſcas μύας, mures μύας appellent. Auicennã lib. 6. citato conſtat appellare ſimpliciter murem, eius ſcilicet napelli, & lib. 2. cap. citato inquit (Mus, qui paſcitur illo) & in cap. de Napello. Moſchi dicitur animal, quod commoratur circa radicem eius, ſicut mus. quorum hoc non ſatis reſpondet priori; ut probabilior mihi ſit Guainerij ſententia. Sunt qui uſum aconiti internum tamquam veneno ſcorpionis aduerſarium, & eius ictibus, & antidotum commendent: quod licet haud negandum; non tamen facilè ineundum; cum & animalia ipſa contuſa, & affricata, & eorũ oleum præſto facile ſit; ſic & Auicenna non ipſum napellum ſimpliciter in potu ſumi debere contra lepram, ſed compoſitionem eius Bazergalij; hoc enim optimè contra Fuchſij imprudentem contentionẽ defendit Matthiolus in Commento. At cum rectè pthora conſtitui poſſit pro aconito pardalianche, & Parkinſonio ſic videtur; eidem etiam opportunè eadem ſupraſcripta remedia aptari poterunt, cuius figuræ plures, & elegantes apud Tabernæ Mont. reperiuntur, eiuſque natura, & vis deſcripta: cuius proprium antidotum antipthora eſt, quæ à pluribus napellus moſchi Auic. creditur. Quis autem & qualis ſit, & virtus, ex Parkinſonio petenda venit, ſed quoniam pthora etiam ranunculi ſpecies creditur, annectemus modo antidota, quæ ranunculorum veneno aduerſantur, & præſertim ei, quem appium riſus vocant, ſiue herbam ſardoniam; quæ etiam antidota Capſico opitulari poterunt, cum præſertim eiuſdem ferè conditionis veneficas vires exulcerantes, & inflammantes præſeferat. His itaque aduerſantur demulcentia omnia, epiceraſtica vocata frigida, & peculiariter ſuccus meliſſæ cum aceto, bolus armenus cum ſero lactis; ſic & caſtoreum cum vino dulci, terra ſyleſiaca, radices biſtortæ, tormentillæ, quinque folij, ex quibus omnibus parari poterunt, quemadmodum ex alijs alibi allatis, ſyrupi, conſeruæ, confectiones, electuaria, pulueres, & ſimilia.

(margin notes: *Pthora.* *Ranunculi.* *Capſicum.*)

Nerium. Nerium, eiuſque venenum expugnamus decocto dactylorum, vel ficuũ, decoctione radicum altheæ, maluarum, fœnu græci, ſeminum lini; ad hæc commendantur baccæ iuniperinæ, & caſtoreum; ſed eius virulentiæ efficacius aduerſari tradunt rutæ, & Agnicaſti ſemen cum aceto; ſic & cibis emplaſticis uti, & untuoſis proficuum euadere aſſerunt.

Taxus. Taxi venenum ſuperant vina generoſa, & præſertim vinum abſynthitæ copioſè hauſtum, ſic & radix gentianæ, & iridis: ad hæc & baccæ iuniperum oxymelite, & Theriaca. ſedantur eius ſymptomata lapide bezoar, corallijs, terra ſigillata, radicibus tormentillæ, bolo armeno, ſucco granatorum, aut ribes exhibitis.

Nux vomic. Lethalia nucis vomicæ ſymptomata corriguntur, & ſuperatur eius virulentia corticibus citri, ſucco citri, vel conſerua ex eius acido, aut cydoniorum; ſic & commendantur baccæ myrti, & exterius pro totius corporis inunctione vtiliter adhibetur caſtorei oleum, aut ſeſaminum.

Nux metel. Nuci metellæ, ſiue ſtramonij fructui, quem ad hyoſcyamos referunt tamquam antidotum opponunt decoctum abſynthij, origani, rutæ ſyluestris, radicum gentianæ, helenij cum vino; ſic & caſtoreum, & baccas lauri, cinnamomum, pyrethrum, Theriacam, galangam, zingiber, vel horum ſpecies.

ſpecies. Venenatam virulentiam iucæ ſuperamus antidotis, quibus fungorum venenum, quod potius coniectura aſſequendum, quam certo experimento, aut relatione; cum ſuccus more fungorum ſtrangulet, niſi quæ ex gypſi noxis tollendis etiam eadem remedia aptemus, nondum enim quicquam de antidoto peculiari ſcriptum video. *Iuca.*

Æſula, eiuſque venenum vincitur bolo armeno, terra ſigillata, corallio, cornu Cerui præparato, Theriaca vino diluta, vel aqua cardui benedicti; Commendant inſuper gummi arabicum, & tragacantha. *Æſula.*

Hellebori tandem albi exceſſum, & virulentiam ſuperant flores, vel radices nymphex, & horum puluis in vino exhibitus, paſtinacæ ſemina ex vino peculiariter abſynthite, ſemina aniſorum, cumini, Theriaca, Mithridatum, mali cydonij ſem. & pulpa. *Helleborum.*

De Venenis Animantium intus aſſumptis.

CAPVT XL.

Cantharidum uſus tam internus, quàm externus non improbandus; contra eas reprobantes ſtatuitur. Salamandræ temperamentum in diſquiſitionem vertitur; inquiritur numquid proprium marini leporis veneni ſit primariò pulmones inuadere; Venenum torpedinis quomodo ſe ſe inſinuet inquiritur. Quædam de lactis coagulatione & cauſa.

AVgent venenorum numerum animantia, quæ vel per ſe venenata ſunt, vel ex accidente noxia euadunt; vt ſturni, coturnices, gallinæ, & huiuſmodi animalia; idque ratione alimenti noxij, vel quando veneno interimuntur, aut etiam ſi venenatis telis vulnerata fuerint: quorum venena ſi truculentiora ſint, etiam quoque homini noxia euadere ſolent. Et vix ſatis eſt venatoribus carnes cuſpide venenata tactas abſcindere; nā vt venenum illud feras interimat, neceſſarium eſt profundius penetrare, & in vitalia ipſa. At quemadmodum in metallis, & plantis, ſic animantibus puoque venena ſunt eadem, & remedia. In exemplo Cantharides veniant, à quibus exordium ducimus: hoc ſanè norunt hi, qui eas ut extrema remedia calculo veſicæ laborantibus exhibent; ut & mille pedes, quæ ſpiritu vitrioli, aut ſulphure præparatæ, & adhibitæ in hydrope urinæ mouendæ gratia fidem credentis haud fallere ſolent. Dubitatum tamen video ad cantharidas quod attinet, an dum opus eſt, eædem integræ exhibendæ intus ſint? dubitat ſummopere Matthiolus, quia per ſe malignæ, etiam coxæ, inquit, admotæ, dum veſicam inferunt, vicedinem diu perſeuerantem relinquunt; adeoque inquietudinem ſummam, & vigilias ægris inducere ſolent, quod & ego etiam obſeruaui contra Sennerti ſententiam, qui nunquam id ſibi apparuiſſe profitetur. Attamen quia boni ſucceſſus experientia frequentior eſt, quia etiam mitigandi gratia grauiſſima ſymptomata exhiberi ſolent, earum vſus minime improbandus; quinimo nec internus omnino arcendus, qui multoties veteribus familiaris fuit, & vt minus noceant, exterius admotæ integræ vſurpari poterunt; & iuxta veterum pla- *Cantharides*

cita, corrigi poſſunt ſeminibus Ameos, & ſinapi in modica quantitate: ita nec nimis extenſa apponenda, lociſque vſurpandis à veſica remotioribus. An vero dum interius vſurpantur integræ exhibendæ veniant? affirmare videtur Hippocrates, qui libro de internis affectionibus eas cuidam ictcrico in vino albo exhibet, ἄνευ πτερῶν καὶ κεφαλῆς, item in libro de Natura muliebri ad menſes ſubſiſtentes cantharidas quattuor commemorat, ἀποκόψαντα τοὺς πόδας καὶ τὰ πτερὰ καὶ τὴν κεφαλὴν, & ſic etiam alibi. Arabes hunc ſequuntur, excepto Auicenna; cognouerunt enim veteres illi in alis, & pedibus ineſſe vim alexipharmacam, quemadmodum etiam Dioſcorides, cum quo Aetius, & Paulus, immò & Gal. ipſe 11. ſimpl. medicam. Facultat. ſe; cantharidibus integris vſum fuiſſe teſtatum reliquit; quamuis de compoſitione ſecundum genera in medicamento ad pſoram corpore tantùm vtatur: nihilominus in Com. 3. lib. de ratione victus in acutis medicum audacem ex Hippocr. ſententia, ignorantiæ coarguit, qui cantharidas hydropico, abiectis alis, & pedibus exhibuerat. Hinc exiſtimat Matthiolus idem dicendum de Arabum opinione in commento; ſed clara ſatis loco citato Hippocratis verba, & hic videtur Gal. ſenſu ſuo abundare potius, quàm

Lib.2.c.66. Hippocratico, quemadmodum & Matthiolus. Optimè meo iudicio rem determinat Saracenus in ſcholijs ad Dioſcoridem, intus ob veterum obſeruationem integras exhibere tutius eſſe; exterius corpus tantum, vel

Lib.29.c. utrouis modo. Plinius uſurpatas intus prodidit à Coſſino Equite Romano lichenibus laborante, medico Ægyptio iubente, tamquam opportunum ad id medicamentum; quo tamen interemptus eſt. Hodie quoque ad excitandam Venerem à Plateto in obſeruationibus memoratum; immo Paręus de quodam adoleſcentulo meminit, cui ſcortum, ut perenni tentigine proritaretur, cibos cantharidum puluere inſperſit, à quo ſatyriaſi inducta, ſanguineoque mictu, tum alijs etiam ſymptomatibus ſuper inductis, interijt. Vtcumque ſi interius uſurpandæ canthatides, parua doſi, & admixtis corrigentibus uſurpandæ. Interim eas Matthiolus exterius exhibet in uteri ſubſiſtentia pro menſtruis pelliciendis, ſed cum peſſis remollientibus, inquit Dioſcorides. Noui tamen ego mulierem quamdam genere Turcã, quæ ex harum in peſſis uſu, apoſtema uteri contraxit, à quo nunquam niſi cum profunda uſtione euadere potuit. Leproſis prodeſſe tradunt exterius admotas; quia ſimul cum ſcabie cutim corruptam exedunt; quam etiam cutem Arabes Empirici pro curanda lepra flatu introducto per fiſtulam, à ſubiecta pinguedine diducunt: de feris tamen lichenibus, aut impetiginibus cantharidibus ſanandis, de quibus Dioſcorides, eadem eſt ratio; ſed animaduertendum tamen ex eodem auctore, quod per carcinomata minime intelligendi ſunt cancri occulti Hippocratis; nam ſi maiores, non attingendi, vel potius tentandi exulcerati, ſi ignobili parte ſiti ſint: veruntamen calore ſuo attrahente ex illorum animalium uſu potius officere poterunt, & morbo incrementum addere. Igitur in quibuſdam caſibus eas tutò adminiſtrari poſſe docet experimentum, copulatis tamen ijs, quæ earum vitus infringunt. crediderim eas veteres adhibuiſſe ſemper aceto correctas; acida enim alia corrodentia potius ſunt, & ex ſulphure, ſale, vitrioloque potentiora magis, quam par ſit. Hactenus de earum in medicina

uſu;

uſu; nunc de his tamquam venenum conſideratis. Veneficas cantharides eſſe aſſumptas, & extra medicamenti aleam, ſi per dolum, aut incuriam ingerantur, ſuam virulentiam exercere varijs ſymptomatibus introductis,& ſæuiſſimis, palam fit; ſed peculiariter circa veſicam: quamuis quemadmodum circa illas partes, ſic etiam alibi, vbi adhæſerint vlcus, excitare valeant; hinc ſtomachi dolores, inteſtinorum tormina, dyſenteriæ, vrinæ ardor, & eius retentio, vel ſtillicidium, mictio ſanguinea, inflammationes, lipothymiæ, vertigines, deliria, ſyncopes, anxietateſque; immò & ſatis vehementes febres. *Cantharidũ ſymptom.*

Pini erucas venenata animalcula bombycibus ſimilia memorat Dioſcorides, quæ & nobis nota ſunt, & à Matthiolo in commento conſiderata, quæ non tantum aſsumpta nocent; verum & morſu, & à frictu pruritum ingentem excitant; in palato, lingua, partibus oris, & circa guttur dolorem, inflammationemque, & triſtem ventriculi, & inteſtinorum ſenſum; æſtum quoque magnum, & cibi ingens faſtidium. *Erucæ pini.*

Bupreſtes accedunt animalia Dioſcoridi cantharidibus parum diſſimilia, quæ & ſymptomata paria cantharidibus edunt; veſicæ tamen nõ adeò peculiariter infeſtæ ſunt, quemadmodum cantharides; licet & ipſæ urinã ſupprimere ſoleant: Corpus his aſſumptis inſtar tympani diſtenditur; hocque peculiariter ex ſe habent, ut ingeſtæ, quodcumque apponatur, odorem, & ſaporem nitri præſeferre videatur. *Bupreſtes.*

Salamandra animalium torpidiſſimum & ipſa noxium venenum exhibet; in aquis degit, & lacertis ſimilis eſt, cuius temperamenti natura ambigitur; Frigida tamen à pluribus creditur, quia valde humidum animal, quia in motu torpidum, quia hyeme deliteſcit, quia neque generat, nec ſexus diſtinctionem, ſi Plinium conſulamus, habet; quia ſuo veneno torporem excitat; horrorem, mentiſque, & rationis impedimentum; quia ſecundam Auicennam, vt Opium curatur, quia igne, teſte Nicandro, Quinto Serenoque,& Plinio loco citato; immò vel ipſo Ariſtot. cui obijcit Matthiolus, quod ἀλόγως ſcribit in fornacibus Cyprijs ærarijs in medio ignis animalia naſci, & per ipſum ignem ambulare, & ſaltare. Contrà tamen & calidiſſimam eſſe ſalamandram aſſerit Dioſcorides lib. 2. cap. 87. idque ex effectu inflammandi, erodendi, exulcerandi, exedendique; quia contra temerè contrarium credentium, igne comburitur, cui ſubſcribit Galen. lib. 3. de Temperam. & lib. 11. de medicament. ſimpl. qui combuſtæ puluere vtitur; immò Plin. cap. 29. combuſtam vidit: his conſentit Saracenus in ſcholijs lib. 2. & 6. Dioſcoridis. Poſterior hęc ſententia verior eſt; nec obſtat, quod in contrarium adducitur; nam quod actu humidum eſt, calidiſſimam etiam eſſe poteſt; quia tarditas motus, vel frigidum tantum cerebrum, vel diſcuſſionem ſpiritus animalis oſtendit; quia etiam calida animalia deliteſcunt, & ſalamandra etiam æſtate; quia ſymptomata, quæ excitantur ex ea, liquata ab eius calore, fuſaque pituita oriuntur; quia Opium temperamenti calidi potius, licet ſomnum inducat; quia neque Alexipharmaca temperamenti conditione ſingulari iuuant, ſed à propria forma, ſiue, vt aiunt, propria ſubſtantia; quia non comburitur excitato leui igne à rara materia, adeoque inerti; & hoc conſequitur ob cutem vntuoſam, & per *Salamandr.* *Lib. 5. de hyſt. animal. cap. 19.* *Lib. 2. com. cap. 56.*

quam

quam humidi plurimum tranſudat; comburitur tamen valido igne; Ariſt. autem loco cit. refert ſimpliciter animalia γίνεσθαι ἐν τῷ πυρὶ, non ardente illo, ſed proximis fornacum partibus concepto κατὰ τοῦ πυρός διαδέξιν καὶ πηδᾶν, quæ experimur etiam circa furnos hypocauſtorum. Ergo incautè nimis Matthiolus ſequitur interpretes Ariſtotelis, & Tridentinas fornaces Cyprijs malè opponit. Symptomata huius veneni à Dioſcoride referuntur; ſuntque (dummodo inſtantanea mors, ea ipſa nō præueniat) linguæ inflammatio, & aliarum partium, tremor cum horrore, & torpore, deliriumque, deficiunt ſenſus omnes, parteſque corporis aliquæ liuore tetro circumfunduntur, & ſaniem fætidam promentes defluunt mortificatæ; & ſi diutius venenum perferatur, adhuc vitæ veſtigio remanente, corpus tumidum euadit, capilli, pilique defluunt, & tandem ſyncope extrema corripiuntur.

Lepus marinum.

Non terra tantum animalia pluribus hominibus infenſa, noxia que generat; ſed etiam mare in ſua latitudine multa ſimilia includit: Inter hæc lepus marinum, animal procul dubio veterum monitu, & experimento recentiorum venenum euadit non ſolum aſſumptum intra corpus, ſed etiam ſolo aſpectu diffuſis atomis venenatis, quo nomine abortum fœminis inducere Plin. fatetur lib. 32. cap. 1. nauſeamque, & alia ſymptomata etiam hominibus ſolo viſu Rondeletius prodidit; numquid peculiari delectu pulmones primo infeſtet, erodatque Gal. faſſus eſt contra ſophiſtas. Dioſcorides tamen, & cum eo Aetius, & Paulus de primaria huius partis læſione nec verbum quidem habuere, nec Plin. ipſe, ut idem flocci fecerit Rondeletius hiſce auctoritatibus permotus: Teſtimonium tamen Gal. utcumque, & quomodocumque valeat; hoc notum fuiſſe Galeno, & experimento cognitum facilè crediderim; nec inconueniens eſt dum cantharides præcipuè veſicæ aduerſari videmus, & cerebrum hyoſcyamum petere ex delectu; ita etiam credamus leporem marinum pulmoni infeſtum eſſe poſſe. Symptomata varia ſunt ex leporis marini hauſtu, ſatiſque ſæua; nam qui leporem marinum comederint piſculentum odorem, viroſumque ſaporem in ore perenniter percipiunt, immo olent; his venter inſuper dolet, & corpus totum fœdo colore, veluti ictericis aſſolet, perfunditur; qui color mox ad plumbeum vergit: tumor inde faciei, extremarumque partium, & pudendorum; multoties urina ſupprimitur, & dum redditur cæruleum colorem primò, mox ſanguineum æmulatur; ſumma nauſea excitatur, & bilioſorum euomitio ſanguine remixtorum ſuccedit: Piſces omnes auerſantur præter chamas, quæ antidotum veneni eſſe perhibentur.

De Piſcib. lib 17. c. 11.
1. de medic. compoſ. sec. gener. 1.

Torpedo marina ſtatim à lepore marino.
6. de loc. affect. 5.

Lepori marino marinam torpedinem adnectunt, mirabili vi hominem afficientem, & torpidum, & veluti ſideratum ea parte, qua virus attingit, reddentem: vis eius venefica ſpiritalis eſt, & tanta, vt Galeno aſſertore, per haſtam, & fuſcinam, qua tentatur à Piſcatore, virus emittat ad brachium vſque, quem repente ſtupefacit: idem facit reti incluſa per funiculum, aut hamo infixa. Afficit eadem torpore etiam, ſi Ariſtoteli credimus, piſces circumſtantes, vt eſcam facilius ſibi paret: numquid per atomos venenum diffuſum ad piſcatoris manus perueniat? an potius prout ſonus ad aurem? res conſideratione digna eſt: affirmat eſſe ſubſtantiam Rudius; negat Sennertus: at Rudij rationes, me iudice, maioris momenti ſunt, vt faci-

9. de hiſtor. anim. c. 37.
Lib. 4. de morb. occult. cap. 15.

facilius perſuadeat tenuiſſimum vaporem, & auram deferri, vt alibi etiam de hoc autumaui. Venenum torpedinis ſe prodit eo, quia non tangentis tantum manus, ſed inde etiam totus corpus hebetat, & pigrum reddit, tremorem excitat, & ſegnitiem ad motum; viribuſq; tandem vniuerſalem languorem introducit. Sunt qui leporis marini, & torpedinis veneno, vt expleant, quæ à piſcibus venena hauriuntur, accenſent Paſtinacæ marinæ venenum, ſcorpionis, draconiſque marini, caniſque piſcis fellem; at cum hæc venena non tam obnia hominibus ſint, & Sennertus de his ſatis accurate agat; conſultius duxi eorum recenſionem prætermittere, & ad terreſtrium animalium venenatorum cæterorum cenſum producendum accedere.

Bufo, ſiue Rubeta quamuis etiam quandoque morſu lædere valeat, ſi Sennertum conſulamus; eius tamen virus pollet præcipuè halitu, & ſaliua, vt de ſaluia hiſtoria nota, quam confirmabat & Aetius; immò & eius ſanies venenum eſt, ſi transfixus intereat, tunc enim prætereuntes venenatis atomis inficere refert Poncetus, & Ardoinus. Venenum igitur huius animalis quoquo pacto in corpus ſeſe ingerat, idem in tumorem attollit, & vniuerſum pallore inſpergit; fætet os, oculi vertigine tentantur, difficultas reſpirationis inſignis ſuperuenit, & extremitates ita calore feruidæ redduntur, vt inflammatæ videantur: adeſt febris non leuis, & quandoque dentes, & pili concidunt ſponte; & quod mirum videtur, huius animalis veneno infectus ſemen profundit: ſyncopes tandem ſuccedit. *Bufo ſiue rubeta.* *Tetrabil. 4. ſerm. 1. c. 63* *Lib. 3. c. 12.* *Lib. 4. de venen.*

Hirudines quomodo quandoque ex accidenti venenatę euadant, quamuis in bonum cedant uſum medicum, norunt ij, qui ſtatim atque eas venati ſint, in uſum reuocant, antequam diutius purgari in aqua limpida ſæpius renouata ſinant: non purgatæ enim morſu venenato liuidum ulcus excitāt, quod quandoque in cangrenam cedit; quod ſuccedit ſiue exterius affigantur, ſiue cum aqua illa cænoſa, ubi natura degere ſolent, combibantur, & gutturi, ori, aut ſtomacho affigantur, quorum noxæ oculis patebunt prout in Meſſalino conſulari viro, quem interemptum fuiſſe aſſerit Plinius admiſſis ad genua hirudinibus; quod ſi ingeſta in ſtomacho immorentur, ſucto dolore in ea parte, & ſanguinea reiectione ſe patefacient. *Hirudines.*

Sanguinem veneni naturam contrahere, ſi putreſcat, notiſſimum eſt, ita & manifeſtum menſtruum illum fœminis familiarem ſanguinem quandoque venenatæ conditionis eſſe; quod pernicioſiſſima quandoque ſymptomata ab eodem excitata patefaciunt: hocque conceſſum, ſi diuinæ legis cautio circa ipſas menſtruatas conſideretur, ſi Heſiodi auctoritas, necnon Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni, Plinijque, dum nocere aſſerunt, non animalibus tantum, ſed plantis, ebori, ferro, ſpeculis, viroſo ſuo halitu inficiens: non eſſe tamen venenum conuincit auctoritas Gal. Hippocratiſque, quia habet cauſam materialem efficientem; immo eandem cum cæteris ſanguineis partibus officinam, & reliquo ſanguini communem; quidquid garriant Nouatores negantes iecur ſanguinem generare: eaſdem etiā venas cum cæteris, in quibus ſeruatur; ſed etiam, ſi finem ſpectemus, quia finis eius tum fœtus nutritio, tum lactis generatio, quia neque à conceptione ad partum uſque, quamuis meliore parte à fœtu aſſumpta, acciden- *Sanguis Menſtruus.*

tia

tia veneno ſimilia producit; nec per aliquos menſes, aut annos ſæpè ſuppreſſus. Et ſanè hæc ſententia probabilior eſt; nec obſtat diuina auctoritas, quia ibi cum coitus cum menſtruatis prohibeatur, potius ad ſuadendam eſt temperantiam, puritati corporis, & animorum coniunctam. Auctoritas verò medica interpretanda, quemadmodum & experimenta, illum vel in venis, vel in vtero prauis humoribus mixtum in muliere biliosa, aut melancholica, vel extra corpus, & venas concretum illas affectiones malignas inducere, vt eo aſſumpto homines veluti amentes & melancholicos, aut quandoque leproſos reddat, vt aſſeritur; alioquin vt menſtruus, nihil maligni in ſe continet.

Sanguis Taurinus. Taurinus ſanguis & ipſe inter venena à pluribus recenſetur; eo namque hauſto interemptum aſſerunt & Midam, & Pſammetichũ, hunc Ægyptiorum, illum Phrygum Reges; & Themiſtoclem quoque illum Athenienſium egregium ducem volentem hoc ipſo ſanguine mortem ſibi accerſiſſe. Exi- *De ven. lib. 2. cap. 10.* ſtimat tamen Greuinus, & cum eo Rudius, de ſe haud venenum eſſe, ſed ex corruptione tale euadere; quod forſan magis rationi conſentaneum videtur; quamuis noxa non tam in coagulationem, quam in corruptionem referenda, quę à calore ventriculi vinci nequeat. Sanguinis taurini ſigna ferè eadem cum fungis ſunt, reſpirationem difficilem facit, & difficilem deglutitionem; habent circa os ſpumam, quæ copioſa reijcitur; accedit nauſea, deinde vomitus, deliriumque occurrit, & epilepticorum ſymptomata. Sanguinis naturam venenatam utcumque contrahunt piſces, carneſque in locis humidis animalium diu aſſeruatæ, aut morbo mortuorum, & ſuffocatorum, vel fulmine, aut veneno: quod eodem prorſus modo intelligendum eſt, quod e ſanguinis taurini veneno. Venenatæ tamen carnes, aut fulmine tactæ, aut putredine ſumma ſcatentes, virus præſentiſſimum multoties præſeferunt, ob excellentiam putredinis in iſtis, & in illis ob participationem virulentiæ.

Lac Coagul. Lac quoque coagulatum in ventriculo veneni naturam induere multi exiſtimant, & Dioſcorides admittit; quamuis Sennertus ſerio aſſerat lac coagulatum numquam interimere, & proinde verè venenum non eſſe. Per lac tamen coagulatum in tali ſenſu intelligendum eſt illud, quod coaguli viribus imbutum, nondum tamen concreuit; quod enim in coagulum coaluit, paſſim editur ſine nocumento: per accidens tamen etiam ſimplex lac noxam inferre ſolere, & ſtrangulationem aſſerit Matthiolus, ſi aſſumptum à calore inſigni ventriculi, & circumſtantium viſcerum tota eius humiditas abſumatur, ut inde ei accidat coagulatio; quod etiam à frigido validè humiditates eius lactis exprimente, ut inde in caſeum coaguletur fieri poſſe fatetur Ariſt. 4. Metheor. ſed tamen quæ fit in lacte coagulatio, à frigido fieri non poſſe videtur, quia Ariſtoteli 3. de hiſtor. animal. cap. penultimo coagulum eſt lac habens ignem, non à calido; item quia concretum lac ab eius coaguli vi, exigua quantitate impoſita, non patitur notabilem tum humidi, tum ponderis ſui mutationem: Chimici ad ſalem, proximum concretionis auctorem confugiunt in coagulo conſideratum, quo partes in lacte ſimiles coguntur; & ſic aliam coagulationis cauſam afferunt. Eſt igitur quædam terrea ſubſtantia in coagulo à calore elaborata, & attenua-

Sa

ta, qua mediante partes ſui ſimiles in lacte ſiſtit, non ſine exſiccandi vigore; quam qualitatem conſiderabat Ariſtot. tamquam neceſſariam dum ſanguinem febris carentem, non concreſcere dicebat, quia non ſiccatur; & ſic concretionem quoquo pacto exſiccationem vocabat. Sed dignum animaduerſione eſt, cur ad lac coagulatum diſſoluendum coagulo vtatur Dioſcorides, ſal vero ab eodem prohibeatur? Reſponderi poteſt, quod exiguum coaguli, tum ſalis, immò & aceti, dum inſitum lacti, & partibus terreis non abſtrahit, incitat ſerum ad concretionem: at multum coaguli, aut ſalis, aut aceti dum inſitam terreſtrem lactis partem attenuatam per calorem ſalis æmulam à terreis abſtractam naturali ſympathia ſibi iungit, diſſolutionem concretorum efficit. Ex lacte in ventriculo coagulato dolor, & anxietas occurrit, inde ſpirandi difficultas, pulſus ſunt exiles, multoties apparet delirium, inde & lipothymia, & ſyncopes, & à quibus ſuffocari videntur.

Inter venena connumerantur quorumdam animalium fel. Fel enim Plinio lib. 11. cap. 37. communiter peſſimi ſanguinis purgamentum dicitur: Bubulum etiam venenatum aſſerit lib. 28. cap. 9. quidquid tamen horum ſit, peſſimum ſane eſt fel pardi, quod in minima quantitate datum interimere tradunt. Viperæ quoque, addunt etiam Canis piſcis, quod octo dierum ſpacio intcrimere valeat; ſic & felleus ille liquor, qui in extremo caudæ cerui reperitur apud Auicen. quorundam etiam fellium fel creditur, & tamquam notum circumfertur. *Fel venen.*

Fel Pardi aſſumptum eſſe dignoſcitur ex vomitu ſtatim occurrẽte amariſſimæ, & croceæ bilis, vel porraceæ, totum corpus icterici inſtar perfunditur virore; odor peculiaris quaſi ex Aloe prodiens, qui inde & nares petit: ſymptomata interim omnia occurrunt, quæ Napelli veneno tribui ſolent. *Fel Pardi.*

Viperæ fel ſyncopem inſtantaneam efficit; vt inde mors in proximo ſit; niſi ſtatim æger curetur; quod tamen difficulter ſuccedit. *Fel viperæ.*

Aſſumpto felle canis piſcis feminis profluuia ſequuntur, uniuerſaliſque ictericia; ſic & odor piſculentus, & grauis. *Fel piſcis Canis.*

Liquor felleus in extremitate caudę cerui ſi aſſumatur, dignoſcitur, quia corpus liuido colore fœdatur, venter tumet hydropicorum more, ingruũt frequentia animi deliquia, & oris internæ partes inflammantur. *Liquor in cauda cerui.*

Animalium quoque ſudores in hominum noxas conſpirare experimenta non ſemel comprobarunt; nec mirum, cum excrementum ſit, & à natura exploſum, & omnino ineptum; ſed magis noxium equorum perhibetur; quinimo & mulorum, & aſinorum ſi ingeratur. Ingeſtus igitur ſudor horũ faciei tumorem, totiuſque corporis excitat, necnon fædum colorem ad viridem vergentem; ſub axillis ſudor multus, & fætidus promanat, & imus venter flatibus turget, murmuratque, & fauces quoque ita arctantur, ut ægri conquerantur, quaſi manu compreſsæ ſint. *Sudores Animal.*

Sed quid plura? unguium reſegmina etiam homini ſi aſſumantur venenum euadunt, quod non tantum de brutorum, ſed de rationabilium uſurpatur, quæ combibita choleram, & huius ſymptomata excitare valent. *Vnguium reſegmina.*

Horum omnium venenorum curatio ex uniuerſalioribus primò, prout in alijs venenis aſſumptis petenda, & inde particularibus antidotis mox

dicendis perficienda.

Cantharid. propria antidota.

Opponimus cantharidum veneno emplaſtica, & alia ſimilia pro vomitu ciendo, tum clyſteribus eadem, inde & lac copioſum ſummopere prodeſſe apparuit per os ſumere: idem præſtabit ſemen lini, radices altheæ, decoctum, & mucago; nec inutiliter etiam hæc iniecta Catetere intra urethræ cauitatem: Præter hæc proderunt ius pingue, oriza, & hordeaceum pulmentum pinguibus remixtum: Lactuca, portulaca, malua, plantago, & ex gummi tragacantha', mucilagines: ſed quæ peculiariter huic veneno aduerſantur ſunt pulegium, & terra ſigillata; Balnea quoq; commendantur, & inunctiones ardorem, & æſtum mitigantes, omnes ex refrigerantibus confectæ.

Erucarum Pini alexip.

Pini erucis extinguendis noxis occurrimus emplaſticis tam per os aſſumptis, quam iniectis per clyſteres uniuerſalioribus, ut virus remedijs proprijs, vel vomitu excitato, vel per ſedes extra educatur quam citiſſimè, prout vel ſtomachum, vel inteſtina obſederit. Ob id & lac commendatur caprinum, & oriza, & emulſiones ex ſeminibus frigidis, aqua hordeacea exceptis. Inde particularibus antidotis expugnandum. Cæpa trita aceto per ſe perfricata partibus; magis conducet ſi ruta miſceatur, & aptetur cum ſale: ſed præterea conueniunt cacalia, terra lemnia, coraliaque rubra præparata cum mucilagine ſeminum cydoniorum.

Bupreſti veneno oppoſita.

Bupreſtis veneno aduerſamur his omnibus remedijs, quibus ſuperamus cantharidum venenum: Dioſcoridi peculiare remedium eſt ficus aridi, pirorum genera, & dactyli; utiliter etiam exhibetur lac, & perſeuerante virulentia, ſudor etiam proliciendus.

Salamandr. virulentiam expugnantia.

A Salamandræ veneno infectis opitulamur ſcarificatione circa locum morſu impetitum, ubi omni ſtudio aliciendum venenum. ſi ſaliua propinatum fuerit, vomitu reijciatur, inde antidota utrobique uſurpanda erunt, præſertim illa magna, Theriaca, & Mithridatum. Prodeſt galbanum melle illitum, aut ſumptum in reſina pini, chamæpitys folia, & decoctum, foliorum etiam cupreſſi, immo & urticæ ſemen vino exhibitum: Aromata non improbanda veniunt, nec vini meracioris potus, nec lactis vaccini calidi exhibitio.

Marini Leporis venen. contraria.

Marini leporis veneni peculiaria antidota ſint reſina cedri arboris cum vino; mala quoque, ſed præſertim punica proderunt ſuperbibito hauſtu plantaginis aquæ, in qua contabuerint dipſaci, calaminthæque montanæ folia. Plinius offert altheæ decoctum ſi vomitu ſæpius reiciatur, ut forſan ſic virus facilius, & felicius extrudat: Commendatur lac aſininum, ac bubulum, utpote quod pulmonibus exaſperatis leuitatem indat: Sic paſſum cum malua decoctum commendat Dioſcorides, præter lac aſininum, & eidem probatur radix cyclamini trita, aut hellebori nigri cum vino, ſic & ſcamonij gummi; quinimo idem Dioſcorides propinat calentem ſanguinē anſerinum, qui & ab Aetio laudatur. At ſanè huic nulla euidens qualitas, qua aduerſari huic veneno dicatur; niſi propriè alexipharmacum eius credamus. Piſces aduerſari veneno eodem infectos tradunt omnes, præter fluuiatiles cancros, qui peculiariter huic veneno aduerſantur; cum in piſcium abominatione, qui tali veneno ſubijciuntur, euſque permaneant, donec virus omne ſuperatum fuerit, cuius victoriæ ſignum certum habe-

mus

mus piſcium in cibis indeterminatam electionem,& eiuſdem eſum,ut Dioſcoridis verbis utar, amare potius, quàm auerſari. ſed quod mirum eſt, & quandoque notum in natura venenum iſtud utile quandoque euadit, quam uis noxam inſignem corpori indat ſua virulentia; nam hoc eodem ſtrumas ſuperari tradit Plinius, ſi ſæpius parti apponatur, remoueaturque antequam ulcus inducat.

Torpedinis veneno inſultat inter vegetabilia ruta, ſic & abſynthium, lauri folia, gentianæ radix, & horum decoctio in vino, ſic ſemina urticæ, dauci, & naſturtij commendant, cum nigri piperis granis, & modico caſtorei cum meraco. Ælianus laſerpitium proponit tamquam remedium, quod etiam manu detentum venenum ipſum torpedinis etiam irritum reddat; mullum quoque piſcem torpedinis venenum ſanare auctor eſt Aphrodiſienſis Alexander; membri ſtupiditati conſulunt inunctiones oleo nardino, de caſtoreo, de lateribus factæ, rutaceo oleo, camomelinoque iunctæ ſic picationes ex pice, ſic fomenta ex vino generoſo, in quo ebullierint ſaluia, calamintha, hypericum, camomelum, ruta. Vtiliſſima quoque inter compoſita medicamenta erunt Theriaca, & Mithridatum cum vino meraco: quod ſi addatur abſynthium, magis præſtabit. *Torpedinis veneni antidota.* *Lib. 5. cap. 37. de hiſt. animal.* *Problem. initio.*

Bufonis, ſeu rubetæ aduerſatur veneno præmiſſo vomitu, & copioſo ſudore in Balneo, nec non valido exercitio imperato, Theriaca, & Mithridatum in vino abſynthite, & rutæ decoctione validiore reddito; vinum etiam generoſum copioſe ſumptum perhibet antidotum peculiare rubetæ à balneo: laudantur ſpecies dialaccæ, diacurcumæ, diarhodonis Abbatis, trociſci de rhabarbaro, de abſynthio, de eupatorio, ex quibus fieri poterit etiam electuarium: ſunt qui commendent ſanguinem teſtudinis exhibitum cum coagulo leporino, cum cumino in vino generoſo; ſic Mithridatum, & Theriaca confert eodem modo ſumptum; ſed tribus continuis diebus. Conciliator ægrum laudat includi exenterati muli in ventre, donec calor eiuſdem muli perdurauerit, deinde iubet in alterum imponi, & ſic toties, donec virus ſuperetur. Quod experimento optimum fuiſſe apparet in duce Valentino Alexandri VI. Pontif. Max. filio, qui venenato poculo, quod alijs parauit, ſibi intulit, ſuo damno, & panis interitu, qui nulla arte mortem euitare potuit; licet ipſe Valentinus tandem euaſerit, prædicto remedio uſus. Quod ſi Bufonis ſaliua venenum inflictum ſit in aliqua parte corporis; illa pars abſtergitur aqua ſalita, & urina humana, quam partem poſtea inungimus oleo vitelli ouorum, aut roſaceo. Antidotum ſingulare eſſe tradunt lapidem in capite bufonum exiſtentem. *Bufonis Alexiphar.*

Hirudinum venenatarum morſibus (ſi Sennertum conſulamus) occurrimus folijs lauri, vel centaurij contuſis in vino, vel factis ex his cataplaſmatibus, additis caſtoreo, ruta, galbano, maiorana cum oleo veteri; morſui proderit quoque agrimoniæ folium tritum, & impoſitum. liniri poterit etiam ulcus ſanguine teſtudinis marinæ, oleo de pyretro, & coſtino: quod ſi per incuriam deglutitæ adhuc adhæreant faucibus æſophago, aut ſtomacho; collutionum vi à faucibus deijciantur, gargariſmatibus paratis ex allio, ſinapi, ſale, acetoque præcipuè paratis, vel alijs acribus ſuccis. Verum ſi ventriculo, aut internæ gulæ partibus infixæ ſint, quod apparebit ex ſenſu *Hirudinum virulentiam ſuperantia.*

ſu ſubtus, bibita muria, vel aceto eas remouebimus: Felicius id ſequitur ſi aloe ſuperaddatur, inde blando vomitorio vomitu excitato, facile extrudentur. quod ſi unà ſanguis euomatur ab eroſione animalis emanans, ſiſtendus aſtringentibus pulueribus, ſymphiti decoctione, milleſolij, veronicæ, nucum cupreſſi, burſæ paſtoris, plantaginis, & ſimilibus: ſuperanda deinde earum relicta malignitas in vulnere decoctione abſynthij, pimpinellæ, gentianæ, radicibus capparum, & ſimilibus.

Sanguini menſtruo qui occurrunt alexipharm. Sanguinis menſtrui diram virulentiam oppugnare tradunt margaritarũ puluerem exhibitum aqua meliſſophylli; at Conciliator valentius operari tradit, tamquam huius virulētiæ antidotum peculiare, trociſcos viperinos; ſic & vinum meliſſa infuſa alteratum; laudantur antidota magna, & ſemen caulium, & leporis coagulum: aſſeritur quoque veneno huic infectis balneum uniuerſale ſummopere conducere.

Taurinum ſanguinem epotũ curine. Taurinum ſanguinem calentem hauſtum curaret, præter vomitus ciendi debitam aduerſionem, (dummodo non immineat ſuffocationis metus ob nimiam eius concretionem, in quo caſu vomitus deſpicitur) remedia, quæ conuertuntur ad ſanguineum grumum diſſoluendum: hocque perficiunt aceroſa omnia; & præter hæc, ad id diriguntur, mumia, coagulum leporinum, hædique, radices gentianæ, laſerpitij; ſic laudatur coniza, & braſſicæ ſemen cum pipere, & nitro: quibus remedijs interim diſiecto ſanguine à coalitu, vel per vomitum blando vomitorio, vel per ſeceſſum clyſtere deturbandus; non deſpectis interim ijs, quæ malam ſanguinis contractam qualitatem reſpiciunt; qualia ſunt terra ſigillata, radices tormentillæ, bolus armenus. Pro potu paretur hydromel cum ficubus; poteruntque aſſidue comedere ficus ipſas aceto imbutas.

Lactis coagulati antb. Lactis coagulati noxis corrigendis, & compeſcendis, & ex eo illatis iniurijs corpori humano deſtinantur primò omnia diſſoluentia, prout ſupra dictum eſt de concreto ſanguine tauri; addunt acetum ſcilliticum, vel ſcilliticum oxymel; ſic addi poterit menthæ ſuccus, ſic & ficus; commendatur lac cum aceto, & artemiſiæ decoctum, & baccarum iuniperi, & thimi ſolia, & naſturci; ſic & coagula omnia animalium, Aetio teſte, lactis grumos diſſoluunt: Quibus diſſolutis vomitu procuretur eorumdem reiectio parato blando vomitorio cum decoctione ſeminum aniſorum, fæniculi, & florum camomeli, cum ſimplici oxymelite: quod ſi lac ad inferiora deſcenderit, clyſtere educendum, & deinde uſurpanda ea, quæ ſtomachum roborare valeant, prout in veneno taurini ſanguinis.

Fellis particularia alexipharm. Fel Pardi epotum tamquam venenum præſentaneum, ſtatim ſuperandum uniuerſalioribus primò remedijs, vomitu præſertim excitato, dum eius aſſumpti ſigna apparuerint, inde utendum antidotis peculiariter eidem aduerſantibus; & ſunt ea omnia, quæ napelli veneno ſuperando aptantur. laudat Auicenna particulare quoddam antidotum confectum ex baccis iuniperi, terra lemnia, capri coagulo, myrrha, ruta.

Viperæ felli oppoſita. Viperę quoque felli deleterio veneno, & præſentaneo remedio, uniuerſali, & frequenter exhibito pro vomitione excitanda particularem ſubſtituunt Theriacam, & Mithridatum, confectiones, & alias quoque ſimiles moſcho, & ambra refertas. Tradunt auctores vaccinum butyrum, præ-

miſſis vniuerſalioribus, ſæpius exhibitum ſummopere conferre pro expiatione fellis canis piſcis: Valentius operabitur ſi gentianæ decocto immiſceatur, adhuc magis proderit ſi eidem decoctioni cinnamomum addatur. Addit Matthiolus coagulum leporinum; interim corpus totum odoratiſſimis vnguentis, & gratiſſimis perfundendum, quod tamquam ſingulare remedium proditur.

Felleum liquorem illum venenatum, qui in extremitate caudæ cerui reperitur ſuperamus, ſi vomitu prius excitato, blando vomitorio decoctione anethi cum butyro copioſo, vel oleo amygdalarum dulcium, Theriacam adhibeamus tamquam peculiare remedium huius veneni; ſed magis peculiare creditur ſmaragdus in puluere exhibitus, nec non coralium: piſtaciæ & nuclei pinei exedenda veniunt opportunè, corpuſque inungi proficuè exiſtimatur oleo rutaceo, vel ſeminum lini. *Caudæ cerui venenatum liquore expugnantia.*

Cum à quibuſdam non ſine ſenſato experimento cerebrum felis animalis inter venena recenſeatur; opportunè etiam eidem occurremus detruſa prius virulentia uniuerſalioribus remedijs, & vomitu, præſertim dum terra ſigillata vomitorijs miſcenda venit, quæ etiam tamquam antidotum propinanda repetitis vicibus, dummodò ſe prodat venenum ſignis ſupra enarratis; interim diamoſchi ſpecies opportunæ cenſentur, quemadmodum, & moſchum per ſe ſolum exhibitum. *Cerebri felis venenum ſuperantia.*

Sudor animalium, cum noxas inferre veneni inſtar dicatur habere, præter uniuerſalia, particularia etiam ſua antidota comperimus. Vomitu igitur ſæpius excitato cum hydromelite, & butyro cum modico ſalis gemmæ in rotundæ ariſtolochiæ decoctione, & oleo roſaceo vomitorio remixto, vinum tamquam antidotum exhiberi poterit cum rhabarbaro, vel mel roſaceum cum ſale foſſili: Commendatur ſeri uſus, & electuarium ex pluribus paratum, ut ex bolo armeno, terra ſigillata, baccis lauri, rutæ folijs, & myrrha. *Animalium ſudoris antidota.*

Vnguium reſegmina tandem veneni loco venientium ſuperantur non vomitu quidem, quia vomitus peſſimum ſymptoma huius veneni eſt perniciofum, ſed epicerasticis, ſi ad uniuerſalia quod attinet, reſpiciamus; exhibebimus lac recens, & butyrum, oleum oliuarum, & amygdalarum dulcium, ius pingue, ſerum vaccinum, ſiue caprinum: abſterſione inde opus eſt, aqua hordei cum ſyrupo roſaceo, vel violaceo ſolutiuo, aqua mulſa cum ſyrupo maluarum: Probantur inſuper clyſteres ex decoctione maluarum, violarum, radicum altheæ ſic, & lacte. Probantur mucilagines pſyllij, ſeminum cydoniorum, & radicum altheæ: inijci, ſumique poterunt olea ex his parata, & oleo amygdalarum dulcium, amararum, oleum etiã remixtum pro validiori abſterſione, & ab irritamento inteſtina vindicentur. Et quoniam ex vi ſymptomatum vehementium ſtomachus, & inteſtina imbecilla reddita videntur; hæ partes tandem corroborandæ veniunt maci, myriſtica nuce, ſigillata terra, & armeno bolo, conſerua roſarum antiqua, miua cydoniorum, ſyrupo de roſis ſiccis, de mentha, radicibus tormentillæ: fomenta quoque parari poterunt ex herbis ſtomachum roborantibus, & inteſtina; abſynthio videlicet mentha, origano, pulegio, & ſimilibus: quæ partes à fotu inungi poterunt oleo maſtichino, de abſynthio, *Reſegminib. vnguium oppoſita antid.*

thio,

thio, de mentha, & ex nuce moſcata expreſſo, aut apponi poterit ceratum maſtichinum: quod ſi ſtomachi ſubuerſio contumax ſit, ad emplaſtrum de cruſta panis confugiendum, vel de baccis lauri.

De Venenis extrinſecus illatis.

CAPVT XLI.

An ſerpentes calidi, vel frigidi temperamenti ſint definitur cum Auicenna.

TRactatui libri ſexti Alexipharmaei dicti ſequitur Theriacus ordine medicamentorum, & remediorum ob externum impetum cauſarum diuerſus; ubi admonet Dioſcorides in promptu debere eſſe remedia, quæ dum differuntur, ob ocyſſimam perniciem venenorum, & fruſtatoria, & omnino inepta euadere ſolent, ſi virulentia illa ſumme lethalis corpota corrumpendo occupauerit. fruſtrà interim arguunt quidam, qui minimè probant hanc de venenis librorum diuiſionem, aſſerentes unicum eſſe librum, ſed à verſoribus diſſectum in plures; ideò incongruum, aiunt, multiplicari partes artis medicæ ad unum directas ſubiectum: attamen nec plane inutilis hæc diuiſio à quocumque tandem facta fuerit, cum ad docendum directa ſit. Liber quidem unicus eſt, dum venena omnia comprehendit, ſed in duos tractatus commodè diſpertiri poteſt, quia non implicat multiplicari partes artis medicæ pro diuerſitate ſtatus corporis naturalis; quia vis venenata non eſt ſimpliciter una, tum quia hæc inhæret inflicta materiæ, ſiue ſubiecto communicata; tunc enim habet rationem cauſæ continentis, cum iam in corpus diffuſa. Imprudenter ſatis interim Matthiolus de præfactionis obſcuritate ignorantiam Logices obijcit Marcello; nam etiam Saracenus fatetur in ſcholis Theriaci libri textum ipſum eſſe ſatis corruptũ; licet dicat librum de venenis Anazarbei Dioſcoridis non eſſe, nos tamen credimus, ut aliàs etiam innuebamus, eſſe eiuſdem auctoris opus genuinum: Nam præter rationes omnes alibi adductas, quemadmodum & cæteri libri, ſic etiam iſte Arrio inſcribitur. Cæterum utcumque res ſit, extrinſecus oblatum venenum, vel morſu, vel ictu, vel humore, flatuque inductũ homini communicatur. Morſu præcipuè lædunt ſerpentes, de quorum temperamento Gal. & Auic. planè diſſentiunt; ille frigidum autumat, tum lib. 2. de Temperamentis, tum libro de morum cum temperamento conſenſu; cui etiam conſentit, & Albertus, & ante ipſum Plinius ab Ariſtotele forſan edocti: hic calidum affirmat lib. 4. Fen 6. tract. 3. cap. 1. Pro Gal. ex recentioribus ſtat Mercurialis, qui frigidam eſſe Viperam, immo ſerpentum cœtum mordicus tenet; quia parum habent ſanguinis; quia etiam pauciſſimo utuntur alimento, quia vino, & alijs calidis delectentur; quia glabro ſunt toto corpore; quia per hyemem deliteſcunt; quia in commorſis à ſerpentum dentibus horror, & rigor excitatur. Reſpondent tamen Auic. ſectatores, quod licet angues ad tactum quidem frigidi videantur, hoc non ſatis concludit; habent tamen tantum caloris nihilominus, quantum ad eorum naturam ſatis eſt; nec alimenti quantitas exigua, quod percipiunt

cipiunt frigiditatem neceſſario arguit, non caloris ubertas arguat alimenti aſſumptionem; ſed naturæ eorum hoc debeatur; immo & locorum diuerſitas, varietaſque, in quibus animalia degunt, inſpectanda. Quod ſi Hippocratem obijciant pueros ob caloris copiam plurimo indigere alimento; de creſcentibus, loquitur vir ſummus, non verò ſimpliciter: In Arabia enim equi, cameli, capreoli, & huiuſmodi alia animalia non frigida pauciſſimum cibi, & potus ſumunt. Sic Viperæ, & ſerpentes vinum non expetunt per diſſimilitudinem temperamenti; ſed potius per ſimilitudinem naturæ, eoque delectantur. Quod & ipſa animalia tactu frigida apparent, ſæpè ſæpius externum frigus interni caloris inditium eſt. Glabri ſunt, at eorum hoc naturæ conuenientius erat. Deliteſcunt per hyemem, etiam ſalamandra, crabrones, & ſimilia inſecta. Et demum rigores, & horrores à morſibus eorum excitati agitatorum humorum ſunt inditia, ut in febrium paroxyſmis. Validæ ſanè utrinque militant rationes, quas perpendens Sennertus, breuibus ſeſe expedit; litem tamen non dirimit, dum dicat minimè curandum nobis eſſe, quodnam temperamentum ſerpentes habeant, cum occultis viribus noceant, non manifeſtis, operenturque ratione veneni, non temperamenti; quibus ob id proprijs Alexipharmacis occurrimus, non remedijs qualitate aduerſa pollentibus. Auicennæ meo iudicio magis fauet ratio, magis experimentum conſentit: addo ego, quod non exigua eorum caliditatis inditia adſunt, quod perfectum, vivumque edunt fœtum, excrementa habeant ſicca, odorataque; bilem acerrimam; iracundiam talem, ut & in rabiem efferantur; motu vegeto, & durabili, exemptis etiam viſceribus; ponunt ſenectam, ut homo poſt grauiſſimas, & ardentiſſimas febres; & carnes viperarum quoque, etiam teſte Gal. ipſo 14. methodi, & quod inter eorum ſymptomata connumerantur febres, & alia, quæ eorum produnt calorem non frigiditatem. *Febres generare notum.*

De Cura Serpentum morſus Venenati in genere.

CAPVT XLII.

Nunquid Viperæ venenum è veſiculis ſub lingua communicetur, vel potius alia ratione. Signa virulentiæ à morſu explicantur.

SErpentes olim ſigna publicæ ſalutis præbebant; hinc Æſculapij imagines non ſine ſerpentis aſpectu baculo obuoluti paſsim in Numiſmatibus antiquis viſebantur; ſalubres namque eorum eſſe carnes, ſed præſertim viperæ, pluribuſque morbis abigendis utiles experimento ſenſato, ut Plinius aſſerit, inuenere. Cæterum ſerpentes nocent morſu, ſanguine, humore, contactu, afflatu; & inter ſerpentes Vipera præſentiſsimum fert venenum; frequentior tamen morſus, quo plerumque communicatur, & quidem, vel expreſſo è veſicis ſub lingua viru, prout Mercuriali placuit; quæ tamen ſententia ab omnibus non recipitur: ſunt enim, qui dentes tantum ſummè venenatos aſſerunt, alij non tantum in Viperarum gingiuis, ſed & in falcatorum dentium thecis venenum latitare conſtituunt; facto, *Lib. 1. de venen. c. 21.*

in-

inquiunt, etiam non ſemel experimento; hinc ſuccum credant innoxium; dentium verò ſubſtantiam venenatam; quam ipſam ſeruari tradunt etiam in mortuo multorum menſium, & annorum quoque. Ego tamen ad venenum ipſum infligendum multa crediderim concurrere; actum quidem iracundiæ, quo acuitur venenum; morſus, quo veneno vis inditur, & ſanguini citiſſima corruptio, prout obſeruatum video à Franciſco Redi Aretino; quod & experimento comprobatum ante conſpectum Magni Ducis Etruriæ. Cæterum viperæ nomen ſerpens iſte adipiſcitur à viua animalia pariendo, ut à cæteris ſerpentibus diſtinctionem nanciſceretur. Huius igitur tamdiri veneni morſu illati ſigna plura obſeruantur; pars enim confertim à morſu tumet, exitque ſtatim purus ſanguis, mox ex Dioſcoride oleoſum quid, inde ſanioſum cum aliqua ſpuma; color partis affectæ varius eſt pro corporis tum humorum in ipſo redundantium varia diſpoſitione; quod etiam mox totum in tumorem attollitur cum coloris varia perfuſione, pro eiuſdem corporis diſpoſitione varia. Erumpunt quinimò puſtulæ nigricantes circa partem læſam, veluti cutis vſtulata ſit: notabat enim Dioſcorides partem vehementer exſiccari; dolor inſignis interim tum adeſt, tum exacerbatur; non fixus quidem, & vnam tantum partem obſidens, ſed veluti vagus; ingruit ſpirandi difficultas, calor vniuerſum occupat corpus cum febre inſigni, vrinæ ardentes, & coloratæ, ſtupores, deliria, ſingultus, vertigines, narium emorrhagia, frigidi ſudores, & tandem superueniunt paſſim frequentes corporis exſolutiones. multis quoque occurrit parum ante interitum, & labiorum tumor, & membrorum paralyſis: horum tamen euentus etiam diſpari ratione conditionis viperarum; nam venenū vehementius eſt in ſerpentibus maſculis per ſe; ſed ratione dentium magis vehemens in fæmellis, quibus quatuor ſolidi dentes, duo vero tantum firmi in maſculis. Vehementius ſe ſe exerit venenum in adultis, & ieiunis; fames enim bilem in naſum conijcit, vt loquitur Plautus. Vehementiſſimum venenum in iratis animalibus, aut æſtro amoris percitis, montium incolis, non aquarum, tempore æſtiuo; contra vero ijs, qui contrario modo ſe habent. Sed ad alia ſerpentum genera deſcendamus.

De Aſpide.

CAPVT XLIII.

De Aſpidis natura quædam, eiuſque ſpeciebus. An detur Baſiliſcus in natura. Scorpionum temperamentum calidum contra Galen. & Auicennæ ſententiam ſtatuitur. Afferuntur ſymptomata. Deque Appula Tarantula nonnulla.

Aſpis. ASpidis nomen ſerpentis ſpeciem à vipera differentem denotat, ſuique peculiarem annotat rationem; colli, craſſioriſque gutturis inira tumentis, oculorum flammeorum vibratione celerrima, loco etiam ab alijs diſſito: horum genus olim Aegyptijs, & Arabum vulgo, vt numina, vel genia regionis venerabile. Africæ tamen ſibi proprium ſolum elegere, quamuis, ſi Lucano credimus, auaritia, hæc ſæuiſſima animalia in hiſce

Italiæ

Italiæ locis nobis inuexerit. Tres huius ſerpentis traduntur ſpecies; è quarum vna animal illud, quia mitius, ſed valentius, veluti inducto ſomno mortem inferat, elegit ſibi moritura Cleopatra Hyponale vocatum Solino teſte. Horum varia menſura, & ſi longitudinem ſpectemus, ſatis procera in Aegypto, Nicandro aſſertore, calidiſſimum aſſeritur animal, & ſicciſſimum; cutim enim aridiſſimis ſquamulis contectam habet, colore einereo, quod dum hominem agreditur, omnes contra eumdem inuertat, eaſque affuſo veneno per morſum ad priſtinum reducit ſitum; tarde incedit, nec cæteris ſerpentibus, vt quibuſdam proditum eſt, acie viſus, quæ omnibus communis, præpollet. Cæterum ita ſenſu auditus viget, ſi naturalibus credimus; ut etiam è longinquo vocem incantatoris ſentiat, quam irritam facit aurem obturando. Virus animalis huius præſentiſſimum, quàm citiſſimè morſu inflicto per uniuerſum ſeſe exerit corpus, eodemque celerrimè vitam adimit. Vulnus vix oculis obuius, tam exilis punctura eſt; quamuis etiam ſaliua ſola æquè venenum inferat, & ſic ſine punctura corpus inficere valeat; præſertim ex illa Aſpidis ſpecie, quæ Pthyas cognominatur. A morſu puſillum dolorem efficit; mox tamen ſæuiſſima excitat ſymptomata, ſegnitiem corporis, & artuum imbecillitatem cum propenſione ad ſomnum, grauitatem oculorum veluti caligantium, tum creberrimas oſcitationes, & quamdam ſenſuum uniuerſalem hebetudinem; quæ omnia Galen. induxerunt ad ſtatuendum Aſpidis venenum frigidum eſſe: Quod haud verum eſſe aſſerimus; & ſi intimius temperamenti ab effectibus eius naturam perſcrutabimur, procul dubio potius caloris aderunt inditia, ut etiam de Viperæ veneno dicebamus. Quamuis, ut ſæpius dictum eſt, venenum quatenus tale per primarum qualitatum exceſſum ineſſe veneni non conſtituatur. Symptomata etenim illa, quæ torporem, & ſomnum inducunt, diſſolutionem ſpirituum potius, quàm eorum refrigerium indicant; attamen hoc ipſum etiam dicere introduci non erit ab re, ſi celerrimè extingui à veneno natiuum calorem dicamus. His omnibus accidentibus ſupra relatis ſuccedit conuulſio, & ſpaſmus, ad quæ ſymptomata lipothymia frequens, & ſyncopes; ita, ut trium tantum horarum ſpatio virus iſtud crudeliſſimum opus ſuum lethale perficiat. *Gal. de Theriac. ad Piſon.*

Inter ſerpentum cenſum Ceraſtæ morſu infenſiſſimum animal, & criſtatum veneni lethaliſſimi gerulum connumeratur; quod & alibi, & in hac vrbe Patauii apud Angelum Bolzetam inſignem Pharmacopœum ſæpius inter Viperas obſeruaui; viditque quoque criſta gemina formidabilem ſerpentem Ioannis Leonici pater, filio teſte: Eſt enim forma ſerpens viperis ſimilis, ſed criſtato capite. Quæ à morſu huius animalis occurrunt ſymptomata ſunt a vulnere exiliſſimo, & vix perceptibili, pars in tumorem ad inſtar capitis claui attollitur nigro colore, inde à morſu ſanies emanat pallida, ſcatent puſtulæ frequentes, liuentque, quemadmodum & totum corpus eodem colore inficitur; tument labia, oculique veluti quadam caligine offunduntur; dolor ad inguina, & poplites occurrit, & conuulſiones non longè à parte commorſa; ut plurimum ſuperuenit delirium, inde virium languore omnimodè affecti exangues concidunt. *Ceraſta.*

Baſiliſcum dari ambigit Cardanus, Mercurialis admittere eum tandem *Baſiliſcus.*

viſus eſt; quamuis rationibus contrarium probare nitatur. Sed quoniam duo circumferuntur Baſiliſci genera ſerpentis, alterum quod ex decrepiti galli ouo ortum ſuum ducat, alterum verò genus, quod ex altero inſecto prodit; quemadmodum poſtremi huius generis dari fere omnibus tum veteribus, tum recentioribus in confeſſo eſt, ita fabuloſum alterum genus putatur. Et quod paſſim in Cimelijs quorumdam oſtenditur, fictitium eſt, & ex piſce arte concinnatum, quod & mihi accidit, qui à quodam impoſtore talem accepi, qui tandem mihi fraudem detexit, dum opem ipſi febre periclitanti ferre non recuſaui, bina huiuſmodi Baſiliſci ſimulacra me præſente arte concinnando. Verus itaque Baſiliſcus ſerpens erectus incedit, & alta ceruice, poſteriorem tantum corporis partem ad inceſſum adhibens; in capite turget quædam eminentia, & macula veluti alba, unde quaſi coronam gerat, Regulus etiam denominatur: eſt flaui coloris, Gal. eius meminit de Theriaca ad Piſonem octauo. Sic & Auicen. & Aetius. cæterum morſum Baſiliſci ſequitur inflammatio totius corporis inſignis, pars morſu tacta flaueſcit, ſed ſtatim in liuidum tranſit: decidunt inde corporis uniuerſi pili, & paſſim carnes ipſæ liquant ur, & concidunt, & ſic breuiſſimo temporis interuallo vitam adimit.

Plura alia ſerpentum venenatorum genera referuntur à ſcriptoribus, prout ſunt Druinus, Scytale, Amphiſbena, Cencris, Dypſas, hæmorrhois, Natrix, ſepedon à Lucano non præteriti, & ſi quæ ſunt alia dira venenatorum ſerpentum genera, quæ morſu virus infligunt: hæc enim omnia Africæ potius ſunt incolæ; noſtris enim regionibus, & Italiæ nunquam viſa: & ideo cum eorum virulentia minime nos infeſtet; conſultò exactam eorum afferre notitiam omiſi; immò inutilem duxi, cùm præſertim ſatis exactè à Sennerto, & exactiſſimè à Geſnero deſcribantur.

Druinus. Scytale. Amphiſbena. Cencris. Dypſas. Hæmorrhois. Natrix. Sepedon. Praxis lib. 6. Parte 8. Geſner. de ſerpentib. Scorpiones.

Nonſolum morſu animalia nobis euadunt infeſta venenato, ſed etiam ictu, prout ſcorpionum effrænis, Phalangiorumque caterua. Scorpionum etenim virus illud eximium eſt, & maxima actiuitate, licet mole minimum, vel ipſo Gal. teſte; aculeo enim, quem in cauda gerit, & quidem cauo, venenum includit, ictumque ſuum ſola cauda perficit. Oua parit, quæ & incubat, & inde fætum animatum producit; attamen etiam ex putri generari apud ferè omnes in confeſſo eſt. Mirum ſanè eſt, quod proditur, ſcorpiones ex Gammare marino & ex ocimo contuſis generari, quinimo Hollerius, & Geſnerus ex eodem ocimo frequenter odorato ſcorpiones in cerebro humano genitos aſſeruere: Quod tamen ſi vere ſit (quod valde dubito) fieri debet concurrente procul dubio putredine, tamquam cauſa, ſine qua non; tum è deliteſcente forma ſecundum materiæ diſpoſitionem ſeſe exerente, accedente calore tamquam cauſa inſtrumentali. Numquid ſcorpionis temperamentum frigidum cum Gal. & Auicen. (cui quoque aſſentitur & Mercurialis) aſſerendum ſit, vel potius calidum, meritò ambigitur; Rationes enim à Mercuriali allatæ pro ſcorpionis temperamenti frigiditate ſtatuenda, ſunt quidem magni momenti, ſed quidem meo iudicio præponderant argumenta pro caliditate allata; quia præſertim ſicco ſunt corpore; ſunt iracundi; omnibus namque momentis, inquit Plinius, ad iram videntur parati; eorum puluis, & oleum præcalidum eſt.

Quòd

Quòd ſi ab ictu ſymptomata frigida promanare videantur, non ab eorum temperamento, ſed à vi veneni, & eiuſdem occulta forma promanare debent. Sunt ſcorpiones animalibus etiam brutis infenſi, immò & Viperis ipſis; ſed hominum cętui pro delectu infeſtiſſimi; mulieribus præſertim multo magis, & adhuc magis virginibus, forſan ob corporis raritatem.

Phalangiorum genus ictu inficit venenato, quo virus in partem affectam *Phalangia. Aranea.* impingit; non tamen ita profunde prout ſcorpius, quemadmodum opinatus eſt Gal. qui ambigit numquid aculeo imprimant venenum, vel potius ore effundant; vulnus enim ita exile eſt, ut oculos ſubterfugiat. Ariſt. 9. de Hiſtor. vocat animal hoc ſapientiſſimum, & prudentiſſimum, miraque de eo protulit, dum tela geometricè ab eo confecta venatoris vices cautè gerit, ut inde victum quotidianum ſibi comparet, & ſimul & ſemel alimento, & aucupij hilaritate perfundatur: ſtatuit que vir ſummus contra Democritum non ex excremento è podice emanante eam telam conficere, ſed ex alimenti craſſiore parte; ea ſcilicet, quæ in plantis in corticem faceſſit: De hoc ipſo animali ſtupenda & à Plin. & ab Æliano produntur. Et quamuis Plin. ab araneis phalangia diſtinguat veterum opinionem ſequutus, quod aranea non venenata ſint, phalangia verò virus effundãt; uſus tamen apud medicos inualuit, ut in genere phalangiorum tam & araneorum, & venenata, & non venenata inueniantur; & ob id nulla diſtinctio adhibetur. Frigidum hoc venenum ſtatuit Mercurialis, quod ſanè facile non eſſet aſſerere ſi deleterium iſtud virus facultate manifeſta operaretur. Nam licet opponantur calida remedia, non ut talia, ſed ut propria veneni Alexipharmaca opponuntur. Phalangiorum autem, & araneorum familia alia magis, alia minus venenata, & ita venenata, ut multoties calcata tantummodo, prout aſſerebat Scaliger, interimant: in vino quinimo per incuriam, *Scaliger. Exercitat. 186.* vel aſtu ſuffocati, vel in alio genere potulentorum, necem bibentibus multoties inferunt. Virus iſtud grauiſsima ſymptomata, & acerbiſsima edit. Pars enim commorſa ſtuporem concipit, mox tremit, & rigorem patitur cum horrore; tum extremarum partium inſigni refrigeratione, quæ partes etiam veluti convulſæ contrahuntur: Iuvenibus ingens ſuperuenit ſatyriaſis cum ſæuiſsimo dolore; at ſenibus membrum virile, & ſcrotum plus iuſto flacceſcit; ſudor copioſus excitatur, & frequentes lacrymæ inuoluntarie decidunt, cum magno faciei pallore; venter intumeſcit; inteſtina murmure affecta proritantur ad deiectionem; angit interim ægrum vana, & perennis mingendi cupido, & in urinæ ſuperficie, ſi excernatur, ſupernatant veluti aranearum telæ; quod tamen pluribus alijs venenis familiare eſt ex interna pinguedine diſſoluta.

Inter genera aranearum Tarantula connumeratur, animal phalangijs potius accenſendum Apuliæ populis ſatis familiare; ibi enim frequentius, quam alibi inueniri ſolet. Et profecto etſi miræ circumferantur à veteribus aranearum conditiones; non minorem admirationem animis incutiunt ſymptomata, quæ à Tarantula demorſis excitata prodeunt: dolor enim, & pruritus ſtatim occupant demorſam partem, mox totius corporis frigiditas, inde tumor uniuerſalis; poſtmodum ſuperuenit artuum dolor, & laſſitudo inſignis cum priapiſmo, & totius convulſione; delitia, vigiliæ, tene-

viſus eſt; quamuis rationibus contrarium probare nitatur. Sed quoniam duo circumferuntur Baſiliſci genera ſerpentis, alterum quod ex decrepiti galli ouo ortum ſuum ducat, alterum verò genus, quod ex altero inſecto prodit; quemadmodum poſtremi huius generis dari fere omnibus tum veteribus, tum recentioribus in confeſſo eſt, ita fabuloſum alterum genus putatur. Et quod paſſim in Cimelijs quorumdam oſtenditur, fictitium eſt, & ex piſce arte concinnatum, quod & mihi accidit, qui à quodam impoſtore talem accepi, qui tandem mihi fraudem detexit, dum opem ipſi febre pericliranti ferre non recuſaui, bina huiuſmodi Baſiliſci ſimulacra me præſente arte concinnando. Verus itaque Baſiliſcus ſerpens erectus incedit, & alta ceruice, poſteriorem tantum corporis partem ad inceſſum adhibens; in capite turget quædam eminentia, & macula veluti alba, unde quaſi coronam gerat, Regulus etiam denominatur: eſt flaui coloris, Galenus meminit de Theriaca ad Piſonem octauo. Sic & Auicen. & Aetius. cæterum morſum Baſiliſci ſequitur inflammatio totius corporis inſignis, pars morſu tacta flaueſcit, ſed ſtatim in liuidum tranſit: decidunt inde corporis uniuerſi pili, & paſſim carnes ipſæ liquantur, & concidunt, & ſic breuiſſimo temporis interuallo vitam adimit.

Druinus. Scytale. Amphiſbena. Cencris. Dypſas. hæmorrhois. Natrix. Sepedon. Praxis lib. 6. Parte 8. Geſner. de ſerpentib.

Plura alia ſerpentum venenatorum genera referuntur à ſcriptoribus, prout ſunt Druinus, Scytale, Amphiſbena, Cencris, Dypſas, hæmorrhois, Natrix, ſepedon à Lucano non præteriti, & ſi quæ ſunt alia dira venenatorum ſerpentum genera, quæ morſu virus infligunt: hæc enim omnia Africæ potius ſunt incolæ; noſtris enim regionibus, & Italiæ nunquam viſa: & ideo cum eorum virulentia minime nos infeſtet; conſultò exactam eorum afferre notitiam omiſi; immò inutilem duxi, cùm præſertim ſatis exactè à Sennerto, & exactiſſimè à Geſnero deſcribantur.

Scorpiones.

Nonſolum morſu animalia nobis euadunt infeſta venenato, ſed etiam ictu, prout ſcorpionum effrenis, Phalangiorumque caterua. Scorpionum etenim virus illud eximium eſt, & maxima actiuitate, licet mole minimum, vel ipſo Gal. teſte; aculeo enim, quem in cauda gerit, & quidem cauo, venenum includit, ictumque ſuum ſola cauda perficit. Oua parit, quæ & incubat, & inde fætum animatum producit; attamen etiam ex putri generari apud ferè omnes in confeſſo eſt. Mirum ſanè eſt, quod proditur, ſcorpiones ex Gammare marino & ex ocimo contuſis generari, quinimo Hollerius, & Geſnerus ex eodem ocimo frequenter odorato ſcorpiones in cerebro humano genitos aſſeruere: Quod tamen ſi vere ſit (quod valde dubito) fieri debet concurrente procul dubio putredine, tamquam cauſa, ſine qua non; tum è deliteſcente forma ſecundum materiæ diſpoſitionem ſeſe exerente, accedente calore tamquam cauſa inſtrumentali. Numquid ſcorpionis temperamentum frigidum cum Gal. & Auicen. (cui quoque aſſentitur & Mercurialis) aſſerendum ſit, vel potius calidum, meritò ambigitur; Rationes enim à Mercuriali allatæ pro ſcorpionis temperamenti frigiditate ſtatuenda, ſunt quidem magni momenti, ſed quidem meo iudicio præponderant argumenta pro caliditate allata; quia præſertim ſicco ſunt corpore; ſunt iracundi; omnibus namque momentis, inquit Plinius, ad iram videntur parati; eorum puluis, & oleum præcalidum eſt.

Quòd

Quòd ſi ab ictu ſymptomata frigida promanare videantur, non ab eorum temperamento, ſed à vi veneni, & eiuſdem occulta forma promanare debent. Sunt ſcorpiones animalibus etiam brutis infenſi, immò & Viperis ipſis; ſed hominum ceiui pro delectu infeſtiſſimi; mulieribus præſertim multo magis, & adhuc magis virginibus, forſan ob corporis raritatem.

Phalangiorum genus ictu inficit venenato, quo virus in partem affectam impingit; non tamen ita profunde prout ſcorpius, quemadmodum opinatus eſt Gal. qui ambigit numquid aculeo imprimant venenum, vel potius ore effundant; vulnus enim ita exile eſt, ut oculos ſubterfugiat. Ariſt. 9. de Hiſtor. vocat animal hoc ſapientiſſimum, & prudentiſſimum, miraque de eo protulit, dum tela geometricè ab eo confecta venatoris vices cautè gerit, ut inde victum quotidianum ſibi comparet, & ſimul & ſemel alimento, & aucupij hilaritate perfundatur: ſtatuit que vir ſummus contra Democritum non ex excremento è podice emanante eam telam conficere, ſed ex alimenti craſſiore parte; ea ſcilicet, quæ in plantis in corticem faceſſit: De hoc ipſo animali ſtupenda & à Plin. & ab Æliano produntur. Et quamuis Plin. ab araneis phalangia diſtinguat veterum opinionem ſequutus, quod aranea non venenata ſint, phalangia verò virus effundãt; uſus tamen apud medicos inualuit, ut in genere phalangiorum tam & araneorum, & venenata, & non venenata inueniantur; & ob id nulla diſtinctio adhibetur. Frigidum hoc venenum ſtatuit Mercurialis, quod ſanè facile non eſſet aſſerere ſi deleterium iſtud virus facultate manifeſta operaretur. Nam licet opponantur calida remedia, non ut talia, ſed ut propria veneni Alexipharmaca opponuntur. Phalangiorum autem, & araneorum familia alia magis, alia minus venenata, & ita venenata, ut multoties calcata tantummodo, prout aſſerebat Scaliger, interimant: in vino quinimo per incuriam, vel aſtu ſuffocati, vel in alio genere potulentorum, necem bibentibus multoties inferunt. Virus iſtud grauiſsima ſymptomata, & acerbiſsima edit. Pars enim commorſa ſtuporem concipit, mox tremit, & rigorem patitur cum horrore; tum extremarum partium inſigni refrigeratione, quæ partes etiam veluti conuulſæ contrahuntur: Iuuenibus ingens ſuperuenit ſatyriaſis cum ſæuiſsimo dolore; at ſenibus membrum virile, & ſcrotum plus iuſto flacceſcit; ſudor copioſus excitatur, & frequentes lacrymæ inuoluntarie decidunt, cum magno faciei pallore; venter intumeſcit; inteſtina murmure affecta proritantur ad deiectionem; angit interim ægrum vana, & perennis mingendi cupido, & in urinæ ſuperficie, ſi excernatur, ſupernatant veluti aranearum telæ; quod tamen pluribus alijs venenis familiare eſt ex interna pinguedine diſſoluta.

Phalangia. Aranea.

Scaliger. Exercitat. 186.

Inter genera aranearum Tarantula connumeratur, animal phalangijs potius accenſendum Apuliæ populis ſatis familiare; ibi enim frequentius, quam alibi inueniri ſolet. Et profectò etſi miræ circumferantur à veteribus aranearum conditiones; non minorem admirationem animis incutiunt ſymptomata, quæ à Tarantula demorſis excitata prodeunt: dolor enim, & pruritus ſtatim occupant demorſam partem, mox totius corporis frigiditas, inde tumor uniuerſalis; poſtmodum ſuperuenit artuum dolor, & laſſitudo inſignis cum priapiſmo, & totius conuulſione; deliria, vigiliæ, tene-

bricoſæ vertigines, corporis inquietudo, oculorum rubor, ſudorque tandem frigidus: ſed quod portentoſum eſt, & fabulis quam ſimile, ſed veriſſimum ſymptoma; & quod ego non ſemel vidi in ab huiuſmodi animalibus demorſis, à veneni actiuitate impulſi coguntur, velint, nolint varijs motibus inuoluntarijs, & laborioſis detineri. Iis etiam familiaris eſt ſaltus, riſus, ploratus; ſed quod humanum captum ſuperare videtur, ita muſica oblectantur, à qua re vera leuamen inſigne percipiunt; ut ſtatim atque ſonum alicuius muſici inſtrumenti ſentiant, proſiliunt in medio choreæ, ceſſantes tunc ab omnibus laborioſis alijs actionibus, & rythmicè & choreas ducere cogantur, ac ſi nullo infeſtarentur morbo; & in tali actione tandiu perſeuerant, quamdiu ſonus perduret, aut laſſitudine nimia correpti concidant; inde ad conſueta munia laborioſiſſima redeant; At à reiterato muſicæ remedio, ſub qua ratione muſicos etiam ſecum ducunt, venenata tandem qualitas, temporis, & motus diuturnitate ſuperatur, virulentia à violenti illa agitatione per poroſitates extruſa.

De Curatione prædictorum Venenorum.

CAPVT XLIV.

Vtrum medendi Venenatos morſus per ſuctionem innocuo miniſtro inſtitui poſſit; Quidvè in horum curatione veniat, & particularia Antidota recenſentur.

IAm venenis morſu inflictis opem feramus. In cura igitur morſuum venenatorum ſpectandum præcipuè eſt, ut venenum illatum retrahatur, educaturque, & Alexipharmacis euincatur; robur cordi poſtremo indendo, ſeu conſeruando. Retractionem præcedere debet ligatura, non ut præcipitur valde arcta, ob metum facilis cancrenæ; Media interim retractionis ſingularia ſunt ſtatim à morſu mollienda, & ſuctio, & uſtio: Suctio vulneratæ partis Pſyllis, & Marſis olim familiaris. Proſtat exemplum Catonis ex Plutarcho, & ex Lucano quoque ſalute cum fructu obtenta iiſdem adminiſtris innoxijs peculiari naturæ propriæ dono. Nunc autem res periculo plena eſt; quamuis qui tantum opus aggredi audeat, ſe prius antidotis præmuniat, Theriaca præſertim, & Mitridato in ore detentis. Laudantur à quibuſdam etiam uſtiones in parte affecta; verum dum poſſibile eſt, rem tam arduam aggredi, valentibus æque remedijs terror ignis eximendus. Hoc remedij genus etiam nunc Ægyptijs uſitatum ad plures morbos, de quibus Auicenna. Vſtiones fieri commodè poterunt per telam bombycinam in cylindrum conuolutam, non diſſimili forma à propoſita à Proſpero Alpino; Telæ enim ſubſtantia ſummopere conducere poteſt ex propria natura, figura, & baſi; & poſt uſtionem Alexipharmaca parti applicita erunt opportuna. Loco ſuctionis, aut uſtionis uſurpanda venit animalium viuorum mox diſſectorum appoſitio, ſed præſertim eiuſdem generis ſerpentum attritorum. Dubium eſt de venæ ſectione, an in huiuſmodi caſibus conueniat; eam in plethoricis admittit Auicenna, ſed cum iam venenum diffuſum eſt in corpus: Conſentit Mercurialis: mihi vero ſententia

De med. Ægypt. lib. 3. cap. 13.

Lib. 2. de ven. cap. 12.

non

non ſatisfacit, niſi adminiſtretur in primo illo principio in corpore ſummè plethorico, & infra, vel iuxta partem commorſam: ſic enim euacuatur corpus antequam, & venenum intruſum ſit, & vires labefactentur: fit enim retractio veneni ad externa per ingreſſus eamdem viam. Etenim venenum non ſolum ſanguinem in venis inficit; ſed etiam viſcerum ſubſtantiam occupat: at ſi mora interiecta ſit, diffuſo iam per corpus veneno, lapſus imminet virium. Cæterum etiam venæ ſectionis vicem iure cucurbitulæ cum ſcarificatione ſuſtinebunt, quæ ſanè per ſe in principio requiruntur. Circa igitur admorſu petitam partem, cucurbitulæ ſtatim ab initio veniunt applicandæ; ſed non cum leui ſcarificatione. De purgatione cathartica per ſeceſſum, deque vomitu moliendo, & diæta adminiſtranda in vniuerſalium venenorum inſtituta ratione plura innuebamus, & à Mercuriali petenda citato loco.

Poſtremò reſiſtendum Alexipharmacis roborando partem, iiſque tam uniuerſalibus cuique veneno aduerſantibus, ut Mitridato, Theriaca, oleo ſcorpionum Matthioli, allio, ficis, ruta, & ſimilibus cum ſpiritu vini, aut vino ipſo, tum ſua peculiari natura particulari cuique veneno ſerpentum reſiſtentibus.

Viperæ morſui igitur, præſtitis prius uniuerſalioribus, ſuper propoſitis varijs remedijs ex plantis petitis occurrimus; inter quæ præcipua connumerantur ex Dioſcoride, & Coſti radices, angelicæ, & aſphodeli, & lignum aloes in vino, ſic & fraxini folia, ocimi ſemina, & æchij, melanthijque; ſcordium, & ſcorzoneræ. Sic commendantur quoque ſucci biſtortæ, tormentillæ, foliorum fraxini, porri, condrillæ, braſſicæ, anagallidis, rubiæ, aparinæ, ancuſæ, tetreſtris tribuli, medullæ ferulæ, & ſimilium: ſic & trociſci viperini, & viperarum carnes coctæ, & comeſtæ. Sic & parti affectæ quoque plantarum prædictarum contuſa folia, & in modum emplaſtri applicita, ſæpiuſque repetita mirificè proderunt; prout etiam ſcillæ radices contuſæ, camomelum cum erui farina, allium, & cæpæ cum Theriaca, raphani radices, lauri, origani, rubi, abrotanique folia remixtis furfuribus cum aceto ſcillitico ſubactis; ad hæc & pix liquida, & galbanum, aliaque huius generis. Exhibent quoque terram Melitenſem, & Opopanacem. Recentiores addidere bezoar & orientale, & occidentale in vino, aut ſcorzoneræ aqua, quod etiam parti commorſæ applicari poterit; quemadmodum etiam caput viperæ parti commorſæ applicitum ſtatim à ſeparatione, & in ea parte, quæ ſecata eſt à reliquo corpore: ſic ab ijs commendatur cancrorum fluviatilium puluis vino ſumpta, & etiam parti commorſæ applicita; ſic & balneum ex trifolio bituminoſo, quo pars uniuerſa immergatur; Teſtudinis quoque ſanguinem exſiccatum in pollinem redactum, & vino ſumptum commendant; aliaque quoque per plura huius generis, quæ facilè ad prædicta reuocari poterunt. *Viperæ morſui qui opperiantur.*

Aſpidis veneno particularia antidota erunt, poſt uſum tamen uniuerſalium propoſitorum; ea omnia, quæ Viperæ veneno aduerſantur; ſed inter peculiaria primas obtinent partes & Leontopetalon, cui tribuunt ſtatim vel epoto, vel applicito parti confeſtim vim dolorem ſedandi, & ſolanum veſicarium; ſic & mala citrea; quæ tamen omni venenorum generi aduer-

ſari

ſari traditur; ſic & hippopotami teſtes aiunt particulari ſua vi veneno aſpidis aduerſari. Ad id valere dicunt muſtelæ carnem in puluerem redactam, ranarumque, & earum ius: ſic & caſtoreum, & gobium piſcem, & apri iecur inter cibaria admiſcent, & cimices deglutitos, naſturtium, hyſſopum, panacis chironij, & aſclepij folia, & ſemen, marrubij ſuccum, ſmirnij, elaphaboſchi, ſerpilli, phyllitidis, ſcordij, Agrimoniæ tum folia, tum ſemen; & quod mirum eſt, venenatas radices nerij contra hoc venenum in vino ſumptas ſumopere prodeſſe, nil mirum tamen cum ex Plinij teſtimonio, & experimento multoties venenum veneno aduerſetur. Proponunt terram ſamiam, & ophitem lapidem; ſic & parti affectæ conueniunt emplaſtra tum ex ſtercore montanæ Capræ, & hyſſopi folijs contuſis ſubactis aceto; ſic ex atriplicis folijs, & verbenæ, nepetæ, mandragoræ radicibus, liliorum alborum, alijſque pluribus à Dioſcoride recenſitis. A recentioribus etiam obſeruatum huius animalis virulentiæ opitulari maluarum folia allio, & cæpis remixta contuſa, & morſui applicita, cicerumque farina cum hyperici decoctione; interius exhibent ſuccum betæ, ſerpentinæ Matthioli, vel ſylueſtris Coronopi utilem; quinimò commendant crocum cum radicibus, & folijs ſcorzoneræ, ſuccum radicis peoniæ, quem ſummoperè conducere melle exceptum cum porri folijs vulneri applicitū tradunt; ſic & ruta, & ſcabioſa, & centauri minoris folia, & angelicæ radix, biſtortæ, tormentillæque folia, & radices, & intus aſſumptæ, & exterius applicitæ ſummoperè commendantur, quemadmodum & contuſa ſtaphiſagria loco appoſita.

Quæ ceraſte morſum venenatum ſanant.

Ceraſtæ veneno adhibitis prius iam dictis uniuerſalibus præter allata ſupra remedia, particulariter opponimus ſeſami folia cum oleo roſaceo commorſæ parti applicita: melle interim etiam, ſale, cedriaque, & pice emplaſtri modo eidem parti applicata, raphani ſemen in vino ſumptum interius commendant, & ſcorzoneræ ſuccum: pluraque alia ex Dioſcoride lib. 6. cap. 38, & ult. pluraque ex recentioribus proponuntur, præſertim & terra Melitenſis, & Opopanacum; quæ omnia, & alia quæ recenſita ſunt in curatione morſus Viperæ, & Aſpidis, etiam aliorum venenatorum ſerpentum morſui applicari poterunt.

De Curatione Venenorum ictu Inflictorum.

CAPVT XLV.

Particularium iterum ex animalibus venenatis ratio & curatio inſtituitur, & peculiaria antidota proponuntur. Quæritur nunquid Scorpionis corpus proprij veneni per morſum illati antidotum ut fertur euadat, vel potius ſuperet idem attrahendo.

IAm venenis ictu inflictis opitulandum curationem eorum adducentes. Qui enim venenum ſcorpionum expugnare cupiunt, operæ pretium eſt, ut incumbant primo veneni retractioni ad partem affectam, quod in primis expetendum eſt, ne cor inuadat, fitque ligaturis ſupra partem com-

Scorpionum curatio antidota propria

morſam

morſam cucurbitulis tum ſcarificatis, tum ſine ſcarificatione; inde corroborari debet, ut vim veneno reſiſtendi adipiſcatur; ſed quod huiuſmodi venenato ictui præſentaneum euadit remedium, eſt ſcorpius ipſe contritus, & vulneri impoſitus, aut oleum ex infuſione ſcorpionum viuorum factum. Nunquid alexipharmaca vis in corpus ſcorpionis proprio caudæ veneno aduerſetur, vel potius virus attrahendo, ut opinatus eſt Sennertus? non facile dirimi poteſt. Exiſtimo tamen ego corpus ſcorpionis eſſe potius proprij veneni antidotum: voluit enim prouida natura (prout de Vipera obſeruamus, cuius carnes proprij veneni antidotum euadunt) etiam ſcorpiones aculei ſui veneno proprio corpore opponi, aduerſarique; ut quaſi Achillis haſta unde excidium, inde medela emergeret. Aetius integram cochleam ſimul cum teſta contuſam vulneratæ parti apponi iubet, quæ dolorem mirificè ſedat. Antidota tamen propria præter eiuſdem ſcorpionis corpus ſunt ex plantis ſaluia, ſcordium, taraxacum, agrimonia, addunt & abſynthium, & ocimum, & elaphoboſcum, & ſerpillum; commendantur verbenaca, lauri folia, & baccæ; ſemina paſtinacæ ſylueſtris, gentiana, ariſtolochia; item trifolij ſemina, ocimi, raphani, fœniculi, & inter compoſita Theriaca, & Mitridatum; veteres commendant præ cæteris thus; in eo tamen requirunt ſcorpionis immaginem inſculptam; Verumtamen ego cum aliis clariſſimis viris huiuſmodi remediis fidem integram habere non poſſum, quando characteribus, & figuris miſceri debeat, quorum effectus materiæ non eſt adſcribendus; thus enim vel de ſe valet; ergo figura fruſtranea, vel vis in figura, ergo in hoc quid præſtigioſum; figura enim de ſe nihil valet.

Araneorum & Phalangiorum Alexiph. ictusq. curatio.

In curatione veneni Aranearum vomitus primò procurandus, aliaque uniuerſalia remedia iam propoſita molienda ſunt: à vomitu, & ab adhibitis pro retractione veneni localibus medicamentis, ex vſu veniunt Alexipharmaca, & ea præſertim, quæ ſudorem proliciare valeant: ideo commendatur Theriaca vino albo diluta, vel aqua hordei, aut cardui benedicti cum lapide Beizaar, vel cum aqua theriacali, hauſto remedio ſtragulis copioſis æger tegatur, ſicque ſudor proliciatur: Fracaſtorius bolum Armenam extollit cum aceto ſumptam; Geſnerus reſinam abietis commendat: Dioſcorides laudat ſylueſtre cicer, & abrotani ſemen: reuocant recentiores in vſum pro huius veneni vi debellanda ariſtolochiam, nigellam, meliſſam, gentianam, rutam, calaminthan, chamæpytym; ex quibus ſiue ſimpliciter exhibiris, ſiue horum miſcella concinnato medicamento, huius veneni vim ſuperari tradunt: Parti etiam inflictæ ficuum lac apponunt, prædicantque mirabilem opem ferre, quod & rationi conſentaneum eſt, & experimento comprobatum, præſertim in veſparum ictibus, ſic pars ſæpius calido aceto abſtergenda, vel maluæ decoctione abluenda, vel ſerpilli decocto, origani, rutæ, baccarum lauri: ſic prodeſſe tradunt allium, & comeſtum, item & cæpas, & parti applicitum ſæpius reiteratum.

Tarantulæ venenum, & prædictis remedijs oppugnatur, ſed vt plurimum incaſſum; laboribus enim nimijs, & valido exercitio experimento ſuperari comprobatum eſt: ſaltu quoque præſertim, ad quem ex inſtintu veneni veluti tripudiantes ſtatim atque ſonitum alicuius muſici inſtrumenti perceperint, præcipites ſe dant.

De

De Morſu eiuſque curatione Canis rabidi.

CAPVT LXVI.

Veneni rabidi Canis natura ſcrutatur. inquiritur an inter animalia ſolus Canis rabie afficiatur. ſentit Ariſt. perpenditur, interpretatur. An tale venenum ab oculta qualitate fiat, vel ſecus. reijcitur Aromatarij ſententia anginoſos eſſe hydrophobos. cur rabies ſe prodat ſub cornu arbore degentibus. Curatio huius veneni inſtituitur.

VEnenorum ictu, vel morſu inflictorum tractationem tandem canis rabidi morſus claudat, de cuius præſertim veneni natura ſingulari tractat u agunt auctores, quamuis rabie etiam alia animalia de ſe corripi poſſint; immò de facto corripiantur; ut urſi, feles, vulpes, aſini, & huiuſmodi alia bruta quamplurima; licet ſecundum quorumdam ſententiam, rabies propriè dicta Canibus competat tantum; impropriè tamen etiam alijs animalibus competere poteſt.

Rabies ſane quæcumque ea tandem ſit, pluribus modis accipi poſſe notiſſimum eſt; prout diſertiſſimè à doctiſſimo Ioſepho Aromatario explicatū video; verum in ſuo primo ſignificatn duas agnoſcit ſpecies: Prima, quæ internā cauſam habet materialem, de qua ſcitiſſime Hipp. lib. de Priſ. Med. καὶ ὁκόσοισι μὲν ὀξύτητες προσίστανται δριμεῖαί τε καὶ ἰώδεες. αἱ αὐλ ύσσαι. ideſt; *Quibus quidem acuti* (ſc. humores) *inſtant, acreſq; & æruginoſi, quæ nam Rabies* nempe exorſitur? qua veterib. hydrophobia in hominē à cane tali rabie efferato infertur commota cauſa interna. Altera verò, quæ ex odibilis obiecti aſpectu cantumodo excitari ſolet, & quæ modo rationem omnem ſubuertit, vel eidem non optemperare videtur. Hanc heroibus quibuſdam fuiſſe familiarem protulit Homerus non ſemel, cum alijs etiam antiquis auctoribus.

Quæ igitur à cauſa interna materiali commota originem trahit, ægritudo ferè prodigioſa eſt; & quod mirum, communicabilis etiam, & eo magis periculi habet, quia à Cane animali nobis tam familiari, & neceſſario communicatur, qui vel morſu, vel ſpumeo humore hoc miſerrimum morbi genus ingerit: Opportunè igitur quæri à quibuſdam videtur, quod multum controuerſum video, numquid, prout exiſtimauit Galen. multa alia animalia præter canem rabie efferentur, qui in 6. de locis affectis 5. ſolum canem hoc affectu corripi aſſerit, à quo rabido effecto cæteris etiam animalia communicari poſſit. Ariſtoteles vero è contra 8. de hiſtor. animal. 22. omnia animalia à rabido cane commorſa in rabiem ferri, præter hominem aſſerit; cuius opinionis quoque fuiſſe videtur Alexander Aphrodiſeus 1. Problematum primo. Cæterum ſi rigoroſe res perpendatur, neutra ſententia vera eſt: Experimento enim didicimus omnia alia à cane commorſa, rabie tentari, contra Gal. aſſertum. Item videmus hominem à cane rabido morſu tentatum in rabiem deduci; vt etiam Ariſtotelis, ſententia minus vera videatur. Excuſat Ariſtotelem Aromatarius, dum inquit, quod animalia à ne rabido commorſa ferè omnia intereunt, ſolumque hominem

ſæpè

ſæpè mortem effugere; quæ ſolutio, me iudice, rem non attingit, ſi ſenſum verborum Ariſtot. penſitemus. Vidit & ipſe leuiſſimum eſſe ſubterfugium, & ideò aliam commentus eſt rationem, dicens hominem rabie non tentari, licet commorſum à cane rabido, ſed nec tentari hydrophobia, eiuſque vi interimi, non rabie, & ſic diuerſo genere morbi à rabie contradiſtincto, & quæ maniæ ſpecies eſt, quæ quidem homini tantum competit, prout ratione præditum eſt. Verum etiam animalia rabida hydrophobia tentari exiſtimauit Plutarchus, quod etiam docet experimentum. vtcumque tamen quæcumque tandem eius ſit interpretatio, vix excuſationem includit, & forſan nos verborum Ariſtotel. ſenſum veritati conſonum faciemus, ſi dixerimus interpretando illud Ariſtotelis (præter hominem) quaſi dixerit, vltra hominem; & ſic non ſolum homini contagium hoc competere, ſed etiam alijs animalibus per morſum rabidi canis communicari poſſe, immò excitari. Verùm etiam rabiem in homine excitari poſſe per ſe abſque aliorum animalium rabientium interuentu, tum ex Sorani, & Cœlij Aureliani ſententia manifeſtum; tum ex plurium recentiorum obſeruatione.

Communicari ſolet tamen quandoque rabies hominibus ex carnibus rabidorum animaliũ voratis; ſed frequentius ex morſu, aut dentibus exulcerata carne, vel tantumodo ſpuma circa partem relicta, quamuis ſine erectione: immò plures aſſerunt etiam adducto rabidi animalis ſpiritu inſpirantis, & ſic ſolo habitu vim rabidam hominibus impertiri. Fuerunt qui conſtanter aſſeruerint tantam labem animantibus occurrere manifeſtis dumtaxat qualitatibus exuperantibus, vt minimum, aut nihil occultæ qualitati tribuerint: fateanturque immodicam ſiccitatem cum pari calore iunctam, & humores, & totumcorpus alterantem rabiei cauſam præbere; an à ſyrio influxus concurrat ſingularis, negamus; quia media etiam hyeme canes patiuntur. Nos vero allucinari, qui venenorum omnium cuiuſmodi hanc eſſe fateri inficias non ibimus; cum præter qualitates manifeſtas, quibus tamquam inſtrumentum eadem vtitur venenata vis; habere quid occultum, & à tota ſubſtantia operantem credimus, prout de venenis alias probauimus. Ob id ſupra allatam opinionem nimis vero abſonam reijcere non dubitamus. Quis autem locus ſit huius veneni, aut ſedes vbi ſtabuletur, ſtatuere difficultate plenum eſt; & quemadmodum non libenter aſſentior opinioni doctiſſimi Aromatarij, qui affectum hunc eſſe vulgarem aſſerit, & anginam determinat, & ſic ex varijs ſymptomatibus huic morbo æquè occurrentibus, vt ipſum morbum deſignet, vnum ſymptoma tantumodo ſeligit, vt quem locum obſideat ſtatuat, & vbi latitet. Scio equidem compertiſſimum eſſe clariſſimis Viris vitium hydrophobiæ non à gutturis inflammatione, vt exiſtimabat vir ſummus, ac ſubinde à ſpirituum reſolutione prouenire, præterquamquod plura & maiora grauioraq; ſunt in hydrophobia ſymptomata quam in anginoſis, quibus non à conuulſione ſed à ſuffocatione mors ſuperuenit: in rabie affectis morſus & latratus odiſſent, ſecus in anginoſis, ſed ab aquæ, & poculentorum omnium abominatione; & hoc prouenire potius imaginationis vitio, quam ab alia cauſa pro libito ab eodem conficta. Anginoſi equidem non abominantur potulenta, aut reſpuunt; ſed ob impedimentum ab inflammatione illatum

deglutire nequeunt, prout cuilibet interroganti ægrum manifeſtum euadet; immò de facto deglutire tentant, quamuis incaſſum. Sed ſi hydrophobia ab angina tantum pendet à morſu rabidi canis excitata, cur in omnibus angina ab alia cauſa detentis, quam à morſu rabidi canis hydrophobia non obſeruatur; & ſic hæc anginæ ſpecies eo modo conficta ſequitur tantumodo contagium à rabido cane inflictum; ſic qui commorſi ſunt, & in hydrophobiæ morbum incidunt, cur coacti bibere, licet totis viribus reſpuant, tandem potulenta deglutiunt; & ſic quandoque ſanitati reſtituūtur? Verum nec hydrophobia ipſis à cane rabido commorſis obuenit, quia læſam habeant deglutitionem; æquè enim tam ab eſculentis, quam à potulentis læderentur, prout euenit anginoſis; ſolam enim aquam, & liquida exhorreſcunt, non ſolida; eiuſdemque ſonitum, fluxilitatem, & diaphaneitatem, & quæcumque alia quoque, quæ immaginationi horum aquam repreſentare valeant. Anginoſi aquam non reſpuunt, ſed ſolummodo deglutire nequeunt ob impedimentum, prout ego ſæpius in praxi obſeruaui; Præterquamquod cur ijs, qui à rabido cane commorſi ſunt, nondum rabie patefacta, ſub cornu arbore degentibus, ſtatim rabies ſe prodit, niſi à peculiari vi arbori tali inſita occulta, & ſympatia cum rabie eadem prodeunte? immo vana etiam, meo iudicio, euadit Aromatarij ſolutio ad hoc obiectum; ideò rabiem in hoc caſu prodire à cornu arboris umbra facilitata, quæ ſicca pariter eſt: nam ſi conditio arboris ſympatica cum rabie canina hunc affectum excitat in commorſis à cane rabido; cur ijſdem cubantibus ſub alia arbore conſimili cum Cornu natura, idem non euenit? cur non ſub ſorbo, alione huius generis temperamento, aut virium actiuitate? Verùm difficillimum ſanè eſt certam rationem adducere eorum, quę natura in gremio ſuo recondit, ſeruatque. Mordicus igitur tenendum, quod etiam ad curationem facit, morbum hunc nonniſi à tota forma prodire, quidquid aſſeruerint Fracaſtorius, & Aromatarius; & ſic viribus huius veneni vires arboris occulta quadam qualitate aduerſari, & opponi, igitur ſub hac ratione ex arboris umbra excitari; & ut meam ſententiam affirmo ad veneni latitantis naturam quod attinet diutius (exiſtimauerim) hoc ipſum latere poſſe in parte commorſa, donec ſibi adſciſcat congruam molem ex excrementorum colluvie; qua accepta ex eleuatis inde atomis cerebrum petere, cui peculiariter infenſum eſſe crediderim non ſine cordis, & ſtomachi læſione; quod argui poteſt ex varia ſymptomatum ſyndrome emergente; attamen vi ſua occulta primariò læſa imaginatione hydrophobiā excitat, & potulentorum omnium abominationem; quod ſymptoma fruſtra Aromatarius iacit in anginam, ut probare valeat omnes ſuos rabidos tantumodo anginoſos eſſe; cum tamen hydrophobi non tantum aquarum, & potulentorum omnium uſum reſpuant (ut diximus) ſed etiam ſonitum horum abominentur, & liquidorum omnium aſpectum fugiant, à cuius tantum inſpectione ſummoperè etiam lædi videntur. Ratum ſit igitur, quod quæ ab Aromatario produntur, magis ingenioſa ſint, quam vera.

Verumtamen incongruum non eſt affirmare à veneni vi excitari poſſe hydrophobiæ affectum, cum in alijs etiam venenis aliquid peculiare, & mirum obſeruemus; vt in veneno leporis marini piſcium omnium auerſionem,

ſionem; ex quo fateri poſſe credimus peculiarem etiam huiuſmodi veneni effectum eſſe hydrophobiam, quemadmodum marini leporis piſcium auerſionem, & abominationem. Non enim vnius effectus cauſa magis nota eſt, quam alterius, cum non prodeant à manifeſta cauſa: quo etiam factum eſt, vt in venenis intus genitis, quodnam venenum æmulentur haud cognoſcamus. Et ad ſymptomata quod attinet, licet hydrophobia peculiare ſit rabidi canis ſymptoma, per quod à cæteris venenatis affectibus diſtinguatur; tamen rabidi canis virulentia alia etiam ſymptomata habet concomitantia, quæ cum cæteris venenis ſunt communia; quod obiter dictum ſit, quia videmus etiam delirium in affectibus ab alia venenorum cõditione concurrere: ſed hæc conditio delirij à cæteris ſpecificatur, cum in alijs affectibus hydrophobiæ delirium non ſit commune: ſed ita ſpecificatus pro ſpecifica veneni conditione, & occulta ſua vi, non pro partium, aut humorum diuerſa intemperie, aut alio quouis vitio; vt tandem concludamus male conſtitui rabiem utique caninam conſiſtere in angina contagioſa; cùm angina ſi quandoque in ijs ſuperuenit, ſit non minus commune ſymptoma, quam cætera ſymptomata idem concomitantia, quorum cenſum modo offerimus. Dum igitur rabies præſertim per morbum communicata prout ſolet (rariſſimè enim per ſe in homine gigni obſeruauimus) ſeſe exerit, non vnius tantum partis principis adſunt querelæ, ſed etiam aliarum. Saltus enim membrorum primo corpus occupat, ſine tamen conuulſione, quæ quidem proxime morituris etiam accedit; ſitis interna viget, ſed à potulentis omnibus obſtinatiſſima abſtinentia; timor aquæ, quod rabici peculiare eſt, & quorumcumque potulentorum; vel quæ aſpectu, colore, fluxibilitate, diaphaneitate aquam ipſam æmulentur: inſuper fœda tentigine valide detineri ſolent; accedit inſignis fæcum retentio; ad hæc & ſaltus cordis, ſingultus, & delirium; in quo tamen non ſemper Igemonicæ facultates omnes videntur læſæ; vt plurimum ſola imaginatio. Verum quæ hydrophobiæ ſymptoma ſolent prænunciare, præforibuſque eſſe, ſunt ruborocu lorum, totiuſque vultus, iracundia vehemens ſine cauſa, ſuccedit ijs quædam anxietas, & corporis laborioſa commotio. ſomni ſunt turbulenti tetris phantaſmatibus plerumque, & Idolis pleni; accedit ſtomachi nauſea quaſi inſueta repletione affecti; ingruunt vigiliæ contumaciſſimæ; occurrit imbrium inſueta auuerſio, bibere incipiunt minus conſueto, neceſſitatem potus non explentes; inde in manifeſtæ hydrophobiæ indicia concidunt, quam inſimulabat Damocrates referente Gal. annuenteque lib. 2. de antidotis cap. 15. altius tamen morbo progrediente, præter ſymptomata modo relata, pulſus fiunt parui ſine vllo ordine, obtunditur illorum vox, latrant quaſi canes, ululantque, atram vrinam mingentes; & ſi Arabibus, Auicennæque ſubſcribere velimus, ægri in vrina propria inſpectantes, quaſi viuas imagines catulorum vident, & perterrentur: Vt præcaueamus in commorſis à cane rabido hydrophobiam, quæ huius vigentis veneni, immò iam conſummatæ labis ſignum extremum eſt; conemurque curationem huius veneni aggredi, & virus infeſtiſſimum eliminare, non in anginæ curatione dirigenda eſt intentio, ſed in virulentiæ huius peculiaris occulta qualitate; ſicque tum ratione, tum experimẽ-

Hydrophobiæ principium ſympt. occupantia.

ſertim in corpore ſanguinis redundantia minime referto, ſed tãtum commendat ſcarificationes partis. Quod ſi ſanguis redundat, nihilominus in principio cucurbitulas ſcarificatas circa partem admoueri iubet, ſanguine in maiori copia educto, ut ſanguinis miſſionis vices ſuppleant; quamuis etiam in principio in habitu ſumme plethorico attractionibus ad partem validioribus prius factis, ſanguinem per venam ſectam in moderata quantitate educi poſſe exiſtimet.

Inde cum corpus cacochymum ſupponi poſſit, præparationem humorum redundantium admittit; quæ tamen ſemper cum alexipharmacis cùm proprijs, tum communibus copulari debet; & cum ijs, quæ ſiccitatem, huic morbo iunctam, & humorem melancholicum coercere, & moderari valeant: & ob id Sennerto forſan non inepte viſum eſt hydrophobiæ morbum cum affectibus alijs melancholicis copulari poſſe, cùm neſcio quid cum illis commune habeat: ob id uti poterimus decoctionibus ex bugloſſo, borragine, ſcordio, malua, endiuia, aſclepio, angelica, meliſſa, & ſimilibus, cui commodè miſceri poterit ſyrupus ex ſucco citri, & ex ſucco limonum; ſic etiam uti poterimus ſyrupis ex ſucco acetoſæ, endiuiæ, borraginis, bugloſſi, & ſimilium, ſic & tempore veris propinari poterunt ſucci depurati ex prædictis herbis. Præparationi congruæ adhibitæ ſuccedant purgantia non ſemel reiteranda, ex his præſertim parata, quæ melancholiam, bilemque è corpore eliminant; non deſpectis etiam, quæ helleborum recipiunt, & hieras magnas, mitioribus primò, ut rhabarbaro, ſena, polypodio, myrobalanis indis, vel ſimplicibus, vel compoſitis ex his medicamentis; perpetuò interim à principio uſque ad finem curationis cor & viſcera roboranda, ut veneno reſiſtere valeant; immò idem propulſare; idque ex internis, & externis remedijs, inter ea, quæ propria huius affectus ſunt alexipharmaca, primum locum obtinet alyſſum tum Dioſcoridis, tum Galeni, cui poſtremo præſertim magis fidendum, cum magis diſtinctis notis appareat, quam illud Dioſcoridis. Huius puluis exhiberi poterit ſpacio quadraginta dierum. Plinius radicem ſylueſtris roſæ commendat, admonetque ad huiuſmodi uſum ab Oraculo indigitatam. Sic multi præter Galen. aſſerunt cæteris huiuſmodi medicamentis præſtare fluviatilis cancri puluerem exhibitum per longum temporis ſpacium. Ex his pariter electuaria confici poſſunt, decoctiones, iulapij. Galen. puluerem exhibet ex aſclepiade, ex cancris fluviatilibus, gentiana, & thure confectum: Extollitur Theriaca, & Mitridatum; ſunt qui laudent napelli muſcas, alij dictamnum Creticum; alij inter præſtantiora remedia ſcordium recenſent. Dioſcorides verò lib. 2. cap. 39. aſſerit iecur canis rabidi exhibitum ab hydrophobia ſeruare, & ex eodem cane rabido auulſum dentem, & in foliculo incluſum, brachioque adligatum; quæ tamen poſtrema non admodum Gal. arrident; nihilominus ſunt, qui remedijs ipſis propoſitis à Dioſcoride experimentum ſuffragari tradant. Præſtat interim & pulſus, & arteriarum apparentium locum inungere oleo Magni Ducis contra venena, oleoque ſcorpionum Matthioli, item ex Theriaca, & Mitridato aceto, vel ſucco limonum dilutis cordi epithemata paranda; quæ quidem adminiſtranda ſunt pro impedienda rabie, & hydrophobias

Lib. 5. cap. 27. phobia; quæ iam ſi præ foribus ſit, vel etiam prægreſſa, Celſus imperat tamquam remediorum vnicum, vt æger inopinate in aquæ piſcinam, licet natandi peritiam non habeat, immittatur, potum enim aquarum copioſum vnicum remedium cenſet; quamuis huiuſmodi remedium, tamquam nimis temerarium, à Celio Aureliano damnetur ob ſymptomata, quæ inde neruoſo generi accidere poſſunt. Cum tamen de ægro actum ſit, remedium non improbandum cenſeo; cum præſertim ſymptomatibus ex remedio tali ſequturis non difficulter occurrere poſſimus illis ab eodem Celſo relatis: Loco merſionis in aqua, vt inde potus copioſiſſimus ſequatur, Celſus proponit lauacra, & clyſteres ex aqua, & oleo, & quod ſenſim fricentur, inunganturque eodem remedio, quod vigiles detineantur in loco lucido, & ab amicis hortentur liquida aſſumere; quod tamen minime aſſequi poſſe crediderim, cum mens iam deprauata ſit, ac ſubinde haud ſubiecta rationabilibus ſuaſionibus; viſque veneni in eo præſertim conſiſtat; videlicet in potulentorum abominatione, & aquæ, & liquidorum aſpectu.

Victus ratio mediocris eſſe debet, ad humidum tamen vergens toto eo præcipue tempore, quo præſeruationi incumbimus: Hydrophobia verò apparente cibus offeratur, quem ægri non oderint; pluribus, ſi non vnica vice: dum cibus offertur, claudantur feneſtræ, & ex Gal. præcepto vas illud, vbi continetur, panno tegatur, ſiue per fiſtulam offeratur. Fouendum etiam corpus ſpongia oleo dulci imbuta, ſed tepido; cor roborandum antidotis, ſaltem exterius appoſitis. Tunc temporis nec ſanguinis miſſio, nec validorum purgantium vſus admitti debet; quoniam vires hydrophobia præſente iam collapſæ huiuſmodi remedia perferre nequeunt.

Hæc igitur, & quæ ſupra de venenis attexuimus in gratiam plantarum Alexipharmacarum forſan magis operoſo ſermone, quam aut opus erat, aut propoſitum fuerat: nunc autem ad actiones alias plantarum occulta facultate prodeuntes explicandas accedendum.

De Plantis reſiſtentibus Maleficijs.

CAPVT XLVII.

Magiam, & Veneficia à ſeculo floruiſse oſtenditur. Nunquid Vlyſsis ſocij Circes venefico poculo, brutorum corpora realiter induerint moreſque, vel hoc illuſiuè & phantaſticè factum fuerit diſquiritur. Spondani, Bodinique ſententia exploditur. an malefici morbi curari queant. an per viſum faſcinari poſſit. & an in verbis nudis vis aliqua repertatur euidens noxas indendi, aut abigendi.

VEneficia à ſeculis deplorabili humanitatis detrimento populis ferè omnibus innotuere, ita ut pariter ſub hac deteſtabili conſideratione, non leues gratias plantis debeamus; quæ ſatis benignè, ut ſemper ſolent humani generis noxas maleficiorum proteruia inflictas, opportunè ſuperare valuere: dum miris ſuis, quibus pollent, viribus id genus morbi adoriri, profligareque contenderint. Et ſi botanicorum monimentis fides habenda; ut plurimum apud eas victoria ſteterit. Sed proh dolor! vene-

veneficia ipſa magno artis medicæ dedecore, immò ſumma humanæ naturæ iactura medicam etiam facultatem irrepſere, & Magiæ ſpecies illa, quæ (ut cum Tertulliano loquar) miraculis operatur, & aduerſus Moyſen, ut idem fatetur, æmulata ſit potentiam Dei, quamuis damnata fuerit; non quidem ad Euangelium uſque, ſed ultra etiam per tot ſæcula perdurauerit; &, ut teſtatur Plinius, licet hanc ipſam ſeuerè carpat, medicinam ipſam ſatis monſtruosè amplexa ſit, inuito etiam Vulpiano, ut qui aſſerat incantationem, & exorcizationem non eſſe medicinæ genera. Ita enim ardens in hominibus ſemper fuit propriæ ſalutis, cum ſeruandæ, tum propagandæ deſiderium; ut ſibi etiam præſtigijs, & veneficijs ipſam coemendam licitũ perſuaſerint, & ſagarum, magorumq; ſceleſtiſſimum genus omni ſtudio in medicinæ conſortiũ cooptauerint; quorum profectò actiones corpora humana alterando, corrumpendoq; immo & animos ipſos immutando, mira præſtigia polliceri, & præſtare viſi ſunt, non buſtis, aut cadauerũ partibus parcentes, non capillis, aut unguium reſegminibus; non imaginibus, characteribus, aut dæmoniacis pactionibus, ut voti compotes, ſaltem apparẽti illuſione fierent. Sed utinam nobis Chriſticolis abominabilis iſte uſus, quemadmodum ſeriò interdictus; ita ſummo noſtro emolumento exploſus omninò fuiſſet; locus enim tot lamentationibus non daretur, aut morbis incurabilibus tam facilis aditus. Verùm quamuis magiæ vanitatem varijs in locis redarguat Plinius, artium fraudolentiſſimam pronuncians, dignamque, quam vel Nero deſeruerit; uſum tamen ſatis peruium obtinuiſſe ab antiquiſſimis ſeculis ſacræ paginæ luculenter ſatis teſtantur. Certum quidem eſt eamdem artem multo ante Plinij tempora Romanorum mentes occupaſſe, ut qui lege duodecim Tabularum ſub capitis pœna cauerint, ne fas eſſet veneficijs, aut carminibus alienas ſegetes excantare, pelliceretvè. Verba legis ſunt. Qui fruges excantaſſit, pœnas dato; Nevè alienam ſegetem pellexeris excantando, vel incantando. Si enim Solino credimus, in Africa ſcriptum quaſdam familias fuiſſe voce effaſcinantes, quæ ſi forte fortuna uberiores ſegetes, lætas arbores, pulcherrimos infantes, aut generoſos equos, ouesvè fœcundiores impenſe collaudaſſent; hæc repente mareſcebant. De hiſce ſtupendis magicis actionibus ſcitiſſimè Virgilius in Bucolicis dum inquit

De Idololatria.

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mœris; naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſyluis
Mœrim: ſæpe animas imis exire ſepulchris;
Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

Sic alibi de Faſcino cecinit ab oculis maleficis prodeunte, dum inquit,

Neſcio quis teneros oculis mihi faſcinat agnos.

prodit etiam de anguibus magico murmure diſruptis, dum ait,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quod de Marſis Populis Ouidius aſſerebat, ſane Virgilius, ut Magicarum virium oſtendat efficaciam ſic fatetur.

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere Lunam.

Ad quod alludens Plinius lib. 2. cap. 12. ſic ait. Quod in Luna veneficia arguit mortalitas, & ob id crepitu diſſono auxiliatur: credidit enim ſimplicior ætas, Lunam obſcuratam æris crepitu ad tua munia reuocari poſſe, dum eiuſdem luminis deficientiam ex umbræ terræ interpoſitione factam à malefica ſagarum vi excitari ſibi perſuaſerint, cuius prodigioſi facinoris gloriatur apud Ouidium Medea; dum ait

Te quoque Luna traho, quamuis Temeſæa labores
Æra tuos minuant,

Cœterùm conſtat Homeri quoque temporibus Magiam viguiſſe, dum Vlyſſes carminibus ſanguinem è proprio vulnere manantem cohibuit, & Cirees quoque eiuſdem Vlyſſis ſocios venefico philtro brutorum corpora induere coegit: cuius mirifici facti animaduerſio anſam præbuit Spondano Homeri doctiſſimo illuſtratori, dubitandi, numquid talis corporum mutatio ſequuta ſit per apparentiam, fueritque potius fantaſtica, aut ſumi debeat ex Vate clariſſimo tantummodò allegoricè: vel potius hæc, & aliorum ſimilis, ut Apuleij in Aſinum ex magicorum præſtigiorum vi realiter facta fuerit; & ſic re vera eos & brutorum corpora induiſſe, & animũ ferinum exercuiſſe. qui tandem vir ſummus ſimul cum Bodino clariſſimo Viro, nec allegoricè hanc metamorphoſim ſummendam ait, nec phantaſticè corpora eadem induiſſe; cum fateatur hoc realiter accidiſſe. Etenim exiſtimauit in plantis, aut alijs ſublunaribus talem, tantamque vim reperiri poſſe à rerum creatore inditam, qua mediante (dumodo huius rectæ acquiratur cognitio) hæc omnia operari non ſit difficile; immò etiam addit Lycanthropos, & Chinanthropos non eſſe imaginationis effectus à melancholia deriuatos; ſed horum etiam immutationes eſſe, & mentis, & corporis reales, ut in Lupos, aut Canes realiter conuertantur: & ex hominum cœtu in brutorum genus omnimodè tranſeant; quaſi ex ijs confirmatis Pythagoræ, Plotinique, & ſectatorum opinio reuiuiſcat: quod ſane falſiſſimum eſt, & tam à veritate diſſonum, quàm à Peripateticorum ſententiâ omninò alienum. abſurdiſſimum namque eſt dari tranſitum de ſpecie ad ſpeciem; ſed longè magis abſurdum naturam à perfectiori ad imperfectius tendere. Id conuincit, quòd ſi fortè ex duabus diuerſis ſpeciebus tertium quid varium reſultat, ut de mulo videtur; à natura eidem ſibi ſimile generare vetitum eſt; cum id ſit ſpecierum abuſus. De his tamen alibi fuſius. Ergo corpora mutari phantaſticum omninò eſt, & quid apparens, niſi diuino, non diabolico nutu, aut naturali vi id accidat, prout Nabucho contigiſſe à quibuſdam creditur; quod tamen adhuc controuerſum eſt, quoniam à pluribus, & non ſine ratione tantumodò mentem efferatam induiſſe exiſtimatur lycanthropis ſimilem: ſed corpus humanum, & aſpectum retinuiſſe, prout apud medicos manifeſtiſſimum eſt in iam dictis chinanthropis, & lycanthropis. Sed horum opinioni ſufficiat dixiſſe, hanc ſententiam & in Anquirenſi Concilio iam fuiſſe damnatam, & auctoritate D. Auguſtini omninò exploſam. Sed audiamus quæſo Tertullianum hoc ipſum rectè ſtatuentem; qui forſan præ oculis habens Samuelem iuſſu Saulis Regis à Pythoniſſa per apparentiam ſuſcitatum, dum magiæ ſcientiam totius erroris artificem, ſalutis pariter, animæque vaſtatricem vocat, in qua inquit

Lib. 2. de Aſin. aureo.

Lib. 18. de Ciuit. Dei.
Lib. de Anim. pag. 355.

inquit ſe dæmones perinde mortuos fingunt ſubiungit. *Hanc fallaciam quoque ſpiritus nequam ſub perſonis defunctorum delitеſcentis, niſi fallor, etiam rebus probamus, cùm in exorciſmis interdum aliquem ſe ex parentibus hominem ſuis affirmat.* Sed vir ſummus quoque preſſius rem ipſam dirimens, ſic ſubdit. *Et in illa alia ſpecie magiæ, quæ iam quieſcentes animas ab inferis euellere creditur, & conſpectui exhibere, non alia fallaciæ vis eſt operatior, plane, quia & phantaſma præſtatur, quia & corpus effingitur; nec magnum illi exteriores oculos circumſcribere, cui interiorem mentis aciem percæcare facile eſt. Corpora denique videbantur Pharaoni, & Ægyptijs magicarum virgarum Dracones; ſed Moyſis veritas mendacium deuorauit.* Pergit deinde. *Multa itaque, & aduerſus Apoſtolos Simon, & Elymas, magi; ſed plaga cæcitatis de præſtigijs non fuit: quid noui! Æmulatio veritatis à ſpiritu immundo! Ecce hodie eiuſdem Simonis Hæreticos tanta præſumptio artis extollit, vt etiam Prophetarum animas ab inferis mouere ſe ſpondeant: Et credo: quia mendacio poſſunt. Nec enim Pythonico tunc ſpiritui minus licuit animam Samuelis effingere, poſt Deum mortuos conſulente Saule.* Hactenus Tertullianus, cuius verbis manifeſte definitum videtur in huiuſmodi præſtigioſis apparentijs phantaſtica corpora oculis noſtris obtrudi; nec vnquam realiter ullam fieri mutationem. Verumtamen quamuis ex modo relatis conſtet veneficia, & magiam (dumodò eam cum mundo natam non aſſeramus) ab antiquiſſimis ſeculis extitiſſe, miraque omni æuo præſtitiſſe; præſertim ſi magiæ inuentorem Zoroaſtrum Bactrianorum Regem facimus, qui floruit circa Nini Aſſyriorum Dynaſtæ, & Abrahami Patriarchę tempora, ab uniuerſali diluvio annis fermè quingentis, & quadraginta duobus; & ante Troiæ excidium annis mille ſexcentis, & duobus, ut ex computatione Matthæi Palmerij, & Ioannis Lucidi; nihilominus Plinius valdè dubitat, an ſenſatis viris admitti poſſit, in verbis aliquam vim dari De Emen la. Temp.cap.1
poſse a natura, quibus opportunè, vel importunè inditum ſit humanitati noſtræ, aut noxas inferre, aut illatas auferre; quod haud negandum argumentis probare nititur ex eo, quod nunquam rectè dij ſine precatione conſulti fuerint: immò diuerſo precandi modo inſtituto, dum cauerent, ne in proferendis verbis error contingeret; quod etiam roborat ex Deciorum ſe ipſos diris deuouentium exemplo, & ex Veſtalium precatione mancipia fugitiua ex urbe nondum egreſsa detinente; necnon ex eius Veſtalis inceſtæ, quæ carmine prolato Tyberis aquam in cribro cohibuit, & ex non fallaci experimento deprecationum in parietibus conſcriptarum a igne in cohibendum flagrante domo; Tum ex eo, quod de Cæſare Dictatore fertur, & verbis ab eodem prolatis, dum Rhedam inſcenderet valentibus eidem itineris incolumitatem ſtatuere; & quod ſummum eſt tandem, quia hoc lege vetitum fuit; quod quidem vel criminis præſentiam inſimulat, vel rei fallaciam ex neceſſitate coarguit. Nec deſunt alia argumenta hoc ipſum comprobantia; ſiue Circes, aut Medeæ ex Homero, & Euripide portenta inſpectemus ex profanis delumpta teſtimonia; ſiue Erictonis ex Lucano ſpectra, Canidiæq; ex Lyrico oſtenta: ſiue ex ſacris litteris deprompta prout de Pythoniſsa cogente à mortuis Saulem ſuſcitare, aut de Dauid Armonico concentu in Saule Pythonicum ſpiritum ſedante. Sic & Carminibus luxata membra reſtitui pronunciauit Cato; & ſub eadem ra-

tione podagricis opitulari prodidit Varro. Et ſi Beroſo fides habenda, Chamom Magico carmine Patri ſterilitatem induxit. Inter recentiores Vairus multa, & mirabilia circa hoc ipſum refert; refert & Cardanus; immò Amuleta ſua Alexander Trallianus ad omnes morbos profligandos characteribus, & figuris concinnata aptat, vt vix circa hoc aliquis dubitationi locus relinquatur. Hæc tamen argumenta, & his ſimilia tanti non fuere, vt ſuadere omninò potuerint Plinium ad credendum talem vim in verbis reperiri; quin potius omnia hæc flocci faciens indeciſam quæſtionem reliquerit. Vtcumque tamen licet artis magicæ vanitatem redarguat, contemnatque, eiuſdem tamen artis maleficia, noxaſque maleficiorum diffiteri non potuit. Cæterum ſi rem intimius conſideremus verbis ipſis ſimpliciter prolatis licet cum intentione proferentis, nec fides ulla habenda, nec ullum præſtigium expectandum; cum hæc ſic conſiderata nullam in ſe vim nocendi, aut iuuandi includant. Verumtamen ex Dæmonum tacita, vel expreſſa pactione, & ex Dei permiſſione verba, & characteres horum multa efficere valent; quod etiam recentiorum experimento comprobatum eſt, qui aſſerunt faſcinum fieri poſſe viſu, voce, & tactu, quod antiquitus præcauentes (irridenda ſane inſcitia) infantes præmuniebant ænea parua mentula, quam de collo geſtare puerulos tamquam efficaciſſimum contra faſcinum amuletum præcipiebant; & faſcinum vocabant, vt lepide innuitur à Petronio. Dubium tamen opportune oritur an à maleficijs producti morbi curari queant; immo quid Plantæ valere poſſint contra maleficia, & incantamenta; illis videlicet corporis affectionibus propulſandis, & ſuperandis, quæ dæmone vel impulsore, vel auctore producuntur. Hoc quidem controuerſijs recentiorum ſcriptorum implicitum reperitur; alijs vim omnem huiuſmodi remedijs detrahentibus; alijs eiſdem in curationem cedentibus. Qui phyſicis remedijs virtutes omnes abrogarunt, præcipuè reſpiciunt ad ſpiritalem Dæmonis, adeoque eius immaterialem naturam, ob quam nihil pati à materialibus queat. Ad obſcuritatem adeò cognoſcendi horum affectuum cauſam; cum auctor ipſarum ſit vafricie plenus. Ad potentiam etiam eiuſdem, qui impedire poteſt medicamentorum effectus. Platonici, qui Dæmones quodamodo materiales exiſtimant, in Chriſtianorum ſcholis vapulant; immo vanam eſſe opinionem aſſerunt, valentium corporibus noxas inducere, quia corporum energia ſit mutabilis ex Hipp. Aphor. 3. cum non poſſint in eodem ſtatu permanere, quia metus per ſe cauſa morborum eſt. Qui verò affirmant, aſſerunt dæmonem volentem afficere corporis molem, uti corporeis, & naturalibus remedijs, applicando actiua paſſiuis, ſine cuius miniſterij ope nihil operari poſſe: Ergo profligari huiuſmodi morbos antipathia ſua naturali ad hoc præditis: Dæmonem quidem potentem eſſe, & multiſcium, non omnipotentem, & omniſcium: Deum e terra creaſſe medicinam, igitur eius vis irrita reddi nequit, niſi eo ipſo volente. Loquitur demum, inquiunt, experientia ex decantato Stibio ex Paracelſo, & ex remedijs à veteribus deſcriptis. Porrò tertium etiam circa hoc opinionis genus reſultat: illorum videlicet, qui morbos (tales putatos) inductos credunt ope dæmonum quidem; ſed tamen à cauſis mere naturalibus ab

Satirici cap. 52.

intem-

intemperie ſcilicet, & à viſcerum obſtructione; ſed plurima horum in melancholicorum humorum fomento hærere; quo ſublato, res ceſſerint in melius. Dœmonum actiones, vt animæ dum ſe materialibus immiſcet paſſionibus, & ob id ijſdem obnoxios eſſe, & vt illa remedijs ſubiectos; remedia per formas ſuas operari, & eas aduerſari Dœmoni munere prouidentiæ cœleſtis, quæ etiam precibus piè adhibitis confirmanda. In hac diſſentientium medicorum præſertim velitatione, diligenter expedendum (vt ſenſum noſtrum afferamus) an morbus, v. g. melancholia, delirium, ſtulticia, macieſvè à cauſis mere naturalibus ortum ducant; quod frequens in iuvenibus ſanguinis, & ſeminis euacuatione intercepta, aut eorum alio vitio, vel alijs ad melancholiam diſpoſitis: Item an ſerio conſtet à perſonis infamibus, & iniuſtis ęgro occaſionem paratam eſſe, & mutationis, & morbi illati. Si effectus ſymptomata habeat cauſis naturalibus congruentia, an excedentia vim, poteſtatemque naturalium. Si cauſis naturalibus omnia reſpondeant; piè, & ſtrenuè admouenda ſunt remedia; ſic enim plures ſæpè ſanati fuerunt, qui pro à Dœmone obſeſſis habebantur. Si verò de maleficio conſtet, effectus tamen naturalem cauſam per ſigna ſua præſentem arguant; remedia quidem naturalia, ſed vnà, & ſupplices Deo preces adhibendæ, vt remedij effectus ab aduerſario non reddatur irritus. Quotieſcumque verò ſymptomata perſpicuè arguunt ſupranaturalem cauſæ potentiam; tunc omnis artis conatus irritus euadit; & in ſupplicatione Numinis, & fiducia, in clementiam eius ineffabilem noxæ extinguendæ ſunt: In omni etenim morbo animo valere rebuſque conuenienter datis gaudere; hoc ſane optatiſſimum eſt. Sed quoniam controuerſum poſtremò etiam videtur an per viſum faſcinari poſſit: hoc etiam ipſum dirimere non eſt inconueniens. Qui aſſerunt, dicunt quia notum eſt viſum in contraria ferri, quia ſanus ſano non nocet; ergo à contrario oculus infirmus nocere valebit, & inducere ſigna alterationis, eo ſiquidem modo, quo vox, quæ maximè id efficit: iuxta illud. & firmius inhærent quę vox demiſſa per aures &c. quia etiam in ſano latè ſumpto poſſit eſſe malum. Relictis ambagibus ſoluentes dicamus, viſionem, & auditionem non nocere ſimpliciter, ſed quia ab oculis videntis aliquid effluere poſſit, quod lædat; quemadmodum & ex *ore* loquentis halitus; ergo actio dependet à miaſmate communicato: ergo eadem cura, quæ maleficijs, proprijs videlicet remedijs, quamuis hoc etiam contingere poſſit naturaliter, nulla dœmonum interiecta ope. Cùm igitur minimè implicet ex dictis admittere remedia maleficia auerruncantia; cumque à ſeculis recenſeantur varia ad uſum deducta; non pigeat horum nonnulla in medium afferre; cum præſertim hiſce temporibus cuicumque è triuio liceat in huiuſmodi caſibus medicinam profiteri: immo quid quæſo non faciunt mali Exorciſtæ, & ignari? quid non Agyrte Antimonij puluere emetico, & cathartico? quid non præſtare promittunt hellebori albi puluere, & ſimilium, quamuis interdum cum exitio ægrorum? igitur eis adductis, quæ exiſtimantur in tali caſu prodeſſe; explebimus tandem hanc poſtremam plantarum virium facultatem à tota ſubſtantia prodeuntem. In infantibus igitur tenellis à faſcino vel præſeruandis, vel curandis, ſiue naturaliter, vel Dœmonum vi illato, præſtat corallorum ſal, ſiue

peluis, ita, & ſuffumigium ex ſulfure excitatum aut ex ſuccino, vel Gagate: ſic & corallium prodeſſe tradunt collo geſtatum loco faſcini æneì antiquorum. In maioribus verò, & in adultis ſunt qui confugiant ad antimonialia, neſcio tamen quo felici euentu: probantur interim diaphoretica, & diuretica ſalia, nec non pulueres, & ſpiritus ex Ariſtolochia, Betonica, Hyperico, verbenaque, quæ ob id forſan herba ſacra vocatur. Extollitur ab antiquis ſummoperè Baccharis, de qua ſic lepide Virgilius ait,

Æglog. 7. *At ſi ultrà placitum laudarit, Bacchare frontem*
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Immò & Rutas eximiè valere aiunt, quamuis hanc Ariſtoteles prodeſſe ſcribat melancholicis humorum craſſorum attenuatione, flatuumve diſcuſſione; in ijs forſan tamen ſuſpectæ, quia calidæ; probatur tamen Betonica, quamuis calida; ſic & Viſcum, à cornu tamen arbore depromptum; & herba Paris, aſſertore Aretæo, magnum eſt veneficio dementatis remedium, ſi drachma vna ſemiſſis ſumatur per dies viginti. Idem meminit cuiuſdam antidoti, quod (ſanitatem) appellat, eiuſque compoſitionem tradit; & aſſerit contra exitialia venena, & pluribus alijs morboſis affectionibus opponi, hiſque verbis concludit. Omnis ad hæc faſcini amuletum eſt, & laruas dæmoniorum amolitur. Abrotanum inconiugum faſcinatione eſſertur; multa de alyſſo habet Dioſcorides; Fuchſius Angelicam contra faſcinum optimè uſurpati tradit. Plures etiam alias plantas paſſim à diuerſis auctoribus propoſitas video: Verum quia relatæ magis obuiæ ſunt, & in uſum receptæ, ſufficiat hæc paucula collegiſſe, & recenſuiſſe per compendium, quæ fuſius ab alijs auctoribus traduntur in gratiam plantarum contra faſcinum pollentium: Nunc ad earum purgatricem facultatem explicandam tranſitum faciamus.

De Purgatrice Plantarum facultate.

CAPVT XLVIII.

Purgationis humorum noxiorum vim à forma medicamentorum, non ab eorum temperamento proficiſci ſtatuitur. Pharmaci nomen quot modis accipiatur. an actio purgandi per attractionem fiat, vel ab alia cauſa. Hippocratis ſententia perpenſa. Aſclepiadis, & Helmontij opiniones confutatæ, Galeni ſententia explicata. attrahere tandem humores medicamenta purgantia cathartica vi ſtatuitur.

PRæmiſſa de Natura, principijſve Plantarum generali contemplatione, facultates earumdem expendimus; quarum alias à formis potiſſimum fluere conſtituimus; alias verò deberi temperamento. Quæ à formis proficiſcuntur facultates, vel communes plantarum omnium ſunt, & in nutritione, incremento, generationeque verſantur. Particulares facultates formarum ſunt, quæ vel extra hominem inanimata, vel anima prædita corpora miro vel conſenſu, vel diſſenſu naturæ inſitæ determinatè afficiunt, vel in hominem ipſum agunt, morbos particulares abigendo, aut humores euacuando, aut inimica vi corrumpendo. Qua ratione particu-

lares ex veneficijs inductos morbos profligent, in proximè præcedentibus vidimus; ſupereſt, ut purgandi, quas ineſſe plantis compertum eſt, vires examinemus; idque vel eo diligentius, quo actio ipſa obſcurior, & purgantium uſu nihil grauius ægris, ac perniciofius contingat. Difficultatem præcipuè pariunt ſingulares naturarum proprietates; quamuis enim in multis eodẽ modo pro doſeos ratione operentur; ſunt tamen quibus caſia, manna, ſenna, & benigniora huiuſmodi, animi defectiones, & tormina excitarunt; ſunt nonnulla corpora tam difficilia ad purgationẽ, ut etiam validiſſimorum multiplicata doſi opus ſit; nonnullis tam facilè ſolubilia ſunt, ut largiore vel ſimplici lenientiũ doſi in calamitoſos fluxus inciderint. Noui quem ſtibiũ, & helleboratæ potiones adeò nõ mouebant; ut aut non aſſumptæ viderentur, aut in alimentũ receptæ: cui tamen ſimplex caſia vel tamarindorum infuſio alvum facilè ducebant. Abuſum purgantium quæ conſequatur, quilibet vel leuiter in praxi medica verſatus agnoſcit; ſi ubi non decet, ſi non tempeſtiuè, ſi non conuenienti naturæ patientis quantitate præſcribantur. Facultatem igitur, & uſum purgantium medicamentorum communiter inueſtigabimus, quod Hippocrates φάρμακον & καθαρτικὸν vocat: deinceps, quæ ſingulorum conditio, ut exhibendi ratio reſpiciatur. Purgatio namque humorum à viribus plantarum determinatis fit, non verò à qualitatibus manifeſtis; non enim quidquam ſic agit, quia calidum, aut frigidum eſt, amarum, aut dulce; aliàs & calidiſſimum piper, & opium frigidiſſimum, & amariſſimum tum abſynthium, tum myrrha, glycyrriza itẽ, & dulciſſimi fructus id præſtarent; multò minus peculiares humores educunt. Amicæ quidem illæ homini ſunt; ex accidenti tamen violentæ, quatenus ſuccos noxios ſubtrahunt; licet per ſe plantæ propriè purgent, diuerſæ ſunt & à natura noſtra, & à temperamento. A natura, quia re vera vim nobis inferunt, & impellunt facultatem expultricem; à temperamento, quia pleræque calidiores, & ſicciores; immò nonnullæ magno caloris exceſſu inflammant, & erodunt, ut ſcamonium, colocynthis, & ſimiles. Cæterum pharmaci nomen non unicam obtinet ſignificationem, nec idẽ ſemper indigitat. Homerus namque, dum nepentes illud Helenæ pharmacum ſingulariſſimum extollit, vires omninò diuerſas, præterquam humoribus eliminandis aſſignat, dum inquit, Odiſſeæ lib. 4. pag. 47.

Protinus ſanè in vinum miſit Pharmacum unde bibebant
Abſque dolore, & ira, malorum obliuionem inducens.
Qui illud deglutierit, poſtquam crateri mixtum erit,
Non utique tota die perfundere poterit lacrymas à palpebris
Neque ſi ei mortui fuerint materque, paterque,
Neque ſi ei coram fratrem, aut carum filium
Ferro trucidarent, ipſe verò oculis videret.
Talia Iouis filia habebat pharmaca utilia.
Bonaque illi Polydamna prabuit Iouis uxor,
Ægyptia qua plurima producit fertilis terra
Pharmaca plurima quidem ſalubria mixta, multa lethalia.

Nos tamen in præſentia pharmaci ſignificationem ad facultatem catharticam coarctamus; cui proprium eſt humores noxios in noſtro corpore la-

tentes

tentes ex delectu extrudere. Cæterum actio ipſa quomodo obeatur, an per attractionem fiat, an alia præcipuè, prorſus ratione, diſputationum ſtrophis implicitum maximè eſt. Hippocratis ſanè antiquiſſimi auctoris ſententia fuit, vt ex libro de natura humana manifeſtum, purgantia humores ipſorum naturæ familiares attrahere, non ſecus atque ipſa in terra conſtituta, ſuccum ſibi ſeligunt in alimentum dulcem, amarum, & ſic de ſingulis ſaporum generibus: quod autem præſtant in terra adiuta eiuſdem terræ calore; ſic idem in humano corpore fieri poſſe creditur. Huic tamen opinioni, nec veteres omnes aſſenſum præbuerunt, nec ſuffragantur recentiores. Inter veteres olim Hippocratis placitum reiecit Aſclepiades; qui non trahi humores, ſed à medicamento in corpore generari, & citrà delectum exturbari profeſſus eſt. Non deſunt vtique huic aſſertioni rationes; quia quod trahit, id agit, vt attracto, vel alimenti, vel oblectamenti gratia perfruatur: at plantæ cum vita priſtina careant, iam elixa, infuſa, contuſa, nil horum præſtant; quæ trahunt, vt attractum retineant, trahunt. Id verò non præſtant medicamenta purgantia: quæ trahunt, ad ſe ſe trahunt, non impellunt in contrarium, vt patet in purgantibus integrè vomitu reiectis, ſubſequente tamen larga euacuatione. Quod trahit neceſſe eſt, vt tangat; non ſubire autem purgans intimos, & extremos corporis receſſus patet in carapotijs, ſæpè vt aſſumpta fuere, deiectione reiectis; immò purgatio cùm tam in ſanis, quam in ægris contingat; in ſanis cum humores corrupti non præexiſtant, neceſſarium videtur ab aſſumpto medicamento generatos fuiſſe. At in ægris ſi humores praui antea ineſſent, irritarent ſane prius quam pharmacum aſſumeretur; quod cum non fiat, ab aſſumpto pharmaco vitium adſciuiſſe concluditur. Elmontius verò fere huius opinionis fuit, dum per viſcerum colliquationem à purganti medicamento humores eliminari aſſerit. Fauet Aſclepiadi aſſertioni ex antiquis Eraſiſtratus Medicus clariſſimus, qui nullam rebus naturalibus attractionem conuenire ſtatuit, nedum plantis areſactis, mutilatis, & varia præparatione immutatis. Nec diſſentire colligimus ab Aſclepiade Galen. Hippocraticæ alias ſententiæ aſſertorem ſtrenuum; cum affirmat, purgantia, ſi non educant, quos purgare debent humores à corpore; in eoſdem humores, quos educere debent conuertuntur; Conuerſio autem hæc in humores ſimiles nil aliud eſt, quàm eorumdem generatio. Re tamen vera alia Galen. mens fuit, qui Aſclepij rationes de induſtria refellit, allatis in contrarium argumentorum fundamentis; etenim ſi humores euacuati à medicamento generati ſunt, cur exhibitis ijſdem illis non in omnibus, & ſemper generantur? nam Cholagogum icterico exhibitum copioſam bilem educet, cum profectu: in hydropico verò non educet, afferetque moleſtiam ſummam. Purgare autem pharmaca non vitioſos tantum humores, ſed etiam probos, abundè patet in ὑπερκαθάρσει, nec ſanorum corpora adeò pura ſunt, quin excrementitiæ pituitæ, aut bilis certam portionem obtineant: in ægris autem vitioſos humores tum mole, tum qualitate naturam vexare, ſatis confirmant ægrorum aſſidua inquietudo, aliaque varia ſymptomata, quæ corruptis humoribus à medicamento aſſumpto expurgatis, mitigantur, & ceſſant. Helmontio verò dici poteſt medicamentum

pur-

purgans viſceribus, calidiſque partibus vim non inferre, ſed humoribus noxijs, at quod ex fœtore idem arguit, humorum à purganti medicamento extruſorum, falſum eſt; non enim in medicamenta hoc iaciendum; oritur enim à calidi innati, ſpiritusque eiuſdem conditionis ab humido proprio ſeparatione. Putredo namque partibus ſolidis illata labes grauiſſima eſt, & vix curabilis; immò obſeruandum, quod quæ vitriolo, & ſalſis aquis expurgata ſunt excrementa non malè olent, quia talia putredinem inhibent, & corrigunt. Galeni verò monitum de mutatione pharmacorum in humores ſimiles, non abſolutè de omnibus accipiendum eſt. quamuis enim rhabarbarum, & aloes per ſe calida, & acria in corpore detenta humores ſimiles ſuppeditare queant calore acuto; de mechiok inna tamen, ialappa, colocynthide, affirmari non poteſt; quæ retenta calidos quidem, vel ſiccos humores dabunt, quia per ſe talia ſunt; non autem humores in corpore generabunt pituitoſos, quales ab ijſdem purgari ſatis iam cognitum eſt. Itaque ſi ea, quæ à medicamentis purgantur ſæpè manifeſtis ipſorum qualitatibus diſſimilia ſunt, non poſſunt ab ijs eſſe generata. generatio enim inter ſimilia tantum datur. Cœterum ſi actio purgantium non fit per humorum vel attractionem, vel generationem; an ne ſequitur contrarium, fieri hanc per humorum impulſionem, & fugam? ita ſanè agũt alexipharmaca, quibus cathartica ſimilia ſint ratione temperamentorum, quibus temperamentum hominis excedunt; tum quia certum mouent humorem, quemadmodum illa certum oppugnant venenum. fieri autem hunc impulſum, & fugam à pharmaco conuincit illud, quod etiam pedum plantis admotis validioribus, & recentioribus, ſequitur humorum euacuatio, vt veteribus medicis, etiam Meſuæ ætate innotuit. Verum hæc expenſa diligentius verò conſentanea non ſunt; nam ſi per fugam, & perſecutionem humorum fit actio; quid eſt quod humores euidenti ægrorum ſenſu potius ad ventriculum, & inteſtina feruntur, in quibus purgans medicamentum adhæret? cur à validiore pharmaco aſſumpto à centro corporis ad ambitum non propelluntur? ſimilitudo quidem inter cathartica, & antidota concedi poteſt ratione temperamenti; non tamen in particulari formarum proprietate; immò non omnia antidota perpellunt. Sic enim multa exterius admota, vt malua contra veſparum ictus venenum magis ad interiora compellerent cum ægrorum certiſſimo damno: quod plantis pedum admota cathartica purgent; id admiratione profectò dignam; hoc ipſum tamen non arguit impelli, fugarique humores, ſed loco ſuo moueri; quod dum factum, incidunt in cauitates eas, expultrice irritata, quas ijs expurgandis natura comparauit; nam cur in diſtans, & ſuperiora non feruntur? præcipuè ſi tenuiores humores perſequitur medicamentum. Ad rationes contra attractionem tamquam parum firmas reſpondemus; actiones naturales, quamuis non citrà finem fiant; hunc ipſum tamen nec ſemper rebus ipſis ineſſe; ut fit in motu corporum anima expertium; nec ſemper cognitum eſſe nobis, ut in magnete, & ferro: nec verum eſſe, quod cathartica actu ſicca, vel infuſa, aut trita, vita priore, vel forma careant, ut ſuperius de Plantarum regeneratione propoſitum fuit. Notum igitur ſit medicamenta cathartica per attractionem humores noxios allicere, quod
&

& Ariſt. etiam ſententia fuit 1. probl. prob. 42. Verum quod purgantia humores attractos non retineant, fit, quia tam purgans, quam humores collecti naturalem expultricem ſtimulant ad ſui expulſionem. Tangere humores medicamentum non de craſſiore, ſed de tenuiſſima, & ſpiritali eius parte tantum accipiendum eſt: in qua forma ipſa præcipuè conſiſtit; & probant hoc purgantes pilulæ validiores exterius placentæ forma ventriculo admotæ, cuius exemplum habemus ex Faloppio lib. 1. cap. 2.

De Facultate Plantarum Purgatrice.

CAPVT II.

In dubium reuocatur an attractione humores à pharmaco educantur, vel potius fuga expellantur; aut irritando ventriculum explodantur, & inteſtina. Cardani opinio reijcitur. An purgantia medicamenta ad humores accedant, vel potius è contra fiat. Hippocratis ſententia explicata.

QVemadmodum particularium naturarum proprietates, morborumque proximæ cauſæ ſæpe notitiam medicorum effugiunt; ita remediorum quoque natura denſis veluti tenebris obſepta aciem humani ingenij ſæpius excludit, in exemplo ſint purgantia, quorum actio quamuis euidens ſit; cauſa tamen per quam ſic agunt, moduſque non paucis difficultatibus implicitus eſt. Hippocratis namque placitum fuit, vt modò inſinuauimus, purgantia quemadmodum è terra alimenta eliciunt plantæ, quæ naturæ ipſarum conuenientiora ſint, e corpore humores attrahere. Reijcit, vt vidimus, aſſertum Aſclepiades, & generari potius à medicamento purganti noxios humores, generatoſque ita naturam cum eo propellere. Alij non attrahere, ſed fugare tantum, & per vim contrariam expellere humores arbitrati ſunt; quorum etiam rationes, quia minimè probabiles ſunt, in præcedenti capite confutauimus. Inter recentiores neſcio an nouitatis magis, quam veri ſtudio quidam purgantia tantum irritando ſenſim ventriculi, & inteſtinorum tunicas naturam ad expulſionem humorum prouocare dicunt; quemadmodum quæcunque acria naribus attracta expultricem cerebri mouendo pituitam ducunt. Eſſe autem pleraque non ſapore tantum, ſed etiam odore moleſta; quod anſam dedit Ariſtoteli quærendi 1. Problem. 42. cur medicamenta purgant alia vero amariora &c. ut quamuis non aſſumpta, ſed odore tantum percepta, ut de præceptore ſuo ſcribit. Cardanus, motum humorum per aluum, & vomitum concitarint. Et Chimici quidem etiam ex ijs, quæ inſipida nobis videntur, acrium talium copiam eliciunt. Verum hæc opinio rei propoſitæ non ſatisfacit; nam quamuis concedi queat acria expultricem ſtimulare; quod tamen eadem certis exhibitis acribus, nunc bilem, nunc pituitam expellat, nunc melancholiam, aut ſerum; id aliã arguit cauſam, quàm ſimplicem irritationem. Nec tamen verum eſt purgantia omnia ſapore, aut odore ingrata eſſe, quid enim horum in lapide lazulo? quid in Iudaico, in ialappa, mechoacana, & ſimilibus? habeant cum Chimicis medicamenta

ta

ea ſua ſalia, quæ purgant; certe copioſiora non habent, quàm abſynthium, aut Kali genera, quæ tamen aſſumpta nihil purgando præſtant; quemadmodum ingens medicamentorum ſeries, in quibus acrimoniæ, & mordacitatis plurimum percipitur. Hieronymus Cardanus vir ingenio, doctrinaque clariſſimus purgationem quidem humorum attractione fieri concedit; hanc ipſam tamen non à medicamentis fieri purgantibus immediatè, ſed à ventriculo, & inteſtinis ob communicatam ipſis à pharmaco qualitatem. Ratio, qua fuit perſuaſus, ea eſt, quod attractio proprie ſic nuncupata, ſit actio corporum viuentium; in purgantibus autem vita priſtina non eſt, deinde quoniam purgans ſæpè totum vomitu reijcitur, ſubſequẽte tamen euacuatione; id verò non fieret, niſi qualitas medicamenti ventriculo communicata fuiſſet, & inteſtinis, ob quam humores allicere potuerunt; immò purgatio, quæ fit ob perceptum tantum pharmaci odorem, aut pilularum purgantium paſtam exterius ventriculi regioni admotam, non videtur aliter, quàm per qualitatis communionem fieri. At hæ Cardani rationes quantumuis ſpecioſæ videantur; veritatem tamen non attingunt. Etenim quod viuentium tantum propriam contendit attractionem eſſe; id facilè conuellit mirabilis rerum anima carentium conſenſus, & conſpiratio; qualem inter naptam & ignem, hydrargyrum & aurum, magnetem & ferrum obſeruare licet: Neque Hercules, medicamenta purgantia vita ſimpliciter deſtituta ſunt; etenim cùm ſubſtantialis vita ſit ipſa *rei forma*; quamdiu propriæ formarum vires in ſubiecto nondum abolitæ ſunt; tamdiu neceſſum eſt formam ipſam in ſubiecto perennare; quemadmodum abſurdum eſt mortuum pronunciare animal, quod motu adhuc, ſenſuvè præditum eſt; quamuis reliquas actiones omnes haud exerceat. Iam qualitas illa, quam communicari viſceribus aſſerit, quia reiecto, ablatoque medicamento perſeuerare eam fatetur, & in corpus agere, ſatis confirmat non eſſe eam ſimplicem qualitatem, veluti lumen, quod conſequitur lucem; ſed eſſe (ut in ſcholis Metaphyſicis loquuntur) qualitatem realem, & in proprio ſubiecto conſiſtentem; ex quo conſequitur propriam purgantis naturam inſinuare ſeſe in partes corporis, quamuis tenuiſſima, ſubiecti ſcilicet materiæ portione, halitus, vaporiſvè ſpecie per meatus poroſque recepta. Agunt ergo purgantia per naturam propriam, quod poſſunt, quamuis in minimo ſubiecti reſiduam; nec aliud hic partium calor præſtat, quàm quòd rarefactione materiæ vim pharmaci latentem in actũ deducit. Sunt qui ſe euaſiſſe difficultatum ſcopulos exiſtimant conſtituẽtes purgantia medicamenta non attrahere humores, ſed hos ipſos ſponte ferri ad eadem medicamenta. Nam ſi humores ex Hippocratis placitis, ſe habent ad purgantia, ſicut alimenta ad ſtirpes alendas; alimenta autem, iuxta ſententiam quorumdam philoſophorum, ad rem alendam ferantur, prout alimenta communia mouentur ad ſua loca; conſequens fuerit data hac ſimilitudine, humores ad purgans medicamentum ſponte accedere. Gal. ſanè fatetur humores corporis humani ad purgans moueri ea ratione, qua ferrum contendit ad magnetem. at ferrum, ut Scaligero, alijſque, placet, non trahitur, ſed ultrò feſtinat ad magnetem; quippe cum quo oritur, & à quo conſeruatur; ergo & humores ex Gal. mente, & ſenſu, non trahuntur

huntur à medicamento purgante, ſed ultrò ad illud contendunt: hæc tamen tam facilè admitti non poſſunt. Ac primò quidem à ratione alienum eſſe videtur corpora grauia ſponte ſua ſurſum ferri, quæ aut trahi, experimur, aut impelli, quotieſcumque anima carent; ergo & humores tum frigidi, tum craſsi, cùm partes propriæ viuentes non ſint; vel trahi neceſſum eſt, vel impelli. Quod ſi, ut dictum eſt, ad Pharmacum vltro proruit humor; quid eſt, quod ſumpto medicamento bilem euacuante totius corporis bilis, quamuis exigua eius doſis, non fertur ad illud uniuerſa? nam Elementa v.g. terra, niſi quid impediat, tota fertur ad ſuum locum; nec eſt quod exiſtimemus motum illum à retentrice corporis impediri, cum ſatis praxi cognitum ſit ſanguinis profluvia, humorum que vitioſiorum diarrheas ſæpè nec à natura, nec ab arte coerceri poſſe; quibus conſtitutis non difficulter obiecta diluemus. Et Hippocrates quidem non abſolutè purgantia, ſtirpibus alendis comparat; ſed habito reſpectu ad ſelectiorem ſucci familiaris naturæ ipſorum, aut ab ea alieni; quamquam falſum ſit alimenta ſpontè ferri ad partes alendas, quia non habent in partibus, quo feruentur; ſed potius cauſas, ob quas variè mutentur. Secus autem ſe res de Elemenris habet ad locum ſuum properantibus. Gal. haud immeritò in purgandi actione, ferri, & magnetis utitur ſimilitudine. Nam quemadmodum in magnete naturalis impetus eſt coniungendi ſe ſe cum ferro; ſic in medicamento purgante cum determinato humore. Eſſe autem in magnete vim illam trahendi vel ex eo conſtat, quod ferro detento quominus ad magnetem poſſit accedere, magnes ſeſe non promouebit ad ferrum. non tamen per omnia hæc comparatio ſeruatur; humores enim coniuncti pharmaco non retinent integritatem naturæ ſuæ, vt ferrum iuxtà magnetem. Hoc interim dandum eſt eſſe in humoribus hanc naturalem συμπάθειαν, ob quam à determinatis pharmacis ſe ſe moueri patiuntur. Itaque cum illa aliorum ſententijs acceptis, atque expenſis nihil ſit, quod animo veritatis auido ſatisfacere queat; Hippocratis placitum purgationem per attractionem humorum fieri, tamquam veritati magis conſentaneum, meritò amplectimur. Dari attractionom abundè contra Eraſiſtratum probat Gal. ut dictami, peucedani, aliſſi exempla non afferamus; confirmat ſenſus eorum, qui ſumpto purganre, ſtomachum grauari, ac repleri percipiunt; conuincunt pharmaca umbilico admota, ad centrum corporis humores compelli. Nec obſtat, quod purgantia medicamenta non amplius vita priore fungi videantur, non alimenti, aut oblectamenti finem conſequantur; cum de motu ipſo certi ſimus: Denique quod imminuta non conſpiciantur, ſiue reijciantur, vel ſi exterius admoueantur; quandoquidem ſatis eſt tenuiſſimum quid, & vaporoſum ab ijs diffundi, & ut loquitur Coſtæus, continuatam, veluti radiorum emiſſionem fieri.

Qua vi purgantia attrahant.

CAPVT L.

An attractio Medicamentorum purgantium ob occulta fiat, vel manifeſta qualitate. Auerrhois ſententia reijcitur, fieri purgationem ob declinationem & fugam vacui. Non fieri à temperamento accidentali, neque ſubſtantiali attractionem, neque ob ſimilitudinem naturæ medicamenti cum humore, ſed ob naturalem medicamenti purgantis potentiam.

OPtimum eſt Galen. monitum, Hippocratem ſalubrium præceptorum omnium ſemina nobis tradidiſſe, adeoq; noſtrarum eſſe partium quę accepimus, ut bonos cultores decet, commodè ſerere, augere, perficere: Inter Hippocrarica verò præcepta eximium illud eſt, quod de purgantibus medicamentis lib. de Natura Humana proponit; trahere videlicet purgãtia humores, quæ ipſorum naturæ præcipuè ſubiacent; ſiue ut ipſius verbis utar ,σαμαλιςα κατὰ φύσιν αὐτίων ἐισι, quæ maximè ſecundum ipſorum naturam ſunt. *Hoc* itaque ſapientiſſimi ſenis placitum non ſine ingenij laude variè interpretati fuere Hippocraticæ doctrinæ ſectatores, quorum alij attractionem hanc medicamenti purgantis ad manifeſtam adduxerunt facultatem; alij ad ocultiorem formæ vim. Qui manifeſtam cognouerunt cauſam, ad calorem potiſſimum attractionis opus retulerunt. Equidem calore Solis attrahi ex terra, & circumfuſis aquis halituum copiam, & ſuſtolli in aerem vulgo notum eſt. calidioribus quoque medicamentis, qualis Phraſia, frictionibus, & admoto igne partes calefactæ ſpirituum, & humorum concurſu intumeſcere obſeruamus: Verumtamen nobilior hic affectus eſt, quam ut ad ſimplicem calorem poſſit reuocari. nam ſi caloris opus hæc attractio eſt; calida omnia medicamenta purgarent; ita quodlibet calidum purgans omne humorum genus adduceret; tenuiores humores primò ſemper euacuaret, quæ ſine dubio cenſuram experientiæ minime ſuſtineret; cùm neque piper purget, neque ſcamonium acri calore perſuſum ducat humorem atrum, neque hellebora bilem tenuem. Ignis autem, & Solis exemplum, quod inducunt, extra rem eſt, cum attrahanr, vel potius reſoluant humida citra ullum delectum: nobis hic de certi, ac determinati humoris attractione ſermo eſt. Auerrhoes inter anteacti ſeculi medicos doctiſſimus cum difficultates has animaduerteret, præter calorem, proprietatem, & conuenientiam, inter id, quod trahit, & attrahitur hoc facere. Cæterum quia hanc proprietatem, & conuenientiam ex omnium varia elementorum mixtione deriuat; inter attractionem, quæ fit à calore, & aliam, quæ fit à proprietate, nullum relinquit diſcrimen. Nonnulli rem melius euolui poſſe exiſtimarunt conſtituentes à calore attractionis tantum, & motus initium fieri; reliquam deinde humorum commotorum euacuationem fieri ob conſecutionem motus in humoribus, quæ fit ob fugam, ſiue declinationem vacui. Etenim cum calor, qui tractu ſuo humorum motui dedit initium, ijs affluentibus obtundatur probabile videtur; reliquam

fluxus continuationem ob vacui fugam contingere: ità demiſſa in plenum liquore vas recurua fiſtula, à prima humoris attractione reliquus deinde liquor eadem via conſequitur. Sed hæc non ſatis firmo talo fulciuntur; nam ſi hunc in modum purgatio fieret, non bilis diſtinctè, aut pituita, ſed quidquid obuiam eſt; immò ipſe ſanguis corpori ſubduceretur; quin etiam leuiſſimo quouis medicamento, ſtante exemplo fiſtulæ, humores vacuarentur uniuerſi. Concedi quidem poteſt tandem affluxu humorum purgantis vim obtundi; at fluxus hic non tam repente, & confertim fit; nec protinus ad ventriculum; ſed frequenter ad patentes, & laxiores inteſtinorum meatus. Maior verò medentium pars, purgantis medicamenti attractionem temperamento tribuunt; & præſertim qui imprudentiores, & morum differentiam, & animam viuentium e ſimili qualitatum elementarium mixtura deriuant. Non eſſe autem à temperamento hanc attractionem, conuincit illud, quod nec formæ, nec facultates elementorum habent in ſe potentiam determinati humoris motricem; itaque cum in principijs componentibus actu determinati, ſiue certi humoris attractio numquam fuerit; neceſſarium eſt, vt nec in compoſito ex his ipſis actu vnquam attractio talis emergat. At excuſant hic ſe facilè temperamenti aſſertores; nec ad accidentale ſolum temperamentum; ſed etiam ſubſtantiale reſpiciendum eſſe monent, & ſapores; adeoque non quod ſimpliciter calidius, ſed quod ſubſtantiæ acrioris, amarius item, & acrius id profundius ſe ſe inſinuare. Cum ijs Chimici ſunt, qui à ſalibus quæque hæc deriuant, adeoque colocynthidem, quia partium tenuiſſimarum, valde item acris, & amara, pituitam vel ex ipſius Hippocratis monitu, tractu contumaciſſimam, toto corpore, adeoque etiam ab articulis deturbare. Epithymum, quia tenuium partium, & acre, melancholicos humores euacuare. Aloem contrà, quia ſubſtantiæ craſſioris, & Caſſia quia calore debilior, bilem, ſimileſque faciles ad motum humores attrahere. Verùm nec iſta propoſito ſatisfaciunt; nam iam ante oſtenſum eſt non piper, non cinnamomum, aliaque talia, calore, acrimonia, & tenuitate partium inſigniora, minimè tamen præſtare, quod purgantia: non item quæ vel amariſſima ſunt educunt pituitam. Nihil horum præſtat, vel abſynthium, vel myrrha. Aloe quoque bilem potius expellit, quàm pituitam; marina braſſica, quam & ſoldanellam vocant, ſubamara tantum eſt; validiſſimum tamen humorum tenuium, & ſeroſorum purgans. Noſtri temporis mechioachana inſipida eſt, neque etiam atros humores trahit quidquid acerrimum eſt; non facit id lapis Iudaicus, Armenius, Cyaneus item, ſiue Lazulus, qui ſapore guſtantibus inſipidi; nec bilem trahunt, quæ temperata ſunt; cùm id ſtrenuè faciat ſcamonium acre ſanè, & exurentis naturæ medicamentum. Scio qui hæc defendunt Gal. habere ſententiæ ſuæ auctorem, qui lib. 3. de Simpl. Facult. ſcribere auſus eſt Cnicum, quem & Cartamum appellant, euacuare pituitam, quia ſubſtantia pituitæ ſimilis pituitoſus ſit lentore, & guſtu, tum quia colore albus; ſed hac tanto viro, ſi ſerio fatendum, penitus indigna ſunt, at Gal. hæc conſiderabat in Cnico tamquam ſignum, non verò tamquam cauſam: equidem Agaricum tenuis, leuis, & friabilis ſubſtantiæ educit pituitam craſſam, & lentam: Colocynthis inſigniter acris, & amara pitui-

tam

tam vacuat frigidam, & ſapore dulcem; myrobalani citrini denſæ ſubſtantiæ, & temperamento frigidi iuxtà cum tamarindis bilem trahunt tenuem, & calidam; ità manna candidi coloris, & ſcamonium cinerei bilem flauam: myrobalani chebuli colore ſubnigri, pituitam albam eliciunt; adeò ſtabile fundamentum nullum eſt ijs, qui facultatem certos humores attrahendi vel ad conſiſtentiæ modum in craſſitie, & tenuitate, quem ſubſtantiam & ſubſtantiale temperamentum nuncupant, vel ſapores, vel (quod ineptiſſimum omnium eſt) ad colorum ſimilitudinem referre conantur. Itaque clariores huius æui ſcriptores trahendi hanc facultatem in ſimilitudine conſiſtere arbitrantur formę cum natura, vel forma humoris, qui attrahendus eſt, qualem inter magnetem, & ferrum eſſe proditum eſt. Attamen cum de ſimilitudine ſermo eſt, protinus objicitur inter purgans medicamentū, & humorem, quia ſpecie differunt, non poſſe conſtitui ſimilitudinem; ſiequè hæc forent, humores attracturos etiam medicamentum; adeoque potius retentum iri. Immò ſi ob formarum ſimilitudinem attractio fit, humores humoribus longè ſimiliores, quia plures ſunt, & ſe ſe mutuo trahentes medicamenti trahentis viribus ſemper forent ſuperiores; aut etiam cùm vnus attrahitur humor, reliquos pariter, ob ſimilitudinem, eum eo ſubſequuturos vniuerſos: nec ſimilitudinem illam, quam inter ferrum, & magnetem obſeruamus ab ullo hactenus ſcientificè demonſtratam eſſe comperimus; atque actionem tanta cum violentia, & perturbatione, prout fit, in euacuatione à medicamento purganti fieri non debere, ſi per naturæ ſimilitudinem contingat. His eruditè reſpondet Ioannes Coſtæus nil obſtare quominus quæ ſpecie differunt, ſimilitudine tamen aliqua formarum conueniant; quemadmodum eius inter plantas, & animalia, inter etiam item homines, & animalia quædam ſatis nota ſunt exempla; humores verò non ſimiles inter ſe natura eſſe; ſed eoſdem, quia ſpecie conueniunt, ut homo cum homine, & ob id idem eſſe ſpecie non diuerſum. perturbationem item fieri non ratione tractus, ſed partim ob temperamenti diſſimilitudinem, partim ob formarum cum humana natura diſſidium; cum ſatis conſtet purgantium quædam eſſe venena. Mihi verò nil obſtat, quominus attractionem hanc, omiſſo, ſi lubet, ſimilitudinis ſuſpecto vocabulo, per purgantis potentiam fieri dicam naturalem; qua voce frequenter vtitur Hippocrates. Hæc attrahendi potentia in purgante actiua eſt, in humore purgando paſſiua, utraque Hippocratis ſenſu κατὰ φύσιν. Igitur aſſeuero vim mouendi determinatum corporis humorem eſſe à forma ipſa; fierique per potentiam ipſi inditam; calorem verò medicamenti, partiumque tenuitatem, acrimoniam eſſe tantum συναίτια, cauſas purgationem incitantia, accelerentia, promouentia: illam verò primariò exiſtere. attractionem verò cum, ut dictum, alijs multis tribuamus, quorum uni, (ut cordis, neruiſque muſculorum) ſi propria actio adſcribitur nil refert, quin attractionem hanc, ſi non ὁμωνύμως, ſaltem ἀναλόγως talem eſſe aſſeueremus; ſed ſolum tenebras multis objicit, vt non aduertant animo à natura pharmaceuticæ hanc facultatem; quia non idem amplius, ſed artificis manu infuſum, extractum, decoctum, contuſum, at iam ſæpius inculcatum, vt vel in minimo conſiſtere poſſe integram naturæ vim percipiamus, & rationē;

adeoque

adeoque vel aſſumptum, vel admotum medicamentum, ſaltem ad actum calore promoueatur, & ſic opus, & potentiam naturæ efflorescere; quod quidem agnoſcentes magni viri Stuchius, Sennertus, Licetus, Coſtæus, & alij, non diſſimularunt; nec aliud ſanè volunt hi, qui animæ ſiue formæ fomentum reliquias, veſtigium, vita priore defunctis ſupereſſe concedunt.

De Purgantium Differentijs quantitate, & qualitate.

CAPVT LI.

Quæ ſint medicamentorum catharticorum differentiæ ſtatuitur. An detur ſimplex catharticum, quod omnes humores educat. An dari poſsit in natura medicamentum, quod ſanguinem electiuè ducat. Diſquiritur à quo doſis medicamentorum petenda ſit.

PVrgantia medicamenta certos è corpore humano humores attrahere, idque per inſitam ipſis formæ potentiam ex Hippocratis ſententia nuper determinauimus. Quæritur deinceps quænam ipſorum differentiæ, cùm varias admittant in caloris gradu ſiccitate, humiditate, ſaporis amaritudine, acrimonia, aciditate, odore plus, minuſve inſuaui; non omiſſis ijs, quæ temperamenti conſtitutio ſuppeditat: cuius ratione alia lenientia vocamus, alia deiectoria valida, alia vomitoria utriuſque conditionis. Lenientia dico ea, quæ purgandi facultatem debiliorem poſſident, adeòque ea tantum, quæ tum in ventriculo, & inteſtinis adhærent, autque ventriculo, & inteſtinis proximi humores ſunt trahere valent; adeòque diſtinguo inter lenientia propriè ſic dicta, quibus attrahendi humoris facultas ineſt, quamuis debilis, qualis caſſia, manna, Tamarindi, & huiuſmodi alia, & impropriè talia; quorum effectus temperamento acceptus fertur. Horum alia mouent, alvum detergendo, veluti mel, & ſaccharum purius, melicratum, muſtum; alia abluendo, ut aqua dulcis frigida, aut calida copioſius hauſta, maximè ſi nitri, aut ſalis parum poſſideat; vel etiam Thermarum ſalſa largius aſſumpta; vel lubricando, vt ſumptum oliuarum oleũ, aut amygdalarum, butyrum, iura pinguia, aliaque his ſimilia; quibus et.ã cum Gal. addunt vulgò lenientia, quæ adſtringendo operantur, ſi ipſa ante cibos liquidos, laxanteſque aſſumantur. Sed hic effectus ex accidenti tantum adſtrictionem conſequitur. Propriè dicta lenientia certos humores euacuant, vt manna pituitoſos, Caſſia, & Tamarindi bilioſos: Impropriè vero talia ſine delectu omnia propellunt. Pharmaca, quæ & propriè cathartica dicuntur, quamquam per alvum, & ſic per vomitum, quæ ad id reſpiciunt, purgant; hæc denuò vel ſimplicem præcipuè reſpiciunt humorem, adeoque cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, hydragoga; vel humorem mixtum, ut Cucumis agreſtis, & ſtibium. Dubium ſane eſt, detur ne ſimplex Catharticum, quod omnes præter ſanguinem, humores trahat citrà hypercatharſeos exceſſum; ſimplex dico; nam compoſitum tale arte parari poſſe citra ambiguitatem eſt. Agnouiſſe id cenſetur Hippocrates, cum lib. de Natura humana dixerit vnum, idemque Pharmacum

eidem

eidem homini exhibitum pro diuerſo anni tempore euacuaturum nunc cruentum quid bilioſum, nunc, melancholicum, aut pituitoſum: ſed hæc cum non ſint de omni tempore, clarè patet Hippocratis ſententia: nempe corpus humanum quatuor obtinere diſtinctos humores, eiſque pro diuerſa anni tempeſtiuitate magis, aut minus abundare; adeoque purgans medicamentum, quamuis trahat id, quod maximè ſecundum naturam ſuam eſt; irritatam tamen naturam expellere pariter illum, qui magis abundat: copioſior autem verno tempore ſanguis, bilis æſtate, autumno melancholia, hyeme pituita. An verò detur medicamentum, quod propriè, & diſtinctè purget ſanguinem; conſideratione dignum eſt, propter auctoritatem Gal. lib. de medicam. purgantibus, qui id innotuiſſe homini ſcribit, cùm puer inter Bythinos degeret, cum fortè porcinum iecur terræ herbis ornatæ imponeret, attracto ex eo vi ſubiectæ herbæ ſanguine. De Cantharidibus notum eſt aſſumptas cruentam vrinam concitare; Eritrodani, ſiuè Rubiæ radicem aliaque plura, menſtrua mulierum ciere; Aloen diutius ſumptum hæmorrhoidum fluxum inducere; vt & centaurium minus exterius iiſdem crebiò admotus: hyſſopi quoque ſerpillique comam naribus intruſam earum hæmorrhagiam accerſere. Faloppius ſanè Gal. obſeruationem puerilem aſſerit, adeoque non ſatis probatæ fidei, præſertim cùm experientia nondum tale medicamentum patefecerit. Allata exempla non propriè purgando trahentium ſunt, ſed vel inflammantium, aut exulcerantium, vt Cantharides habentur, vel intenſiore calore ſuo, & acrimonia *ſanguinem* attenuantium, attrahentium, venas aperientium, ex quibus *Rubia*, Centaurium minus, hyſſopus, & alia huiuſmodi. Cruentæ ſanè deiectiones, ſi quidem bonæ ſunt, exonerantis ſe ſanguinis mole, effectus naturæ ſunt; alias aut Hypercatharſim, aut inſignem iecoris debilitatem, aut inteſtinorum eroſionem, ulcuſque conſequuntur. Deiectoria medicamenta alia communiter è toto corpore humorem exigunt, alia e parte magis determinata: ſic Hermodactylus ab articulis, Agaricum à pulmonibus, pectoreque, Rhabarbarum à iecore magis ducere medicorum obſeruatione ſatis patefactum eſt: cuius cauſam non alio, quàm in ſingularem formæ cum determinatis partibus conſenſum referre licet. Iam vomitoria medicamenta alia improprie talia, quæ vel mole ventriculum aggrauando, aut inimico ſapore, vel odore irritando, eius expultricem commouent; alia propriè, quæ humores tractu alliciunt. Hic ſatisfeciſſe nonnulli arbitrantur ſi aſſerant vomitum excitari, cum medicamentum purgans leue eſt, & ventriculo innatat; deiectionem verò conſequi cùm ponderoſum eſt, ut lapis lazulus, & Cyaneus. At hæc ſi ſola, ſatis infirma coniectura eſt; nam & Agaricus plurimum deiectiones concitat, & Cyaneus lapis vomitum; immò ſunt, qui aſſumptorum medicamentorum ullum vix vomitu reiiciant: alij contra, qui vel pleraque vel omnia reddant per os; rectius alij exiſtimant cum Meſue cauſam hanc medicamenti, & medicamentum ſumentis propriæ naturæ tribuentes. Nec enim eſt, quod Lathyridis folia ſurſum abrupta vomitum moueant, aut verò ſenecij deorſum detracta alvum; atque etiam vulgata iam opinione, tithymali myrtifolij radicem rectam ſurſum terra evulſam, vel potius recto ductu ab immo ad

ſum-

ſummum abraſam deiectionem mouere; ſi verò contrario modo, vomitum ciere; id profectò, niſi fabuloſum ſit, vt autumo, aliò, quam ad naturæ proprietatem referendum non eſt. Non negandum tamen eſt, ut alibi fuſius, caloris vi medicamentorum materia, & humorum attenuata, facilius partes ventriculi ſupernas petere; & ſic à quocumque medicamento concurrente partis diſpoſitione, vomitum cieri poſſe. Inter concurrentes tamen vomitus facilis cauſas agnoſcimus inſuauitatem medicamenti, quam obtinet ratione odoris, ſaporiſve; craſſitiem, aut molem, & tenuitatem, aliaque manifeſtis qualitatibus debita. Sed antequam in particulari purgantia examinemus, operæ pretium eſt in cõmuni prius, ut proponamus quid in exhibendi medicamenti purgantis tum quantitate, ſeu doſi, tum viribus expendendum ſit. Quantitate medicamenti purgantis inuenienda, vere Gal. 2. methodi medendi cap. 3. & in com. lib. 2. de ratione victus in acutis, nihil in arte medica difficilius aſſerit; quod nec præcipi, nec ſcriptis ſatis comprehendi poſſe exiſtimat: in ea tamen indaganda tum experientia opus eſt, tum cognitione naturæ tam ægri, quam pharmaci exhibendi. Experientia vel propria requiritur noſtra, vel aliorum beneficio nobis comparata; non deſunt enim, ut ex veteribus Meſue, ſic è recentioribus clariſſimi ſcriptores, qui de purgantium doſi accuratam doctrinam poſteris non inuiderunt; inter quos Alexander Maſſarias, Gabriel Fallopius, Braſauola, Fucſius, Rondelletius, Renodeus, Oſmanus, alijque permulti; ut cum experimentum proprium periculoſum ſit; felices hac in parte nos prædicemus, qui laborioſis aliorum inuentis, & obſeruationibus perfruimur. Itaque exhibemus purgans medicamentum ea doſi, qua id ſufficienter operari, vel ipſi experti in pluribus ſumus; vel ab alijs in pluribus expertum accepimus. Vt ægri naturam cognoſcamus diligenter indagandum eſt, an hic laxam alvum habeat, aut adſtrictam; certis odoribus, & ſaporibus abhorreat, vel delectetur; facilè ad vomitum incitetur, vel difficulter; atque an medicamentum purgans iam antè ſumpſerit; nam quibuſdam laxior alvus, ſtomachus nauſeabundus, & ad vomitum promptus; aut nondum purgante medicamento expertus fuerit; ijs minor equidem doſis exhibenda, & gratius odore, & ſapore offerendum; deinde exactè inquirendum virium robur, cuius inditia nobis præbent habitus corporis, videlicet bene carnoſus, aut præpinguis, aut macilentus, graciliſvè ſit, & pulſus, ſexus, ætas, vitæ genus, & huiuſmodi alia. Robuſtis enim viribus, & labori ſufficientibus etiam extremis remedijs locus eſt; quo fit ut interdum, (licet perarò) etiam neceſſitate cogente, ab antimonio non abhorreamus. In medicamentis perpendendum agendi vis blanda, valida, an validiſſima; in his, quæ primi ordinis, & lenientium, in ſubſtantia exhiberi poſſunt ad ℥ j. immò ad ℥j. ſ.; Quæ ſecundi ordinis, & non ità, ſed validè purgant, ad ℈ ij, uſque ad ʒ ij; quæ tertij ordinis, & valida iam ad ℈ ſ, & ʒ ſ.; & quia latitudinem habent, quæ validiſſima ad g. iiij, vel v. ad ℈ ſ. tantum exhibentur. Variat quoque doſim locus natalis, etenim orientalis manna paulò fortius ſoluit Calabrina, item ætas in pleriſque, quamuis ſuccus Agreſtis Cucumeris ad quinquageſimum annum perdurare integrum tradat Dioſcorides, multo verò magis variat quantitatem artificio-

ſa præparatio, ſiue vulgaris potio, vel infuſio, aut pilula, vel exquiſitius extractum, aut eſſentia concinnetur. Adulteratio quoque curioſè indaganda, cumque id innoteſcit, an additio augeat purgatricem vim, vel imminuat conſiderandum; ſic de ſyrup. roſac. ſolut. habendum, quem temerarij Pharmacopœi omiſſis repetitis roſarum duodecim infuſionibus, parant cum ſcamonij infuſione.

De Qualitate Purgantis Medicamenti, & Conſequentis.

CAPVT LII.

De Corrigentibus medicamentorum purgantium noxas quædam conſiderantur, & de conſequentibus ſymptomatibus. Quid moliendum proponitur, ſi nimis tarda euadat euacuatio. An retentum medicamentum in humorem quem trahere debebat vertatur, vel potius ſi praua conditionis ſit, venenum generet.

IN purganti medicamento cum auferendi morbi præcipuè ſpes conſiſtat, ablata per id eiuſdem cauſa; duo communiter ſpectanda eſſe proximè determinatum fuit; nempè quantitatem, ſiue doſim, tum etiam qualitatem, antequam homini pro ægritudine ſubmouenda exhibeatur. quantitatem inſuper conuenientem offeremus, ſi curioſè indagemus propriam ægri naturam, immò & affectus præter naturam, quibus aliàs facilè obnoxium eſt; & quod præcipuum eſt, eiuſdem vires: deindè ſi in ipſo Pharmaco robur facultatis vel propria, vel aliorum experientia compertum habeamus. Conſiderationi verò quantitatis proxima eſt ratio habendæ qualitatis, ut purgans medicamentum, vel purum exhibeamus, & ſimplex, vel alijs permixtum, ita ut medicamenti qualitas non tantum ratione formæ, ſed ratione temperamenti humanæ naturæ conſentiat; aut ſaltem intra legitimam doſim exhibitum non aduerſetur; tunc nihil obſtat quominus id ſincerum, & impermixtum exhibeamus. tales habent qualitates pleraque lenientia, ut manna, caſſia, tamarindi, terebinthina, aloe item, & rhabarbarum. quod ſi verò, ut ferè contingit, in calidioribus purgantibus naturæ noſtræ amica non ſint; tunc ſanè, quantum fieri poteſt, diligenter prius corrigenda fuerint. Aduerſatur autem ægro frequenter forma ipſius medicamenti venenata, aut maligna vis; aut temperamenti exceſſus, vel ſingularis in odore, aut ſapore ingratitudo. Coercemus pharmaci virulentiam admixtis communibus, aut proprijs antidotis, aut corroborantibus ventriculum, aut viſcera, aut ſimpliciter vim illius obtundentibus. Antidota pharmaco miſcenda talia requiruntur, quæ facultatem purgandi non impediant; qualia calore, & partium tenuitate eius actum promouent; ideoque in hunc uſum præcipuè recepit Hippocrates ſemina dauci, ſeſeli, apij ſatiui, aniſorum, fœniculi, cumini, laſeris ſuccum, & piper; clariſſimi inter veteres thimi, aut pulegij portionem; Arabes Indianum aromatis abundantes cinnamomum, caryophyllos, ſchenanthon, zingiber addebant. Roboramus contra vim purgantium ſtomachū admixtis vel cydoniorum carne, vel maſtiches exemplo Gal. Nec eſt quod

vereamur, adiectis adſtringentibus, anguſtiores reddi venas, per quas humor eliciendus; ſiquidem ſatis experientia conſtat in validioribus non impediri purgandi promptitudinem; atque inter ipſa purgantia habeantur, quæ propriis viribus adſtringunt, & tamen validè ſubducunt, ut aloe, tamarindi, tartarum. Retundebant pharmaci malignitatem veteres admixtis cibis ſuauioribus; ita Hippocrates lib. 2. de ratione victus poſt Veratrum, ac Peplium ſumptum, ptiſanæ cremorem protinus præbebat. Hac ætate receptus inter medicos apozematum uſus, quo nomine communiter appellantur quæcumque liquida, ſumptis purgantibus aridis, hauriūtur. Auicenna panem vino infuſum indulgebat, longè tamen utilius eſt, ut dictæ intentioni ſatisfaciamus, exhibere poſt medicamentum purgans, iuſculum, in quo cum ſimul vim reſpicimus pharmaci; enartata communia alexipharmaca leniter decocta ſint, qualia & citri, & aurantiorum ſemina, iiſque ſimilia. Excedentem autem purgandi vim, & effrænem moderamur exhibita doſi minore, vel remixta cum medicamento grato largiori doſi, quomodo ſcamonium cydoniorum carni miſcere docuit Gal. vulgatius eſt imminuere vires vehementes purgandi infuſione, vel decoctione medicamenti facta. Qualitatem manifeſtam corrigimus, calorem, atque acrimoniam demulcentibus: inſuauitatem ſaporis emendamus adjuncto grato quodam aromate, melle, ſacchato, conſerua item, aut condito ſuauiore: ſi cibo gratiori puluetis forma medicamentum admiſceatur; auri argentivè foliolis inducatur, ut fieri ſolet in pilulis ſic concinnatis: ſi denique ventriculo, umbilicovè exterius, aut pedum plantis, ut ſolebant antiquitus, admoueantur. Vtile quoque Meſues conſilium eſt, ſi certas partes magis euacuare nitimur, ea pharmaco permiſcere, quæ eiuſdem vires facilius ad eas deferunt partes: Itaque ſi caput magis afficere debeat, ſagapeni parum, aut opopanacis adiungendum eſt: ſi pectus ammoniacū, ſi iecur abſynthium, aut mentham; ſi uterum miſcendam artemiſiam, calamintham, matricatiam; ſi atticulos, iuæ attriticæ, aut chamædrij ſuccum, ſiue aquam ex his ſtillatitiam, aliaque his cognata. Verùm, utcumque tam quantitate, quàm qualitate exactum ſit medicamentum; ſæpè tamen contingit, ut æger nauſea afficiatur, doloribus item, animi deliquio, immò & etiam vertigine corripiatur; ut ſæpè medicamentum immodicè purget, aut etiam nihil penitus operis exequatur. Cum nauſea vexatur æger cùm pharmacum ſumpturus eſt, vel calidum exhibendum eſt, vel *frigidum* ſi acceptius ægro ſit, & anni tempus æſtivum; Vas operiendum ex parte linteolo aceto madefacto, comprimendæ in hauſtu nares, colluendum os vino, quod primò reijciat, deinde ut interiores abluantur viæ, deglutiat etiam modicum. Sunt qui æquè ex parum frigidæ deglutitione leuamen recipiant. Quod ſi à medicamento iam ſumpto contingat nauſea; exhibendum ægro aceti parum ad odorandum, pomique, aut piri fruſtum manducet, cuius tantumodo ſuccum eliciat, & deglutiat; carnes pomi, narantij, vel citri ſaccharo conſperſi, vel horum condita. Ad hunc uſum aptiora quoque euadunt ſemina aniſorum, fœniculi, cinnamomi ſaccharo inducta. Agreſte quidem, ſed validum in nauſea remedium ſcribit Faloppius cepæ vulgaris fruſtum dentibus tantum præmordere, vel ſcindere. Tandem

dem parum ijs proficientibus, ſtomacho cucurbitulam admouere, inſerto, & incenſo ſtupæ flocco: æger quietus degat, nec fœdum, aut moleſtum quid, vel dicto, vel facto percipiat. Cùm dolores ingruunt, & tormina vel ob medicamenti vitium proprium, aut malam eiuſdem præparationem; admouendi ſtomacho panni, aut linteamina calida repetita. Optimum tamen ſemper fuerit, cùm ſuſpecta pharmaci malignitas, aut flatuum adſit copia, Theriacæ parum aut, Mithridatij exhibere, aut ſtillatitiæ aquæ ex cinnamomo, aut iuniperi baccis cochear unum, aut alterum, modò febris non adſit; qua præſente, aut citri ſemina iuſculo incocta, vel aqua ex toto citro elicita rectius exhibebitur; quibus ſi non ceſſet moleſtia, ſed potius creſcat, vomitus concitandus aqua tepida copioſè hauſta; irritatiſque faucibus, aut acri glande, ſeù ſuppoſitorio ſubdito, ſurſum, aut deorſum cogendum medicamentum. Sunt qui clyſterem tunc inijciendum ſuadeant è diſcutientibus, & alvum irritantibus paratum, quod Meſue monitum eſt. hoc ipſum tamen damnat Ruphus, quod flatuum copia præſente, ſæpius ab infuſo clyſtere maior diſtenſio ſuboriatur; & ne utrinque facto impetu, præceps humorum euacuatio concitetur; laudat potius glandes, utpotè mitius ſtimulantes; ſed hæc facilè conciliantur, quamdiu enim ſpes ſupereſt medicamentum purgans operaturum, e validis purgantibus clyſteres inijciendi non ſunt: exacto tamen integro viginti quatuor horarum ſpatio, validiorem inijcere non impedit; at cum ſex, aut ſeptem horis elapſis, *nulla ſequitur* euacuatio, aut longiore etiam interuallo; quid agendum ſit, *incertum* eſt. nam cum euacuationis adſit valida indicatio, & ſequente die vel febrilis paroxyſmus, vel dolor inſtet; nonnulli idem medicamentum eadem die circa veſperam denuò ſumendum putant; at hoc irrationabile, & temeritatis plenum exiſtimat Auic. qui 4. 1. cap. 5. id diſſuadet. Etenim cum exhibitum purgans aliquando latitet, addito mox alio medicamento, ſequuntur ingentes humorum commotiones, quæ ſæpè ægros extremè conficiunt. Prudentius itaque conſilium non idem medicamentū, ſi validum eſt, repetere; ſed in purgandi humoris neceſſitate, blandum potius leniens exhibere utile fuerit, prout manna, & ſyrupi ex violarum, aut roſarum infuſione parati, adhibita moderata quantitate eorum. In poſterum verò præparatis denuò per triduum humoribus, medicamentum priori paulò validius, cum id opus eſt, exhiberi poteſt. Quod ſi ob diuturniorem ſubſiſtentiam in aluo exſiccata admodum ſint recrementa, & ob id actio medicamenti purgantis impediri poſſit; ea ſemper iniecto prius clyſtere ſubmouenda ſunt, antequam purgans exhibeatur. Euenire quoque in uſu purgantium ſolet, ut ea aſſumpta ſine moleſtiæ ſenſu, vel ſaltem leui, retineantur, & nihil promoueant: id verò contingere poteſt, aut ratione medicamenti, aut coſtitutionis ægri. In medicamento cauſa eſt, cùm viribus obſoletum, aut conſiſtentiam habeat ſolidiorem, quam ut à calore viſcerum attenuari, & diſſolui poſſit. quæ ratio eſt cur ferrum per ſe aſſumptum, nihil agitet humanum corpus; vinum tamen, cui id per aliquot dies infuſum eſt, & vomitu, & deiectione humores commouet. In ægro cauſa eſt cum ordinaria doſi exhibitum pharmacum nõ purgat, quod vel ab eius calore valido ſuperetur, atque immutetur, ut contingit frequentius in le-

nientibus, quæ neque formæ ratione naturæ aduerſantur, nec temperamẽto valdè diſſentiunt; adeoque, & in alimentum conuerti queunt: vel ſiunt ob ventriculi debilitatem cum calorem non habet medicamento alterando ſufficientem, cui tribuit Faloppius, quod mulier aſſumpta catapotia, ſiue pilulas, ſexto die integras vomitu reieeerit. Cæterum ſi hoc contingat, ventriculo cibos bene, vel mediocriter concoquente, ad ſingularem potius eiuſdem ἀντίθεσιν, ſeu diſpoſitionem re ferendum; ob quam cum nihil à medicamento patiatur, nihil in illud agit. Vidi quos validiſſima purgantia, & doſi duplicata ſtomacho ſatis valido nihil mouebant. Item inter proceres Turcarum audiui hominem robuſtiſſimum, cui nec ſcamonium, nec ſtibij vitrum alvum excitabant; cui tamen recentium Tamarindorum, aut Caſſiæ infuſio ad purgationem ſatis erant. Cum itaque hanc ob cauſam tardet medicamentum; ut promoueatur actio, iuſculum in quo ſacchari rubri parum diſſolutum ſit, idque non repentè, aut ſemel, ſed per interualla modicè ſorbendum, quo nomine aliàs iuſculum exhibere medici ſolent, vel ut citius diſſoluatur; tuncque, & eo caſu paulò poſt medicamentū ſolidioris formæ bibendum, vel exactis horis duobus, vel tribus cum medicamentum ad deſcenſum compellere animus eſt. Æger moderatè tunc ſe mouebit, minimè dormiet, monitu Hippocr. 4. Aphor. 15. ſi purgandi vim maiorem in helleboro exigis, corpus moue &c. Iam cum purgans medicamentum omninò retentum eſt; quid de ipſo fiat, inquiſitione dignum eſt: Gal. profitetur verti purgans in ſimilem humorem illi, quem euacuare debet, adeoque nunc alibilem, cum in ſubſtantiam noſtram permutari aptum eſt; vel præter naturam, ut venenatum, quotieſcumque medicamentum ſumptum tale eſt. hæc verò non exiguas includunt difficultates: nam primò vero conſentaneum minimè videtur purgantia retenta verti in ſimilem purgando: quis enim credat tamarindos frigidæ naturæ, & huiuſmodi conditionis alia medicamenta mutari in humorem bilioſum, quem educunt? Colocynthida calidum, & acre medicamentum verti in humorem pituitoſum, quem euacuat? Mechoacanna item, & Turbit, & Ialappam calida omnia, & ſicca in humorem inſipidum, & pituitoſum, quem mouent? Recedere item videtur à verò, quod venenatum purgans humorem conſtituere ſcribit venenatum; nam ſi à calore corporis naturali ſuperatum eſt; ſi non in abſolutè bonum, ſaltem in paulò melioris conditionis humorem faceſsat neceſſum eſt. Recenſet exemplum cuiuſdam Germani Faloppius de purgantibus cap. 6. qui unciam integram ſcamonij aſſumere potuerit nulla ſubſequente, vel euacuatione, nulla ventriculi, & viſcerum læſione. Igitur ut concludamus retenta purgantia talem dabunt, qualem pro temperamenti conditione ſuppeditare poſſunt: Itaque ſi temperata fuerint, dabunt temperatum, ſi calida, ſicca, amara, acria, excrementum ſimile præbebunt; corpori tamen nutriendo minimè aptum. Si autem reuera venenata ſint, hoc enim habet magnam latitudinem, & paucissima huiuſmodi nomen merentur; ſed prout ſtibium malè præparatum, argentum item vivum ſublimatum male dulcificatum, & tunc ſatis corroſivum, tantum abeſt, ut ſuperari à calore noſtro queant, niſi paucula grana multis corrigentibus immiſceantur; ut perpetuam noxam potius inferant;

& cum largior doſis, mortis neceſſitatem. Faloppij tamen exemplum, aut rarum, & admodum inſolens, ita nil concludit directè contra Gal. Quamuis enim ſenſim inducta conſuetudine etiam opij largam doſim ferre queãt Perſæ, & Turcæ, & præſentiſſima venena Cambaiæ Principes à teneris veneno nutriti; tamen in communi verum eſſe praua, & deleteria purgantia retenta nil niſi, quod pravum, & præter naturam in corpore producere poſse. Sed quid detentioni medicamenti minimè operantis ſuccedat, ſatis dictum eſt: Conſequens eſt, ut aliqua de eo, quod contrario modo ſe habet, verba faciamus.

De Superpurgatione.

CAPVT LIII.

Adducuntur cauſæ ſuperpurgationis, & quomodo cognoſcatur, & quæ remedia eidem opponantur.

CÆterùm medicamenti purgantis retentioni veluti accidens contrarium opponitur eiuſdem immoderata, & effrænis humorum effuſio, cum damno plerumque, interdum diſcrimine ægrorum coniuncta, quæ ὑπερκάθαρσιν Hippocrati, vulgò ſuperpurgationem vocant. Hac ipſa, cum omne genus humorum è corpore euacuetur excrementitiorum primò, tandem etiam utiliores, atque ſanguis vitæ præſidium ultimò, & theſautum: non immeritò dubium videatur, an à medicamento purgante exhibito dependeat hæc actio; an à cauſis alijs. Nam ex Hippocratis ſententia, cum iam determinauerimus purgantia non promiſcuè omnem, ſed certum tantum humorem attrahere, neceſſe eſt tam profuſæ euacuationis aliam dari cauſam: Hippocrates hypercatharſim libro de Natura humana medicamento purganti tribuit, adducto, quo prius uſus fuerat plantarum exemplo. nam plantæ deficiente eo, qui magis familiaris ipſis eſt alimento, trahunt id, quod minus amicum, & tandem quod ſalſum, & inimicum inopia alimenti impulſæ; ita purgantia familiarem primò, deinde & alios humores attrahere, quo conſtituto, corruere videtur id, quod antè erat determinatum; à purgante certum euacuari corporis ſuccum. Sciendum tamen eſt in allata ſimilitudine tractionis non ſpectari ταυτότατα, ſed conuenientium ſecundum quid; ut in ſcholis Logicorum loquuntur. Igitur quamuis medicamentum purgans de ſe unicum tantum humorem trahat; tamen ſi crebrò, ſi vehementer fiat hic tractus, concitatur & reliquorum humorum fluxus, quorum prius, qui ex delectu petitur, per ſe actioni purgantis conuenit; alterum ex accidenti conſequitur: atque hæc potiſſimum ratio, quod Hippocrates hypercatharſim totam pharmaco exhibito adſcribat. Cauſas verò tam profuſæ, & effrænis euacuationis ad tres præcipuè reducere licet, ad retentricis facultatis debilitatem, irritationem, & meatuum eroſionem: dico meatuum, quamuis enim venarum tantum mentionem faciãt & antiqui, & recentiores propemodum omnes, tamquam ex ijs tantum profuſio humorum contingat; verumtamen non minus ex venis, & meati-

bus

bus biliarijs, & ex lacteis meſenterij ductibus hanc euacuationem fieri; & quotieſcumque pituitoſa, & bilioſa fluxio eſt; maiorem partem ex hiſce fieri maximè probabile videtur. Exoritur quidem retentricis debilitas primò ob calorem imminutum malignitate, aut vehementi diſtractione facta per medicamentum; vel quia per antecedentes morbos, præſenteſque febres facta eſt naturalis caloris diminutio; unde in ijs ab exhibito vel leui medicamento, non raro calamitoſæ excitantur fluxiones: ſecundò ob relaxationem, & intemperiem, quam acquirunt vaſa, tranſeuntibus per illa diu, multumque vitioſis humoribus irritatio fit; & quia præſertim ſtimulus aſſiduus perſeuerat à medicamenti acrimonia; & mordacitate, qua diutius perſeuerante, ſequitur tamdem vaſorum corroſio, atque hæc poſtrema cauſa potiſſimum, in qua peccant mercurialia, & antimonialia purgantia à ſalium corrodentium communione nondum ſatis liberata; & ex vulgatis medicamentis ſcamonium, colocynthis, helleborus uterque: vel inconuenienti doſi exhibita, vel male à Pharmacopęis parata. Nec tamen exiſtimandum eſt à validis tantum pharmacis exhibitis contingere hypercatharſim; immo fieri etiam videmus à lenientibus, ut iam innuebam: ſi ijs exhibeantur, quibus aluus profuſior natura, & in ad diarrhęas procliues, aut quibus per antecedentes morbos, ac febres continuatas retentrix debilitata eſt: denique ſi crebrius, ac vicibus repetitis exhibeatur: Itaque ſub hac ratione cum Gal. ſtandum, qui com. lib. 2. de ratione victus, purgantia omnia deleteria pronunciat, non ita tamen accipiendum eſt tamquam omnia per ſe talia ſint, & ſint omnia venenata, maligna, erodentia, quod ſanè non eſt: ſed quod omnia effrænem, & cum periculis iunctam fluxionem excitare queant.

Iam præſentem hypercatharſim, quam facilè agnoſcimus ex immodica, & omnigena humorum profuſione, ægri languore, deliquio animi, ſudore frigido, faciei pallore, partiumque extremarum refrigeratione; protinus tunc ſuccurrendum eſt, non tam extremorum frictionibus, ligaturis, balneis, his locis non omninò inſuetis; ſed exhibito cibo facilè nutriente, adeoque iuſculis cum oui luteo conquaſſatis, aut carnium contuſo, indito narantiorum, aut limonum ſucco. Cumque febris abeſt offa ex vino rubro generoſo: quibus ſi non ceſſet, aliqui ad adſtringentia confugiunt, roſarum conſeruam ſimplicem, aut vitriolatam, diaſurbum, & alia huius generis. Optimè tamen ſatisfaciunt vel Theriacæ, vel Mithridatij recentiorum exhibita drachma, & tandem Ladani nepentes dicti bene præparati duo vel tria grana: ſitim ſi ſiue à reſiccato ventriculo, ſiue humorum euaporatione contingat; ferat aliquantiſper æger, quippe quia ſignum eſt euacuationis peractæ, ita docente Hippocr. 4. Aphor. 19. ſi perſeueret, exhibito humidiore cibo ceſſabit. Prudens Faloppij monitum, à valido exhibito pharmaco, quia lentæ, & craſſæ pituitæ copia in inteſtinis relinquitur; poſtero die clyſterem injjciendum. Et hæc de purgantibus in genere.

De

De Sacchare eiuſque viribus.

CAPVT LIV.

Sacchari natura, natalis locus, & vires conſiderantur: quo modo elaboretur, eiuſque differentiæ recenſentur. Veteribus cognitum, contra Renedæi ſententiam, Salmaſij aliorumque. eius temperamentum ſtatuitur. Deſcribitur Sorbeth præparatio, nonnulla afferuntur de il Oſſar, hoc eſt ſaccharo Arabum.

QVæ pituitoſis humoribus deſtinantur pharmaca, alia lenientia tantum ſunt, alia propriè magis purgantia dicta. E lenientibus primò conſiderabile ſaccharum eſt, ſalinæ naturæ, dulciſſimæ; ſuccus artis, vel naturæ beneficio è calami ſui medulla expreſſum, & concretum. Indi, atque Arabes ſuccar vocant, & plantam ipſam Caſſab el ſuccar, calamum videlicet ſacchari. Eſt autem calamus ſaccharinus inter arundinum, & millij canas medius, internodijs crebris diſtinctus, folia promens arundinacea, ſed paulo anguſtiora, ſcabra, & ſecundum longitudinem ſtriata, flore comoſo ſorgi æmulo, radice vulgaris arundinis, ſed teneræ magis, & ſucculenta, crebroque germine fœcunda: tota verò planta medulla *ſucculenta*, candida, dulcique infarcta; irriguis, & paludoſis locis *facili prouentu* aſſurgit. Duplex videtur, arboreſcens una, altera minor. *Arborei* ſacchari calamus Indis tantum notus, humani cruris craſſitudine, aſpectu amœno, è quo artificioſè curuato, & ædiculas ſuas, lecticaſque mulierum, & cymbas parant. Hic quamuis uno gladij ictu ſecari queat viridis; exſiccatus tamen ſic indureſcit, ut ex cortice inſtrumenta parentur, quibus venatores feras vulnerent, conficiantque. Hunc Tabaxir Auicennæ, Arabumq; eſſe, ut non adeò peccaſſe mihi videatur Gerardus Cremonenſis, quem & Durantes ſequitur, & Fragoſus dum apud Raſim Tabaxir ſpodium interpretatur: hoc enim ex Cannis ambuſtis Arabes parabant, quamuis Græcorum σποδὸς tutia ſit metallica, ut videre eſt apud Bauhinum in Pinace. Minor calamus Europeis mare Mediteraneum, & propinquas Inſulas ſpectantibus pręcipuè hoc tempore Arabibus, Ægyptijſque notus; cùm etiam Niloticus iuxta ripas fœcunda ſobole adoleſcat, coIaturque ab his hoc tempore diligentius, ex quo per Erythræum, Perſicumque mare pretioſiores merces Memphim, & Alexandriam vix aduehuntur; cum ex huius abundantia præcipua lucri ſpes affulgeat. Incremento humanæ ſtaturæ modum facilè excedit, pollicemq; geminum craſſitie communiter adæquat, immo ſuperat; quamuis tanto valtius facit corpus, quanto diutius terræ inhæret: Ex his calamis ſaccharum fit, quod ſcitè Paulus ſalem Indicum ob candoris, & concretionis ſimilitudinem vocat, quod accepit ab Archigene: Dioſcorides lib. 2. cap. 104. mellis Indici genus aſſerit, quē ſequitur Arrianus in Eritrhæi periplo, dum vocat μέλι καλάμινον: duplex ortu; nam vel ſpontè, & ſine humana opera circa corticem, & foliorum ſinus concreſcit, vel per artem. Prius contingit cum redundantem ſuccum rupto alicubi cortice natura propellit, qui calore de-

inceps

inceps loci concreſcit, & ea ſpecie, quam innuit Dioſcorides; vel cum ætatis vitio rimis cortex fatiſcit, & ſucci parum eliquat, modo (ut dictum) concreſcens. Cœterum quod arte paratur ab Ægyptijs hunc in modum concinnari vir quidam clariſſimus, & mihi amiciſſimus, quod oculato teſtimonio comperijſſe fatebatur, candidè ita communicauit. Circa finem Decembris arundines colligunt, e quibus quas vegetiores obſeruant, in partes ſcindunt, binis internodijs diſtinctas, eaſque iuſtis interuallis in terra denuò diſpoſitas tranſuerſim; largiter in dies affuſis aquis nutriunt, donec è nodo promiſſa quina, ſenave germina ſeſe manifeſtant. Collocatas in uſum ſacchari arundines in portiones aliquot ſecant, earumque ſenas, ſeptenaſque lignea rate ſubijciunt, quam robuſti verſant tauri; ſuccum huius atritu expreſſum alvus lapideus excipit, quem refuſum in caldarium æneum ſtanno obductum, igne ſuccenſo eatenus denſant, donec in ſuperficie ſuperioris pelliculæ ſpecimen eſfloreſcat: tunc vero inditum fictilibus lati oris, quorum ſingula fundum habent pertuſum, ut ineptum concretioni, melleum ſedimentum tempeſtiue ſubduci queat. ſi melioris notæ ſaccharum exhibet, ſuccus circa Iulium menſem coagulationis finem conſequitur: qui ſequioris conditionis, nec menſe quidem Septembris. Promoueri tamen hoc opus ſibi perſuadent artifices, ſi concreſcenti ſucco paleas, & terram inſpergant. Hoc primæ concretionis ſaccharum pulueris craſſiuſculi, granorumve figura collectum, ut candidius fiat caldario reddunt; quod quidem Venetias delatum impenſiore cura depurant, aut potius dealbant. Ex albiſſimo in modica aqua ſoluto, atque in vas refuſo, quod bacillos ligneos decurſatim ſibi inuicem compoſitos habeat, fit ſaccharum vulgo candum appellatum. Quod ſi eiuſdem ſolutio fiat in expreſſione aquæ contuſionis violarum, dicto artificio fiet ſaccharum officinarum violaceum. Mirum bulliens ſaccharum cum dealbatur iniecto butyro ſedere, ut ſcribit in aduerſarijs Lobelius. Putat, ſed male, Renodæus, quod miror, ſaccharum veteribus fuiſſe omnino incognitum;ita & hodiernum ſaccharum diuerſum omninò,immo alienum à veterum ſaccharo exiſtimat Claudius Salmaſius Exercitationib. Plinianarum in Solini Polyhiſtora; & cum eo præſertim ſunt Fucſius, & Manardus, qui exiſtimant habere ſibi facientem etiam Strabonem. Rationes, quibus in hanc opinionem adeucitur Salmaſius ſunt, quod calamus, qui dulcem Indis potum ſufficiebat, tantæ eſſet vaſtitatis, ut ex uno internodio ſcapha conficeretur duorum hominum capax, auctore Solino;quia ſaccharum antiquorum erat incrementum ſpontaneum, & adhibebant id in quotidiano potu iuxtà illud Lucani de Indis

Quippe bibunt teneros dulces ab arundine ſuccos.

Hodiernum verò ſaccharum, inquit, tantum arte paratum, undecumque aduehatur, nec ſitim reſtinguit, nec ſtomacho gratum; quorum utrumq; de illo Indo antiquo ſcribit Gal. de ſimpl. facult. At pace tanti viri facilè crediderim eum hallucinari, quemadmodum & in pluribus ſæpè feciſſe comperimus ad Botanicæ conditionem attinentibus. Obiectis namque non difficulter ſatisfacimus dicentes: magnitudinem non augere, aut imminuere ſpeciem ipſam, ut inter ſe Abſinthia, Roſmarini, Thitimali, & huiuſ-

huiuſmodi ſexcenta; & etiam nunc Indorum calamus proceræ ſatis ſtaturæ aſſurgit; quod ſi non tantæ; auiditas cultorum non ſinit ut per ætatem debitam acquirat magnitudinem; & ſic minus eius incrementum prææmaturæ eius extirpationi debeatur. Quod ſpontè concretum, nec ſubſtantia, nec proprietate alienum eſt ab eo, quod ars elicit medijs ſimilibus uſa, prout artificio productæ plantæ, & animalia; fit ex contuſa in mortario lapideo medulla, expreſſoque ſucco etiam hodie potus gratiſſimus, leuiſſimuſque; tum etiam ex ſaccharo, quod primam concretionem ſubſtinuit, præcipuè ſi probè ante depuratus ſuccus fuerit, quam ab igne denſaretur; hoc enim ſatis candidum, poroſum, & ad primum aquæ contactum liquabile, & niuis inſtar à viro doctiſſimo obſeruatum accepi, quo ditiores Ægyptij etiam nunc utebantur. Plinij æuo ſaccharum in uſum tantum me- Hiſtor. nat.
dicum vertebant vino iam aſſuefacti. Hodiernum ſaccharum, quod non lib. 12. c. 8.
adeò εὐκοίλιον εὐστόμαχον, ut ſcribit Dioſcorides id contingit ex accidenti, quia ſæpius fuſum, & coagulatum, tandem calidius, & ſiccius euadit, ut de ſaccharo dealbato notum; deindè quia ſacchari dealbatores id lixiuio ſoluto, cuius ſalia poſt diuaporationem cum ſaccharo relicta, quidni calorem, & rebellem ſtomacho vim, concilient, prout plus, minuſve acre ſit lixiuium? An noſtrum ratione temperamenti diuerſum ſit ſaccharum, quod attinet: Meſue ſanè calidũ id pronunciat gradus ſecundi initio, humidum in primo; immo recenter expreſſus ſuccus, & concretio prima temperata eſt, quod antiquum, monente Meſue, calidius euadit, & ſiccum; quidni ſæpius fuſum, lixiuijs mixtum, & denuò concretum? Conuincit, quia medulla cortice liberata veſcuntur in Ægypto cum pane, idque optimum ſitientibus auxilium, ut etiam in itinere experti ſunt multi. Quod verò circa arundinem ſpontè concretum, rarum admodum eſt; quum non ſinant ad vetuſtatem uſque plantam conſeneſcere vendaces rerum omnium incolæ: id verò illi, quod primò condenſatum eſt, ſi purius fuerit, temperamento ſimillimum. Quod verò repetitis vicibus coagulatam, in ſorbeth, ſeu potionem uſum conuertunt omni genere refrigerantium ſuccorum temperantes, paratur in pluribus Orientalibus locis, ſed potiſſimum Aegypto, & Byzantij, & Sorbeth vocatur compoſitio: nec aliud eſt, quàm ſaccharum ſucco quodam permixtum medicamentoſo, ea proportione, ut concreſcens ſaccharum eam retineat mollitiem, & conſiſtentiam, quæ affuſa frigida protinus ſoluatur; qua ſub forma cum intra coriaceos ſaccos reconditum à proficiſcentibus militatum facilè circumferri queat; varios proceribus uſus præbet; ſucci autem miſcentur granatorum, limonumque, ſed his uſitatius: inde mixturam etiam faciunt contuſiones roſarum, violarum, ſuccus nymphææ, & ſimilium, ſandalorum, & roſarum tinctura. Ratio verò parandi talis eſt. Sacchari quantum ſatis in aquæ quantum ſufficiat, diſſolvunt caldario lati oris, & probe ſtanno inducto, aquam euaporare ſinunt tantiſper, donec apparente pellicula concretionis ſui facultatem exerat; tum vero ſuccus, qui prius, ut craſſitiem acquirat à parte magis aquoſa per euaporationem liberandus, & oui albumine conquaſſato depurandus: remoto ab igne vaſe paulatim admiſcetur; & habita proportione, quæ arridet patrono, cui paratur: plus minus miſcendo ſucci, aut

pulueris odorati, ambari videlicet, ſiue moſchi, aut alterius rei odoratæ, prout magis medicatum, odoratum, aut molle ſaccharum expedit, quorum illud ſapore, & odore explorat omnia; indè rudi ligno agitatur, & intra fictile tandem reconditur, ut concreſcat. Modo his habitis de uſu in potu ſacchari: nunc quem obtineat in medica facultate rimandus. Succus igitur alvum ſoluit placidiſſimè: efficacius quod primò concretum: ſoluitur in iuſculis uncia una cum dimidia; quod verò vetus, & candidius duarum, triumvè unciarum doſi capiendum; clyſteribus emollientibus per idoneũ, eoque quoque utimur in alijs parandis medicamentis, quia, & gratum ipſum medicamentum reddit, & magis ſolutivum; quando enim aluo ſoluendo incumbimus, eo utimur pro conficiendis ſyrupis varijs; immo & diuerſis conſeruis ad uſum medicum paratis. corneam oculi tunicã ab ophthalmia, vel oculorum ulceribus relictis ſordibus, & ſpiſſamentis, cum offuſcant, optimum in ſaccharo collyrium habetur. Equidem apud Dioſcoridem τὰ ἐπισκοτοῦντα τὰς κόρας non interne obſcuritatis cauſæ accipiendæ ſunt; eas enim hoc medicamentum vix tollet; niſi uſtione acrius fiat. obſeruaui tamen plures antequam hoc ſaccharo uterentur, accepiſſe idem dealbatũ Venetijs, atque incluſum paſtæ panis triticei in furno liquaſſe, tum verò exemptum, & optimè tritum adhibuiſſe: nos verò vulgari ſaccharo cando utimur optimè ſupra marmor leuigato; ut tandem etiam oculorum ſolutionibus continui ſaccharum ſingulariter opituletur: cùm præſertim oleoſis omnibus amplius locus non eſt: aliqua etiam abſterſoria adduntur, ut efficacius operetur. Itaque candum ſaccharum optimè tritum, & ſupra marmor, ut dictum eſt, leuigatum paucculis maſtiches, aut thuris granis permixtum vulnera etiam glutinat; cum Aloe verò, aut myrrhæ modico incarnat. Quod ſi idem igne ad rubedinem torreatur, vulcuſcula ſordidiora abſtergit, & mundificat: cum aliquot plumbeis alijs granis exſiccat, & conſolidat: Renibus quoque, & veſicæ opitulatur; ſaccharum enim in aqua Alchechengi, aut graminis ſolutum eorum ulcera abſterget; ſed tutius exhibetur conſerua florum hyperici, aut roſarum ante aquæ iam dictæ ſaccharatæ potionem, ſi conſolidatio expetitur; ſed præclarè præcipuè candum ad id conducit eo modo ſolutum mixtumque granis aliquot ſulfuris, aut benzoes ſublimati, quod pro ratione affectus optimè prodeſt: per ſe tamen ſumptum tuſſi, & aſperitati conuenit. Cœterum ſacchari etiam nomen non de ſolo calami ſaccharini ſucco verificatur; ſed forſan ſic dictum abuſiuè, & ſecundum analogiam aliquam ſaccharum ſaturninum, quod & ſal plumbi rectius vocatur: ex ceruſſa, vel minio cum aceto ſtillatitio dulcificatum affuſo ſpiritu vini. At præter ſaccharum iam dictum meminerunt Arabes *Succar el Vſar*, vel *Il Oſſar*, quod dulce prædicant ipſum, ſed una, & amarum, & hydropicis exhibebant cum ſucco mandragoræ: ut videre eſt apud Serapionem: quid eſſet diu occultum Europeis fuit, donec Aegyptia planta Beid el Oſlar à clariſſimo anteceſſore noſtro Proſpero Alpino vulgata fuerit. eſſe autem plantam hanc, quam adhuc in otto publico colimus el Oſlar, vel Huſſar veterum clarè patet ex eius deſcriptione, quam habet Abb Ziani apud Serapionem: *Refert enim Oloßer habere folia lata, annua, à quorum cauis extillet ſaccharum illud non parum amaritudinis obtinens, fo-*

liaque

itaque inciſa ſuccum fundat copioſum, & ex tithymalorũ eſſe genere fructum produ-cere camelorum ſimilem teſtibus: hinc Beid il Oſar toti nomen tribuitur: e quo liquor emanat cauſticus, & cuius ſanguine puluinaria faciunt: quæ omnia plantæ nominaræ optimè conueniunt: Conſtat igitur ſaccharum eſſe ἀναλογικῶς ſuccum illum lacteum, qui ſiue ob copiam rupto cortice, foliorum cauis incluſus, & concretus deprehendebatur, ſiue artificioſa inciſione fuerit elicitus, expreſſuſque, quo & in Corijs depilandis utebantur: hic itaque cum tithymalis naturæ conditione reſpondeat, merito & eius ſuccus purgandis hydropicorum aquis adhibitus fuit: Igitur rectè plantam hanc etiam eſulam Indicam dixere.

De Manna, eiuſque viribus.

CAPVT LV.

Variæ opiniones circa Mannæ ortum afferuntur. expenduntur eius differentiæ, & temperamentum ſtatuitur; doſis & vires examinantur.

SAccharo cognata eſt manna, ſed ad leniendam alvum abundante pituita tenui vulgò uſitatior. Dicitur Arabibus & Man, & Terengebin, vel Terengiabin. Cœterum controuerſum eſt, quibus cauſis principium ortus ſui debeat. Veterum igitur communis ſententia eſt generari eam ex halitu calido, ſubtili, pingui plantarum, aliarumque rerum, qui ſereno Cœlo à calore cæleſti digeſtus noturno frigore denſatur, recidatque præcipuè in plantas: Hanc ſententiam reijcit Coſtæus commentario ſuo in Meſuem de ſimplici bus purgantibus: etenim, inquit, ſi ab exhalatione denſata oritur manna, roris inſtar oriente ſole tota diſcutietur; at hoc minime contingit. Non ſolum nocturno colligitur tempore, ſed & diurno, idque per calidiores æſtatis dies æſtuante canicula; at tunc temporis tales vapores aut diſcutiuntur, aut in ſublime aguntur. Quid eſt ſi communis adeò materia eſt? quomodo manna tantum in fraxino, & orno Calabro reperitur? non alijs item eiuſdem loci plantis? item in Pino, & Iunipero in Ciſalpina Gallia circa Brigantinum opidum. Obſeruatum denique curioſe arboribus linteo obtectis nihilominus in earũ frondibus mannam collectam fuiſſe. Quibus ita ſe habentibu s, in hanc venit ſententiam: mannam eſſe determinatis plantis ex ſudantem humorem, ac gummi inſtar ſe proferentem: in quam ſententiam inclinat Faloppius lib. de medicam. purgantibus: Sennertus quoque Phylologiæ lib. 4. cap. 8. opinatus eſt mannam haud eſſe ſimplicem rorem, ſed ſuccum, vaporemque nativum è plantis expirantem; qui licet interdiu attenuetur, noctu tamen non permixtus, in naturam unam coeat. Chriſtophorus à Vega mannam paruarum apum culicibus craſſis ſimilium opus eſſe contendit, cùm earum in arbore, e qua manna liquida diſtillabat, ingentem copiam obſeruaſſet. Suſpecta tamen res eſt Sennerto loco citato; quoniam animalcula illa dulcedine potius mannæ allici ultro potuerint, quam ut eam ipſam generarint: Cæterum veriſimilius eſt mannam partim ex ipſo ſucco plantis exſudante

generari, cum circa frondes, & cortices arboris adhæreſcat; partim ex halitu plantarum, & eorum ſucco tenui, & pingui ſublato cum rore cadente ſe miſcenre: atque hæc ea eſt, quæ circa arbores in propinquis locis terræ, ſaxiſque inhæret: atque hac ratione licebit clariſſimi Sennerti placitum cum Faloppiano, Coſteanoque ſenſu coniungere. differentiæ mannæ promuntur à regionibus, locis ſcilicet in quibus ſuccreſcit; halitu item, & qualitatibus: Reſpectu regionum alia Itala fuerit, quam Coſtæus diuidit in Calabrinam, quæque pluribus Europæ locis in uſum officinarum vertitur, & Brigātinam Ciſalpinæ Galliæ opido propriam; quamuis & in Apenninis montibus ſupra quercum, ſalicemque manna coaceruari quandoque ſoleat. Alia Paleſtina vel Syriaca ex Olibano monte in Cedris collecta, quæ mellis inſtar liquida permanet, eaque non inepte multi mel Cedrinum Hippocratis arbitrantur; Gal. etiam hanc agnouiſſe videtur, qui lib. 3. de Aliment. Facult. de melle aereo agit: Alia Perſica Coriandri granis ſimilis; denique Armeniaca. Quid verò Auicennam voluiſſe, diuinandum, qui capite ſingulari mannam complexus, quam concreſcere ait, ut mel ex regione ſyluarum Cuzuram, & Siracoſt. alibi diſtinctè agit de Teren Giabin. Hic verò ſciendum Auicennam, quamuis Arabum vulgus mannam, & Teren Giabin confundant, propriè per Teren Giabin, & per mel de Cuzuran intellexiſſe mannam, quæ Syriacæ inſtar liquida permanet: manna verò Siracoſt, quæ conſiſtentiæ durioris: Quid ſi Siracoſt Europeis ſit manna è Syria Alexandriam delata? Quibus id arridet, coniecturam accipiant. Rurſum manna quædam frondea dicitur, quæ folijs plantarum inhæreſcit; quædam arborea, quæ ramis, corticibuſque innaſcitur, quædam craſſa, quæ in terra, ſaxiſque colligitur; atque adeò præcedentibus impurior. Tandem ſalutaris alia, & quæ ſalubribus accreſcit plantis, alia praua, quæ plantis venenatis, quemadmodum de Heracleotico melle, & Pontico ſcribit Plinius lib. 21. cap. 13. Non ſatis tamen hactenus proditū eſt dari mannam, quæ virulentas qualitates præ ſe tulerit. Vſurpaturus mannam ſolidam, eligat ſimplicem, non variam, annuam, non pluriuma annorum, colore albam, adeoque cum colore, tum concretionis habitu maſtiches maioribus granis ſimilem, quam ideò maſtichinam, quæ vetuſtior eſt ad flavum, rubrumve colorem tendit. Temperata verò manna eſt maximè quæ recens; quæ obſoletior calorem cum ætate, & ſiccitate ad primum gradum approximat. lenit autem blandè, & abſtergit, nec corrigentibus indiget alijs, potiſſimum autem pectori accommodatum medicamentum exiſtit. Arabes mannam bilem euacuare ſcribunt; in corporibus Europeorum tenacem, ſeroſamque pituitam elicit; bili quidem perfuſam; quo conſiderato, conciliari poſſunt obſeruationes auctorum diſcrepantes. Meſue exhibet eam à ʒ vj. ad ʒ xx. neceſſarium tamen eſt conſiderare cum Orientalem, optimamque habuiſſe mannam, & Orientalem noſtrate efficaciorem eſſe; equidem Calabrina, ut teſtatur Coſtæus, trium, aut quatuor unciarum menſura exhibenda: Sunt tamen etiam qui in ſiccioris alui hominibus ad ℥ vj. uſque deueniant. Calido tamen, & bilioſo corpore, febreque validiore detento cum prunorum acidulorum, aut tamaryndorum decoctione exhibenda. Delicata ſatis fit potio ſi manna in paucula aqua

prius

prius ſoluatur: hinc percoletur per linteum mundum, tumque odoratis ex floribus aurantiorum, citri, roſarumvè aquis diluatur; aliàs odora ſuauitas in prima ſolutione euaneſcit. Scio recentiores mannam quidem exhibere clarificatam cum tartari cremore, & oui albumine, miſcentque in ſolutione *ſennæ*, deinde in moderatis aquis modicè perfundunt, aut aqua cinnamomi abſente febre: Hoc ſanè medicamentum ita compoſitum eſt incertæ quandoque operationis, catharticæ ſennæ miſcellam recipit; viribus interim mannæ non integrè retentis; pro delicatioribus tamen, vel abſente febre, quemadmodum non improbum medicamentum, ſic indiſcriminatim cunctis exhibendum non probo.

De Caſsia Fiſtula.

CAPVT LVI.

Purgatricem Caſsiam veteribus Græcis incognitam fuiſſe aſſeritur; quæ illarum fuerit Caſsia, & quæ latinorum perpenditur. Deſcribitur caſsia ſiliqua, & quomodo ſeruetur affertur temperamentum; caſsiæ noxa examinantur vireſque eiuſdem expenduntur.

PVſilla res mundus foret, inquit Seneca, niſi in illo quod quærat mundus omnis haberet. Multa venientis æui populus ſciet ignota nobis; multa ſæculis tunc futuris, cùm memoria noſtri exoleuerit, reſeruantur. In re utique medica talia multa contingere patet; & cum de materia medicamentorum ſermo eſt, in exemplum venit Caſſia nigra purgatrix, ut & bili etiam benignè educendæ utiliter deinceps proſpiciamus Galeno; atqui ante ipſum, procul dubio ignota: atque inter recentiores Græcos Mirepſio primum, & Actuario deſcripta. Voce ipſa varia ſignificantur, nam *κασσία μέλαινα* at *κασία* veterum Græcorum aroma eſt nobile, magnoque recentiorum ſcriptorum conſenſu Cinnamomum, ſiue Cannella zeilamdica perhibetur: Caſſia verò Latinorum pleriſque Theophraſti Cneorum dicitur; cuius quod nigrum vocat Anguilara, videtur roſmarinus coronarius, album verò ſpica, ſiue lauendula vulgaris. Guilandino Cneorum Cameleæ, & Timeleæ ſimile eſt, Poetarum verò Caſia quid ſit? cum herbam flore pulcram, & odore ſuauem innuant, pariter incertum, de quo Virgilius in Egloga. 7. quæſt. natur. cap. 31.

> *Tum Caſia, atque alijs intexens ſuauibus herbis*
> *Mollia luteola pingit vacinia Caltha.*

atque alibi inquit

> *Nam Ieiuna quidem cliuoſi glareâ ruris*
> *Vix humiles apibus Caſias, roreſque miniſtrant.*

de hac tamen ad Cameleam, & Timeleam plenius reſpiciunt. nonnulli diſertè hanc oſirim bacciferam fruteſcentem eſſe contendunt; at illa, de qua nobis ſermo eſt, medicameetum ab actuario primum *κασσίας μελαίνης* appellationem ſortitum eſt Chni, & Sambar Turcis, Arabibuſque dicitur, noſtris Caſia ſiliqua, ſiue fiſtula, & purgatrix ab effectu nuncupata. Affertur in

Eu-

Europam ex Ægypto, & Indis tam Orientalibus, quàm ad Occidentem poſitis. Aegyptia caſſia eſt ſiliqua arboris nucis iuglandis foliorum lineamentis ſimilis, prout diſertè ſatis Alpinus: Acoſta folia magnæ amygdalis, aut Perſicæ in Indijs ſimilia eſſe ſcribit: flores copioſi, colore aurei, Leucoi præter magnitudinem æmuli: quorum ſtamina, ſiue capillamenta paulatim in fiſtulas denſantur, ſiue in ſiliquas efformantur, quæ in Europam aduehuntur ex Indis, eæque Braxilianis omnium maximè purgant: minus Aegyptiæ, quæ differunt magnitudine, & colore; nam quæ circa, & ſupra Cairum naſcuntur, ſunt colore obſcuriores, adeòque Abiſſinæ dicuntur. Quæ in irriguis, & maritimis locis Aegypti circa Alexandriam, & Peluſium proueniunt, habent colorem nonnihil rubeſcentem, corticemque magis tenerum: Cauſæ diuerſitatis in ſolaris caloris differentiam, & aeris cōditionem referuntur; & Memphiticæ paulò calidiores habentur. Sonitum edentes ſiliquas meliores eſſe contendit Alpinus noſter, immaturis tamen ijs ſecus ſe res habet, cum crepitantes abſumpto ſucco arida ſemina contineant. Seruantur in arboribus per annuum ſpatium, ut tectè maturentur; ac ne ventorum impulſu intempeſtiuè decidant, funiculis obuinctæ, ſic communem fragilitatem fulciunt. Remotæ ab arboribus intra conclaue, videlicet ædiculam reponuntur; rimis omnibus feneſtrarum, ac portæ cōmiſſuris exactè obturatis; ſic enim aeri ſubductæ multis annis integræ conſeruantur. Eligendæ ſunt ad uſum medicum ſiliquæ ponderoſæ, craſſæ, plenæ inquit Meſue, & quorum pulpa ſplendida, pinguis, ſapore dulci, nec inſuauiter odora, nulla acrimonia, vel aciditate linguam feriens, mucoris expers. Temperamentum pulpæ Meſue in calore, & frigiditate moderatum pronunciat, humidum autem in gradu primò: harum illud, immo ut rūque de recenti accipiendum; quæ matura non item de illa, quæ multis iam annis fermentata fuit. Porrò caſſiam Meſue è medicinis eſſe ſcribit, quæ nocumento careat, & omni exceſſu lædente, quæque exhiberi queat in omni ætate, adeoque pueris, & prægnantibus. Verum hæc aſſertio non paucos implicat difficultates, nam contradicere ſibi videtur Meſues ipſe, dum ſcribit Caſſiam nocere ijs, qui debilia, & lubrica habent viſcera, & quia debiliter ſoluit, & tardè, admiſcendum hyſſopi parum, aut quid ſimile; hac ratione prioris corrigendam eſſe admixtis rhabarbaro, myrobalanis, maſtiche: idem Querceranilibro de Peſte fundamentum eſt diſſuadentis uſum eius in peſte, quod in ea viſcerum robur ne minimum ſoluendum ſit: nec temperatum adeò medicamentum eſſe Caſſiam, ex qua Chymicè liquor elicitur acerrimus, valde penetrabilis, ut ex melle. Obſeruarunt recentiores exhibitam pulpam frequenter flatus, ventriſque tormina excitaſſe, quibuſdam animi defectus ex ſtomachi offenſione, hinc ut vitium corrigant, cinnamomi, aniſorum, aut diarodonis Abbatis ſpecies adiiciunt. Notauit dudum Faloppius veſicæ ardore affectis veſicæ malum eſſe, quia diuretica vi deducit ad veſicam materiam acrem, & ſalſam, quæ arenulis mixta, auget affectum. Fabritius Hildanus libro de ſectione veſicæ calculoſis exhibitam moleſtam diſuriam, & alias febricitanti profluviū ardentis urinæ concitaſſe ait; probat hoc alijs exemplis, conſentitq; Ioannes Pigeus; quibus, ne indebita iniuria afficiatur tam lene, placidum,

&

& ſingulare medicamentum, reſpondeo ex accidente quoque quodcum-
que innocuum aliàs medicamentum, vitioſum fieri poſſe: hoc præſertim ſi
Caſſia adhibeatur decuſſa ab arboribus vento, adeoque non matura, aut
longa ætate nimis fermentata, aut madidis arenis, ut notat Coſtæus diu
ſepulta, vel aeri longius expoſita in pompam, vel extracta, vaſiſque aſſer-
uata; tunc enim pigrior euadit, ſtomachoque moleſtior. Cæterum loquun-
tur Auicen. & Meſue de Caſſia ætate, viribuſque integra, & decenter aſ-
ſeruata, cum tamen idem etiam non omnibus eodem modo prodeſſe queat.
Et ſanè cum duo ſint, quæ medendi artem reddunt difficilem, corporum,
vel potius naturarum ſingulares proprietates, tum materiæ, remedij ſub-
ſtantia, ſiue facultas, quorum hæc varia eſt ratione climatum, atque æta-
tis, tum etiam cauſarum externarum, à quibus minuitur, aut eius vis de-
prauatur. in Caſſia res clariſſimè patet, cuius diſparem conditionem ex mo-
do relatis patefecimus. Meritò igitur qua ratione, & modo corrigenda
ſit Caſſia, prudenter monuere veteres. Purgat autem Caſſia, ut cum Aui-
cen. maior pars medicorum ſtatuit, humòrem bilioſum; Meſue tamen, &
pituitoſum educi cum bile innuit; quorum hoc primariò, illud ſecundariò;
per que deterſionis modum fieri cenſendum eſt. Purgat non pulpa ſolum,
ſed etiam internæ ſiliquæ membranæ ſemen continentes, & cortex; ut ca-
ſu obſeruauit Clariſſimus Faloppius, cum ſimiæ domeſticæ horum eſu pro-
fluvium alui inciderit. doſis pulverizati corticis, aut membranæ, minor,
quam pulpæ, ſed medicamentum ingratius eſt. Exhibetur & condita Caſ-
ſia tenella ſacchato elaborata in Cairo, & Alexandria obuia, ubi in puero-
rum, & mulierum delicatarum uſum venit, raró fertur in Italiam; quia cum
debiliter admodum euacuet, & vel puerulo unciæ integræ pondus ad mini-
mum exhibendum ſit, pretium, ac vectigal ingens in Alexandrina Porta,
mercatoribus lucrum haud concedit. Frequentius uſurpamus Caſſiæ pul-
pam, vel Caſſiam extractam, vel Caſſiam pro clyſteribus: Caſſiæ pulpam
ſimplicem damus pueris à ʒ ij. ad ℥ ſ. adultis à ʒ vj. ad ℥ j. ſ. corrigendaque
in flatui obnoxijs ſeminibus citri, aniſorum, vel ſpeciebus nucis moſcatæ:
in febricitantibus admiſcetur ſpeciebus diarodonis Abbatis, ſine ſpecie-
bus calidis. Caſſiæ extractæ ruditer cum retrimento folliculorum doſi pau-
lò minute detur; Quæ pro clyſteribus ex decoctione temollita tum cum
pulpæ parte paratur ab ℥ j. ad ℥ ij. iiſdem clyſteribus permiſcetur. Com-
mendatur autem caſſia in viſcerum inflammationibus cum ſuo blando ca-
lore anodini vices gerat, & materiam diſponat facilè ad πέψιν: præcipuè
calidis thoracis affectibus utilis, Peripneumoniæ, Pleuritidique; nam an-
tecedentem, ac continentem cauſam partim per alvum ſubducit, partim
per urinas: In dyſpnæis, & aſthmate laxando, & remolliendo materiam
opportuna: Anginoſis palato illito ob cauſas dictas opitulatur; difficulter
autem diſoluitur, niſi lento corpori, veluti mucilago ſeminum lini, aut fe-
nugræci. Id perficitur vel ſi exterius emplaſtri forma apponatur; tum ve-
rò ſaliua humana dilui poterit; quod primò monuit Vir doctus Petrus Aſe-
lineus. Ad dolores tamen mitigandos, quamuis ſingulariter commende-
tur; minimè tamen coli inteſtini cruciatu afflictis etiam ſi correcta ſit, ex-
hibenda eſt; cum malum vel ab adhærente viſcoſo flegmate, vel flatu coer-
cito:

cito: In hoc enim caſu, nec fixum inteſtino flegma ob debiles purgandi vires dimouere poteſt, nec flatus ob caloris blanditiem reſoluere; aut impedire, quos alias augere etiam ſolet. Hinc error communis noſtri temporis redarguendus venit, qui veluti inopia ſoluentium medicamentorum in ſumma conſtituti ſint, nunquam ad alia proportionata medicamenta, & magis valida deuenire volunt; contenti in morborum principio ſolam exhibere Caſſiam, quæ cum debiliter purget; maſſam abiectorum excrementorum in primis vijs contentorum non expurgat, ſed exagitat, & commouet, & inde varia, & peſſima ſequuntur ſymptomata; præterquam quod tempus, quod pretioſiſſimum eſt in morbis, inutiliter conterunt. Attamen ſi morbus ab inflammatione inteſtini coli dependeret, quemadmodum, & in alia viſcerum flegmone, ſic in hoc quoque exhiberi poſſet iudicio Clariſſ mi viri Ludouici Septalij obſeruationum libro. Nec obſtat, quod per affecta loca materia noxia ducenda non ſit; cùm alias natura his ramquam excrementorum cloacis utatur; nec aliter, aut alio modo æquè cauſam imminuere liceat. Renibus item calida intemperie affectis, & calculoſis conferre ſcribunt Arabes Caſſiam, dum vtraque via purgando cauſas minuit: additurque tunc glycyrrhizæ puluis, & alia pro corporis diſpoſitione. Feliciſſimo pariter ſucceſſu in Gonorrhea ſe Caſſia uſum ſcribit Faloppius, cum oritur à materia acri, & ſemine bilioſo, miſcetque cum Caſsia ea, quæ extinguunt ſemen, ut corralium, maſtichen, & bolum Armenum aliquando; cum verò magna eſt Gonorrhea, miſcet cum eadem ℈ iſ. trociſcorum de Carabe, nec aliud hiſce locis medicamentum Gonorrhea affectis frequentius exhibetur. Dubitari tamen de uſu non immeritò poteſt, nam ſpermatica vaſa, cum in hoc affectu valdè humorum affluxu debilitentur, & relaxentur, inconueniens utique Caſsia fuerit, utpotè quæ infirmiora viſcera, teſte Meſue, laxioraq; reddit; immò intemperiem calidam, ut exempla in Ildano obuia confirmant, augebit; calidamque materiam ad partes affectas compellet: nec adſtringentia, ſemenque extinguentia decenter cum Caſsia exhibentur: nam cum in principio contractæ luis exhibentur, videntur impingere potius partibus contractam virulentiam; in progreſſu verò cum iam ceſſauit calidior intemperies, & adeſt ſimplex debilitas, & relaxatio vaſorum; tunc verò ſolis corroborantibus naturæ ſuccurrendum foret. Verumtamen, & initio, & in progreſſu Caſsiæ legitimus erit uſus. Initio, quia validiora ſunt adhuc viſcera, & vaſa quoque. Simplici utemur pulpa purgationis, & deterſionis gratia motui naturæ ſuppetias laturi: in progreſſu etiam exhiberi poteſt, cum adhuc acris eſt materia, & eius abſterſione opus eſt; ſed admixtis ijs, quæ vaſa ſpermatis adſtrictione ſua roborent: Placentque potius maſtix, thus, & Carabæ, quam medicamenta frigida, & ſicca. hic obiter admonendi ſunt medici, ſimplicis Caſſiæ uſum utero gerentibus non ità facilè conuenire tum ob tormina, quæ ex ſe facilè excitare poterit, tum quia laxantis facultatis ex Meſue eſt; quod ſi tamen eius uſus urgeat, ſemper pulpa Tamarindorum immiſceatur. Somnum auctore Acoſta conciliat Caſſia, ſed cur conciliat? an reuulſione calidorum humorum à capite, aut vapore ſparſo, aut mitigatis doloribus? Hecticis Caſsiam etiam exhibent optimè practici, quod hume-

ctet, & refrigeret; at refrigerat comparatiuè tantum, & in hecticis tandem dubium eſt, ne laxentur nimium viſcera, & ad periculoſos fluxus reddantur proni. Exhibetur tamen cum ſpeciebus Diamargaritum frigidis, vel diarhodonis potius Abbatis, & antequam extrema ingruat calamitas. Inflammationibus externis, & Articulorum à cauſa bilioſa doloribus cum mucilagine Pſylij emplaſtri ritu, ut anodinum prodeſt ſi recentior. Cortex Caſsiæ an fœtum remoretur, impediatque, ut ex Laceuna refert Acoſta, incertum videtur cum purget. Sumenda Caſsia non multum ante cibum, ut operetur citius, nec in cibum vertatur.

De Roſis.

CAPVT LVII.

Roſarum uſus antiquioribus diuerſus à noſtro in medicina temperamentum examinatur. vires tam ex veteribus, quam & recentioribus explicantur.

ROſam Deorum florem, & è ſanguine Veneris natam haud vanè finxit antiquitas; cùm in ea tum pulcritudo, tum varijs mortalium morbis ſubleuandis virtus diuinum adeò munus clariſſimè refulgeat; ob id roſas non ad odoris ſuauitatis delitias tantum, purpureique decoris pompam eduxit natura, ſed uſum pariter humanæ valetudinis eximium. Vſi ea ſunt veteres præcipuè externis in affectibus, eumque intus exhiberent ſiccæ puluerem fluxionibus ſiſtendis, laxatumque ventrem roborando commendarunt. At longè in roſis maiora ſunt, quibus hominum ægritudines domari liceat, ſi interna illa, ex quibus forma, ſeu natura penitius ſeſe coniungi principia rimemur. Temperamentum ijs aſſignat frigidum, & ſiccum Dioſcorides ob effectus, quibus ſe manifeſtat euidentius: Cum tamen re vera roſa præſertim pallida diſſimilarium partium ſit Gal. lib. 8. Facul. Simpl. ſubſtantiam eas obtinere humidam aſſerit, & calidam, ex qua tum amaritudo, tum adſtrictio; optimè tamen Meſue roſas calidas habere partes, in quibus eſt amaritudo, & rubedo: aereas, e quibus eſt exhalans ſuauiſſimus ſpiritus; aqueas item, & terreas, quarum prædominio frigidi in gradu primo, ſicci autem in ſecundo temperiem obtineat; quamuis hæc in exſiccata roſa magis intendantur: ſic difficultatibus ab Oſmano contra ſenſum Meſues prolatis ſatisfactum iri crediderim. In flore cum primum prodit calycem eleganter viridem promit, alabaſtrum appellat Plinius, quaſi vaſculum unguine odorato plenum. Stamina lutea cum appendicibus florem medium occupantia, ut ait Theophraſtus, quaſi florem in altero gerat, & circumſtantium foliorum purpurei, albiuè coloris albicans extremum unguem. Veteres ſuccum roſarum abſtergere, atque aperire tradunt; reliquas partes autem ſiccas adſtringere. Vſus earum, Dioſcoridis teſtimonio, ad oculorum circumlitiones frequens, quod habendum eſt inflammationum initijs; nam in progreſſu potius officiunt; non ferunt enim tunc denſantia remedia ob neceſſariam oculis humiditatem copioſam. Ad dolores quoque variarum partium commendat Roſas Dioſcorides: ſed in

cauſa calida, & quidem præcordiorum inflammationibus ex eadem. Miſceri quoque tradit vulnerarijs antidotis; hoc ſanè dupliciter, qua glutinando quæ cæſim facta, qua cicatricem cauis iiſdem inducendo. Recipi quoque Roſas ſcribit Dioſcorides ad compoſitiones Anteræ dictas. Optimè Gorrheus in definitionibus ſic nuncupatas has compoſitiones aſſerit, non quod roſas ſemper reciperent, quod viſum eſt Manardo, ſed quod ſandaracham, cui auctore Eſichio, Anteræ nomen inditum fuit. Vri roſas ſubdit Dioſcorides ad Calliblephara: nomen hoc quid innuat ex Gorrheo manifeſtum; certè medicamentum eſt, quod ad honeſtandas palpebras etiam Plinio aſſertore, ſimulque roborandas antiquitus adhibitum fuit; deſijt his regionibus eorum uſus: Inter Arabes, & Turcas, ut audiui, etiam nunc frequens: Hi defluxionibus obnoxias palpebras iuxtà margines tarſi ex Alcohol Antimonij parata tinctura leuiter imbuunt: qua roborantur utique extrema illa, denſatis poris, & collecti humores diſcutiuntur: Muliebribus ornatus potiſſimum gratia id ibi conſuetum eſt, oculi albo circumducto hoc nigricantis coloris circulo lætius, aut latius radiante. Ad alui tandem deiectiones bilioſas, quas & cruentas deiectiones vocat Dioſcorides exhibet roſarum exſiccatarum puluerem cum ſaccharo, iuxta quorumdam ſententiam. Addo ex Plin. lib 21. cap. 19. florem medium in puluerem redactum naribus raptum ciere ſternutamenta, mouere urinas. Vngues, ait, roſarum ad Epiphoras conducere, nempè cum materia fluxa ſimplex flegmon eſt: in unguibus namque roſarum refrigerandi, denſandique potentia maior reperitur. Alopecias roſarum ſylueſtrium uſta ſpongia cum axungia urſina maximè emendat, ut proſit, & opituletur diſcutiendo, adſtringendo, roborando. Ad calculos eamdem exhiberi etiam nunc vulgo cognitum. Hæc igitur ex veteribus monitis de roſis, earumque viribus dicta ſint. At quod in Adelphis ſcripſit comicus nunquam ità quemquam benè ſubducta ratione ad vitam fuiſſe, quin res ipſa, ætas, uſus, ſemper aliquid apportet noui, hoc in medendi ſcientia clariſſimum eſt, quæ niſi per multa ſæcula, multiplicemque rerum uſum conſummari non poteſt. olim, vt dictum eſt, in Roſis externa præcipuè dolorum, & inflammationum blandimenta quæſiuerunt veteres. Per hæc tempora tam interna, quam externa remedia ex ijſdem parantur optima: è quibus cum alterantia nuper conſiderauerimus, reſtant expendenda purgantia; & in calce capitis ſubnectenda quædam è roſis deſumpta Chymico labore, quæ & ipſa alterationi magis, quam euacuationi videntur dicata.

Purgare autem roſas ab Auicenna primò, Serapione, Raſe, Meſueque Arabicis auctoribus principaliter innotuit; quamuis enim Dioſcorides unguentum roſarum alvum ſoluere ſcripſerit; ab olei tamen in unguento præ dominantis facultate laxante, hoc ipſum deficcare facile patet: at Meſue rubras tantum, & paucorum foliorum roſas purgare ſcribit; quod tamen experientiæ aduerſatur, cum albidæ noſtrates, quæ ob odoris affinitatem moſcatæ dicuntur, efficacius purgent, quam rubræ. Reſpondet Coſtæus in Commento Meſuæ vel ignotus fuiſſe moſcatas ipſis noſtras, & vim in his purgatricem, quemadmodum incognita Græcis rubrarum, vel has veluti ſpecie diuerſas exiſtimaſſe, ut Auicen. & Serapion, qui diuerſa fece-

re

re capita. Mihi ſanè retulit Clariſsimus Veslingius quemadmodum rubros, frequenter ita albos rariſſimè & vix ſemel, aut bis inter Ægyptios ſibi conſpectos, quod eidem etiam contigit circa Damaſcum, quo loco Meſ. oriundus à pluribus creditur. Obſeruabile interim ab hodiernis ſcriptoribus & rubris roſis ſatiuis, & albis moſcatis flore ſimplici Damaſcenarũ nomen imponi. Atque id quoque ex Meſ. lectorem offendit, quod ſolutiuam roſarum facultatem amaritudini aſsignat contra propriam ſententiã, inter Canones vniuerſales latam, vim ſcilicet purgandi formæ ſpecificæ deberi. Veriſsimile tamen eſt Meſ. amaritudinem haud ſimpliciter purgationis cauſam agnouiſſe, ſed tantum cauſam adiuvantem, & facilè promouentem; amara enim quamuis, vt talia ſunt, non purgant; tamen opus hoc naturæ abſterſione, & ablutione humorum plurimum promouent. Iam ſoluendi ventris causa, cum roſatum vsus eſt, duæ, aut tres roſæ præſertim moscatæ matutino rore madidæ abiectis ſtaminibus cum calyce tamquam acetarium aſſumi poſſunt ante cibum, addita, cum validius opus exigimus, inſperſione cremoris tartari ſubtiliter pulueriżati, vel exhiberi poteſt recentiorum succus ad ℥ ij. dilutus cum ſero lactis, vt facilius operentur: idque commodum in febribus ardentibus, ubi aut, à dulcium uſu nullam utilitatem præſtolamur, aut ventriculum bilis acrior ſimileſque intemperies infeſtat. Frequenter tamen medici tum ſyrupo ex infuſione Roſarum ſolutiuo, tum melle Roſaceo ſolutiuo utuntur. Paratur ex infuſione foliorum rubrarum non ſylueſtrium, ſed ſatiuarũ decies, vel duodecies repetita: idque vel in aqua fontis laudatur, quæ debiliorem, vel in rore maiali ex paruo puro linteo, ductoque per gramina collecto, quæ validiorem ſyrupum exhibet, fitque hic Patauij frequentius. Doſis ſyrupi ex infuſione eſt ad ℥ iij. ad ℥ vj. Mellis Roſati ſolutiui eadem. Syrupus tamen ex infuſione febricitantibus exhiberi poteſt dilutus aquis refrigerãtibus, item utero laborantibus ob ſucci naturam, ſiue facultatem aperientem: vulneratis quoque viſceribus, ſiue exigenda ſint excrementa, ſiue vulnera ipſa abſtergenda veniant. Grauidis haud exhibendam infuſionem monent practici, quoniam aperiendi vires obtineat; quamquam non adeò in ijs trepidandum; roſa namque ſubaſtrictionem de ſe relinquit. Mel roſaceum ſolutivum febricitantibus dandum non eſt, quia calidius, & in bilem facilius faceſſit: Pituitæ tamen, & præcipuè corruptæ in ventriculo, & inteſtinis ſtabulanti ſubducendæ optimum eſt. Qui turbidam, & ingratam infuſionem Roſarum vulgo vſitatam claram odore, ſaporeque ſuauiorem, viribuſque meliorem efficere volet; tunc neceſſe eſt infuſionem ex recentibus, & roſcidis roſis paratam, aut ijſdem contuſis in mortario marmoreo expreſſum ſuccum diligenter depurare, quod fiet filtro, digeſtione in balneo, additis vel oui albumine, vel guttis aliquibus olei tartari. Depuratum, clarumque medicamentum ſaccharo albiſſimo ad conſiſtentiam cocto iungendum, & blandè calore vniendum. Doſis ſumma ℥ iiij, aut ℥ v. dilutum vel aqua Roſarum optima, vel ſtillatitia ſimili ex floribus odoratis, ni particulares hyſtericarum ægritudines obſtent. Sed quid eſt quæſo! quod roſarum ſuauiſſimus odor capita quorumdam offendit: & Epilepſiæ hyſtericæque paſſioni vim quandoque addit; immò paroxiſmos etiam

ſceleraoit ? an quia in illis mouet ſternutamenta, & coryzas; aut antipathia occulta moleſtus: in hyſtericis ſuauitas accuſari poteſt odoris, cum à ſuaueolentibus ſic afficiantur; ſed quoniam Chymicis è Roſis valentiora remedia elici, quam vulgaria prædicatur medicamenta; ea ſubnectere omnia, quæ ipſis peruia ſunt modo non grauabor; cum præſertim à principijs ſuis actiuis dependere hæc profiteantur; quibus omnia ferè in natura tribuunt: de quibus principijs nonnulla prælibari, ne prorſus ignari rerum Chymicarum videamur, quod latere nos non decet, duximus, ſi Hermetico ſenſu facultates rerum perpenſas negligeremus. Mixti igitur principia illis alia actiua ſunt, alia paſſiua. Actiua in quibus agendi facultas, adeòque naturalis forma potiſſimum conſiſtit; paſſiua in quibus eadem aut debilis, aut nulla, quæ communis ſubiecti magis, ac matricis rationem obtinent. Atque illa ſanè ſalis, ſulfuris, & mercurij ternario comprehenſa ſunt: hæc flegmatis, & terræ binatio: ſal communiter ſic acceptum eſt principium mixti activum concretionis, & diſſolutionis capax, cuius præſentia, conſiſtentia, habituſque mixti ſeruatur, copiam, vel inopiam vitæ perduratio, vel breuitas; putredo vel immareſcibilitas conſequitur. Sulfur eſt principium alterum activum pingue, ſiue oleaginoſum, in flammam explicabile, atque illius adæquatum pabulum. Mercurius principium actiuorum tertium ſubſtantiæ tenuiſſimæ facillimè reſolubilis, & penetrans maximè; quibus etiam, inquiunt, notis Mercurius vulgaris ſeſe prodit; alias & ſpiritus dicitur. Cœterum e paſſiuis principijs flegma eſt, & pars; dicunt, mixti liquida, nullo odore, aut ſapore prædita: Terra deinde, quā & caput mortuum Chymicorum vulgus nominat, eſt terrena mixti pars, ab actiuis alijs principijs, & præcipuè ſale depurata. Roſarum igitur virtutem cum Chymicis in actiuis non in paſſiuis principijs quærendam eſſe aſſerunt; quarum dominium eſt, dicunt, in vulgò paratis ſiccis pulueribus, & aquis. At efficaciores longè, & ſpiritu plenas prædicant aquas, quas elaborant, dum quis contuſas recentes roſas per menſes aliquot fermentari ſinat vaſe clauſo, ſicque diſtillatione primò, ut ex Fabri myrh. lib. 5. cap. 2. Spirituoſa aſcendet ſubſtantia, quæ ad Emicraniam ex eodem maximè pollet, non tantum roborando cerebrum, ſed cauſam doloris diſcutiendo. At me iudice, non exiſtimandum frigidum eſſe hunc ſpirituoſum liquorem; immò quo diligentius, & per vices accuratior facta fuerit deſtillatio, & calidior, & penetrabilior fuerit ſpiritus inſtar vini flammam concipiens. Quod ſi fides eorum dictis habenda, ut ſaltem aliqua ratione fulciamus illorum placita, proderit calidis morbis capitis, dum allicient ad ſe calidos, & acres vapores, ſecumque adducent, ſublato morbo cum doloris cauſa, ità forſan naturali homogeneorum conſenſu nitrum depuratum, eiuſque ſpiritus faucium inflammationibus proſunt. Febribus eadem ſpirituoſa aqua Fabro auctore loco citato prodeſt ardentibus, tum ob cauſas ſimiles, ſi fas eſt diuinari, tum ob vires putredinem humorum inhibendi, idem ſummum remedium aſſerit eryſipelatibus, & conciliare quoque ſomnum, non tam quod virtute balſamica, inquiunt, ſpiritus refocillet, quam intemperiei cauſam tollat, quam nunquam tamen cognouere. Ex ijſdem Roſis Chymici eliciunt tincturam, quæ roſas e purpureis protinus

nus albas efficit, eo modo quo purpureis roſis ſpiritu vitrioli acido delibutis tinctura ſubducitur adiuncto liquore roſarum ipſarum, fietque ex acido ſpiritu ſulfuris ex eodem Fabro. Et hanc anorexiam à quacumque cauſa, ſubortam apprimè perſanare ſcribit, quod adhærentes ſtomacho humores attenuet, abſtergatque, ſed hic ad cauſam quoque reſpiciendum eſt: nam acida non omnibus æque conueniunt in febribus, & ſiti mitiganda laudatiſſimus ab his uſus, quemadmodum, & in dyſenterijs, & fluxu hepatico: immò præſente viſcerum etiam calida intemperie, optimum medicamentum dicunt, tutumque præſtari auxilium; Aphtas, aliaque oris ulcera, tum ſerpigines aliarum partium, & herpetes feliciſſimè curare idem refert, quod acres humores vlcera facientes diſſoluat, & in mitiorem ſubſtantiam conuertat, hinc vlcus à fluxu acri, & humoribus liberum reddere, & balſamo ſuo propria natura perſanare: dicuntque opobalsamum in nativum conuerſum, & in ſubſtantiam ſalinam omnibus exulceratis partibus prodeſſe præcedentem acrem, & corrodentem absumendo; quæ niſi commutetur, aut auferatur, ulcera ſanari nequeunt. Cœterum hæc Chymicorum, & alia huiusmodi verba etiam à fidenti cautiſſimè accipienda ſunt: ut à prudenti medico, quando his uti vſus expoſtulet, ſemper ijsdem ratione, duce vtatur, quæ ſola homines à brutis diſtinguit; cogitantes præſertim antequam topicis remedijs vtamur, præcedere ea, quæ cauſam antecedentem, & materiam perſiſtentem educere valeat; quod etiam in cicatricis inductione requiri ſolet, ut mitius ſiccantia adhibeamus, idque citrà morſum: quod forſan vel aqua Chymicorum, vel horum tinctura haud præſtare poſſunt. Hæc igitur tamquam auctarium diſquiſitioni noſtræ in Chymicorum gratiam adiunximus; quorum ſanè remedia, ſi recto conſilio dirigantur, in optimum uſum redigi poſſent: Ineptiſſimum namque eſt ſupponere Panaceam ex illis, quam numquam niſi verbis præſtare potuere. Vnguentum ex Roſis vulgare longè efficacius parabitur ex ipſo Roſarum ſucco benè depurato, & pinguedine porcina ſæpius in aqua roſarum lota, & in mortario marmoreo agitata donec optimè candeſcat: ſucco dicto ſi ad ſingulas libras ſemis addatur ſpiritus vitrioli ℥ ſ. & penetrabilius redditur, & gratum purpuræ colorem decentius ſeruabit. Addit Faber oleū ex opio, & ſimilibus quatuor frigidis concinnatum cum unguento remixtum in doloribus inflammationum mitigandis ſummoperè prodeſſe; quod quidem rationi conſentaneum ſi in principio adhibeatur. *Miro. Thec. lib. 8.*

De Violis.

CAPVT LVIII.

Violarum purpurearum deſcriptio. Temperamentum examinatur, vires explicantur. Meſue qui Violis narcoticam facultatem tribuit, & purgantem notatus & excuſatus.

Violas à Ioue productas fabulantur veteres in pabulum adamatæ ſibi Puellæ, & quam in vaccam mutarat, adeoque nomen Ion Fiori retentum.

tentum. Nobis ob id ambiguum non ſit in floſculis, quamuis pedibus paſſim violandis, cęleſtis beneficentiæ munus refulgere, quas viribus eximijs morbis mortalium ſubleuandis conditos agnoſcamus. Cum igitur roſis natura proximæ ſint Violæ, quarum nomine quamuis etiam Leucoia veniant, tam bulboſa, quam bulbis carentia; propriè tamen eas hic accipimus, quas ἴον Græci, & determinatè magis ἴον πορφυροῦν violam purpuream, Theophraſtus ἰσμελάνιον ob coloris obſcuritatem nuncuparunt; latiore ſtatim à radice folio, floriſque ſuauiſſimo odore ſe proferentem. Temperamentum ipſarum optimè deſcribit Meſue, nempe frigidas eſſe, & humidas in gradu primo, idque recentes, quarum ſubſtantiam, neque calor reſoluerit, neque pluviæ obruerint, quo ſicciores fuerint, eo minus habere frigiditatis, & humiditatis; immò acrimoniæ ſenſum exhibere manifeſtum. Si de violis itaque recentiſſimis ſermo ſit, dubium ex Dioſcoride non eſt eas refrigerandi naturam habere; folia etenim contuſa per ſe ſtomacho æſtuanti prodeſſe aſſerit, atque oculorum inflammationi conferre; ſed τῆς ἕδρας προπτώσεσιν prolapſui ſedis, qua ratione violæ medeamur obſcurum eſt. Etenim cum vitium hoc conſtet ex neruorum affectu, aut à defluxione suboriatur; non habent violæ, quod hic commendent, ſed potius ſimilitudine temperamenti affectum augeant, & peius afficiant; niſi quis dicat Dioſcoridem communi violæ nomine eas comprehendiſſe exiſtimet, quas tricolores, & Violas trinitatis nominat vulgus; quibus à proprietate hernias curandi inteſtinales tribuunt. At illæ nec hederaceum habent folium, nec odore ſe ſe commendant, vt de ſuis loquitur Dioſcorides. Exiſtimem tamen ad violas ſiccas reſpexiſſe Dioſcoridem, in quibus cum partes ſint calidæ euidẽtes, non ineptè utique videntur ad partium relaxatarum diſcuſſis humiditatibus ſubleuationem: ad Synanchiam muſculis inflammatis contuſo folio, aut flore appoſita; ſic alio modo tam potione, quam linctu opitulari poterunt. Puerorum epilepſiæ aptantur commodè violæ: auxilium etenim à violis Epilepſia recipit, quatenus putridam, acrem, malignamque pituitam, vel catharticè auferunt, vel cerebrum calefactum mitigant, licet ad cauſas in primis reſpiciendum; cui pro præſeruatione cauteria affixa ex uſu veniunt. Cœterum cauterij in ceruice uſum auctoritate Æginetæ non ſatis cautè reijcit in puerulis Sennertus lib. 4. Prax. par. 2. cap. 10. cum periti manus facilè hic exceſſum cauere poſſit. Meſue violas narcoticas pronunciauit; at illæ nec anodinæ propriè, nec narcoticæ ſunt. Sitim optimè extinguunt, & pectori proſunt in acri catharro, & inflammationibus. Cor quoque exhilarari creditur, ob id cardiacis confectionibus utiliter admiſcentur. Calore igitur blando violæ, quem exiccatæ adipiſcuntur, & tunc partium tenuitate aperiunt; ideoque hyſtericis utiles mulieribus; menſium quoque ſuppreſſione etiam laborantibus, ſi cauſa calida ſit; adeoque vel bilis craſſior, aut aduſti humores impedimentum exhibeant. Chymici è violis eo modo, quo è Roſis aquam parant, de qua mira prædicant. Verum violarum vires hucuſque relatæ à temperamento potius prodire valent; at purgandi vires, quas poſſident, à forma emanantes, ex Arabum induſtria nobis emerſere; refertque Meſue violas blanda corporis commotione bilem abducere, & recentes quidem, earumque

ſuccum

ſuccum leniendo purgare: idem ſiccas purgando, ſiue ſoluendo: neutrum horum acceptum eſt ab Interpretibus; etenim ſi leniendo mouent, verè non purgant; non bilem determinatè; ſiue quomodo ſoluunt, ſi facultas decoctione præcedente perditur, adeoque in tenuioribus partibus conſiſtit? Verum in priore ſpectauit Meſue cauſam adiuuantem purgationem; in altero ſiccitatem paulatim, & in umbra acquiſitam, nec diuturnam. conſentit experimentum in trociſcis violarum ſine ſcamonio, quamuis id Coſtæus ſe non repertum referat: Purgant quidem bilem, ſed à ventriculo pituitam, & proximis inteſtinis deturbant: & licet idem dubitet, an ſiccæ purgatoriam facultatem obtineant; id faciunt procul dubio blandè ſatis; quod ſæpius expertus ſum: additamento Turbith violarum actionē intendi ſcribit Meſue: alij Turbith à violis corrigi: melior tamen ſenſus Meſues, nam à ſiccis violis, neque actio Turbith promouetur, nec calor retunditur, nec ventriculo robur accedit. Exhibentur florum violarum folia remotis caliculis recentia, roreque madida ad manipulum unum ante cibum, inſperſo tartari cremoris polline, vel ſuccus è roſcidis expreſſus ad ℥ ij. dilutus ſero lactis, vel aqua alia ſtillatitia, idque præſertim in ardentibus febribus, cùm dulcia omnia inutilia ſunt, optimus fuerit. receptior eſt ſyrupus ex infuſione violarum eo modo parandus, quo roſarum; ſic & mel violaceum ſolutiuum, quorum ille cum bilem reſpicimus, validioreque febre; hoc in pituitæ ſalſæ, & craſſioris colluuie magis haben lũ eſt. Melioris notæ medicamentum fit ſapore, colore, odore, viribus, ſi ex ſucco recentium optimè depurato, ſaccharoque albiſſimo ſyrupus concinnetur, quemadmodum de roſis dictum: exhibetur item puluis violarum à ʒ j. ad ʒ ſ. in ſero, quo etiam alvus leniter ſubducitur: Violæ decoctionē, ut ſoluant, longam haud ſuſtinent.

De Floribus Perſici, Ceraſique.

CAPVT LIX.

Perſicum noſtrum à Perſea Theophraſti differentiſſimum ſtatuitur: Plinij opinio ex Athenæo conuelluntur circa Ceraſi cognitionem in Italia vires & temperamentum produntur, priuſque plantæ ad flores quod attinet.

Violis cognati ſunt perſici, ceraſique flores, quos copioſos verno tempore producunt arbores notiſſimæ; quorum illi non tàm ex Perſia ſanè, quam ex Æthiopia, ubi venenata naſcebatur, & quam à Perſeo Memphim tranſlata nomen mutaſſe, & ab eodem nomen accepiſſe tradit Nicander; de qua quoque loquutus eſt Dioſcorides lib. 1. cap. 181. ſed ex malo Perſica prodeunt differentiſſima à prima arbore, cuius meminit Dioſcorides lib. 1. cap. 16. Et quam etiam Theophraſtus deſcripſit 4. de Hiſtoria Plantarum 11. notis omninò diuerſis à Perſea; folijs videlicet non deciduis, & piro vicinis, & quæ quidem fructum abundè pariat: ſed in omni tempore perficiat. Quæ ſi perpendantur, additis quæ de eius nucleo etiam habet malum Perſicum à Perſea, ſiue Perſica differentiſſimam plantam

plantam conſtitui comprehendet. Hinc allucinari video manifeſte viros alioquin doctiſſimos,& inter eos Renodeum ipsũ,qui ex hoc parum amicũ ſe prodit Matthiolo, qui cum Nicandro è duabus arboribus, vnam tantu-
In Alexi pharmacis. modo faciunt. Affines perſici floribus ſunt ceraſi flores: arbor olim nobis peregrina, ſi Plinio credimus,nec ante Mithridaticam victoriam Italiæ notam, cum eam Lucullus è Ceraſunte Ponti oppido primũ inuexerit. Plinij opinioni ſubſcribunt & Amianus, & Diuus Hieronymus. Attamen opinionem redarguunt hanc Athenęus, & Seruius: ille dum Diphilon quemdam Siplicnium virum illuſtrem, qui ſub Lyſimacho Rege vixit, ceraſi meminiſſe tradit, hic verò ante tempora Luculli Italiæ incolam Ceraſum fuiſſe aſſerit, ſed potius ſylueſtre genus, fructu duro, & corni æmulo, tum forma, tum nomine, cùm cornum ceraſum vocarent. Cæterum vtriuſque arboris flores temperiem calore, & humiditate moderatam poſſident, quamuis Renodeus frigidam, & humidam aſſerat; cui & Præuotius aſſentitur, qui ceraſa frigida in primo, & humida in ſecundo ſtatuit; partes tamen calidas habere, quibus prædominium concedi poteſt; aſſerere non ibimus inficias, ſi odorem, ſaporemque conſiderauerimus. Sunt igitur hi flores leniter rarefaciendi,aperiendique facultatibus præditi,adeoque ex eis infuſiones ſimplices febricitantibus, alijſque quoque ſalubre præbent medicamentum, & ſuppreſſis menſibus conducere tradunt, ab humoribus bilioſis, vſtiſq, tum craſſis corpora ſubleuando: purgant blande, tenue quid; acre, & calidum eſt; propterea inter mitia purgantia hunc ſibi vindicant locum. Foliorum manip. vnum exhibent cum fructu in acetarijs, vel ſuccus propinatur ad ℥ ij. liquore aliquo proportionato dilutus. Componitur ex ijſdem floribus ſyrupus ſolutiuus, & vulgato modo, & Chymico artificio. Conſerua quoque paratur ex floribus perſici contuſis cum ſaccharo albiſſimo, cuius recentis ℥ j. ſatis eſt ad alvum molliendam. Poma ipſa perſica odore, & ſapore ſingulariter expetita ſi Gal. conſulamus lib. 2. de Alim. Facul. cap. 19. ſuccum haud bonum præbent, cùm facilè corrumpantur; hinc ſcitè admonet Renodeus ex ſucco ſyrupum non eſſe parandum. Nuclei amaram medullam continent calidæ, & ſiccæ temperiei ad vermes necandos aptam: deobſtruit etenim viſcera, & abſtergit quoque; cuius conditionis ſunt etiam folia, minorem tamen calorem poſſident. Ceraſorum verò fructus modo laxantem, modo adſtringentem conditionem obtinent, prout in ſpecie diuerſificantur, quæ rubore ſaturo nitent, Epilepticis commendantur vtiles, præſertim ſi vinum cum aqua ex floribus tiliæ, quo ſemper vtantur, paretur. Succus earum laudabilior eſt longè, quam perſicorum, ſubducunt enim Ceraſa blandè ventrem, ſitim ſedant, inflammationibus internis, & bilioſis humoribus compeſcendis vtilia euadunt.

De Aloe, & eius Viribus.

CAPVT LX.

Aloes genera explicantur etiam in Italia cum Columna optimum ſuccum pr ebere, & modus ex eo; de ſapore Aloes ſuſpectus Fallopius: præſtantia eiuſdem ex Meſue & nocumenta recenſentur; quomodo ſeruari poſsit; ſanguinem siſtere & hemorrhoidas aperire, temperamentum controuerſum ſtatuitur viresque paſsim examinantur.

INter cætera valetudinis aduerſæ præſidia maximè conſideratione medica digna ſunt, quæ ab effectu cathartica dicuntur; non tantum ob ſummam vtilitatem, dum cauſas ægritudinum tollunt; ſed ab operandi ratione, abſtruſam, & proprietates naturarum ſingulares, quibus maior pars humanum corpus affligere poteſt, niſi dexter eorum vſus ineatur. Initium à ſaccharo duximus, & manna, quibus dulciſſimis ſubiunximus flores perſici, & ceraſi amariuſculos; Aloes modo amariſſimum ſubiungamus medicamentum: ſatis quidem celebre, & quo forſan nihil uſitatius noſtris hiſce temporibus, & inter lenientia celebratiſſimum; & quamuis controuerſum an phlegmagogum, vel cholagogum potius ſit: libuit tamen inter cholagoga pharmaca reponere, quoniã vis eius, quę à forma emanat, magis ſpecificè cholagoga eſt; viſcida enim abſtergere & ducere plerique auctorum amaritudini eius tribuunt, ut inferius apparebit. Sortitur Aloe nomen τῆς ἁλὸς quia maritimis in locis frequentior, alijs ἀμφίβιον, quod & in terra viuat, & è terra avulſa, & laquearibus ſuſpenſa incolumis vitam degat: idque ob ſucculentum eius habitum, & calorem placidiſſimè reſoluentem; tum vapores per aerem ſparſos, quibus humectatur, adeoque & ἀείζωον dicitur, & eorum ſpeciei rectè aggregatur. Dioſcorides vulgatam illam ita optimè deſcribit, ut vix aliæ notæ pro integra plantæ huius cognitione deſiderari queant. Diſtinguit idem Dioſcorides genera Aloes à loco natali, & inde horum meliorem ad vſum ſeligit, cuius etiam ſuccus recipitur, ut magis idoneus; eiuſque duo tantum genera ex eodem cognoſcimus; unum quod ad iocinoris normam vergit, alterum verò arenoſum, quaſi probioris ſucci ſedimentum habeatur. Recentiores tamen triplicem eius obſeruarunt differentiam, Zocatarinam à ſolo natali Zocotara Inſula; videlicet, non quod ſucco Citrino colore tingat, vt exiſtimabat Fluxius: alteram hepaticam appellatam, quia iecoris modo coacta, & coagmentata, eſtque & ipſa Zocotarina, ſed paulo denſior, atque obſcurior; attamen ſincera, eſtq; ἡπατῖκον Dioſcoridis. Tertium genus atrum, & liuidum, & eſt aloes arenoſa Dioſcoridis, veluti illius melioris cõditionis craſſamentum quoddam; hanc & Caballinam vocant aloem, quia iumentis veterinarij purgandis utantur. Auicenna aloes ſynege mentionem facit, quam hepaticam iam dictam eſſe plures exiſtimant. Planta, e qua elicitur ſuccus à regione, e qua petitur, diſtinguitur à Dioſcoride. Indica aloes præſtantior cæteris, quia, & præpinguis, ſuccuſque eius excellentior. Arabicam,

Aſiaticamque alteram facit,& quæ etiam in maritimis, æſtuarijs, & in Inſulis quibuſdam, veluti in Andro naſcitur, ſucco parã lo non adeò idonea, ſed vulneribus perutilis ſi illinatur. Recentiores ex America etiam attulerunt aliam ſpeciem; ſed, & quæ magis ſpinoſa eſt,& cuius extrema foliorum in ſpinam ſatis robuſtam, ſiue acum terminatur: Hiſpanus Fillagula, quod Indi ea ſpina, veluti acu vtantur, cum etiam ex ipſa planta fila parent; immò aquam, vinum, acetum, oleum ex eadem eliciant. His aloes plantæ generibus addere etiam liceat Europeam aloem, finitimis Italiæ regionibus naſcentem,ex qua etiam ſuccus exprimi poteſt; quod ſanè dubium dici viſum eſt, cum præcipuè Dioſcorides ſcribat aloem in Aſia, Arabiaque,& ſimiliter in Andro,Inſuliſque maritimis non valdè ſucco eliciendo idoneam eſſe. Rem tamen aliter ſe habere detexit Fabius Columna magni inter recentiores nominis Botanicus lib.de Stirpibus minus cognitis cap. 11. & ex planta aloes in Vrbe Neapoli nata ſuccum extraxiſſe aſſerit, Succotrino haud diſſimilem temperamento,forma,& viribus præſtantem; adeoque accuſandam inſcitiam Aſiaticorum, & debilem induſtriam potius, quam in rebus ſimilibus diſſimilem naturæ vim arguendam. Modum eliciendi optimè ſuccum idem ſummus Vir candidè docet: emanat enim, inquit, non è folio,vel radice inciſa, ſed è venis integri folij circa radicem aſſumpti: Cæterum qui ſuccus verno anni tempore exprimitur, nigrior euadit; qui verò æſtivus educitur, magis fulvus eſt, ſtatimque ceræ inſtar concreſcit, atque tum colore, tum leuitate præſtantior eſt: in ſucco etenim aloes præferendus eſt ille color,qui è citrino in ruborem inclinat, & cuius myrrhæ propinquus. At de aloes ſapore non immeritò mirum, immò ſuſpectum Fallopium eſſe apparet, dum inquit, quod aloes ſit ſaporis primò dulcis, mox amaraſcenti; quamuis enim abſinthium, & colocynthis amariſſima ſit, aloes tamen communi ſenſu, & in principio, & in fine amariſſima cenſetur omnium; tantum in hoc medicamento dulcedini aſſertæ præpollet amarum, ut niſi ab eo, qui exactiſſimo guſtandi ſenſu præditus ſit relata diſtinctio percipi queat: Deſiderantur in aloes melioris notæ, pelluciditas, friabilitaſque cum ſoliditate coniuncta,& quod eius in liquida facilis ſit ſolutio. Adulterari ſuccum admonet Dioſcorides, docetque quomodo vitium deprehendatur. Verùm cum per hæc tempora maxima aloes copia aduehatur, nullum magis lucrum ex eius adulterio acquirunt impoſtores: ob id ceſſat, & adulteratio. Succus igitur plantæ aloes tam primi generis ſuccotrini vocati, quam ſecundi, & hepatici appellati, in uſum medicum, & pro purgando corpore venit; quem tanti fecit Meſue; ut cùm reliqua omnia purgantia inimica viſceribus credantur, & eorum calorem nativum potius imminuere valeant; ſolum iſtud medicamentum ijſdem viſceribus amicum prædicet; immò purgantium aliorum noxas, & malignitatem ſuo interuentu corrigere. Hoc tamen obtinere incommodi, quod venas ſedales facilè aperiat, iecurque quoquo pacto debile reddere valeat.Non adeò tamen ſalubrem eſſe aloem cenſet Cardanus, præſertim in eo, quod ventriculum roborare valeat; nam cum ea quæ dulcia ſunt ventriculo grata experiamur, cum tam inſigniter id amarum ſit, neceſſe potius eſt ventriculo, maximè aduerſari;

adeo-

adeoque dum nimium ſe Gal. credit, eiuſque auctoritati Meſue cum aloe ſua, qua grauioribus ſe morbis reſiſtere poſſe autumabat, immatura morte præripi viſus eſt. Scaliger quoque aloem, iecur lædere fatetur duce experimento, immo ſcutica dignos eos cenſet, qui hoc inficiantur. Alterum tamen dictum, quod hæmorrhoides aperire, & haud aloe conuenire poſſe cenſere, ut Manardo videtur in commentarijs ad Meſuem, eò quia Dioſcorides, & Plinius, eadem potius contrarium effectum tribuunt; nempe quod denſet, quod ſanguinis deiectiores ſiſtat, exteriuſque etiam admota vulnerum ſanguinem frænet, vulnera ipſa glutinet, & ulcera ad cicatricem perducat; quia Dioſcorides diſertè ſcribit admixtum aloe medicamentis purgantibus ità præſtare, ut minus longè ſtomachum infeſtent; id verò fieri non poſſet, niſi ſtomacho foret amica. Verumtamen cum Faloppio dudum, alijſque clariſſimis medicis experientia demonſtrauerit homines hæmorrhoidum fluxui obnoxios, aut etiam qui ea largius, & frequentius utantur, facilè in earum dolores, tumores, fluxuſque incidere. Non eſt igitur, quod de effectu dubitemus, & conſequenter iecur debilitare credendum. Sed quæſi opportunè poteſt, qua de cauſa ſanguinem hæmorrhoidalem eliciat, qui manifeſtis inhærent qualitatibus, id præſtare eam cenſent, quia calidam, & partes quaſdam habet aereas, & tum lentore proprio, tum deſcenſu tardo in extremo inteſtino diutius alteret; ſed nihil horum verum attingit. Nam, & calidiſſimum piper, craſſiore forma etiam ſumptum, & colocynthis, ſcamoniumque acria, & mordacia medicamenta, nec lentè agentia, & viſcoſa alia, huius temperamenti ſimilem edunt effectū; multò minus adſtringendi facultatem obtinentia; quæ res facit, ut Fallopius, & Coſtæus, alijque cauſam in formæ potius proprietatem, quam temperamentum referant. Negari interim minimè debet aloem non habere vim ventriculo infeſtam, & verè corrigere maligna alia, non obſtante quapiam eius amaritudinis, ut de abſinthio, alijſque notum eſt. Opportunè tamen & tam temperamentis quam morbis decenter aptari debet. Quòd exterius admota ſanguinem cohibeat, Coſtæus in eius adſtrictoriam, aut glutinatoriam facultatem reijcit; quodque calore, lentoreque ſuo veluti operculum obducat, quemadmodum myrrha. Vnam verò, & eamdem rem diuerſa ratione, diuerſos effectus edere, nec abſurdum, nec à naturæ inſtituto alienum eſt. Dioſcorides κεφαλαλγίαν pronunciat, quod ſanè obſcurum eſt, ſiue ab intemperie calida cerebri, aut vaporibus bilioſis, ſiue ab affectibus animi grauioribus parum, aut nihil ex aloe emolumenti expectandum: ac prodeſſe poterit ſi vapores craſſi, melancholici, vel pituitoſi dolorem item capitis ex ijs ſubortum mitiget, ut hoc ipſo capitulo teſtatur Dioſcorides. Ad vulnera glutinanda, ad ulcera oris, & pudendorum utilis ſiccando, & putredini reſiſtendo, adhuc cicatricem inducendam paulò debilior. In oculis pegmata, ſiue ſugillationes eas ex melle tollit, diſcutiendo condylomata ex vino dulci ſanat, dura tubercula reſoluendo: forſan vino humectatione ſua ad effectum promouente. Pterygia ad cicatricem ducit. Pterygiæ nomen commune, & narium alis, & ligamentis uteri membranoſis, & in pudendo mulieris obuijs nymphis; quem effectū horum tamen hoc nomine deſignet Dioſcorides, non conſtat. Geminus

autem eſt in diuerſis partibus, & unguium radicibus in oculis, & neruoſa adnaræ oculi membranæ excreſcentia ab angulo ad pupillam exporrecta eam obtenebrans; quæ ſæpius à narium, interdum etiam à temporum angulo naſcitur; rariſſimè à ſuperna, vel inferna palpebræ parte. Aetius lib. 7. deffinit. Cum album in oculo ſupra modum augeſcit, aut caro quidem ſupercreſcit ex ſcabra lippitudine, aut aſſiduis fluxionibus. Latini id mali genus unguem vocant, pro ut notum eſt ex Celſo lib. 7. cap. 7. Quod in pedibus fit, aut manibus pterygium eſt incrementum carnis, quæ partem unguis tegit. Naſcitur potiſſimum in pollicibus pedum quidem ex offenſione plerumque; in manibus autem ex neglecta reduvia, & poſt inflammationem in pus mutatam: ſi quidem hoc temporis ſpatio unguis radicem excedit, & unguem ipſum corrumpit. Aloes itaque, de neruoſa inereſcentia ſi ſermo ſit, non excedit proprias vires, ut abſumere eam queat, niſi ut notat Corbeius, carnoſa ſit excreſcentia, & ſarcomati fungoſo ſimilis, quã toſta in mundo vaſe Aloe, vt in fine capitis monet Dioſcorides, acquiſita acrimonia maiore minuet; & hic de cicatrice loquitur, adeoque affecta cum vlcere iuncto. Veriſimilius igitur eſt Dioſcoridem unguium vitioſam diſpoſitionem ex vlcere, & carnea excreſcentia compoſitam intellexiſſe. Et reſpexit eodem Plinius lib. 27. cap. 4. Aloem digitorum pterygiam tollere confirmans, & oculorum affectus, quorum gratia torrendam aloem monet Dioſcorides. Sunt vlcera, & ſordes immò τὰ ἐπισκοτοῦντα ταῖς κόραις, ut loquitur cap. de Saccharo tam interna, quam externa, magis autem hæc. Sanguinis ἀναγωγάς, ſiue excreationes, immò hæmorrhoidum abundantiam ſiſtit, & vt ſubiungit Plin. lib. 1. (res mira) quomodo enim effectus edat adeò euidenter contrarios. Coſtæus Melues commentator opinatur & Dioſcoridem pro ſanguine ſiſtendo eam adhibuiſſe exterius; interius vero venas aperire aſſerit. at cum Plinius apertè intus aſſumptam ſanguinem ſiſtere dicat; hoc iacit in proprietatem occultam, ut una, & eadem res, & à forma unum effectum edere, prout ſanguinem ciere in aloe, & à viribus manifeſtis ſiſtendi exterius admotam emplaſtica, & glutinoſa ſua facultate. Verùm nec verum eſt, quod habet Coſtæus Dioſcoridem voluiſſe ſanguinem ſiſtere aloem, niſi exterius admotam, cum ſatis clarè eam commendet ſanguineis excreationibus. Ianus Antonius Saracenus lib. 3. ſcholiar. Dioſcor. Aloem inquit exterius admotam facultate plaſtica hos effectus edere, ſed aſſumptam, vel ſubſtantiæ proprietate, vel ex accidenti concitato acrium humorum fluxu hemorrhoidas aperire; at, ut dixi, Dioſcorides eam ſanguinis reiectiones ſiſtere ſcribit drachmæ põdere ex aqua ſumptam; ad quod reſpondet, aloem parte craſſa, & terrea adſtringere, tenuiore aperire; hanc facile ad hęmorrhoidas tamquam remotiores peruenire; illam citius ad partes reſpirationi dicatas, utpotè propiores. ſimile de centaurio maiore ſcribere Galen. lib. 7. ſimpl. quod ſanguinem expuentibus adſtringendo proſit: uteri autem vaſa potenter aperiat. Chymici & ipſi diſtinctiorem reſponſionem afferre fatentur. Aſſerunt purgandi vim aut in ſubtiliſſimo ſale volatili, aut ſpiritu æthereo poſitam eſſe, adeoque actuatam à naturali calore diffundi; adſtrictoriam verò craſſioribus iunctam eſſe. Mihi in Æmoptyſi ea aſſumpta cum rha-

barbaro roſto & ipſa toſta, rurſumque lota prodeſſe videtur, ſi à tenui, & bilioſa fluxione malum dependeat; & linctu inſinuata tracheæ cum ſyrupo de plantagine, granatorum, portulacæ, roſis ſiccis: quamuis Dioſcoridis verba, aloem ſcilicet ſanguinis reiectiones ſiſtere, regium morbum purgare drachmæ pondere in potu, ex eo diſtinctè legi poſſint, ut videtur voluiſſe Ruellius; adeoque de lota, & uſta, & linctu ſumpta accipi queat. Verùm quid aloe præ cæteris celebre medicamentum euacuet proprie, nondum ſatis explicitum nobis eſt. Gal. quidem lib. 6. tuendæ valetudinis cap. 10. purgare bilem aſſerit, adeoque frigidi corporis, & ventriculi hominibus non valdè utilem eſſe: idem lib. 8. compoſit. medicamenr. ſecundum loca eamdem bilem tantum ſubducere ſcribit; Ioannes Præuotius in Elencho medicamentorum inter flegmagoga refert aloem, adductus partim experientia, partim auctoritate Gal., qui lib. 8. compoſir. ſecundum loca eam febricitantibus aduerſam eſſe cenſet, quibus utique conferre deberet ſubducta bile, ſi cholagogum medicamentum eſſet, cum calore præſertim rhabarbarum non excedat: at Rufus celebɩis auctor, & Gal. antiquior aloem apud Oribaſium bilem, & pituitam euacuare tradit, quod ipſum ſequitur Meſue: utriuſque ſententiam amplectitur & Coſtæus, & Falloppius, diuerſo tamen ſenſu. bilem quidem ab aloe propriè trahi virtute totius ſubſtantiæ, pituitam amaritudine ſua abſtergendo: Verumque humorem tamen Meſue ſpecie diuerſum ab uno medicamento trahi non poſſe obijci notat Coſtæus, cum id duarum formarum opus ſit. attamen haud abſurdum videtur ab uno medicamento utrumque duci; veluti non repugnat ab una planta, & aquoſum trahi alimentum, & quod pariter ſalſum, aut amarum, alteriuſvè ſaporis eſt. Atque ut in Falloppij ſententia permaneamus; Aloe blande ſane purgat: nec viribus ſuis ultra iecur aſſurgit, ut refert Gal. lib. 8. compoſitionis medicamentorum ſecundum loca. Dioſcorides etiamqui cap. Proprio diſſertè ventriculum, & morbum regium ab ea purgari ſcribit, idem innuere videtur: Meſue tamen eamdem, & caput mundiſicare teſtatur, & capitis conferre doloribus, at purgatio illa humorum à capite fit per humorum mutuatam conſecutionem; quemadmodum Falloppius de alijs medicamentis lenientibus ſcribit crebro De Simpl.
per interualla exigua aſſumptis. Animaduertendum ſane eſt, quod vete- purgan. c.7.
res antequam exhiberent aloem, varia ipſi admiſcebāt, ut citius ſolueret, ut copioſius purgaret, ut detrimentum hæmorrhoidibus non deferret. Horum primum ſe ſe conſequi ducebant admixtis ijs, quæ, & grata naturæ, & tenuiſſimarum partium, qualem macis, nux moſcata, cinnamomum, ſpica, calamus aromaticus: alterum adiuncta turbith, aut colocynthidis portione; quod tamen Falloppio non probatur, quin laudat recentiorum potius induſtriam, aloem, aut rhabarbari decocto, aut roſarum infuſione, ſuccouè corrigentium; quorum poſtremò, & calor contemperatur, & actio purgatrix promouetur. Recentiores aloem exacuunt parando eius extractum cum ſpiritu vini optimè rectificati, prout videre eſt apud Fabrum Myrothec. fol. 138. quod tamen non mihi arridet, cum ſimplicitas medicamenti, & pars illa terreſtrior adimi poſſit. Corrigebant aduerſam hæmorrhoidibus vim addita maſtiche, quamquam præcipuè Meſue laudet,

&

& dicat bdelio, & tragacantha debiliorem fieri aloem, idemque lotione refert; tum addito melle, quod reprehendit Manardus; & re vera mel, teſte Hippocrate lib. de morbis, purgare per ſe valet; & Paulus lib. 1. cap. 6. melle utitur ad deiiciendam puerorum alvum. Gal. quoque eaſdem mellis vires confirmat. Verum Meſue aloetici medicamenti attractionem per mel imminui vult, & deterſionem etiam promoueri; id verò diſſentaneum non eſt, prout opinatus eſt etiam Coſtæus commentario ad Meſuẽ. Si quantitatem expendimus antiquitus aloem exhibebant ad ʒ iij. prout ex Dioſcoride notum: idque purgationis gratia. Arabes tamen, & cum his recentiores eumdem ob finem ſi ſimpliciter ſit ſoluenda alvus pro corporum diuerſitate ℈ ſ. ℈ j. vel ʒ ſ. propinari imperant: ſin purgationis gratia detur à ʒ j. ad ʒ ij. doſi procedendum fuerit. Veteres ſolutam aloem in potu exhibebant, ut eſt apud Dioſcoridem, quod per delicatiorem viuendi rationem hodierni ægri auerſantur. Porrò quibus partibus aloe dicata, abundè colligere eſt ex Gal. cum lib. 6. de Facultatibus ſimpl. medicam. ſtomacho præ cæteris commodum prædicat. Plin. lib. 27. cap. 4. Aloe uſu ita confirmari ſtomachum refert, ut nulla eum contraria vis infeſtet. hic Meſue quoque profitetur aſſiduo eius uſu non oriri in corpore morbum, qui non ſit ſanabilis; ſed hæc ita accipienda ſunt, ut temperamento tum, & morborum ſalvus ſemper reſpectus permaneat. Nam ut clarè teſtatur Gal. lib. 8. de compoſit. ſecundum loca infeſtiſſima aloe eſt, qui calida, & ſicca intemperie ſine humorum copia infeſtantur, qui frigidi, & ſicci item; adeoque ſenibus, quibus ſic venter affectus. Dioſcorides aloem ſcribit alijs purgantibus mixtam prohibere quominus ventriculum lædant, quod debita item ratione locum obtinet; nam cur aloe tot corrigentia per ſe addere voluerint antiqui, patet ex cauſis propoſitis; Conuenit aloe ventriculis humidis, & frigidis tam ratione temperamenti, quam facultatis purgantis, vel extergentis, adeoque & ſenibus quando ſic affecti ſint, ut de Clariſsimo Viro Hieronymo ab Aquapendente fertur, qui ſub cœnam ſemiſcrupulum frequenter ſumebat; non purgationis gratia, ſed ut corpus laxaret, ventriculumque detergeret, & roboraret, putredinemque ciborum inhiberet. quod etiam feciſſe ſcio eximium Virum Petrum de Marchettis inſignem & ipſum Anatomicum, & Chirurgiæ profeſſorem, qui ut à cruditatibus quibus ut plurimum obnoxius erat, ſe mundaret, & ipſa uſque ad extremum ſenium utebatur. Vtilis aloe cum vermes, & cum pituitæ prouentus adeſt; cum à cruditatibus flatus, & tormina. Vterum aloe purgari teſtatur Dioſcorides à putredine, peſtilentique miaſmate præſeruare inter alia eius opera non diffitemur. Quæritur an hyeme non exhibenda ſit auctore Meſue, quia tunc bilis non abundat, quia ob decubitum humorum melancholicorum tunc facilius hæmorrhoides patiuntur; ſed dati poſſe utroque tempore aloem non eſt difficile decernere; hyeme verò parcior, & ob hæmorrhoidum detrimentum correctior, ſenſu Meſues. nam ſi bilis copia per hyemem deſideratur; per prohibitum tamen effluxum eius ob pororum ex ambientis frigidi conſtipationem eiuſdem bilis, quæ neceſſario in natura generari ſolet, cumulus fit. Si conſideremus horas, quibus aloe ſumatur, increbuit his Italiæ locis conſuetudo, ut ante cœnam

horis

3. de Alim. facult. c. 38.

horis veſpertinis aſſumatur, cuius rei hæ prætexuntur rationes; Quia circa veſpertinas horas, & noctu dominantur & bilis, & pituita, quibus purgandis aloe dicata eſt; tunc autem humores purgandi ſunt, cum agitantur, & obſequentes medicamento per conſequens magis redduntur; quia aloe, ut alia purgantia, trahit humores peccantes ad centrum, aut certè expurgat eos, qui ſunt circa centrum, quo natura ſub veſperam, & per noctem, calorem, & ſpiritum reuocat; ergo habet eamdem magis opitulantem. Plin. lib. 27. cap. 4. confirmat aloem cum cibo ſumptam magis operari, & ſi à modica cœna poſtmodum ſuperbibatur, corrigi ventriculi imbecillitatem. Hippocrates lib. 2. de ratione victus à deiectorio medicamento ſumpto ptiſanam ſuperbibendam præcipit, adeoque purgans cibo miſcendum ſuadet. Gal. utique lib. 14. methodi medendi cap. 8. pilulas circa ſolis occaſum ægris ſe exhibuiſſe teſtatur. habet res illud quoque commodi, quod ventriculi calor etiam non excitatus minus faſtidit medicamentum, quòd cum cibo ſummendo inſuauitatem diluere, temperare mordacitatem licet; & quòd nihil exoptabilius diurnis negotijs rectè vacare, peracta ante diei reditum purgationis opera. Atque utcumque hæc omnia non ſint, experientiæ fide conſtat ſic exhibitum aloem, quia placidè mouet, nec ſomnum intercipere, nec cruditatem inuehere; plurimumque emolumenti conſequutos ex prouido eius uſu ægros fuiſſe exemplo Aquapendentis: maior tamen medicorum pars cum Auicenna non veſpere, ſed matutinis horis pharmacum ſumendum probat, quia veſpertinæ corporis refectiones à maiori gentium cœtu adhibentur, aut ſaltem ſomno, & quieti deſtinatæ ſunt: ergo natura à virium reparatione minimè omnium auertenda eſt: & quia aſſumpta pharmaca benigniora, ſomno obrepente, detinentur, detenta ſuccos producunt ſui ſimiles. Hinc Auicen. lib. 1. Fen 4. doct. 5. cap. 5. ſumpto leniente, quodcumque fuerit, non eſſe ſuperdormiendum imperauit. Patet idem in validioribus aſſumptis, & præſertim ex Hippocr. 4. Aphor. 15. quia cibi neceſſario ſequitur inquinatio, tum ab attractis ventriculum verſus humoribus, id particulariter de aloe inter veteres diſertè fatetur Paulus Ægineta, qui 7. de re medica cap. 4. Aloem veſpere exhibitam nocere aſſerit, quoniam alimentum corrumpit. Habetur idem in lib. de Dinamidijs, qui Gal. tribuitur, quia neceſſario laborem naturæ parit, & cibi commotio inde, & agitatorum expulſio ſuccedit; immò languor, ob alimenti partem cum excremento expulſam, maior obſeruatur. Accedit, quod ægritudinum non paucæ, ut lues venerea, & febres nonnullæ verſus nocturnas horas exacerbantur; in quorum paroxyſmis naturæ labor non augendus. Ad obiecta quoque non difficulter reſpondent. Pituitam primò non protinus veſpere, ſed circa medium noctis, nec bilem, ſed melancholiam dominari; quamuis per ſe motus hic in ſano homine, vel obſcuriſſimus, vel nullus; deinde cum purgantis facultas, ut humores moueat, neceſſe eſt, ut ſeſe diffundat à centro ad circumferentiā: apparet id motui naturæ ſeſe colligentis contrarium eſſe. Plinij auctoritatem ſuſpectam eſſe, & vacuationem copioſiorem conſequi ob cibi cum excrementis laxato ventre propulſionem. Hippocrates ptiſanæ ſorbitionem præcepit, ut acrimonia medicamenti, & malignitas retunderetur; ute-

utebantur enim veteres tunc temporis validioribus pharmacis. Gal. ſub veſperam pilulas exhibuit; ſed in periculoſis faucium inflammationibus, cum turgentes humores protinus reuellendi forent. Inſuauitatem pharmaci licet varijs modis corrigere, & occupationes diurnæ, cum valetudinis rationem habemus, iure poſtponendum. Tandem experientiæ quandoque aduerſari exitum, & datam ægris aloem ſub cænam inquietudinem, languoremque peperiſſe.

Verùm ut diſſidentibus ſententijs conciliatis, quid vero magis conſentaneum ſit eligamus, ſcire liceat, habendam eſſe perpetuò rationem naturalium proprietatum, temperamentorum, ventriculi, conſuetudinis, & finis in exhibendo medicamento purgante. de naturis optimè Thraſeas apud Theophraſtum pronunciauit Τὸ αὐτὸ τοῖς μὲν φάρμακον εἶναι ταῖς δὲ ἄφάρμακον, ita Ægyptijs hermodactyli non pharmacum, ſed familiare alimentum præbent, obſeruatione Alpini lib. 4. de med. Ægyptiorum cap. 1. Italorum ſanè natura ob ventriculi conſtitutionem debiliorem, & iecoris calorem, atque & bilis, & pituitæ prouentum aloes uſum optimè fert, dūmodò ſiccis corporibus, & hypocondriacis non exhibeatur, & præſertim (prout aſſolet) optimè corrigatur roſarum ſucco: parca item cœna, & ſola ſorbitione contenti; ſumptoque vel blando pharmaco facilè ſolvuntur. Contrà frigidiorum regionum incolæ flegmatici ventres habent robuſtiores, cibo in cœna copioſiore aſſueti; nec niſi validioribus, aut largioribus aſſumptis ad catharſim perducuntūr, ſomnoque detinentur profundiore. ijs itaque ſub noctem exhibitum blandum pharmacum frequenter retinetur. Præterea exhibemus aloem aut ad ſolam alui ſolutionem, vel ad iuſtam ventriculi, & inteſtinorum purgationem: ſi prius, & ægri temperamentum conſentiat, panatella in cæna contentus ſit, & nihil impediet, cum per ſe frigido ventriculo proſit; quo minus aloes ſcrupulum ſemis, aut ſcrupulum unum & veſpere aſſumat; quamquam à modica cæna, peracto primo ſomno, longe præſtabilius medicamentum fuerit. Si vero iuſtę euacuationis ergo aſſumatur, ob rationes proximè citatas, utilius fuerit aloem matutinis horis aſſumere viribus refectis, calore expanſo, & natura ad excrementorum expulſionem inſurgente; prout ſatis docte diſſerebat Pharmacius in diſquiſitione medica de Pil. delectorijs cum cæna ſumendis.

De Tamarindis.

CAPVT LXI.

Nominis ethymon Tamarindorum legitimum declaratur & Arabicam ſiliquam malè appellatam a Bauhino temperamentum vireſq; afferuntur.

INter prouidentiæ munera agnoſcendum eſt, quod non vtilibus tantum medicamentis abundamus; ſed etiam ijs, quorum vtilitatem & experimur, & adiunctam pariter ſuauitatem haurimus: inter ea non cedunt caſſiæ Tamarindi, de qua paulò ſupra qua alterando, qua purgando gratiſſimum medicamentum. Nomen iuxta eum re non exiguam implicat diffi-

cultatem; nam enm Meſue ſcribat Tamarindos eſſe Dactylos acidos & palmarum ſilueſtrium in India fructus, ſequnti recentiores Græci auctoris ſenſum, Tamarindos Oxyphœnica, & Phœnycodactylos Dioſcoridis nominarunt, aut Phœnycobalanos: at illi non ſunt dactyli propriè, ſed verè ſiliquæ officula plura caſſiæ ſemina æmulantia includentes; pulpa nunquam dulcis, ſemper acida, & arbor, à qua producuntur, palmis omnibus hactenus cognitis maximè diſſimilis: non item dactylus adipſos, de quo Plinius lib. 23. hic enim ſine nucleo eſt, & ſtomachicis prodeſt; contrarium eſt in Tamarindis, qui & oſſa obtinent, & debilem frigiditate ſtomachum lædunt. Conciliari tamen res poterit, ſi nomen Tamar non propriè, ſed καθ ὁμώνυμον Tamarindis tributum conſtituimus, quoniam fructus, notante Bauhino, digitum contractum nonnihil æmulatur. Item Tamar nomen non non pro dactylo, ſed communiter fructus ſignificatione accipiamus; atque hoc communis ſanè vocabuli ſenſus confirmat in litera Arabica, quæ puncto gemino, & triplicato inſignita eſt ن .·. priore forma dactylum quidem propriè, ſed & generaliter fructum innuit; poſteriore verò ſemper fœtum, fructumque in communi denotat, quo ſenſu nulla intercedente dubitatione, Tamar-Indus fructum Indicum ſignificabit. Siliqua tamen Arabica rectè cum Bahuino dici non poteſt; cùm Arabum confeſſione non inter hos, ſed Indos producatur, ex Indis in Arabiam deferatur, non vice verſa, cumque in Arabia, & Ægypto plures ſint plantæ ſiliquiferæ, neceſſum foret diſcriminis rationes alias priùs afferre. Fructus ipſe arbori innaſcitur eleganti, quæ magnitudine ſiliquæ ceronex, aut caſtaneæ propinqua folijs Sesbam, & ex vulgatis plantis filicis fœminæ Oſmundæ vocatæ, ſapor s acidi, e quibus, ut notat Vir inſignis Acoſta, quemadmodum nos ex ſeltni hortenſis folijs contuſis, Indi ſalſamentum parant. Flos eius albus, aurei pomi ſimilis, cuius ſemina quaterna ex umbilico aſſurgentia à formatrice natura in *ſiliquas* efformantur; illæ primum virides; cùm inueteraſcunt ex ruffis *cinereæ* euadunt, incluſa tamen medulla magis, magiſque nigricante; *floris*, & *foliorum* circa noctis, mediumque diei mira conuerſio, & tamquam *naſcentem* fructum defenderent, collectio ſpectantes detinet; ut in *Sofferrà*, *Sesbam*, alijſque vulgatis idem obſeruatur. Agnouit olim *cauſas Theoph*; eaſque in humoris plantæ concretionem, vel eiuſdem diſcuſſionem refert. afferuntur ex Indijs demptis ſiliquis compreſſi, quales Lugduni Anglorum ſæpius ſe vidiſſe mihi aſſeruit D. Abraam Ortgoph amiciſſimus meus; vulgò tamen indiligentiùs in maſſam compacti, atque, ut Acoſta ſcribit, vel ſale conditi, adeoque ablutione priùs reſtituendi, vel quod utilius, & ad palatum aptius, ſaccharo; quo nomine Arabibus præſertim recentes, cum per deſerta, feruidoque Cœlo ſubiecta loca iter habent, acceptiſſimi ſunt: hinc Dar El Side tamquam medicamentum Domini hi nominari ſolent, uſu eorum pauperibus denegato. Temperamentum Tamarindorum Auic. & Meſue frigidum in gradu ſecundo, eodemque ſiccum definiunt. Serapio ex ſententia Meſues in tertio gradu frigidos, & ſiccos affirmat: conciliari tamen poſſunt auctores, ſi Auicennam, & Meſuem non determinatè, ſed cum latitudine ad tertij gradus confinia frigiditatem, & ſiccitatem Tamarindorum extendiſſe dicamus. Alterant itaque

que Tamarindi refrigerando, & exiccando excellenter: Semina eorum ſicca, & in puluerem redacta exhibentur ad fluxiones præſertim mulíebres, ſi cum ardore, & calore humoris coniunctæ ſint, quemadmodum, & Gonorrheas tales; quamuis non per initia, ſed eum robur partium præcipuè ſpectamus diuturno morbo afflictarum. Pulpam eligendam eſſe cenſet Meſue cum nigredine ſplendidam, pinguem (qui modo à prunis per adulterium admixtis ſecernitur) ſapore dulcacidam. Hæc ſtomachum ex æſtuantem, adeoque ſitibundum demulcet, vomitus, & acres diarrhęas compeſcit: externè inflammationibus ſubortis, & eryſipelati confert, ſed per initia, cumque tumores criticos, alioſque affectus comitantur. Purgationis cauſa vel pulpa ſimpliciter, vel eius infuſione utimur. Negant aliqui eam, facto experimento, doſi legitima purgaſſe, negant purgare poſſe, quod purgantia calorem obtineant, Tamarindis autem meatus, quos peruios Hippocr. exigit, denſari, atque aſtringi. Fallax tamen experimentum eſt, quemadmodum ex Tamarindis forſan vetuſtate obſoletis factum fuerit, non verò recentibus. Vltrà triennium autem ſoluendi facultatem haud perdurare ex Meſue iam notum eſt, cuius ætatis frequenter eſt, quæ ex Indijs in remotiores à mari Europæ regiones defertur, aut in pharmacopolijs ulterius detinetur. Frigidum, & ſiccum temperamentum non obſtare facultati purgatrici roſæ, tartarum, Myrobalani, & ſimilia arguunt; & fluxilitas tandem meatuum non à purgante medicamento exigēda, ſed à proprijs remedijs corpori adhibendis impetranda eſt. Conſueta Tamarindorum doſis, & quidem pulpæ durioris à ʒ vj. ad ʒ x, immò ℥ j ſ. infuſ. ab ℥ j. ad ℥ iij. Meſ. decoctionem exhibet ad ℥ v. Auicen. ad libræ dimidium. Serapion de ſententia, ut ait, Meſues ad lib. v. Verùm hic mendum ſubeſſe rectè ſuſpicatur Coſtæus, & pro libris uncias habendas eſſe. Conueniūt purgationis gratia, quibus laxius ſuperius ventriculi orificium, qui diarrhæis bilioſis, & vermibus infeſtantur: ob nimiam adſtrictionem vix ſoli exhibentur, cum plerumque vetuſtiores ſint, ſed cum flor. caſs. utileſque per febres continuas, præcipuè circa declinationem, relaxatis iam viſceribus. In peſtilentibus, quod in ijs maximè robori viſcerum ſtudendum, ictericis, & phræneticis ſubmouendo cauſam; item melancholicis cum ab aduſta iam melancholia affectio dependet, non verò contra: moderatus enim acidorum uſus in his, & præcipuè deobſtruentium eſſe debet; immò ſi obſtructiones adſunt, potius nullus. Gonorrhea affectis cum caſs. malo iam prouecto, rectè exhibetur. Scabie, & impetigine moleſtatis prodeſt, ſubmouendo acrem humorem, à quo proficiſcuntur. ſed an & vitiligini, ut refert in com. Matth. non videtur; vitium hoc enim in Arabum, & Aethiopum corporibus conſpectius, frequentius, & contagioſum, prout olim mihi communicauit Clariſs. Veſlingius; quod cauſam agnoſcit non manifeſto caloris exceſſu; ſed potius cœca virulentia infeſtum, cui nec purgando, nec alterando manifeſtè opponuntur Tamarindi; niſi ad proprietatem confugiamus naturæ, de qua mihi nihil cognitum eſt. Purgant Tamarindi leniter bilem, addit Chriſtoph. Acoſta, & pituitam; ſed illud tamen catharticè fieri credendum: nocent quibus frigidus, & ſiccus ventriculus; ſed rectè tunc corrigi poſſunt.

De

De Prunis.

CAPVT LXII.

Pruna ſebeſtena & damaſcena examinantur; Reijcitur Salmaſij ſententia, mixas eſſe Muſas; temperamentum & vires adducuntur; purgare pruna contra Fuchſium aſſeritur.

E Placidè mouentibus humores bilioſos, claudant ſeriem pruna ſoluen-
tia, quod duplex in officinis genus habetur obuium, Sebeſtenorum,
& Damaſcenorum. Pruna Sebeſtena recentioribus Græcis, & præſertim Lib. 7.
Paulo Æginetæ, & Actuario primum accuratius deſcripta μύξαι ijs vocan-
tur, & μυξάρια, quia lento viſcoſoque redundant ſucco tanquam muco, quem
μύξον Græci nominant. Afferuntur in Italiam ex Syria, ex cuius urbe Se-
baſta nomen obtinent, quod & Arabes retinuerunt; aduehuntur tamen &
ex Aegypto. Contendit mordicus in Plinianis exercitationibus Salma-
ſius Aegyptiorum Myxas eſſe muſas, obſcura vocis priſcæ imagine retenta;
cui ſententiæ firmandæ varia adducit vt probet μύξας veterum non eſſe
pruna Sebeſtena; primò quia Eſychius aſſerit myxas ficubus fuiſſe ſimi-
les; hæ autem non prunis, ſed muſis nucleo interno carentibus æmu-
læ videntur. Diodorus myxas Aegyptias βάτα, ſeu mora appellari ſcri-
bit, quæ & συκάμινα, ſcilicet ficus dici refert Athenæus. Hiſpani equidem
muſas ficus indicas pronunciant. Plinius per ſe Aegyptiæ fructum Myxis Lib. 15. c. 13
rubentibus, ideſt flaueſcentibus ſimilem aſſerit, quem ſcribit Theophr.
eſse magnitudine pyri longum, amygdalinum, flavum; quorum omnium
notæ competunt in Muſæ fructum, non in pruna Sebeſtena. Addit Salma- Lib. 13. c. 1.
ſius Plinium à Myxis vina Aegyptios aſſerere: Diodorum myxas dulces
eſſe, & inter Tragemata amicis proponi, hæc à muſa non ſunt aliena ob
ſuauitatem: at Æginetа eſſe Damaſcenis prunis πικρότερα εἶναι innuit, hæc
tamen minimè ſatisfaciunt alijs; nam quod muſas ficubus ſimiles eſse con-
tendit, quoniam ἀπύρηνοι, tanti non eſt, quia neque ratione arboris, nec ex-
terna forma, nec interna pulpæ habitudine ulla ijs intercidit cognatio,
tum quod Diodori mora, quæ & priſcis dicta potius Aegyptiorum Syco-
mori cenſeri poſſint, Hiſpaniq; nominis ratio reddenda foret, cum ſimili-
tudo ſatis leuis ſit. Perſeæ fructui ſimiles eſse myxas Sebeſtenas, ſi colo-
rem ſpectes, quem maturitatis adultæ referunt, nihil impedit: cætera haud
in muſas accuratè conueniunt. Vina ſi decoctionem potui aptam quoti-
diano, ex Sebeſtenis quoque parari, nil abſurdi implicat, utpote quæ & dul-
cia, & bellarijs haud inidonea ſint. Aetij autem vulgatæ magis editiones
non μικρότερα, ſed μικρότερα Sebeſtena pruna Damaſcenis arguunt, idque ve-
rius, & ſenſus euidens confirmat. Quod muſas olim myxas velit appel-
latas Salmaſius, quia myxis, ſeu ellychnijs longitudine ſimiles; id potius
ridiculo ſimile multis habitum eſt. Exiſtimo tamen concedi polse Clariſ-
ſimo Viro, dari inter res alioquin maximè diuerſas ὁμωνυμίας, occurrente ar-
bitraria pluri morum nomenclatura; hoc tamen obtinemus myxas, quarum

Græcis recentioribus,& Arabibus in medicina uſus eſt tam in Syria,quam in Aegypto non muſas eſſe, ſed pruna Sebeſtena, quorum hi deſtinatis capiribus utrorumque naturam complexi ſunt. Arbor, quæ Sebeſtena producit, prūno ſimilis eſt, humilior tamen, folijſque rotundioribus, floſculis albis racematim collectis, à quibus in calycibus hærentes producuntur fructus paruis prunis, rotundiſque ſimiles, oſſiculo intus loculis tribus diſtincto, quibus nucleos recondunt; ſuccum obtinent lentum, e quo leuis caloris opera præſtantiſſimum paratur viſcum Alexandrinum Venetijs dictum, ad aucupia optimum. Color ex albo tandemque ruſeſcente paulatim fit obſcurior. Eligenda ſunt plena, carnoſa, pinguia, dulcia, non admudum obſoleta. Quod ad temperamentum attinet, calorem utique obtinent primi gradus, humiditatem verò ſecundi. Itaque blandè aperiunt, attrahunt, reſolvunt, ſed præcipuè leniunt, & remolliunt. Vtiliſſimus ergò eorum uſus eſt linguæ & aſperæ arteriæ ſqualori, adeoque tuſſi à materia tenui, & acri mitigandæ lentore ſuo, partibus ſpiritalibus humiditati natiuæ ſimilem mucilaginem ſubſtituendo. In diſpnæa dum materiam craſſam attenuat, & remollit, tum decoctione, tum linctu cum ſaccharo. In pleuritide, & peripneumonia partim anodyna vi dolorem mitigando, partim collectam in pulmonibus materiam ad pepaſmum diſponendo, facilemque ἀνακάθαιρειν ventris tineas dicunt exigere; forſan ineſcatas dulcedine ſua maximè expurgando. Vrinæ ardorem à bile, vel ſalſa pitulta maximè temperant, teſte Matth. ſi earum numero triginta, aut quadraginta ex iure carnium macerata in prima ſtatim menſa offerantur, alvum maximè citant; in decoctione verò ut urinæ ardorem, ſic ſtrangurias, dolorem veſicæ à calculis, remoto internæ tunicæ mucoſo humido, eo reproducto, ſingulariter leuant. Externis glandularum in inflammationibus, in quibus leniter attrahente, & maturante opus eſt, ipſarum vino farinis lini aut fœnugræci ſpiſſato plurimum iuvamus, doloreſque ſæpè graues demulcemus; tumoribus quoque ſcyrrhoſis, qua ſtrenuè remolliendo, qua blandè attrahendo, & diſcutiendo opitulatur. Purgandi, aut ſoluendi poteſtatem in Sebeſtenis negat lib. Paradox. Fuchſius; cui tamen acriter ſe opponit Matth. in com. lib. 1. Dioſcor. cap. 137. allegans auctoritatem Arabum, & è Græcis tum Paul. Aeginet. qui parem his cum pru- *Lib. 7.* nis ſoluendi facultatem attribuit, tum Actuar. qui ea non aliam ob cauſam varijs medicamentis miſcet, tum experimentum proprium vel millies factum. Exhibet autem pulpæ Sebeſtenorum à ℨ x. ad ℥ j. ſ. eæque non ſecus atque aſſumpta caſ. alvum mouebunt. Vſurpantur rectè in febribus bilioſis, in ægris habitu ſqualido, pectoriſque vitijs pariter obnoxijs.

De prunis Damaſcenis aliud non adiungam, tritus enim eorum uſus eſt; *Lib. 1. c. 137* illud moneo conciliari poſſe Dioſcor. & Gal. quorum ille pruna Damaſce- *Lib. 2. de alim. fac.* na ſicca alvum cohibere ſcribit, hic alvum laxare: laxant certè etiam ſicca, ſed magis recentia; ſicca equidem ubi ſubduxerunt alvum, adſtrictionem relinquunt, ex qua & ventriculus roboratur. Si qua igitur obſunt ſtomacho, Auctore Meſ. id de recentibus, dum ſuperuacanea humiditate ſcatent, accipiendum eſt.

De

De Mercuriali.

CAPVT LXIII.

Mercurialis genus duplex conſtituitur. Veteribus in uſu receptum. Deſcribitur; temperamentum aſsignatur. Suſpecta eſſe omnia, quæ de maris, aut fæminæ conceptione Mercurialis beneficio fieri ab antiquis produntur, aſſeritur; vires examinantur.

BEnignioribus medicamentis ſupra relatis, quædam ex plantis facilè parabilia ſubijcienda veniunt, quæ ſine ſumptu, aut difficili opera, volentium curam explere, utiliter valent: Inter igitur uſitatiora lenientia Mercurialis connumeratur receptum plebèculæ inopi remedium, quo alvum facilè ſolvunt citra faſtidium. Veteres tamquam Mercurij inuento innotuiſſe ἑρμου βοτάνιον Mercurij herbulam vocant, & ob medelam Virginũ morbis Parthenium: planta nota, & quæ vulgò duplex conſtituitur, maris nomine una, cuius fructus è ſinu foliorum teſticulatus promitur; fœminæ altera fructu copioſiore, & quamdam racemorum ſpeciem præbentem, caule anguloſo folio ocimi, aut potius helxine, dodrantali ſtatura, folia circum parum circinata: temperamentum utriuſque ſimile, idque calorem, & ſiccitatem primi gradus obtinet. Plinius varia ipſis tribuit, eamque Hipp. miris laudibus in mulierem uſu prædicaſſe habet; etenim ad ciendos menſes & ſecundas cum ol. irino, vel lirino vuluæ admouiſſe aſſerit, folia impoſuiſſe. Epiphoris, inſtillaſſe auribus olidis ſuccum, ſtrangurijs veſicæ applicari decoctum eius dixiſſe cum myrrha, & thure. Purgari ea perhibetur & bilem, & pituitam & ſeroſos humores; & hoc quidem vulgari experimento cognitiſſimum, cùm huius uſu Anaſarcæ, & hydropis initia ſuperentur; mouet tamen alvum aliquo cum inteſtinorum tormento, & ventriculi offenſione, adeoque ſic diſpoſitis citra neceſſitatem haud exhibenda. Sumitur huius manipulus unus in acetarijs cum folijs fœniculi, aut cerefolij, coqui poteſt in iure manipul. unus addito ſale, & oleo, mixtis prius ſeminibus aniſi, fœnic. aut cit. E ſucco crudæ ad lib. ij. & mel. hiſp. puri totidem paratur ſyr. ad uſum ſimilem. Mirum eſt, inquit Plin. loc. cit. quod de utroque earum genere proditur, ut mares ex mari gignantur, illamque fęminas facere; & hoc contingere ſi à conceptu ſtatim ſuccus bibatur cum paſſo, edanturvè protinus folia decocta ex ol. & ſale, vel cruda ex aceto; quod Dioſcor. idem fieri ſcribit, ſi à purgatione bibantur, & trita folia genitalibus admoueantur. tamen res tota omninò ſuſpecta eſt, partim quia experientiam, fidemque certam comitem non habet; & quidni eius experimentum tentatum ſit in vulgo hoc marium auidiſſimo? partim rationis ſolidis fundamentis deſtituitur, ut & reliqua huic ſimilia. Semen à teſte dextro ἀρρενογόνον eſſe, & inter Oracula magni præceptoris mares in utero magis eſſe dextro, contra verò fęminas magis in ſiniſtro; nam opus ipſum formationis formæ, naturævè ſpecificæ ſeminis adæquatæ & præcipuæ atq; tribuendum eſt ob rationes grauiſſimas, quæ præſenti contemplationi non Lib. 4. c. 159

con-

conferunt, & hic aptari nequeunt; calor autem inſtrumentum eius, & cauſa eſt, ſine qua non: hunc natura pro maris fœminæque generatione diuerſum expetit, intenſiorem pro illius, remiſſiorem pro huius ob neceſſariam utriſque temperamenti diuerſitatem. Erroneum ergo cum antiquis, & Peripateticis hic ad calorem ſimpliciter reſpicere. Iam in utraque planta par eſt temperamenti gradus, & à conceptu Mercurialem exhibere propter vires ciendi menſtrua, non amplius tutum; quemadmodum ſpecifica ſeminis humani forma in planta nullis hactenus vel ætate, vel experimentis deprehenſa: illud interim vanum non eſt adminiculo Mercurialis herbæ, cum purget uniuerſaliter, uterumque particularite, cieatque menſtrua, difficiles ad conceptus mulieres voti compotes fieri poſſe, quamuis non determinati ratione ſexus.

De Dulcamara.

CAPVT LXIV.

Veteribus indictam Dulcamaram opinatur: ſententia circa ipſam Matth. Gal. & Dod. expenſa, & reiecta. Deſcribitur, temperamentum, & vires deſignantur.

PAuperum refugio indulgentibus nobis pro aluo lenienda in cauſa bilioſa ſubnectere aliquas herbulas neceſſarium duximus, quæ quadam cum Mercuriali affinitate coniunctæ ad eadem pollere creditur; quamuis tam peruium non obtineant uſum, ac faciat Mercurialis. Dulcamara veteribus haud cognita, vel ſaltem non deſcripta; niſi dicamus cum Matthiolo eſſe vitem ſilueſtrem Dioſcoridis; cum eius deſcriptio ab eodem tradita lib. 4. cap. 175. ſi quædam pauca mutentur, videatur noſtræ Dulcamaræ conuenire. cum præſertim vires huius vitis ſilueſtris ſimiles ſint, ſi Matth. credimus, & Oribaſij textu, quem huic opinioni fauere autumat. Dodonæus tamen putat, eſſe ciclaminum alterum Dioſcor. Lob. eiuſdem auctoris Circeam, nec unicuique rationes deſunt, quibus ſuam roborent opinionem. in hoc auctorum diſidio cui opinioni faueat, anceps mens eſt; horum enim argumenta plenè non ſatisfaciunt, & Dioſcoridis tex. diuerſus videtur; ſatius erit, ut ſuperius innuebam, opinari hanc plantam veteribus non innotuiſſe; nomen hoc à Neotericis forſan conſequuta eſt, quia quaſi utroque ſapore, dulci videlicet, & amaro compoſita ſit, ut etiam temperamentum varium obtinere credatur; quamuis eius prædominans vis in calore deſinat Græci γλυκύπικρον & γλυκυπικρίδα vocant. Præuotius de re Botanica optime meritus dulcamaram inter leniter purgantia bilem, ac tenuem pituitam repoſuit; temperamentum tamen non deſignauit. Sarmentoſa planta eſt dulcamara caulibus exilibus, lignoſis, & gracilibus, minime rimoſis, qui vicinas arbores ſi nacti ſint, ſcandant, & ad cubitos eleuantur, hinc herbarij etiam ſolanum ſcandix appellant, cum folia ſolano quaſi ſimila gerat ſaturè virentia, & ſenſim in acumen deſinentia: eius extremitati, qua petiolo, cui innititur, ramulis adhæret duo foliola, veluti appendices hinc inde

de

de diſpoſita habet inſtar ſaluiæ nobilis, aut acetoſe minoris. Flores quinque foliolis conſtant, racematim à ramulis prodeuntes violaceo colore, in cuius medio exilis apex aſſurgit pſeudo ſycomori floris figura: à flore baccas parvulas promit, teretes, oblõgas, initio virides, rubellas vero ſolani hortenſis magnitudine dum ad maturitatem perueniunt, intus ſemen compreſſum. Temperamentum ſi dulcamaræ inquiramus, controuerſum eſt; frigidum eſſe putat Lob. calidum vero cũ Præuotio, Dodon. quod magis nobis arridet. Ad vires Dulcamaræ quod attinet Matth. qui putat Dulcmaram eſſe vitem ſilueſtrem Dioſco. aſſerit & faciei maculas delere, & ictero hydropique conducere, & alvum & urinam ciere. quarum virium magnam partem viti ſilueſtri ſuæ aſſignat Dioſcor. Lob verò eas omnes tribuit vires, quos Dioſcor. ſuę Circeæ, de qua loquitur lib. cap. inquitq; externe applicitam in inflammationibus, & interius epotam ſummopere profuiſse, ſolanique vires compleuiſse, & pollere Alchechengi facultate, quod tamen Dod. non probatur, qui Dulcamarę calidam plantam & ſiccã autumat, habet inſuper Lob, quod meam fidem excedit, excalfacta refrigerare, refrigerata vero excalfacere; aſserit deinde ſeroſitates ex urinam ducere, obſtructiones tollere, ictero conducere, lacque in mãmis augere. Dodon. verò eas vires quas Dioſc. lib. cap. cyclamino alteri aſserit Dulcamaræ tribuit. habet enim obſtructiones iecoris porrique fellei emendare, pollere ad regium morbum, hernias ſanitati perducere, convulſis & ex alto cadentibus ſuccurrere. abſtergere, ſiccare, digerere. Tragus in Dulcamara agnoſcit ciendi urinas facultatem, & alvum ſubducendi; quod ante ipſum de cyclamino altero ſtatuebat Dioſcor. quas vires nos ſæpè & ſatis blandè experti ſumus.

De Eupatorio Meſue.

CAPVT LXIV.

Eupatorium Græcorum non eſſe Eupatorium Auic. ſtatuitur contra Ceſalpinum, & Coſteum; idem definitur. de Meſ. eupatorio reijcitur opinio Cordi, & Ophmavigratiolam eſſe Meſ. eupatorium; temperamentum deſignatur; vires explicantur.

Lis eſt inter Botanicos nunquid Epatorium, & Eupatorium idem ſignificent, an parum diuerſa nomina diuerſas etiam plantas indicent; deindè nunquid ea ſit planta Eupatorium Græcorum cum Eupatorio tũ Auic. tum Meſ. hoc poſtremum quæſitum videtur affirmatiuè ſoluere Ceſalpinus, & oſtendere conatur unicam deſignari plantam, quod ſanè falſum omnino apparet, ſi Dioſcoridis Eupatorij deſcriptio conferatur cum deſcriptione Auic. & Meſ. tum etiam ſi facultates explorentur: conueniũt, quidem in hoc, ut unaquæque Eupatorij planta hepati proſpiciat, ſub qua ratione iure harum quælibet appellari poteſt eupatorium, vel potius epatorium. Ceterum Græcorum eupatorium, quæ planta Eupatoris Mithridatis videlicet nomen obtinet, ea eſt, quæ deſcribitur à Dioſcor. & à Gal. &

& à noſtris agrimonia vocata forſan perſeuerantibus in antiquorum errore, quem redarguit Dioſcor. in calce teſtus, qui eupatorium argemone appellauere; ut paucis mutatis, prout notabat Saracenus, eupatoriũ agrimoniam vocent, quaſi argemone; præter quam quod noſtra agrimonia, quæ eſt eupatorium Græcorum, & Dioſcor. notis omnibus ab eodem deſcriptæ correſpondet; nam & caulem gerit unicum cubitalem, & ampliorem, renuem, lignoſum, rectum, nigrum, hoc eſt ſaturo virore perfuſum, hirſutum, in cuius tyrſo ſemen à medio caule innaſcitur, & deorſum inclinatum, quod ſiccatum veſtibus inhæreſcat; at licet florem ſubticuiſse videatur luteum parvulum ſuaueolentem cum aliqua aromaticitate, id tamē ſæpè in alijs fecisſe Dioſcor. manifeſtum: deſcribit tamen folium, agrimoniæ noſtræ ita ſimile, ut diligentiùs perquirere, ſit nodum in ſcirpo quærere; ait enim promere folia per interualla quinque partita, aut amplius diuiſa in ambitu ſerrata quinquefolij, aut cannabis ſimilia, licet ſi potentillæ in folijs ſimilem appellaſſet, clarius forſan expreſſiſſet; verum poſtrema verba Dioſcor. dum cannabi ſimilia facit eupatorij folia, impulit multos inſignes Botanicos, & præſertim Coſtæum ad credendum eupatorium Auic. canabinum, idem eſſe cum eupatorio Græcorum; quod tamen toto Cœlo diſtat, cum differentiſſimum appareat Auic. eupatorium ab eupatorio Græcorum: facilè tamen ſuaderi poteſt Auct. crediſiſſe idem eſſe ſuum cum eupatorio veterum, ipſumque laruiſſe formam illius, cui aptauit deſcriptionem à Dioſcor. factam, ab eo permotus, quod Dioſcor. dixerit ſuũ eupatorium folia cannabis ſimilia gerere. At comparatis inuicem hiſce plantis, ſumma diuerſitas emergit; cum eupatorium Auicen. non unicum caulem, ſed plures ab una radice gerat, hoſque non cubitales, ſed bicubitales, valdè aromaticum ſit, nec è tyrſi medio erumpant ſemina deorſum inclinata, nec exiccata veſtibus adhæreant, ſed in ſummo caule flores in ſuo, origano ſimiles erumpant, qui etiam dum euaneſcunt in papposabeunt. Nulla tandem vis purgandi in Græcorum eupatorio, quod procul dubio obſeruatur in agrimonia noſtra: Auic. verò eupatorium alvum ſubducendi electiuè; & quamuis blandè præcipuè trahendi bilem, & pituitam obtinet, ratione cuius facultatis nobis huius modò inſtituta eſt diſſertatio. Igitur Auic. & Dioſcor. eupatorium non ſunt una, atque eadem planta, ſed differentiſſimæ. Cæterum ad Meſue eupatorium quod attinet, licet quoque & iecori proſpiciat, eo prorſus modo, quo Dioſcor. & Auic. eupatorium; differt tamen à iam dictis euidentiſſime; at tres eupatorij plantas procul dubio nobis conſtituere opus fuerit differentiſſimas, Græcorũ primam cathartica facultate minimè pollentem; cæteras electiuè humores trahentes; unumquodque tamen eupatorium, ut diximus iecori reſpicere, eiuſque affectibus tollendis. Etenim Meſue plantam eupatorij ſui deſcribit notis ab aliorum eupatorijs nuper recenſitis differentiſſimam; eſſeque plantam, inquit cubitalem folio centaurij minoris æmulo, quemadmodum & amarore; in ambitu ſerrato, cui & fœtorem quendam tribuit qui valeat pulices detinere, qua ratione herbam pulicum vocat, ut ex ſola hac deſcriptione, huius plantæ à prædictis emergat euidentiſſima differentia; quæ tamen viribus ſuis conuenit, cum eupatorio Grecorum, quoniam iecoris obſtructio-

ſtructionibus prodeſt, & ex infarctu noxiorum humorum liberat viſcera naturalia; & etiam cum eupatorio Auic. quia benignè catharticè ducit & biliosa, & pituitoſa; Agrimonia ſiquidem, ſi eius temperamentum conſideremus, nullum habet exceſſum in primis qualitatibus inſignem. Gal. in primo calidam, in ſecundo verò ſiccam pronunciat; eupatorium verò Auicennæ calidum, & ſic cum in ſecundo gradu ab eodem deſignatur. ad Meſue verò eupatorium quod attinet, ſi hoc ipſum conſeramus cum deſcriptione à Dioſcor. facta Agerati ſummopere cum eo conuenire videtur, ut facillimè & ego adducar cum viris præſtantiſſimis ad credendum eupatorium Meſ. idem eſſe cum Agerato Græcorum; nec ſubſcribendum libenter puto Cordi, & Ophmanni ſententiæ, qui Meſue eupatorium gratiolam eſſe putant, cui ſtrenuè purgandi actio non leniter à natura indita eſt. interim agrimonia noſtra, ſiue eupatorium vires medicas varias poſſidet; nam habet Dioſcor. ulceribus cicatricem renuentibus trita folia cum adipe ſuillo veteri impoſita pertinaciam ſuperare, herbamque & eius ſemen in vino potum hepatis noxis opitulari, & dyſentericis, tum à ſerpentibus demorſis auxiliari. Plinius lib. 25. cap. 6. hæc de ſemine protulit Gal. 6. ſimpl. eſſe plantam tenuium partium aſſerit, calore moderatam, habereque incidendi abſtergendique facultatem, iecoris. obſtructiones expurgare, eidemque ineſſe ait quandam adſtrictionem, qua viſceri, robur ſubinde addit, ut iecori præcipuè tonum reſtituere valeat, & intemperiem omnem corrigere, quod etiam de radice proditum eſt. *6. ſimpl.*

De Frangula.

CAPVT LXVI.

Frangulam à veteribus non viſam aut ſub alio nomine indigitatum creditur; ſtatuitur temperamentum; uſus inſtruitur.

INter leniter alvum ſoluentia, & bilem, ſeroſoſque humores catharticè ducentia à neotericis reponitur Frangulæ arboris cortex, quæ cum paſſim obuia ſit ruſticis præſertim, & pauperibus de ſe optimum & blandum ſatis medicamentum præbet: veteribus omninò incognita planta, & nullius in medicina uſus, arbor non admodum procera alni ferè effigie ut, non ineptè ex Botanicis aliqui alnum hanc bacciferam vocitent prout illam notam alnum coniferam appellant; generat Frangula baccas primùm virides, mox cum ad maturitatem perducuntur; nigras exiſtimat Ophmãnus Frangulam vocatam, quod facilè frangatur; verum conantur plures diuinare an aliqui veterum ſub aliquo alio nomine de Frangula loquuti ſint, infelici tamen ſatis conatu; nam neque colyreæ Theoph. prout opinatus eſt Paena, aſſimilatur; nec ſi rectè hæc planta ad ſenſum reuocetur, Sileri Plinij ſimilis eſt. ut ut ſit, hoc ſanè neotericis inuentoribus debemus, quod tantum naturæ munus ſub ignorantiæ latibulo diutius reconditum non permanſerit; cum præſertim innoxium medicamentum credatur, licet eidem nimis laxans facultas tribuatur: calida in primo, & ſicca in ſe- *1. de Hiſt. plant. 1.* *Lib. 16. cap. 18.*

cundo aſſeritur, laxitaſque eius ſubadſtringentibus, & ſtomachicis corrigi ſolet, immò Io: Præuot. exteriorem eius corticem nigrum interioris flaui, qui facultate ſoluenti tantummodò donatus creditur, corrigi optimè aſſerit. Cortex igitur iſte flavus in umbra exiccatus exhiberi ſolet; nam ſi recens propinetur, vomitum ciere traditur; infuſionem per triduum factã melius quam recentem operi inſeruire, ita notante Matthiolo; quod tamen non ita arridet Ophmanno, qui decoctionem ita antiquatam ex mora putredinem nanciſci veretur; ego tamen facilè experimento ſenſato aſsentior, quemadmodum non diſsentio inſtar rhabarb. aperire poſse, iecoriq; obſtructo, & alijs viſceribus proficuum remedium euadere; difficulter tamen ſuadeor hanc ipſam ſola intentione emundandi primas vias ab infarctu humorum exhibendam eſse, ſi ſua facultate & deobſtructoria ſit, & à penitioribus partibus ducat; niſi dicamus mutata doſi id efficere valere, ut pondere conuenienti exhibita præſtare utrumque poſſit; ſecus ſi in debili quantitate, in quo caſu deobſtruendi tantùm vires, non catharticè humores educendi obtineat. habet Matth. viſcera inſtar rhabarbari roborare, & non tantum bilem electiuè ducere, ſed etiam phlegma, & ſeroſos humores in hydropicis; docet ſubinde modum, quo hydropi conducat, & quibus herbis, in huiuſmodi caſu in decoctiones uti debeamus, quo modo ſumptum medicamentum etiam icterò prodeſſe aſſerit; ut potius in hoc caſu deoſtruentis valide vices gerere credat quam deiectorij, cum hoc medicamento uti ſuadeat præaſſumptis alijs medicamentis ſoluentibus.

De Filicis radice.

CAPVT LXVII.

Filicis & Arundinis naturale diſſidium confirmatur; cathartica humores educere ſtatuitur, an ſemen gerat diſcutitur & aſſeritur, vires aliæ eiuſdem examinantur.

DE Filice, quæ mira traduntur, & anilibus fabulis ferè ſimilia Philoſophorum conſiderationem ſubterfugiunt; ſat ſit hæc bibulas vulgi aures imbibiſſe, prout præſtigioſis ſemina venundata miros magicos effectus præbuiſſe, geſtantemque inuiſibilem reddidiſſe, & ut aſſerit Plinius muneribus Filicem ad maleficia auerruncanda utilem, quemadmodum & abortum grauidis excitare, & non grauidis ſterilitatem inducere valeat; quamuis ſi Ophmanno credendum, qui periculum feciſſe tradit, abortum grauidis non excitet. Cæterum ſummè mira & quibus hoc in confeſſo eſt illa decantata antipathia, quam filix habet cum arundine, dum mutuis iniurijs ad perniciem uſque ſe ſe infeſtantes, immò & inimicitiam, quam gerunt inter ſe poſt obitum ſeruantes, ut etiam inter plantas odium gliſcere luculenter exprimant. Ferunt enim Filicis ſucco, vel puluere vulnera ipſa ſanari ſpiculo arundineo inflicta; quod fabuloſum tamen putat Ophmannus; veriſſimum tamen eſt, nunquam inter has plantas ſocietatem iniri poſſe, ut una iuxtà alteram poſita incolumen vitam traducere

valeat,

valeat. Hoc teſtantur Dioſcor. ac Plinius, quibus fauet & experimentum, dum vomere fruſtulo arundineo vallato ſi frangere terram nitamur, ubi Filicis prouentus ſit, amplius Filix non renaſcatur; aut ſi conſepiantur arundineta Filice, aut contra, quæ circumſepta ſunt, ad nihilum redigi; forſan quia eodem è terra attracto utantur ſucco, & ſucci conditione; ſed hæc nihil ad nos, qui utilitatem è Filice capere deſideramus. Dubitatur igitur, an Filix cathartica vi polleat, quo nomine locum hic ſibi vindicat: pollet utique; immò, & hoc veteribus cognitum fuit, aut ſaltem Plinio, qui bilem ducere tradit, & etiam ſeroſos humores, ſub qua ratione, licet in præſenti talem uſum non obtineat, non ſpernendum tamen paſſim obuium medicamentum quod, Pharmacopæorum auaritiā illudit, cum præſertim inopibus lepidum, & gratiſſimum euadere poſſit præſidium; quamvis præter hanc ipſam facultatem, plures etiam alias vires obtineat a natura, quibus abundè hominibus commendari poſſit. Deſcribit Filicem Dioſcor., quam etiam plantam in marem, & in fœminam diſtinguit, quod folia gerat ſine caule, ſine flore, ac abſque ſemine, quod tantummodò poſtremum tantum virum latuit cum obſeruatum ſit, Filicem ſemen minutiſſimum ſub folijs inuerſa parte gerere, in quo tamen diſsentit in ſcholijs Dioſc. Saracenus; quamuis ego Tragi opinionem veriorem exiſtimem: Habet ab uno pediculo cubbitali folium promi inciſum pinnarum modo, ut πτέρις nomen iure adepta ſit planta; expanſam item longamque gerit radicem nigram propaginibus multiplicibus diſtributam, guſtu adſtringenti, quæ deſcriptio præcipuè mari Filici competit; fœminæ verò eodem modo, qua mari folia competere non uno tamen pediculo hærentia, ſed numeroſis, altioribuſque propaginibus, radices longæ in obliquum ſparſæ numeroſæ, & ex nigro palleſcentes cum aliquo etiam rubore. Præuotius Filicem calidam in ſecundo, & ſiccam in tertio pronunciat, Ophmannus vero utriuſq; qualitatis non excedere ſecundum gradum exiſtimat, cum præſertim Gal. dicat Filicem ſiccare ſine morſu. Alijs quoque nominibus, ſi Dioſcor. conſulamus, Filix ſuſpicienda venit, & Plin. quoque cum ipſo, lumbricos latos necare ex aqua mulſa ſumptam: lienis, & viſcerum obſtructionibus mirabiliter conducere; ſic etiam Gal. commendata ictibus ex arundine factis naturali quadam ſua antipathia dum operatur, auxilium efficax præſtare traditur: ſed hoc de Filice mari ex Dioſcor. at fœminam vermes latos, & lumbricos necare aſſerit: puluis huius vulneribus ægrè medicamentum quodcumque ſufferentibus utiliſſimus; cimices folio necari tradunt; contuſum veterinarijs pro medendis iumentorum ceruicibus ex importuno iugo laborantibus etiam familiare: ſerpentes item ſub Filice nunquam cubare aſſerunt, & ità pauimenta, ubi ſerpentum copia, Filice ſternenda, quos fugari nidore uſtæ eiuſdem Filicis traditur.

Lib. 22. c. 9.

8. ſimp. med. fac.

Gal. 14. meth. ult.

De Volubili maiori, & de Helſine Cyſampelos.

CAPVT LXVIII.

Conuolvulorum ſpecies ſub alio nomine à veteribus conſideratas aßeritur; non implicare etiam maiorem conuolvulum alvum lubricam reddere cum neotericis & Meſ. deſcribuntur conuolvuli, vireſque examinantur utriuſque.

VOlubilibus, ſiue conuolvulis, ſtirpibus ſic à recentioribus ab effectu vocatis, quod proximè ſibi adſtantibus plantis, ut ſeſe è terra attollant, arctiſſimo complexu conuoluantur; catharticam facultatem aſſerebat Meſue; cæterum conſtat ut plantæ, quæ à neotericis conuolvulorum nomine donantur, ſimile nomen à veteribus non obtinuiſſe; ille etenim, qui conuolvulus maior à noſtris dicitur, omni controuerſia ſublata ſmilacem leuem eſſe deprehenditur; de qua Dioſcorides locutus eſt, eſſeque ſmilacē (Lib. 4. c. 145) Gal. 7. ſimplicium; quamuis hoc Ceſalpino non arrideat; qui perpenſa Dioſcoridis deſcriptione, contendit ſmilacem leuem antiquorum potius Iaſmino noſtro aſſimilari poſſe. Interim qui à recentioribus minor conuolvulus appellatur, eſſe exiſtimatur, & non inutili coniectura Helxinem Dioſcoridis Ciſſampelos, de quo agit ſupra citato lib. cap. 39. cui idem auctor aſſerit cathartice humores educere; Smilaci vero leui, hoc eſt volubili maiori noſtro minimè; & huius ſemini, cum dorichnio ſumpto multa, & turbolenta in ſomnia excitare tribuit. Dubitari merito hic poteſt, qua ratione ductus Ioannes Præuotius (De Medic. Pauperum.) huic tribuat catharticam facultatem, quam Dioſcorides tantum Helxine Cyſampelo, hoc eſt minori noſtro conuolvulo adſcribit; difficultas tamen facile ſoluitur, ſi dixerimus Ciſſampelum Helxinē, conuolvulum ſcil. noſtrum minorem begnigne quidem, ſed ſpecifice cathartice humores delectos ſibi ducere, bilioſos in primis, cæterum etiam leuem ſmilacem Dioſcoridis; & ſic conuolvulum majorem Botanicorum recentiorum animaduerſione alvum lubricam reddere (Aduerſar. pag. 264.), eſitatum olerum more; cùm ex Lobelli teſtimonio manifeſtum ſit omnium conuolvulorum generibus à natura inditam alvum ſoluendi facultatem, quod ſanè id Meſuem non latuit. Quod ſi etiam perpendamus majoris Conuolvuli qualitates; nullam in eo reperiemus, quæ aluo ciendæ impedimento ſit, & Meſues ipſe præter ſingulares vires, quas Conuolvulo majori tribuit; hanc eidem deſignat; ut exuſtam bilem cathartice educere valeat.

Deſcribitur igitur maior conuolvulus à Dioſcoride ſub leuis ſmilacis nomine folijs hederaceis mollioribus, leuioribus, nullis ſpinis horreſcentibus, flexuoſis caulibus, qui ob ſui exilitatem adminiculis egentes, ut altius attollantur, proximis aliorum ſtirpium ſtolonibus ſe implicant; ſubdit quod ſemen nigrum gerat inſtar lupini exiguum, floreſque perenni ſucceſſione emergere, candidos, numeroſos, & orbiculatos; ſubiungit ut facilius plantæ nobis cognitio emergat, per æſtatem topiarij operis conditionem

tionem

tionem ſupplere, ſed amittere folia per autumnum, quam deſcriptionem plerique Botanicorum fatentur cum noſtro maiori conuoluolo conuenire; controuertitur tamen non leuis difficultas circa ſemen, quia lupini ſemini forma conuenire non videatur, nec exiguum ſit prout aſſerit, cum tamen cęteræ notæ optime congruant cum conuoluolo noſtro maiori, ſuſpicandum merito venit ex ſcriptorum incuria mendum irrepſiſſe in textu, in eodem citato libro ſummus Botanicus Dioſcorides Helxinem Ciſſampelum Lib.4.c.39 delineat folijs hęderæ, ſed minoribus, longis ramulis, quibus contingentia adminicula circumplectitur; ſubditque naſci in ſepibus, vinetis, & in ſegetibus, quam quidem deſcriptionem aptari poſſe exacte creditur, nec fallaci coniectura, noſtro conuoluolo minori; cum non ſolum deſcriptæ notæ eidem congruant, ſed etiam ſubducendi per aluum vires, quas in calce capitis noni ſubticuit, quamuis eius floris formam non delineauerit; qui ſane conuoluoli maioris ſimilitudinem gerit, quamuis minor ſit; & quadantenus ſubrubens in albo. Iam conuolvulorum vires expendamus, quibus non leue præſidium; & extemporaneum elicimus pro pauperibus, & ruſticis hominibus, præſertim ut alvum ſubducendo ijſdem illabantis ſalutis præſidium, tanquam facillimum remedium afferri poſſit; ſed præſertim & præcipue minoris uſus, cui cathartica facultas à Dioſcoride aſſignatur; interim Meſue ſuo maiori conuoluolo plura tribuit, quam periculo à Præuotio facto verificari poſſit; qui ſimul cum Ceſalpino ipſam alvum ſubducendi facultatem non reperijt. Cæternm Meſue plantam volubilis temperatam ex Dioſcoride pronunciat, aut leuiter calidam; ſiccam tamen in ſecundo gradu, & quam ſoluere, maturare, tergere, reſoluereque voluit; ſimulque orificia vaſorum aperire; at hæ conditiones ab actiua ſui qualitate modica, ut notat Coſtæus, deriuari non poſſunt; ideo partim à ſiccitate coniuncta, partim à propria forma deriuandæ; noxas tamen ſtomacho inferre tradit; quas corrigit tragacantha, maſtiche, ſpica nardi, ſeroque lactis; *Præuotius* verò myrto, rore marino, & cypero. commendatur à Meſue ad iecoris, venarumque meſeraicarum obſtructiones reſerandas, ſub quo titulo icterum ſanare tradit, ſi cum ſucco apij, aut intubi, vel cum ſero lactis exhibeatur, addit bilem exuſtam clementer purgare, & ſic febribus præſertim bilioſis diuturniſque aduerſari, pulmonemque & thoracem ab humorum infarctu liberare, ſub quo titulo aſthmaticis ſummopere prodeſſe, ſubdit externam iecoris flegmone iuvare, ſi parti apponatur cum polenta, aceto, & oleo roſaceo, ex cuius loquendi modo intelligenda venit externi hepatis lobi inflammatio ſupra ventriculum extenſi, tradit validæ antiquæ cephalalgiæ opponi cum oleo roſaceo & chamomelino, & aceto, & ſuccum auribus inſtillatum earum ulcera ſanare.

Minoris vero conuoluoli, helxine Ciſſampeli ſcil. Dioſc. vires ſolutiuæ validiores ſunt; qui cenſendus eſt ſecunda ſpecies conuoluuli à Meſue delineati, quam paruum vocat, & quem habet repere ſuper terram minoribus folijs, & floribus, aliarumque plantarum ramos complicare, cui quidem quamuis ſuperioris conuoluuli facultates expreſſe non tribuat; tacite tamen hoc idem innuiſſe credendum. Conuoluoli maioris decoctiones exhibet Præuotius ad bilem ſubducendam, à manipulo uno, uſque ad duos,

cor-

corrigitque eius laxitatem ſupradictiſ myrto, roremarino, & cypero; ſimili quoque modo efficacioris virtutis ſolutiuæ minor conuoluolus corrigi poterit, quem Ceſalpinus exhibet per hyemem olerum more comeſtum, & in acetarijs ſumptum. Galenus huic præter molliendi alui facultatem, vim etiam digerendi tribuit.

De Luppulo ſiue Lupo Salictario.

CAPVT LXIX.

Lupulum Græcis indictum; Plinio vero cognitum & Arabibus; controuerſum temperamentum definitur; vires explicantur.

CONuoluolis lupulum annectunt recentiores, ſcandit nanque fructices prope ſitos conuolvulorum inſtar; arboreſque, à quibus aucto vigore ſuo eaſdem inuoluit arctiſſime; ſemper enim ut attollatur, alterius eget adminiculo, cuius longæ viticulæ tenues, aſperæque cucumeris ſilueſtris aut brioniæ ritu inter vepres naſcentes, dum ſe ſe erigere tentant, circumpoſita circumuoluunt; eius folia vitim viniferam magnitudine æmulantur, tribus vel ut plurimum quinque ſciſſuris diſpertita; flores gerit multos, ſubalbidos, herbaceos, racematim collectos, è quibus folliculi copioſe prodeunt ſquamatim compacti ſub luteo colore: intus ſemen nigrum. Dubitatur numquid lupulus veteribus cognitus fuerit, cum de lupulis Græci nihil protulerint; inter latinos auctores ſolus Plinius eumdem nouiſſe videtur, qui lib. 21. cap. 29. de eius natura aliqua habet; dum inter herbas ſponte naſcentes, & quæ etiam alimentum præbent ſolitarium lupum reponit. cæterum Arabibus optime nota planta; quamuis eiuſdem temperamentum controuerſum ſit; nam pluribus quod attinet ad actiones actiuas, non videtur temperata; quamuis Meſue æqualem tradat; ita tamen ut potius ad frigidum vergat, immo frigidum gradum attingat; quod tamen omnino diſſonum videtur. defenditur idem auctor à Coſtæo, quia in cereuiſiæ compoſitione iniectus ebrietatem, & inde ſomnum inducere valeat; qui poſtremus frigidorum indicium eſt, prout hyoſcyami, exemplum manifeſtum, opij, mandragoræ, lactucæ frigida natura conſtantibus. Matthiolus tamen, & Dodoneus calidum, & ſiccum in gradu ſecundo affirmant, quod deducunt ex foliorum amarore, & reſinoſo florum odore; dum copioſi in cereuiſia inditi, eidem manifeſte calorem impertiantur, quo potantes afficier. verum ſi de floribus loquamur, deque eius ſemine, calorem, ſiccitatemque obtinere omnibus fere in confeſſo eſt; ſecus vero de tenellis folijs, & turionibus, qui cum temperati ſint, & frigidi, & calidi medicamenti vices iuxta corporis diſpoſitionem gerere poſſunt; ut de rofis manifeſtum, deque cæteris utramque naturam facile induentibus ad corporis varias dyſcraſias relatis. tribuitur lupulis facultas purgatrix, & quidem cholagoga, deinde etiam melanagoga, licet blandiſſime aluum ſubducant; præſertim primo erumpente vere tenellis capreolis, & turionibus vſurpatis, quod quidem à tota ſubſtantia pendere exiſtimandum, non

vero à qualitatibus manifeſtis; folia tamen adulta, & flores, ut ſupra innuebamus, non ſine calore euidenti ſtant; quod ex amarore, odoreque deprehenditur. attenuant ob id, deobſtruunt, & abſtergunt, ſub qua ratione obſtructionibus iecoris, & lienis tollendis utiliſſimi lupuli euadunt; ictero que ſimiliter, & febribus illis, quæ ab obſtructionibus pendent commendat Matthiolus flores; & folia in decoctione ad venena, Gallicamque virulentiam, qua ſanguinem depurando, qua putredini reſiſtendo; & quadam ſpecifica ſua vi miaſmati ſuperando. ſemen vermes necare tradunt, & ſcabiei, cutaneiſq; cæteris affectibus non leuiter conducere; urinam quoque, & menſes ciere. ſunt qui lupulum medicamentum hæmagogum appellauerint, ad eius vim reſpicientes, quam ſanguini depurando obtinet; ſuccus tamen valentius operatur.

De Rhabarbaro.

CAPVT LXX.

Veteribus Græcis Rhabarbarum non cognitum, & ab eorum Rha diferentiſſimum, contra Ruelÿ Brodei, & aliorum opinionem aſſeritur. Græcis recentioribus & Arabibus vulgata notitia. Auerrhoes notatus. horum Rha facies diſsimilis, non eſse Rhabarbarum. Rhaponticum antiquorum definitur: ad Lapathi, ſiue Rumicum genera referri poſse. electio, differentiæ, ex Meſ. afferuntur. aſseritur Turcicum Rha Meſ. non eſse Ponticum Rha antiquorum; probitatis notæ conſiderantur, & quomodo tuto aſseruari poſsit; conditiones Rhab: temperamentales expenduntur. & quibus miris viribus in medica facultate ſe ſe inſinuauerit. an torrefactum vires amittat inquiritur.

EXpoſcit vera dicendorum methodus, vt expoſita lenientium, bilem præſertim educentium hactenus natura, proponenda, & diſquirenda veniant proprie magis, & determinata huius humoris euacuantia; nam cum catharticorum medicamentorum quadruplex pro varietate humorũ claſſis ſit cholagoga, flegmagoga, melanagoga, & hydragoga; hæc pro virium conditione varia ſane eſt claſſis; e colagoghis autem, quorum cenſum proſequuturi ſumus, blandiſſimum atque uſitatiſſimum eſt Rhabarbarum, medicamentum Dioſcoridi, & Galeno, immo & antiquioribus omnibus omnino incognitum; eorum namque Rha, quod ad varios morbos utiliſſimum experiebantur, non natali ſolo tantum, ſed etiam forma, temperamento, & viribus à noſtro differentiſſimum cenſendum; ut male ſtatuere videantur qui utrumque confundentes Rha veterum & noſtrum unum faciunt, facultateſque non aſſimiles utrique aſſignant. Veteres enim ſuum Rha non Trogloditica Æthiopiæ regione ſub Ægypto, & quæ nunc Abiſſinarum deferri; cui ſanè regioni ſpecifice nomen Barbariæ inditur, & à qua nobis noſtrum comportari conſtat; ſed è Ponto, à quo & cognomen ipſi, atque Arhà, Ponti fluvio, ex quo nomen aſſequitur; qui quidem fluvius nunc Volga vocatur, & qui non longe ab Oſtijs Tanais influit in Mæotidem, vel ut forſan rectius notabat Salmaſius, ſe ſe exonerat in Caſpium mare; iuxta cuius fluvij margines, ſi Ammiano fides habenda, paſſim naſcebatur;

ſcebatur; ita ut è regionis locis particularibus, quibus debebat ortum ſuũ, & nomen Rha, & cognomen Pontici traxerit, & ſic combinatum veterum Rhaponticum, ut nihil magis verum ſit, quam quod Dioſcorides, & Galenus Rha Ponticum iſtud cognouerit; quod eſt Rheuma Plinij; nihil æque etiam magis falſum, quàm quod noſtrum Rha Barbarũ unquam viderint, aut in uſum medicum aliquid traxerint; quidquid Ruellius, Muſa, Manardes, Anguillara, horumque ſectatores dicant, dum adducto exemplo Perſeæ, quam in Perſide venenatam oriri ex Dioſcoride in Ægyptum translatam morem mutaſſe, benignamque naturam induiſſe, pari ratione Rha vim catharticam in Barbaria obtinere; minime vero in Ponto, eamdemque plantam ſola ſoli mutatione vires diuerſas aſſumpſiſſe, & temperamentũ diſſimile, immo controuerſum aſſerunt; quæ ſane opinio multo ante Diuo Iſidoro impoſuit, à quo male ſuaſus Ioannes Brodeus ſane nimis incaute accuſat leuitatis Proſperum Alpinum Præceſſorem noſtrum, quaſi male diſtinxerit Rhabarbarum à Rhapontico, quas tamen ambas plantas unam eſſe dicat Brodeus, ſola denominatione diuerſas; horum tamen pace ſunt proculdubio plantæ differentes; antiquiores non ſimul cum Auicenna ſuo Rhà adſtrictoriam, & ſatis validam facultatem tribuere, immo idem Auicenna cum Serapione ſuum Rhà combinant ad vires quod attinet, cum malicorio, galla, acazia & ſimilibus, quibus etiam adſtipulatur Dioſcorides, nec Perſeæ exemplum mouet; ſoli namque mutatio primas, aut ſecundas qualitates aliquantulum mutari poſſe crediderim, non tamen vires illas tollere, quæ à forma prodeunt, prout vis illa cathartica, quam certe in Rhapontico deſideramus; prout de Arabum polypodio innuendum infra; quod clarius reſultat in violis Martijs, quamuis debili calore præditis, quæ & ſi climate frigido ſatæ, vim propriam electiue ſubducendi, quam à natura obtinuere non amittunt; mutationemque perſeæ ut venenata in eſculentam faceſſerit mutato ſolo, non aſſeritur à Dioſcoride, niſi ex aliorum relatione, non amittunt igitur plantæ præcipuas ſuas qualitates, quamuis tranſpoſitæ, diuerſam à proprio ſolo regionem incolant, licet quaſdam qualitates quoquo pacto alterari poſſe facile conceſſerint; calor enim, & frigiditas, quæ duæ qualitates quodammodo mutato climate miteſcere poſſunt, ſunt quidem facultatum nobiliorum inſtrumenta, quemadmodum & quæ conſequuntur ſecundæ qualitates; non ſunt tamen rerum formæ, à quibus facultas prodit, nec ſunt efficientes, ſed ſubordinatæ; acuit quidem caliditas virtutem, non auget, aut producit; frigiditasque quemadmodum obtundit, non obliterat. Sit igitur ratum Rhabarbarum, & Rhaponticum eſſe differentes plantas viribus, & temperamento. Hinc manifeſtum euadit Auerrhoem dum Galenum reprehendit, & antiquos, ut qui ſolam adſtringentem facultatem in Rhabarbaro admiſerint, non vero catharticam; maiori reprehenſione dignum effici, eo quia genus iſtud Rha nobis barbarum, & Auerrhoi ſic appellatum cathartica facultate præditum iſtos latuerit; non tamen Græcis poſterioribus, qui utriuſque radices quemadmodum differentes, ſicque earum facultates diſſimiles cognouere, prout ex Aetio, & Paulo notum, quod etiam Meſue manifeſtum fuit. quod ſi de utriuſque facie loquamur, etiam inuicem differre

ferre figura ſpeculanti apparebit; quamuis cuique facile conceſſerim utramq; plantam ſatis commode ad Lapati genera reduci poſſe, Rha ponticum videlicet ad hippolapathum rotundo folio, ſiue Seudora recentiorum Lobelli; Rhabarbarum vero hippolapathum ſatiuum lati folium, & Rhà Monacorum eiuſdem Lobelli; in quo poſtremo viget etiam facultas ſubductoria ſi dupla doſi à Rhabarbaro utamur, quod mihi facto non ſemel experimento compertiſſimum euaſit; immo non ſemel audiui à Clariſſimo Veslingio ipſum Rhabarbarum Indicum, quod præſtantius eſt inter Rhabarbari differentias; vidiſſe natum apud Ioannem Ortmanū pharmacopæum Groningenſem hippolapatho noſtro ſatiuo, Rhabarbarum Monacorum dicto apprime ſimile; ſecus in hippolapatho rotundo folio, in quo potius ineſt adſtrictoria facultas, ut quemadmodum figura Rhapontico aſſimilantur, ſic etiam viribus non diſſimilibus gaudeat; nec ab re ſimili facie dixerim & Rhaponticum Alpini, quod verum Rhaponticum antiquorum eſt; & lapathum rotundo folio; cum non ſemel ego ipſe ex ſemine ex Moſcouia mihi delato verum Rhaponticum in horto publico aluerim; quorum folia in ſimul comparata differentiam leuiſſimam admittebant; ut ex his appareat Rha verum licet viribus, ac forma diſſimile, facile reduci poſſe ad Rumicum ſiue lapatum genera; ut quodam pacto rationabile videatur quod habet Threzes, & eiuſdem comentator, qui veterum Rhaponticum lapatum eſſe fatetur; & profecto rhabarbari radices magnitudine, figura, coloreque, lapato affines eſſe videntur. Cathartici Rhà à Meſue tres præcipue differentiæ recenſentur à loco diſtinctæ, in quo felicius & uberius prouenire ſolet, & conuehitur; Indicum, quod etiam ſcenicum à quibuſdam dicitur, eumque vocat Meſue Rhà vaſceni, alterum Barbaricum, à quo communiter nomen inditur; poſtremum Turcicum, quod à quibuſdam, licet perperam, creditur antiquorum Rhaponticum; ea ſola coniectura ducti, quia Pontus, ubi Rha ponticum colligitur, Regio ſit Turcarum finitima; nihilominus cum Turcarum regio à Ponto omnino diuerſa ſit, & inter cathartici Rhabarbari radices connumeretur Turcicum, quamuis inferioris conditionis; obtinet enim catharticas vires, & temperamentum idem cum cæteris quoque differentijs; horum opinioni non ita libenter faueo; quod quidem nec arridet Coſtæo. præfertur à Meſue Indicum, medium locum aſſignat Barbarico, infimum Turcico. eligatur igitur Indicum & recens; quod tertium annum non excedat, aut quartum ad ſummum, ſed quod per id temporis optime ſit aſſeruatum, linteo videlicet cera imbuto inuolutum, vel ſaltem reconditum, & conſeruatum intra milij ſemina; facies eius externa ſit colore ſubnigro ad rubrum vergente; & fractus è glauco ruffus appareat, rarum, non ſine grauitate, & quod dum manditur, aut liquore aliquo ducitur, croci inſtar inficiat, amarum guſtu percipiatur rhabarbarum, ex quo abſtergentis conditionem obtinere conijcimus; hinc Meſue duplicem in eo naturam conſiderat, aqueam unam terræ remixtam, quam rhabarbari corpus conſequitur, ut ab ea grauitatem acquirat; alteram igneam aereamque, quam in ſuperficie obtinere tradit; qua & amarorem concipit; & deobſtruendi vim adipiſcitur; temperamentum conſequitur ex igne caliditatem, ex terra à ſiccitatem ut ſecundum gradum ca-

Ee loris,

loris, & ſiccitatis adipiſcatur, à forma vero ſpecifica catharticam obtinet vim; quæ calore, & ſiccitate prædictis ceù inſtrumento utitur. Rhabarbarum Meſue ſpica corrigit, quamuis innocuum eſſe medicamentum fateatur, ſub qua ratione reprehenditur ab Auerrhoe, qui hoc medicamentum præ cæteris omnibus caſtigatiſſimum aſſerit, proinde nulla egeat correctione; Auerrhoi adſtipulatur quoque Manardus, eo magis inquiunt, quia vera ſpica caremus; nihilominus, ut rectè adnotabat Coſtæus, cum rhabarbarem à partibus terreſtribus ſatis pigram purgandi actionem conſecutum ſit; vim eius ſubducentem proniorem habebimus, addita ſpica noſtra, quæ eque cum vera ſpica vires obtinet, vel utemur eius loco ſchenantho, quæ vim ſubductoriam accelerare poterunt. Doſis in pueris hac noſtra tempeſtate ad ſcrupulos duos, adultis & in ſubſtantia ad ʒ ij. exhiberi ſolet, cum caſſia, aut diapruni ſimplici; pro pueris etiam incruſtatur cum ſaccharo, ſic infunditur à ʒ ij. uſque ad iij. doſis, quam proponit Meſue infuſi vid. ad ʒX, & in ſubſtantia exhibiti ad ʒ iiij. ſuſpecta omnino eſt, cum & temperamenti ratione, tum ex viribus, & experimento Manardi, qui aſſerit nobilem quendam Pannonicum ſuo malo tantam doſim expertum fuiſſe, & crediderim facile cum Coſtæo forſan ſcriptoris incuria hunc errorē in libris Meſue irrepſiſſe doſim duplicantis, ut loco v; x ſcripſerit, quod ex affini figura facile error intercidere poteſt. attamen doſis in ſubſtantia propoſita conſiderata, erroris excuſationem non admittit. utcumque ſit, exceſſus iſte omnino vitandus. an exhiberi poſſit in febribus continuis, & in tertianis exquiſitis, præſertim in quibus ſincera bilis luxuriat, dubitat Septalius lib. 5. obſeruat. ſecundo, quod dum urget neceſſitas non erit inopportunum; cum calor eiuſdem temperamenti cum ſyrupis refrigerantibus corrigi poſsit, cum ſimilibus conſeruis caſsia, ſero, & aquis. exhibet Meſue Rhabarbarum ſanguinem expuentibus, cum Mumia, & Rubiæ radice; ſed imprudenter ſatis, ſi de rhabarbaro cathartico loquitur; nam ob ſui calorem nec ſanguinem cohibere, nec incraſſare poterit, quod maxime per initia fieri debet. commendat Meſue Rheum in rupturis internis, & externis; cautus tamen debet eſſe uſus in principio; internæ nanque rupturæ optimam præſsidium venæ ſectio, & trhaumactica frigida & ſicca. tandem cum ſine febre in partibus internis dolor perſeuerat, & collectæ materiæ ſigna adſint, ad rhabarbarum confugiendum; in externis verò primo reuellentia, & repellentia conuenientiora ſunt; deinde tempore congtuo ad Rhà uſum procedendum. ad pectoris, & veſicæ vitia commendatur à Dioſcoride, qui cum procul dubio de Rhà pontico loquatur, reſpicit expuitiones ſangui[illegible]is, & mictionem, vel ſanguineam, vel ſtranguriam à ſalſæ pituitæ defluxu factam; clariſsime namque id manifeſtum eſt, dum ad ſanguinis ſputum ſuum Rhà proponit, ſibi ſolummodo cogni[illegible]um, & eius Rhapontici ſcilicet, quod adſtringenti facultate pollet. at quid quæſo de dyſenteria dicendum? nulli ſane dubium ſit Dioſcoridem de Rhapontico locutum, in quo minimum caloris agnouit, plurimū adſtrictionis, & quod, ſi Auicennam conſulamus, frigido potius temperamento doratum eſt; & quod proprijs viribus ad id conducere videtur, non ita facile tamen ſoluitur illa oppoſitio, quæ Meſue fieri poteſt, dum dyſentericis affectibus ca-

tharticum

rharticum Rhabarbarum exhibet, nō Rhaponticum. uſus tamen hoc ipſum in pluribus obtinuit; qui tamen videtur ſuſpectus Septalio lib. 7. obſeru. 94, & 157. cum partes igneas habeat, cum & materia acrimoniam augere calorem excitare, & dolorem ſubinde poſſit; præterea quia ſemper inopportunum viſum eſt, humores trahere per locum affectū, & acriores præſertim; nec ſatis putat cum ipſum aduri, prout Meſue monitum eſt, eo quia inquit vim purgatoriam ex aduſtione amittere, & igneam actiuitatem acquirere poſſit; Sennertus tamen lib. 3. ſuæ praxis cum Meſue ſentit, immo rhabarbarum torrefactum commendat in dyſentericis, tanquam optimum præſidium, quia partes igneæ, quas in rhabarbaro Septalius agnoſcit, torrefactione euaneſcant; ad me quod attinet quandoque eo in dyſenteria felici cum ſucceſſu torrefacto uſus ſum, ſed in progreſſu morbi, ſignis coctionis apparentibus, & lenito aliqua ex parte dolore; cæterum quando cohibendi ſanguinem intentio ſit, humoris acrimonia doloreque adhuc vigente, magis congruum crediderim uſum rhapontici, magiſque proficuum; circa vero quod habet uterque Auctor cohibendi ſanguinis menſtrui copiam, & ad hydropem, quibus affectibus ſanandis commendat Rhà Dioſcorides, conſideratis utriuſq; rhà differentijs tum à temperamento, tum à proprietate manantibus, unicuique facilis patet ſolutio.

De Hippolapatho ſeu Rhabarbaro Monacorum.

CAPVT LXXI.

Hippolapathum Rhabarbaro congenerem dici poſſe affirmatur. dupla menſura bilem ſubducendi vim habere creditur exhibitum. Temperamentum deſignatur vires conſiderantur.

AN Lapathon, quod etiam Rumex dicitur à Plinio, & à Latinis lib. 19. cap. 21. Lapatum dicendum potius ſit ſine aſpiratione, hoc ad Botanicos nihil attinet; Grammaticorum namque munus eſt dirimere. hoc quidem in quinque genera à Dioſcoride diſtribuitur lib. 2. cap. 140. Theophraſtus tamen plura lapati genera cognouit, licet ea primo diuidat in Vrbanam, & ſilueſtrem. Gal. vero 2. ſimplicium etiam betam ſilueſtrem dici poſſe aſſerit, cum & guſtu, & viribus betam ipſam æmuletur; quod à Theophraſto didiciſſe videtur lapatum cum perfectum eſt tota ſua figura betæ proximum cerni tradat, adeoque inter oleracea reponat, ut etiam Dioſcorides, qui omnibus etiam lapati generibus vim emolliendi aluum tribuit hunc forſan ab effectu lapathi nomen inditum à πάνυ λαπάζειν exinaniendi licet viribus, cum re vera folia in decoctione ventrem exinaniant ſubducendo; verum quamuis hoc omnibus commune lapati videatur, à Neotericis præcipua facultas tribuitur ei qui in ſecundo loco deſcribitur à Dioſcoride, & quod hortenſe, ſiue ſatiuum ab eodem vocatur, & noſtris hippolapaton, & rhabarbarum monacorū dicitur; ita exiſtimant Matthiolus, Fuchſius, Lobellius, Dodonęus, pluresque alij, quamuis Tragus crediderit potius eſſe plantam illam, quæ deſcribitur a Dioſcoride in ſequenti

libro cap. 141. & quam hippolapaton vocat, & Scaliger Bulapaton appellat. in hippolapati autem radice catharticã facultatem, bilem ducendi cũ leui adſtrictione cognoſcunt, ſi dupla menſura exhibeatur à rhabarbaro, cuius vires obtinere tradunt. radicem namque craſſiuſculam gerit inſtar rhabarbari luteo colore inficiens, foliaque rhabarbaro fere ſimilia, ut non immerito plantam hanc rhabarbaro congenerem eſſe autumnent. non deſcribit Dioſcorides hoc lapati genus, quod ſativum, ſiue horrenſe vocat, tanquam planta notiſſima, prout omnia alia hu iuſmodi genera. eſt igitur hippolapathũ noſtrum oxylapato fere ſimile, folia maiora tamen ſunt, neque ſub acuta, ut oxylapati, latiora, & molliora; caules bicubitales, & ultra, craſſi, rubedine quadam perfuſi, flores in luteo pallido albeſcentes, ſemen rubrum triangulate, radix craſſa, longa, croceo colore inſtar rhabarbari; temperamentum huius plantæ vix definitum video; Præuotius inter frigidas, & ſiccas ſtirpes eam recenſet, ſed gradus non definit, nulla igitur in hac caliditas pertimeſcenda. radicis uſus præcipuus à drachmis duabus ad drachmas tres in iure alterato aliquot granis gingiberis, aut hyſsopi; infuſio à drachmis tribus ad ſex. vires lapatorum cumulatim à Dioſcoride recenſentur, nam præter id, quod folia decocta olerum more ſumpta alvum ſubducendi vim habeant; huius præcipue generis rhabarbari ſcil. monacorum radix carthartice bilem ducit; commendatur lapatorum ſuccus ad melicerides abſumendas, reſsoluendas cum croco, aut roſaceo, ſilueſtris vero lapati, hoc eſt Oxalidis & Oxylapati ſemen ictibus ſcorpionum aduerſatur; immo præabſumptum in potu impedit ut ex ictu ulla noxa percipiatur; ſtomachi faſtidio, dyſentericis, ac cœliacis, præſertim hyppolapati rotundi folij, & oxalidis radices ſuccurrunt ex aceto decoctas, ſeu etiam crudas; quemadmodum ſuccus etiam exterius applicitus, ſcabiei, lepræ impetiginibus, ignique ſacro opitulatur, pruritum que corporis ſeruat in fotu aut balneo adhibitum; doloribus dentium artuũque aduerſatur; radices parotidas reſolvunt, ſtrumaſque digerunt, lieni q; obſtructo utiliter exhibentur, muliebre fluxum ſiſtunt, regio etiam morbo utiles, calculoſque comminuere tradunt.

De Centaurio Minori.

CAPVT LXXII.

Centaurium minus nihil habere Commune cum maiori ſtatuitur, & ſic ab Arabibus male confunas diſtinctas naturas. Ophmanus in hoc notatur. Deſcribitur planta, & temperamentum deſignatur controuerſum, vires examinantur.

FEre ſemper contingit ut quæ vulgata ſunt, licet bonitate vel paria vel rarioribus præſtantiora & exoticis poſthabeantur in exemplum Centaurium minus celebre apud veteres medicamentum, cuius virtutes Gal. ſingulari libello ad Papiam, ſi Galeni is eſt, complexus fuit. ex Chyrone Centauro ſic appellatum, quo ut referunt ulceribus ſordidis & cacoethis ſanandis

ſanandis utebatur. utrum vero cum maiori centaurio congener ſit planta, nec video, nec à doctis Viris facile ſuadeo, cum ipſa planta nec effigie, nec virium affinitate maiori Centaurio accedat. & quemadmodum mihi arridet maioris Centaurij radicem pro Rhapontico uſurpari poſſe, cum in eodem haud agnoſcam catharticam vim, quam in minori Centaurio quotidie experimur; ita genere differre omnino ſtatui poſſe crediderim, nec præter nomen, quod utrumque forſan ab inuentore traxere, & quamdam ſymboleitatem in ulceribus, vulneribuſque ſanandis inuicem tantam affinitatem habere non comperio, ut iure in adoptionem unicæ familiæ venire videantur, ut hinc peſſimo conſilio Arabes feciſſe crediderim, dum utrumque confundunt Centaurium; hoc enim pacto naturæ potius vim inferunt, quæ differentiſſimas plantas has omnino produxit; ſpernuntque veterum doctiſſimas lucubrationes, qui utrique Centaurio diuerſis capitibus propriam aſſignarunt deſcriptionem; ut mirum ſit quomodo Ophmanus in luce tam clara cęcutierit, dum in indice ſui libri de medicamentis officinalibus habet centaurium maius & minus non debere ſeparari, quamtumuis diſſimiles ſint, cum poſſint ſibi inuicem ſubſtitui. Centaurium itaque minus etiam uſum non ſpernendum obtinet ad alvum ſubducendã, præſertim & ad febres diuturnas fugandas, & ob id febrifuga vocatur, pro ut ob inſignem quem habet amarorem, dicitur etiam fel terræ. Deſcribitur à *Dioſcoride*, quod ſit planta palmo elatior, quæ irrigua, & humecta loca *amet*, caule anguloſo, folijs hyperico aut origano ſimilibus, per *interualla binis*, flores lycnidis ſimiles e puniceo colore in purpureum inclinantes; quæ deſcriptio pluribus anſam dedit dubitandi, numquid noſtrum Centaurium minus illud ſit, quod à Dioſcoride delineatur; attamen ſi recte perpendantur flores, minime lycnidis floribus facie ſunt aſſimiles, quamuis aliquanto minores, nec colore diſpares, aut diuerſi à deſcripto; & licet maiora hyperici folia gerat, huius tamen æmula videntur, quod cum cætera omnia caute conſiderata his congruere videantur, concludendum nos legitimo Centaurio minori non carere, eſſeque idem cum deſcripto à Dioſcoride. quod ſi folia minuta deinde hic Auctor dicat, & rutæ ſimilia, ſemenque tritico non abſimile, de acetabulis ſeminis videtur loqui, quæ ſunt tritico ſimilia, & ſemen nigrum minutiſſimum includunt; ſic de ſupremis folijs dicendum, quæ in floribus Bahuinus in Tinace aliquam obſeruauit varietatem; quæ tamen talis non eſt, quæ aſpectum, & plantæ formam diuerſificet; hoc enim quandoque euenit ratione ſoli, interim omnibus alijs integris exiſtentibus. Plerique Botanicorum minori centaurio cum Meſue ex Ruffo aſſignant temperamentum calidum, & ſiccum ad tertium uſque gradum; alij vero non excedere utriuſque ſecundum exceſſum; utcumque parum excedere, licet amariſſima planta ſit, vix crediderim; aperit quidem, ſed cum modica ſubadſtrictione abſtergit ſatis valide, quod amarore ſuo indicat, ſub qua ratione delicatulis ægris in purgando faſtidio eſt. purgat bilem, & craſſam pituitam; doſis in ſubſtantia eſt à ſcrupulo uno ad drachmam unam; in decoctione à drachma una ad drachmas duas. corrigitur ſeminibus coriandrorum, ex qua quidem planta etiam extractum elici poteſt ex ſucco videlicet, qui ex contuſa planta elicitur irorato,

ſpiritu vini, aniſorumve, aut aqua cinnamomi, vulneribus ſanandis, ſi recens planta ſit, aptiſſima eſt ob humiditatem, & mitiorem calorem; ad cicatricem vero inducendam, non niſi vetuſta idonea fuerit. reſiſtit valde putredini, iſchiadicis prodeſt centaurium minus, quibus cum difficilis eſt; maximè ob profunditatem ſitus, & longinquitatem; ob id validis præſidijs opus; quod operatur, qua purgans, qua diſcutiens eius decoctum obſtructiones hepatis, lieniſque tollit; immo & aliarum partium trahere ſanguinem aſſeritur, quod conſentaneum vero reperitur, ſi nimia doſis, aut frequens uſus. Ad oculorum claritatem conducere volunt, ſi à pituita collecta malum, vel externa ſorde producatur; non vero ſi ob aquei humoris condenſationẽ, aut à cauſa externa; neruorum vitijs opitulatur, ſi vitiũ à repletione; Vires huius ſtirpis in tertianis febribus, ſpurijſque, & cronicis excellentes, unde febrifugæ nomen traxit; in clyſteribus uſus peruius; ſæpius enim obſeruaui ægros inde ſummam utilitatem percepiſſe; decoquitur à manipulo ſemi, ad manipulum unum, cum ſeminibus blande diſcutientibus addito oleo, & melle, omiſſo ſale; vermes necat, lentigines quoque ſanat, auctore Dioſcoride, quia amara & abſterſoria. an partus vero extrahere valeat, dubium, quod certe non de primorum menſium, viuoque fœtu accipiendum, uteri fundo adducto & conniuenre uteri orificio; fruſtra hæc eſſe norunt improbæ obſtetrices; ſed vel de extincto fœtu, vel partui propinquo dependente cum fundo, laxatoque interno orificio; tunc medicamenti ſucco imbutæ partes, eiuſque vi excitato calore & ſtimulo, fit impetus ad expulſionem; menſes tandem educere non eſt hæſitandum, cum vires eius, & temperamentum in idem conſpirare poſſint.

De Gratiola.

CAPVT LXXIII.

Eſſe Gratiolam centaurij minoris ſpetiem non eſt abſurdum affirmare. deſcribitur planta, aſsignatur temperamentum, doſis diſtinguitur, vires produntur.

HAnc plantulam lubens in cenſu cholagogorum medicamentorum & gratis minori cẽtaurio ſubſtituo; dum Bauhini opinioni facile ſubſcribo, qui gratiolam ſiue gratiam Dei non iniuria ita appellatam ob vires quas poſſidet inſignes, aſſerit eſſe Centaurij minoris ſpeciem; Gratiolamque Centauri idem appellat, cuius eſt viribus æmula, & facie non omnino diuerſa; amara enim cernitur, non ſecus atque Centaurium minus, & æque purgat immo valentius bilem, nec in vulneribus ſanandis viribus impar, quod caſu repertum aſſerit Ceſalpinus, cùm Cluſio, & Lobellio afferentes hiſtoriam cuiuſdam ferrarij, qui contuſam capitis vulneri impoſuit, breuique glutinatum vulnus, conſolida datumq; reperijt. Veteribus vel non cognita, vel non deſcripta, quamuis crediderim aliqui leuioribus quibuſdã conie<u>c</u>turis adducti, eſſe Papauer ſpurium Dioſcoridis, Cordus eupatoriũ Meſue appellat; Columna hyſſopum vulgare cenſet, Mathæus Siluaticus Perſicariam autumat, utcumque tamen obuium ubique ſatis & utiliſſimũ medi-

medicamentum; pro bileque educenda æque ſtrenuum. Creſcit Gratiola in irriguis, & humectis locis, quadrato caule dodrantali, folijs binis per interualla à caule erumpentibus ob longis aliquantulum, hyſſopi latioribus; flores in foliorum interuallis erumpunt, cæruleo purpuraſcentes ad utramque bilem educendam in primis efficax, & ſine moleſtia, ſecundario vero & pituitam, & ſerum educit, mirifice deoſtruit: & cum in ſua natiua conſtitutione partes varias agnoſcat, roborat etiam & exſiccat; abſtergit quoque & glutinat, præſertim vulnera recentia, tum putredini valide reſiſtit & vermes necat; caliditas tamen, quam igneam habet, aqueis partibus præualet, ideo cum centaurio minori quaſi ſimile temperamentum poſſidet calidum uſque ad tertium; & in ſecundo completo ſiccum. infuſa planta in lacte à ʒ j. uſque ad ij. cum cinnamomo, ex eius infuſione paratur acetum bile educenda apprime commodum, puluis ad ℈ j. exhiberi ſolet, & ſuccus à ʒ vj. uſque ad ℥ j, ex floribus ſiue folijs conſerua cum ſaccharo parari poterit, cuius exhibeantur ʒ vj. ad ℥ j. validum ſane & utile medicamentum, & paſſim obuium, ſed delicatioribus ob amarorem inuiſum.

De Peplio, & Peplo.

CAPVT LXXIV.

Veteribus præterquam Theophraſto cognitæ Peplij & Pepli plantæ; ethymon nominis unde; Plinius notatus; cur Peplion Meconium appellatum ab Hipp.

E'Viroſum lac manantibus plantis bilis eductioni ſtrenue reſpicientibus infimum non obtinent locum Peplis, & Peplus, ſiue Peplion, officinæ poſtremam eſulam rotundam vocant, facie, viribus, nominiſque affinitate cognatæ, aliquanto temperatiores ac ſint tithymali, medicamenta ſane Hippocrati familiaria, Theophraſto indicta, à Dioſcoride tamen & Galeno conſiderata, immo Græcis poſterioribus non ſemel in uſum reuocatæ; ita vocatæ, quoniam Peplon muliebre ſi, Lobellium audiamus, flammeolum antiquioribus appellatum, repræſentent, quia inſtar veli ſubiectam tellurem tegant, & amictum velut in rotundum effingentes, eamdem ambiant, eo magis quoniam foliola ſuperficie ſua purpurea viſuntur. utraque tamen planta, quam tamquam diuerſi generis, diuerſis etiam capitibus conſiderat Dioſcorides, confundi videtur ab Hippocrate, forſan ob virium & figuræ ſimilitudinem. Peplim enim ab Hipp. Peplion vocari auctor eſt Dioſcorides, quam plantam ſilueſtrem portulacam, à quibuſdam appellare dicit; cui opinioni ſubſcribit Plinius lib. 20. cap. 20. bene quidem ſi quamdam foliorum ſimilitudinem ſpectemus; ſed male omnino, dū idem Plinius aſſerit in nihilo differe Peplion à portulaca ſatiua, niſi quia illud ſponte naſcatur, hæc vero minime; cum inepte profecto tribuantur vires Peplion portulacæ ſatiuæ; quæ inter ſe toto cęlo differunt. Deſcribitur à Dioſcoride Peplion, quod in maritimis naſcatur, ſitq; fructex quoquo verſum ramos expandens, candido ſucco plenos, hortenſis portulacę folijs rotundis, & inferne rubentibus, ſemine ſub folijs rotundo, feruenti guſtu

guſtu radice ſingulari ſuperuacua. Peplion vero delineat, quod etiam à quibuſdam aſſerit vocari μήκωνα ἀφρώδη, meconium ſcil. ſiue papauer ſpumeũ, quod videtur confirmari ab Hippocrate coniectura ſuper allata, has duas congeneres plantas confuſas dum de ratione victus in acutis tex. 68, Peplion etiam meconium appellat; exiguum igitur eſſe fructicem inquit Dioſcorides lacteo ſucco plenum, folio paruo inſtar rutæ, ſed latiore, coma uniuerſa, ferè dodrantali, rotunda, humi ſparſa, ſemine ſub folijs paruo, rotundo & minore quam candidi papaueris; gerereque tandem aſſerit radicem unicam, eamque ſuperuacuam, à qua totus fructex erumpit. cur interim peplon ab Hippocrate appelletur etiam meconium, non eſt difficile diuinare, tum quia ſemen in tricocho, muſupiolo & floſculis luteis, tandem erumpens papaueris inſtar minutiſſimum recondit, tum quia ut adnotabat Brodeus, tota planta lacteo ſucco turget. ambas ſtirpes tempore meſſium opportune colligi docet Dioſcorides; ſiccari in umbra, verſarique crebro, ne ſitum contrahant admonet; hos bilem pituitamque acetabuli menſura ſumptos aſſerit in hydromellite ſeruari, aut muria conditum; noſtris tamen rari uſus eſt; cum ſecurioribus, & blandioribus medicamentis fruamur, ac proinde de eorum uſu plura ſubnectere non libet.

De Chamæſyce. A

CAPVT LXXV.

Temperamentum Chamæſyce ſtatuitur viresque produntur, cum Peplis aſtipulandam eſſe cum Lob. exiſtimatur.

Viribus & forma chamęſyce cognata videtur proxime ſuperius conſideratis plantis; turget nanque & ipſa lacteo quodam viroſo ſucco, & ita affinem Peplio, & Peplo exiſtimat Mathiolus, ut iure minorem Peplion appellari poſſe crediderit, cuius quidem opinioni nec diſſentit Lobellius. de hac agit Dioſcorides lib. 4. cap. 170. deſcribitur ab eodem Dioſcoride, ramulos à radice mittere quaternum digitorum teretes per terram ſparſos lactei ſucci plenos, folia lentis, figura ſua peplio ſimilia, quæ tamen non adeo rubent, terræ cohærentia, parua, tenuia, ſemine rotundo ſub folijs collocato inſtar Pepli; radicem item gerere tenuem, & ſuperuacuam petroſis, & ſqualentibus locis naſci, prout compertum eſt etiam ſabuloſis, & maritimis, temperamentum idem cum Peplio & Peplo exiſtimatur, ſuccuſque ille lacteus ex Galeni animaduerſione acrimoniam, & abſtergendi facultatem obtinet; ramuli elixi ſi comedantur, cathartice alvum ſubducunt; oculorum hebetudinem à membranarum craſſitie, aut interpoſita materia tollere tradunt, cicatriceſque ex eodem Dioſcoride delere habemus, tritos ramulos inſtar peſſarij fęmineis impoſitos menſes ciere, quemadmodum & vino ſumptos, dolores eiuſdem uteri ſedare; verrucis utiliſſimum remedium delendis, & œdematibus, utiliter tandem uſus pari ad ſcorpionum ictus.

De Scamonio.

CAPVT LXXVI.

Scamonium noſtrum non differre à Scamonio veterum exiſtimatur, obiectionibus reſolutis. non eſt Apocini ſpecies; electio ſcamonij controuerſa; temperamentum ſtatuitur, noxæ corriguntur, vires afferuntur. quomodo intelligendus Dioſcorides Scamonium partum necare.

STrenuis relatis proxime medicamentis cholagogis, quæ furentia etiã vocantur ſunt modo ſubnectenda; & inter huius conditionis validiſſima Scamonium connumeratur planta; adeoque illa, quæ ſtrenuiſſime vacuant cathartice, per antonomaſiam ſcamoneata medicamenta appellari ſoleant. eſt igitur ſcamonium antiquioribus & cognitum, & in uſum frequentiſſimum reuocatum; paſſimque Hippocrati obuium, ut inde etiam deduci poſſit ſupra eiuſdem ætatem viguiſſe. talem igitur habemus deſcriptionem eius à Dioſcoride; Ab una inquit, radice ramos multos producit pingues, quadantenus hirſutos, longitudine trium cubitorum, folijs hirſutis helxine ciſſampelos, aut hæderæ effigie, mollioribus tamen & triangulis; *floribus* albis, rotundis, inſtar calathorum cauis, graue olentibus; eſt *radix* prælonga, craſſitudine brachiali, candida, grauis odoris, lacteique ſucci plena; Matthiolus huius iconem exhibet, & Ceſalpinus ſimilem ſibi natam plantam ex ſemine ſibi ex ſyria allato refert; Meſue ſcamonium enumerat inter conuoluulorum genera, non ineptè; eorum enim modo repit, & adminicula ſcandit, & alligat. an hodiernum tamen ſcamonium idem ſit, ac veterum, dubitatum video; quia noſtra nec planta lanuginoſa eſt, nec ſuccus notis veterum correſpondet, nec eius doſis, qua nunc vtimur, cum veterum congruit; nos enim ſemiſcrup. non excedimus; Dioſcorides ad ℥j. exhibet; Paulus ad obolos quatuor, qui quidem ſcrupulos duos ponderant, qua menſura exhibita, ac etiam minori nobis lethale euadit. verum quemadmodum hirſuties in ſcamonio minui tollique poteſt ex loci mutatione; ita & doſis varietas, ac ſubinde nocumenta ex diuerſitate præparationis oriri poſſunt, quam etiam Renodeus admodum variam cognoſcebat; Veteres, non radice in terra relicta, & supernè excauata cum folijs, ut Dioſcorides docet, ſucco ibi ſponte collecto utebantur. ſuccus vero, qui modo ad nos defertur, longè diuerſo modo colligitur; Syrij nanque illi Populis Europeis infeſti, quamuis lucri cupidi è conciſis contuſiſque radicibus, & quod peius eſt folijs caulibuſque ſimul confuſis ſuccum eliciunt; hinc præſtantiæ diuerſitas, & vitium diſſimilitudo. Apud recentiores quoſdam Botanicos putatur ſcamonium Apocini ſpecies, ut ex Alpino colligere eſt, cui aſſentitur etiam Ceſalpinus: nec huic opinioni refragatur Bauhinus; quibus tamen non ita facile ſubſcribendum cenſeo; cum folia ſcamonij ab Alpino deſcripti, & cuius iconem protulit, longe diuerſa à Dioſcoridis deſcriptione appareat; immò à vero Syriaco ſcamonio, cuius imaginem nuperrimè tradidit. Apocynum ſiquidem ſyriacum, quod nobis

De medicina Ægyptiorũ.

In Commen. ad Hiſtoriã Plantarum Theophraſti.

Ff

bis eſt periploca tepens, & forma admodum à ſcamonio diſſidet, & de ſe conſtituit aliud genus medicamenti cholagogi furentis validiſſimique, ut inferius oſtendemus. Eligebant veteres ſuum ſcamonium e Myſia Aſiæ regione reprobantes, tanquã inferioris cõditionis Syriacum & Iudaicum; Meſues vero Antiochenum laudat. Ioſeph Donzellius Vir ſummus è colophonio agro præſtantiſsimum exiſtimat ſuaſus à Scribonio Largo, qui optimum eligens Scamonium id colophonium appellat; prout è loco collectum, ubi præſtantius deportabatur; quod etiam ex Marcelli Virgilij placitis probare nititur. utut ſit, eligatur leue, rarum, & fungoſum, nitidum, colore; glutinis taurini in frangendo, & contundendo facile, bono ſed proprio odore; improbatur nigerrimum, graue, denſum; Si temperamentum inquiramus, etiam calidum & ſiccum ordine tertio pronunciat Meſue, eſſeque ſtrenuiſsimum cholagogum dicit, Dioſcorides addit etiam flegmagogum, quod ſecundario facere intelligendum & de ea pituita potius, quæ primis adhæret vijs. habet tamen ſua, quæ infert non leuia nocumenta cùm aſſumitur, cum acri flatu ventriculum mordicare ſoleat; quadamq; ſua venefica vi viſceribus aduerſetur, Ora venarum aperire tradunt, infeſtareque non ſolum inteſtina torminibus, verum etiam eorum unitatem ſoluere. Occurrimus hiſce nocumentis, Meſue admonente, galanga, ſeminibus dauci, & fœniculo, aut aſſantes ſuccum ipſum in malo cydonio, his namque & conſimili alia præparatione flatuum mordacitatem compeſcimus; acrimoniam vero medicamenti demulcemus ſeminibus pſylij, aut decoctione prunorum, roſarumque, vel ſucco violarum eo quia facilius id ipſum ex inteſtinis educit, prout admonet Dioſcorides, ſuperbibito ſero depurato. cæterum recentiores vel ſuccum cydoniorum ſcamonio immiſcent, & ſenſim exhalant, & ita concinnatum διαχρύδιον nominant vulgo diagridium; vel potius, prout optime docuit Ioannes Præuotius, fumo ſulphuris, quem modum plerique Patauini Pharmacopei etiam nunc ſeruãt; ſic enim paratum non redditur acrius. chymici acido ſpiritu tincturam extrahunt, quam præcipitant, ac inde parant extractum, prout ex Sennerto, & Clauio notum. doſis conſueta diagridij eſt à gr. vj. ad gr. xij. eiuſque tutior operatio, quo melior correctio, quæ nobis putatur per fumum ſulphuris, quomodo largius, & tutius exhiberi poteſt, ſubditum ſuccum fœminis ex Dioſcoride partum necare aſſeritur ſed potius cum propior partui fœtus, laxato tunc & ex ſua natura deorſum inclinato uteri orificio; nam per ſe ſcamonium non videtur partui formaliter venenum, quod etiam repugnat experientiæ improbarum mulierum. lepræ & elephatiaſi, ex veterum placitis, in aceto diſſolutum ſcamonium, & exterius adhibitum deterſionis gratia utiliter exhibetur; quamuis vera lepræ curatio apud Ægyptios in blandis conſiſtat cholagogis, non validiſsimis, & in medicamenti præſertim refrigerantibus, & humectantibus, vel inunctionibus Mercurialibus; addit Palmarius ſupradictis morbis uſum ſulphurum, & viperarum à Galeni experimento edoctus. ad poſtremum quod attinet remedium, additur iſchiadicis utile in modum cataplaſmatis oppoſitum: diuturnum dolorem capitis tollere, ex roſaceo aceto illitum, ſimulque tubercula diſcutere,

De Periploca ſiue Apocyno Dioſcoridis.

CAPVT LXXVII.

Periplocam non eſſe Aſclepiadem, quam etiam reperiri conſtat; noſtramque Periplocam eſſe Apocinum à Dioſcoride deſcriptum ſtatuitur contra Columnæ opinionem: utriuſque Periplocæ generis deſcriptio; Aſclepiadis ſiue Vice toxici periplocæ Alexipharmacum ſtatuitur; deſcribitur. periploce correctio affertur, & doſis adſtruitur.

EX prouida, laudabilique quorundam recentiorum obſeruatione cenſum cholagogorum valentiſſimorum Periplocæ acceſſione repentis quemadmodum exoptabile eſt; ſic ijſdem debita retributione plaudendum; quia nobis accidat medicamentum & facile parabile, & hoc noſtro ſeculo ſatis obuium. Quamuis enim Periploca ſit nobis peregrina planta, alterique plagæ familiaris; nihilominus, cum noſtris hiſce regionibus facile ſe ſe inſinuauerit, & extemporaneum medicamentum pauperibuſque maxime peruium euaſerit; de eadem aliqua ſubnectere neceſſarium duxi, & hac ipſa ſtirpe ſeriem cholagogorum claudere. Syriaca Periploca, ita appellata à regione, ubi ſponte peruenit à Viris Botanicis exiſtimatur, & ita *Dioſcoridis* Apocyno congruens; ut nobis iure optimo pro eadem recipi poſſit. & licet leuem ex eiuſdem deſcriptione differentiam intercidere videatur: ea tamen tanta non eſt, ut diuerſam plantam à Dioſcoridis Apocyno ſuo ſtatuendam decernat; & quæ leuiter diſcrepant vocum ſatis exili alteratione facile ad noſtrum ſenſum reuocari poſſint; cum præſertim millies compertum ſit, codices ex ſcriptorum incuria varijs mendis ſcatere; ut profecto mirum ſit, quomodo Vir doctiſſimus Fabius Columna autumauerit *hiſce* noſtris temporibus vel non dari Aſclepiadem cognitam, vel veram antiquorum Aſclepiadem eſſe Periplocæ ſyriacæ plantam; cùm pace tanti Viri, ſatis conſtet notas Aſclepiadis ex Dioſc. lib. 3. cap. 106. traditas, longe diuerſas eſſe, ac ſint Apocyni, quod deſcripſit lib. 4. c. 8c. nec diſſentire oportet à recentioribus, qui pro legitima Aſclepiade Dioſcoridis plantam illam oſtendunt, quam barbaro ſatis nomine Vincetoxicum appellant, cum & forma, & viribus Aſclepiadi ab eodem Dioſcoride deſcriptæ correſpondeat; quemadmodum ſyriaca Periploca repens ſyriaca à Cluſio appellata Apocyno Dioſcoridis in omnibus aſſimilari videatur, prout manifeſte cuique intuenti apparebit. Huius igitur Apocyni ſiue Periplocæ, duo recentioribus ſunt præcipua genera; alterum quod nos in catalogo noſtro edito vocauimus Apocynum latifolium, Prætorius vero repentem Periplocam; Periplocam Græcam latioribus hederaceis folijs Lobellius in aduerſarijs; Cluſius Apocynum primum latifolium; & Bauhinus tandem Apocynum ſubrotundo, & hederaceo folio, nonnihil in ſummo acuminato, molliori, leuiorique flexibili caudice, vimineiſque ſarmentis, & geniculatis, quibus proximorum arborum truncos, ramoſque arctiſſime alligat, & circumplectitur, & hinc Apocyni nomen Græcis de-

ductum; flores non magni, albicantes, muſcoſi, drabæ inſtar, extra folia erumpentes, quibus euaneſcentibus ſuccedunt ſiliquæ corniculatæ, toroſæ, & non nihil recuruæ, in quibus ſemen nigrum, depreſſum, lanugine obductum; radix fibroſa, ſuccus ſiue lac viroſum ex tota planta, ingratus, qui in albo flaueſcit.

Alterum periplocæ genus, quod nos Apocynum anguſti folio ſecundũ Cluſij appellamus; Lobelius periplocam ſerpentem anguſtiore periclimeni folio vocatur; Dodonæus periplocam alteram Ceſalpini: Apocynum Anguiliara Oleandri folio oblongo; Apocynum Bauhinus oblongo folio. planta quidem præ prolixioribus & leuioribus viminibus, exilioribuſque ſerpit, robuſto quodam lentore donatis, & ob id vinciendo aptiſſima, cum obuios aliarum plantarum caules, & ipſa viminum more validè cingat; folia bina utrimque vincetoxici ſiue Aſclepiadis inſtar, & forma aliquatenus ſimilia. Hinc forſan Viri ſapientes felici ſatis coniectura deducti Aſclepiadem contra periplocæ venenum crediderunt; quod deinde ſenſato experimento comprobarunt. flores in caulium ſummo exeunt, figura geſminum æmulantes, parui tamen, & triſti colore, e purpureo in nigrum urgente. fert hæc periplocæ ſpecies ſecunda ſiliquas prioribus non abſimiles, & quales Rhododendri, ſed exiliores, relati ſeminis prioris ſimilitudine, ſuccuſque eodem modo viroſus, & ingratus; qui collectus menſe Maio ex contuſa planta, & exicatus in umbra, quod ex Præuotij monitis haurimus, ſtrenue inſtar ſcamonij bilem purgat; corrigitur pari quo ſcamonium modo cottoneo vid. vel ſulphuris fumo, quem poſteriorem modum magis tutum exiſtimat; huiuſque ſic præparati ampliorem doſim tuto dari poſſe affirmat; quemadmodum de ſcamonio ita præparato aſſeruit; cum huius, & ſcamonij malo cotoneo præparati doſin afferat à gr. v. ad grana x. cum ſulphure vero à gr. v. ad gr. xv. quod medicamentum adeo per omnia commendari poteſt, atque ſcamonium. Et hæc de medicamentis catharticis bilem ducentibus.

De Agarico.

CAPVT LXXVIII.

Cur Agaricum à Democrito medicamentum familiæ appellatum; ethymi nominis reddita ratio; error Dioſcoridis notatus, quemadmodum & Galeni excuſati. Plinio optimè cognitum, & Meſue præſtantiæ conditiones deſcribuntur; Meſues ex Dioſcoride conciliatus; deſignatur temperamentum; non correctum Agaricum vomitum excitat; Doſis diſquiritur; vires miræ examinantur.

MEdicamenta illa modo explicanda ſequuntur, quæ flegmagogorum ſeriem complent, & quæ ultra lenientium vires ſatis tamen begnignæ, magis proprie flegmaticum humorem electiue purgare ſolent; & ea ſiquidem, quæ non ſolum antiquioribus nota fuere, ſed etiam quæ ſtudio recentiorum illorum numerum magis locupletem reddidere; ab Agarico

exor-

exordium ſumemus; medicamentum veteribus ita familiare, ut eo quibuſque fere in affectibus humani corporis ſuperandis uſi videantur; Cur autem Agaricum veteres omnibus fere morbis adhibuerint, non ita clare nobis conſtat. Democritus enim, ut Meſue fatetur, appellabat Agaricum *familiæ medicinam*; vel quia benigna ſua natura omnibus membris opitularetur; vel potius quoniam tuto, & ad libitum cuique exhiberi poſſet, nulla ſeruata ætatis conditione, aut temperamenti reſpectu. ex Agaria ubi eius præſtantior & uberior prouentus Sarmatiæ regione nomen ſortitum, ubi, ſi Abrahamo Hortelio fides, huius nominis olim & ciuitas, & fluuium, & promontorium extabant. hoc ſane medicamenti genus Dioſcoridi non exacte cognitum, neque Galeno quoque, ut qui cum Dioſcoride 6. ſimplic. eſſe plantæ cuiuſdam radicem aſſerat. Dioſcorides tamen ancipitem ſententiam de eo fert, dum dicit à quibuſdam radicem ab alijs fungum arboribus innatum creditum fuiſſe. Plinius vero ſerio & optime fatetur eſſe glandiferarum arborum fungum, candidum, odoratum in ſummitatibus arborum in Gallia productum, antidotis efficacem, decerpique noctu facilius, quia in tenebris luceat; Meſue autem & ipſe fungum eſſe tradit, vel apoſtema magnorum arborum in putreſcenti trunco inhæreſcens; Matthiolus Tridentinis ſiluis familiarem fungum ſcribit laricibus additum, Agaricum & marem & fœminam. Dioſcorides cum Meſue faciunt maſculum; quod delineant rotundum, undiq; ſui ſimilem; & fœminam longe præſtantiorem; non bonum verò longiuſculum durum, & nigrum. referuntur etiam aliæ præſtantiæ ſuæ notæ, ut rectis ſcilicet venarum diſcurſibus procedant, dumque frangitur veluti dentium veſtigia repræſentet, poroſamque habeat ſubſtantiam, frangi facile poſſit, eamque leuem; quod poſtremum Meſue Agarico tantum fœminæ tribuit; ut & guſtanti in principio dulce ſit; mox veluti amarorem inducat, quod utrique tam mari quã fœminæ ex Dioſcoridis placitis proprium eſt; qua fere ſola nota nobis recens ab antiquato Agarico diſtinguitur; quæ quidem dignotio à guſtu petita, quamuis Agaricum, teſte Galeno, adulterationem non admittat; apprime tamen neceſſaria eſt; Antiquum enim Agaricum ceu venenum explodendum venit, & recens veluti alexipharmacum habendum. nec ſufficiens eſt Agarici conditio illa, quæ ex eius albedine ex veterum obſeruatione deſumitur, quam diutius ſeruari poſſe incolumem vix credimus; dulcedinem vero, quæ in principio guſtanti obuia fit, & quæ deinde in amarorem deſinit, proculdubio haudquaquam, prout etiam ex Galeno, manifeſtũ. Notat Muſa diſſidium inter Dioſcoridem, & Meſuem, dum hic Agaricum laudat facilè frangibile, ille vero Cilicium, & Gallaticum improbat, quoniam friabile; putat tamen tolli facile diſſidium, quia damnare Dioſcoridem Ciliceum ait, non quatenus friabile, ſed quoniam in eo deſint aliæ conditiones, quæ ad laudabile Agaricum conſtituendum requirantur. cæterum ego facilius conciliari horum grauiſſimorum Authorum opiniones crediderim, ſi dixerimus multum differre inter frangibile, & friabile. ut frangibile ſit quod in fruſta quidem ſed non minima deduci valeat; friabile vero, quod in minima facillimè & leui cõtactu teri, & comminui poſſit. Elicimus Agarici temperamentum ex Dioſcoride, cui & Galenus

Galen. 1. de antid. c. 14.

4. Simpl. c. 17.

lenus aſſentitur calidum eſſe; gradus tamen caloris non deſignat, nec ſo-
ciæ paſſiuæ qualitatis; conijcimus tamen cum calore ſiccitatem coniungi,
dum Agarico vim adſtringentem tribuunt. Arabes Agaricum primo gra-
du calidum, ſecundo vero ſiccum deſignant; Muſa in Agarico utramque
qualitatem aſſerit, ſed calidum in ſecundo, in tertio ſiccum autumat; ego
cum Galeno 3. Simplic. primum gradum caliditatis, ſecundum vero ſicci-
tatis Agaricum non excedere opinor. cæterum cum ex terreſtri ſubſtantia
aereæ remixta à natura compoſitum ſit, & hæc in illo non leuiter præpol-
leat; fit ut facile in ventriculo, ita ſupernatet; ut vomitum proritare valeat,
ni ſtomatichis corrigatur; ob id exhiberi ſolet præparatum ſub trociſ-
chorum forma, cum ſale & oxymellite; additur infuſioni zingiber, ut ma-
gis ſtomacho, cui ſatis infenſum eſſe ſolet, accomodum reddatur, vel thy-
mus, aut hyſſopum, quamuis vino ſatis corrigere tutum ſit; quod corri-
gendi genus Meſue à Galeno didiciſſe fatetur, iſtud tamen nullibi quod
ſciam, ſcriptum reperitur. Deſignat doſim idem Meſue, aſſeritque eius
puluerem exhiberi poſſe tuto cum melicrato ad ʒ ij; eamdem doſim admit-
tit Paulus cum Actuario, ſed cum aqua mulſa, aut aceto mulſo. Galenus,
7. Simplic. Agaricum purgare exhibet pondere ʒ j. cum vino. Verum Dioſcorides prò
varia morborum conditione doſim mutat, ad rupta, & convulſa, ad tormi-
na, & cruditates duorum obolorum pondere, hepaticis, aſthmaticiſq; ad
℥ j, ſanguinem vero expuentibus & comitialibus trium menſuram eligit
obolorum; ad alvum vero purgandum modo unam, modo duas drachmas
exhibet. dum infunditur, aut exhibetur in ſubſtantia nō eſt terendum, nam
cum tenuium partium ſit, vires eius facile euaneſcant, decoctionem aga-
ricum vix ſubſtinet, ideo ebullitum imbecilliter ſatis purgat, at melius in-
fuſum citra ebullitionem, & ſine calore ignis præſertim æſtiuo tempore,
hyeme in aqua mulſa infuſum, vel in decocto aniſorum, & fœniculi, ſimi-
lium; æſtate vero in aqua meliſſæ, menthæ, aut eius generis, additis
aliquot guttulis ſpiritus ſalis, aut vitrioli, vel granis tartari vitriolati.
Chymici ex Agarico extractum parare ſolent, prout ex Clauio colligitur.
Vires Agarici miræ profectò ſunt, & experimento ſenſato comprobatæ,
qua aperiendo, qua purgando. Dioſcorides ad uuluæ ſtrangulatum com-
mendat; quid hic? an dum hyſtericæ coniunctum etiam habent uteri aſſen-
ſum? negant plures uterum habere motum localem, quibus quidem facile
aſſentior. de voluntario vero tamen conſentaneum eſt: materiam, quæ va-
porem malignum ſurſum emittit, non vaſa tantum ſpermatica, tubos, te-
ſteſque, in quibus potiſſimum motum ſurſum admittit Riolanus; ſed & ute-
ri corpus ipſum, intra cuius membranas materia hærere poteſt, & ratione
laxæ vaginæ, tum propiorum neruorum nonnihil ſurſum conuelli poſſe fun-
dum; quod & ratio, & ſenſus perſuadet præter Hippocratis auctoritatem:
ipſiuſque admota motui hyſtericarum venti nō ſemel expertus ſum. exem-
plum quoque affert Fernelius; immo etiam quamplures alij obſeruarunt,
ut omnino diſſona non ſit opinio circa Dioſcoridis litteram explicandam.
hac tamen cautione videtur intelligendus Auctor, ut ſi iſte motus paucis
ab inanitione uteri, calore ve, aut inflammatione dependerit, nihil pro-
derit Agaricum: ſi verò à materia acri, aut venenata, tam vis purgantis,
quam

quam antidoti in illo eſt: de horrore vero paroxiſmi ſoluendo, quid velit Dioſcorides, dubium, niſi materiam horrori faciendo aptam ſubducendo. pituitoſis affectibus mirum in modum prodeſt, caput enim valenter ſatis expurgat, ob id aſthmaticis utiliſſimum, ictero aduerſatur: floridum cutiſque colorem inducit, & ad alia plura uſurpatur maximo cum ſalutis emolumento, ut iure merito veteribus familiæ medicamentum appellatum ſit.

De Aſaro, & Aſerina Matthioli.

CAPVT LXXIX.

Vim purgatricem per ſeceſſum in aſaro, non cognitam à Dioſcoride ex Galeno; vomitum tamen cieri notum Dioſcor. Plinius cum Arabum familia per utramque partem purgare tradidere manifeſtum; malè Aſsarum Baccaiam vocatum: ex deſcriptione difficultas emergens ſublata; temperamentum & vires traduntur.

QVamuis Aſarum purgantium cenſum veteribus nō augeat, hoc enim ſubticuiſſe videntur & Dioſcorides, & Galenus qui 8. de Compoſitione per loca in hieræ picræ deſcriptione, quæ Aſarum recipit ſolam aloem purgare tradit; vomitum tamen ciere cognouit Dioſcorides; cæterum Plinius lib. 21. cap. 19. alvum purgare tradit inſtar hellebori; Meſues vero & Arabes utramque in eo facultatem & alvum ſubducendi, & vomitum excitandi cognouere. confundunt ſeplaſiariorum pleriqui, immo qui parum ſupra hæc tempora viguere, Aſarum cum bacchara officinarum, quod etiam feciſſe videtur Plinius improbo omnino conſilio; cum Dioſcorides de utraq; planta ſeorſim, & proprijs capitibus agat; de Aſaro quidem in 1. lib. cap. 9. de Bacchara vero lib. 3. cap. 51. utatur diuerſa prorſus deſcriptione, & utrobique vires diſſimiles aſſignat; e baccharis namque radice, quæ ſi Dioſcoridi fides habenda, cinnamomi odorem redolet, veteres baccharinum unguentum miræ conditionis conficiebat, vel Plinio aſſertore, qui teſtem citat Comicum feſtiuiſſimum Ariſtophanem, quo unguento priſci illi & caput in conuiuijs inungebant, prout ex Athenæo; & quando que etiam pedes; igitur aſarum diuerſum a bacchara ſtat, quæ tali nomine inſignitur, ut Plinius fatetur, quia coronis omnino inutilis, quaſi ἄσαρον, quod ex ea in ſertis non haberetur; fuerintque aliqui qui à σωτυσαρὸν dictam exiſtimauerint; quaſi ſcopis ipſis reiectam, quibus utebantur olim Deorum Aris vertendis, ad quod verbenam præſertim cōgruam exiſtimabant: utcumque tamen Plinij ſententia magis nobis arridet. deſcribit Aſarum Dioſcorides hederæ folio, ſubiungitur in vulgata verſione, minoribus multo, ſed magis mihi probatur doctiſſimi Saraceni illa, quæ habet denſioribus multo, & rotundioribus; facilius enim ſic ſoluuntur difficultates, quæ circa foliorum figuram emergunt, cum in Aſaro folia hederæ minora haud repetiantur; immo Muſa maiora etiā ſe vidiſſe aſſerit, quod pro loci conditione putandum. florem habere ſcribit iuxta radicem ceruleum, hyoſciami citynum referentem, in quo ſemen ſubiacet acini nucleo ſimile; radices numeroſæ, geniculatæ, tenues obliquis ſpi- *Gimnoſophiſtarum 12.*

ris

ris diffuſæ, graminiſimiles, graciliores multo, & odoratæ, quæ linguam & valdè mordicent, & calefaciant. Aſari planta noſtris temporibus, ita fere omnibus nota eſt; ut diligentiori examini eam tradere, ſit ſuperfluum. Eligit Meſue Aſari radicem magnam, aromaticam, modice ſtypticam, ſapore acuto; ad temperamentum vero quod attinet licet Dioſcorides calidam plantam Aſarum dicat, nullum tamen gradum, prout ſui moris eſt, caliditatis aſſignat, neque cum eo Galenus. Verum Auicenna, cui & Meſue aſſentitur, haud autumat ad tertium vſque caliditatis gradum unà cum eadem ſiccitatis menſura accedere; quamuis multi è recentioribus in Aſaro tantam caliditatem non agnoſcant. promiſcuè purgat & per vomitum, & per ſeceſſum; ſed quos humores electiuè ducat, Græci veteres ſubticuere; Meſue bilem purgare etiam per urinam, ſed euidentius pituitam ducere ſcribit; præſertim ab articulis, quorum dolores lenire habet, attenuat, & deoſtruit, quapropter tumoribus iecoris utiliter exhibetur, lieniſque, & aliorum viſcerum clauſuris; commendatur in febribus putridis diuturnis; hydropi, & ictero quoque ſummopere conducit, ſudorem elicit, perunctà prius eius oleo ſpina, efficacius tamen id operatur, ſi miſceatur cũ laudano. Ex Aſaro paratur vinum medicatum, ex eius folijs, fitque lixiuium ut caput lauetur, ex hac etenim lotione cerebrum mirifice roborari tradunt, memoriamq; augeri, ſuccus eius cum pompholyge mixtus ex Galeni, & Auicennæ teſtimonio oculis caligantibus prodeſt, menſeſque tandem contumaces auocat. Quæ de Aſaro dicta ſunt pro pituita purganda, eadem tribui poſſunt Aſarinæ Matthioli, cuius deſcriptio, & vires ex eodem auctore peti poſsunt, à quo doſis quoque deſumenda.

De Carthamo, ſiue Cnico.

CAPVT LXXX.

Cnicum Veteribus in vſu peruio habitum, & à quo ſic dictum, & cur ab Arabibus Carthamum appellatum. Tria Cnici genera a Theophraſto recenſita. Temperamentum aſsignatur diuerſum à veterum decreto. Correctio, modus adhibendi, & vires traduntur.

SVccedit flegmagogum non ſpernendum medicamentum, & veteribus in uſu familiari habitum carthamum, ſiue cnicum appellatum; quod non ſolum pituitam electiue, ſed ſeroſos etiam ducit humores tam per ſeceſſum, quàm per vomitum. Arabibus carthamum vocatum, & à Meſue inter valida purgantia, quamuis benigne ſatis ſe gerat, poſitum, cuius tamen opinionis non eſt Galenus, ponit enim Cnicum inter mitia, & mediæ conditionis cathartica. Theophraſtus de hiſt. plantar. cap. 4. & cæteri Græci Cnicum appellarunt vel à floris colore, quem luteum promit, ideo ab aliquibus ſilueſtre crocum vocatur, quamuis alterum Cnici genus ſit etiam Heſichio notum, qui florem ceruleum gerat, vel quia aculeis, quibus quamuis leuioribus ob armatur, mordeat, purgetve. Carthamum vero dicitur à facultate purgatiua, quam poſsidet, utrumque nomen retinent.

dent Latini. Tria Cnici geneta recenſentur à Theophraſto, ſativum ſiue urbanum unum; ſiluestria vero duo; Dioſcorides tamen de uno tantum meminit; cæterum recenriores botanici ſatiui duo genera faciunt, aſperius unum multicaule, flore ceruleo, vita perenni, ſemine ad ruffum rendente; alterum unicaule, flore croceo, ſemine albo, annua planta. deſcriprio Cnici à Dioſcoride tradita ſatis plana euadit, folijs oblongis, per ambitum diuiſis, aſperis, aculearis, caulibus cubitalibus, in quorum ſummitatibus capiruli prominent oliuæ magnirudine, flore croceo, ſemine albo, aut fuluo, oblongo, anguloſo. in ſemine cognouit Theophraſtus amarorem, quem ſequitur Plinius, cùm tamen Cnici noſtri ſemen nullam amaritudinem præſeferat; quod forſam loci naturæ rribuendum. temperamentum Cnici quamuis præcisè non aſſignetur à Dioſcoride, ut ſui moris eſt, calidum elici poreſt; Meſue tamen poſſidere ſcribit tithymalis ſimile temperamentum, quamobrem ei ſtatuit tertium caliditatis gradum; cuius opinionis Galenus fuiſſe videtur ſecundo medicamentorum purgantium undecimo, dum ſtatuit haud diuerſum à temperamento Cocci Gnidij; recẽtiores tamen in carthamo tantam caliditatem non agnoſcunt, neque ego quidem ni guſtus me fallat, id in noſtro comperij, puto enim vix excedere primum caloris gradum. ſeminis pulpa incidendi inſignem vim habet, attenuandi, abſtergendiq. habet tamen Meſue ſtomacho aduerſari, adeo ut *ipſum* corrigat galanga, aniſo, maſtiche; verum exprimit Dioſcorides *modum* quo tuto Cnico uti poſſimus; ut exprimamus videlicet ex ſemine *contuſo* ſuccum, aut lac inſtar ſeminum melonum, quod bibitur à drachm. duabus ad drachmas quinque, vel ſex cum aqua mulſa, aut cum Galli iure; addit amygdalas, nitrum, & aniſum non ſolum ut noxam, quam ſtomacho inferre ſolet, arceat, ſed ut purgationem facilitet; ſimiliter ſuccus ex plãta elicitus eodem modo exhibetur, quia etiam corrigi poreſt ſpica, rore-marino, & cypero. dari poteſt etiam in vino aromatico dummodo febris abſit. arcetur etiam hoc modo exhibitus dum adeſt alicuius inflammationis ſuſpicio. ſeminis menſura unius cochlearis à Galeno ſtatuitur, habet Dioſcorides ſuccum ſeminis huius vim in ſe continere lac coagulandi ut de Galio etiam fertur; immo ſi in lacte infundatur, catharticam vim lacti ipſi communicare. Paulus exhibet Cnicum pro purgarione molienda ad drachmas quinque vel ſex; valde tamen dubito, an ſic exhibitum ſufficientem euacuationem excitare valeat; Pona largiorem doſim dat ab vncia vna & ſemis ad vncias duas, quæ mihi ſane & ſuperuacanea ſuſpecta eſt, cum experimento ſenſato Cnicum in minori doſi exhibitum tuto opus ſuum exequatur.

lib. 4. c. 190

De Bdellio.

CAPVT LXXXI.

Bdelio vim ineſſe ſubductoriam quamuis græcis antiquioribus non cognitum aſſeritur; à qua arbore exſudet; & cui Gummatum aſsimilandum incertum. non colorem odorati unguis; ſed odorem Bdelio à Dioſcoride attributum opinandum, contra Salmaſium cum Saraceno. Temperamentum ſtatuitur; vires explicantur.

VIſum eſt quibuſdam, nec forſan inutili omnino conſilio, inter purgantium medicamentorum claſſem & Bdelium inſerere, eò quia præter vires multas, quas ſatis validas habet, ex veterum monimentis ad plura, ob quas non leuem uſum à vetuſtiſſimis uſque temporibus obtinuit, vim etiam catharticam pro pituita educenda ipſi à natura conceſſam aſſerere; quod ex Arabum ſcriptis inualuit. Meſue enim ex Bdellio pilulas conficit, quas tum maiores, tum minores vocat, adhibetque ad fluxum hæmorrhoidalem ſiſtendum; in quibus tamen præter adſtringentem vim, etiam catharticam agnoſcimus: quamuis dubitari poſſit an à Bdellio ſolutiuam illam qualitatem adeptæ ſint dum myrabolanos omnes præter citrinos admittunt; à quibus quidem illa vis deiectoria, quam habent prodire poteſt. verum cum maxima de Bdellij doſin minimam vero myrabalanorum recipiant, propterea exiſtimandum venit facultatem ſoluendi aluum electiue in Bdellio reperiri, quamuis Græci omnes talem ſubticuerint, quia vel ipſos latuit, vel negletui habita, tam exilisſimi vigoris. eſt igitur bdellium gummi ex quadam arbore exſudans; ſed cuius tandem arboris non eque conſtat; recentiores ſiquidem potius fructum delineant, quam arborem prodant. fructus iconem exhibuit Lobellius, cuius figuram aſſerit à Carolo Cluſio accepiſſe iuglandis nuce magnitudine, forma quaſi triangulari, odoratum, ad fici figuram, nucleo prægnans, putamine duriſſimo, colore ſubcinericio. Dioſcorides tamen eſſe arboris ſaracenicæ lacrymas dicit, cuius tamen arboris ſit, ex eodem nihil elici poteſt. Galenus duo bdellij cognouit genera Arabicum unum, alterum Scythicum, utrumque tamen ſi Arriano in periplo Erythrei credimus, Indicum eſt, quod quidem etiam doctiſſimo Salmaſio magis arridet; ſic & Scythicum, quod ex Auſtrali ſcythia deputabatur, Indicum dici poterat, quæ multas *Indiæ* regiones complectitur, habebaturque præſertim è Binnagora huius Auſtralis Scythiæ metropoli. præter deſcriptionē huius lacrymæ, nihil aliud ex Galeno elicimus, quod ad res medicas attineat in bdellio. ſolus è priſcis Plinius plantam delineat, à qua iſtud exſudat gummi, eſſeque arborem dicit Saracenicā Bactrię cōterminam, & ſimilē arbori, quę myrrham producit, nigri coloris, oleę magnitudine, forma caprifici, folio roboris; quod quidem Ceſalpinus, quæ de arbore bdellij habet, à Plinio deſumpſit, quāuis etiam alterius arboris bdellij meminerit palmæ non abſimilis. Monardes gummi bdellij eſſe gummi Animæ; immo mordicus aſſerit confundi

Exercit. Plinian. in Sol.

etiam

etiam cum Cancamo recentiorum; immo Salmaſius doctiſsimus bdellium eſſe Animæ putat, & in eo agnoſcendum non eſſe unguis odorati odorem, ſed ipſius unguis colorem, & ſic intelligendus veniat Dioſcorides, dum legitimo bdellio unguis odorati colorem gerere non odorem, velit. res tamen omnino dubijs magnis quidem plena eſt. Ianus Saracenus, cui ſane multum tribuo, habet in Dioſcoridis ſcholijs bdellium odore æmulari odoratum unguem, non autem colorem humani unguis præſeferre; cum præſertim idem Dioſcorides reponat bdellium in primo ſuo libro, in quo de rebus odoratis loquitur, quod etiam in Cornarij verſione, præter Saraceni placitum receptum eſt, & Serapio, qui codicem Dioſcoridis mendis minus ſcatentem habuit, eodem modo dicat. an vero animæ ſit cancamus, ut opinatus eſt Mognardes (cuius opinioni aduerſatur Salmaſius) hoc eſt alterius conſiderationis; & ſi de cancamo locuturi erimus alicubi, hanc litem pro viribus dirimêmus. Eligitur à Dioſcoride bdellium non ſine quadam humiditate, quod adulteratum non ſit, purum translucidum, taurino glutini ſimile; temperamentum calidum habere docet, & vim emolliendi, diſcutiendique. Galenus verò in ſexto ſimpl. & in 1. cap. 69. calidum, & ſiccum pronuntiat in gradu ſecundo; guttura turgentia ex Dioſcoride abſumit; ſcirrhos emolliendi vim bdellio aſsignat; Galenus, calculos minuere, urinam ducere, nodorum durities reſpuere, tuſsientibus prodeſſe; laterum dolores reprimit à flatibus præſertim; occurrit etiã venenatorum animalium morſibus, ſub qua ratione repoſitum fuit à Damocrate in Theriaca, ut ex Gal. manifeſtum lib. de antidotis.

De Magnete.

CAPVT LXXXII.

Magnes cur ita dictus, & cur Herculeus lapis: Plinij opinio circa magnetis differentias repudiata. prodigioſas vires ſuas à tota ſubſtantia promanare aſſeritur. facultatis ad medicum uſum ſpectantes examinantur.

HEraclium ſiue Lydium lapidem, quem vulgo magnetem vocant, de quo à ſeculis tot mira produntur, & multa adhuc abſtruſa, & circa eius naturam inacceſſa venienti æuo ſcrutanda relinquuntur admiranda; uſus ſuos in medicina præbere; immo cum catharticam, hancque flegmagogam poſſidere Dioſcorides, præter alios teſtimonium perhibuit; ſub qua ratione præſertim, quædam de hoc ipſo, eiuſque natura breuiſſimo elogio perſtringemus; cum nullus lapis in natura ſit, qui magis magnorum virorum ingenia fatigauerit, torſeritque. Priſcis Græcis Heraclius lapis dictus, non ut quidam perperam (Kircherus de arte magnetica) opinantur ab herculea, qua pollere traditur vi, qua ferrum ad ſe trahit; ſub hac etenim ratione & helleborum Herculeum, & Scamonium dici poterunt, quia unumquodque eorum humores ſibi delectos attrahunt; ſed ab Heraclea Lydiæ urbe, ubi huius lapidis fodinæ copioſæ; quemadmodum iiſdem & magnes vocatus non à Magnete Armentario fabula illa ex Nicandro nota, pro- *Kircherus de arte magnetica.* *Ceſalpinus lib. 7. de Metallicis.*

prouraccepit Plinius; ſed à Magneſia eiuſdem Lydiæ Ciuitate, ubi tradũt lapidem iſtum validam trahendi ad ſe ferrum vim habere; quamuis non ex Magneſia ſolum, ſed ex pluribus etiam alijs regionibus lapidis huius magnus prouentus reperiatur. Theophraſto lapis iſte magnetis diuerſus eſt ab eo, qui ferrum trahit, qui eodem aſſertore argenti ſpeciem, & nitorem præſefert, de quo nobis non eſt ſermo; nec alterius illius lapidis, qui ferrum abigit à ſe Theamides à Plinio dictus, licet re vera alius non ſit à magnete; vis enim hæc omni inſidet magneti auerſa, ſcilicet parte ab ea, quæ ferrum allicit. Marem & fæminam magnetem faciunt, ut vis ſumma mari indita ſit, minima fęminæ; color deinde lapidis huius præſtantiam deſignat, dum in ceruleum vergit, quod præter Dioſcoridis aſſertionem, experimentum etiam abunde teſtatur. Plinius in quinque genera diſtribuit à regionibus petita; Æthiopicum, quod præſtantius eſſe aſſerit; Magneſiacum Macedoniæ conterminum, Boeticum, Alexandrinum; Troadicum, poſtremum ex Aſiæ magneſia. Anſelmus, Boetius loco citato magnetem ab actionibus diſtinguit, ut primum genus ſit eius, quod ferrum trahit, alterum quod mundi plagas oſtendit, tertium & poſtremum, qui alium magnetem ad ſe alliciat, prout & Plinij verba teſtantur. verum çum magnes ille idem ſit, qui trahit ferrum, & plagas mundi oſtendere ſolet; ſatis non video quomodo hæc diuiſio procedere valeat; cum præſertim adhuc etiam in ambiguo ſit, numquid ille lapis magneticus detur, qui alium magnetem ad ſe trahat: quod ſi id contingat, credendum hoc accidere, ut notabat Boetius loco citato, quia magnes qui ab alio magnete trahitur, multum ferri in ſe contineat, plerumque namque magnes in ferri fodinis inueniri ſolet aut proximis locis; immo, ſi eidem Boetio credimus, in aliquibus Germaniæ locis ferrum ex magnete funditur. Vires magnetis ſunt eximiæ, quas tamen aut ſaltem præcipuas à tota ſubſtantia prodire veritati conſentaneum potius eſt, quam à manifeſtis qualitatibus; cum impoſſibile ſit adæquatam tantarum virium euidentemque cauſam naturalem aſſignare. trahit igitur ferrum magnes ſimilitudine ſubſtantiæ, quemadmodum purgantia medicamenta humorem ſolent ſibi delectum. ſic etiam & ad polum ſeſe vertere & nauticæ ſcientiæ mirum complementum præbere, ſine cuius ope maris nauigatio impoſſibilis euaderet. ab eadem occulta vi deriuari, & ego cum viris clariſſimis exiſtimo; cum nemo hucuſque certam atque inconcuſſam rationem horum effectuum tradere potuerit. an verò hæc vis omnino ſpiritalis ſit, vel partes materiales ab eodem magnete per effluvium dimanent; hoc diſputationi traditum eſt, neque hactenus exactè definitum. ſatis ſit admirari quod huius præſtantiſſimi lapidis beneficio etiam noctu, & obſcuriſſimo Cœlo nautico illo inſtrumento, quo mundi plagæ oſtenduntur, percipique tuto oceanum nauigari poſſe. nam ſi Boream reſpicit, perpetuò reſpiciet; & quæ Auſtrum, ſemper ad Auſtrum verget; quid de cæteris plagis dicendum; qua verò ratione id efficere valeat, hoc diuinari potuis poteſt, quam demonſtrari. niſi dicamus eam partem reſpicere, quam pro ſuo natali à natura obtinuerit. ſed modo medicos uſus percurramus; in cuius gratiam iam nobis de magnete non ſtirpe ſed lapide inſtitutus eſt ſermo, ut ne quid deeſſet integræ tractatio-

Ceſalp. loco citato. Anſelmus, Boetius de lapidibus & gemmis.

Boetius loco citato.

ni deſiderandum. Galenus tradit hæmatitæ vim poſſidere ſanguinem ſiſtendi; quod quidem anſam dedit Paracelſo apta remedia parandi ad ſpicula ferrea carni infixa educenda; immo ad vulnera ferro inflicta; ſic etiam alij quodam ſuo emplaſtro utuntur præcipue ex magnete confecto, ut vulnerum ſymptomata cohibeant. quidam ſunt qui magnetem hydropicis auxilio eſſe tradant, mulſa exhibitum; Dioſcorides hunc ipſum, triũ obolorum pondere in aqua mulſa craſſos humores educere ſcribit; immo magnetem de collo ſuſpenſum, neruorum dolores, conuulſioneſque tollere, & manu detentum partum facilem reddere, vulneribuſque venenatis occurrere, & omnem veneni vim ſuperare; amores inter coniuges conciliare, gratiamque Principum excitare, timorem arcere, & eloquentiam augere; quod albo præſertim magneti tribuunt; hæc tamen ſupra experimenti fidem traduntur, & eo modo credenda, & concipienda, quo vires illæ, quæ mirabiles gemmis tribui ſolẽt; niſi aliquod ſupernaturale ingruat.

De Mecoacan.

CAPVT LXXXIII.

Inuentio radicis Mecoacam cui debeatur. Delineatur planta, & cui ſtirpium generi adſtipulanda ſit ſtatuitur, temperamentum definitur, vires explicentur.

MAteria medica, quæ priſcis illis multum debet dum, ut ſeriò fatetur Plinius, nihil quod humanæ ſaluti conferre poſſet, intentatum, aut inexcogitatum reliquere; non minus etiam recentioribus debere profitetur; qui vel dedita opera laudabili ſuo conatu hanc ipſam prouinciam ſuſcepere, & noua ſingularium ſimplicium indagatione, inuentioneque cã magis locupletem reddere conati ſunt; vel ſaltem temerario auſu hoc ipsũ aggredi, dum inexplebili poſſidẽdi luxuria perciti nouos orbes, vel ſaltem nobis adhuc incognitos inacceſſaque regna inquirere, acquirereq; aggreſſi ſunt, ac ut cum Lucano loquar.

Miſcere ignotas temerato littore gentes.

Sic enim utilitatem ſummam, quamuis ex indirecto & præter intentionem generi humano peperere. Mecoacan igitur radix, quæ nunc nobis uſum præſtantiſſimum in medicina faciẽda prębet, anno ſupramilleſimum quingenteſimo quinquageſimo quarto ex Indijs oceani occidentali nobis primo innotuit, dum fertiliſsimam huius nominis inſulam auri argentique muneris ditiſsimam, & à qua nomen, quod obtinet planta arrepta eſt, Ferdinandus Corteſius ingenij ſolertis vir ſubiugauit, dum æmula argonautarum audacia percitus temeraria puppi innacceſſa freto, immo vaſtiſsimum incognitum Oceanum ſuperauit. Huius radicis miræ conditiones, & vires exactè ſatis deſcribuntur à Nicolao Monarde Siuiliæ Medico, qui ſic plantam totam delineat folijs colore viridi ſaturo, exſuccis, rotundis, in acumen tamen deſinentibus, quæ neruorum propagines prope petiolum gerunt; caulibus ſarmentoſis, radice unica, ſatis craſſa, Brioniæ perſimili exilibus, colore fuluo & humi vel ſerpentibus, vel ſalientibus quidem, ſed

inſtar conuolvulorum fulcimento innixis, flores parui, colore albo racematim collecti, quos ſequitur fructus uvarum ritu, coriandri ſicci magnitudine, qni in menſe Septembris ad maturitatem perducitur. cæterum à Viris Botanicis ſummis dubitatur ad quod ſtirpium genus mecoacan plāta commode referri poſsit; tradit namque Monardes communiter in mexico vocari rhabarbarum album, cui & Caſtor Durantes Medicus Romanus aſſentitur; ſed quo iure ſic appellatum ſit, non video; nihil enim cum rumicibus omnino commune habet. Dodoneus ſcamonijs accenſet, minus ſane fallaci coniectura: cæterùm nec planta lacteſcit, nec forma ſeù figura aut viribus ſcamonij, aut conuolvulis ſimilis, præter quam in ſcandendo. Bauhinus in Pinace brionijs annectit, quæ quidem opinio Renodæo non arridet, quia ab eo folia diſsimilia gerit, & quoniam brioniæ radix acrimoniam non leuem præſeferat, ac ſubinde calorem inſignem poſſidere oſtendat; ſecus de mecoacani radice, quæ guſtu inſipida cernitur, ideo aſsimilari brioniæ dicamus tantummodo radicis magnitudine, colore, & rugis, ut ſi inter brionias ſola hac ratione ab Ophmanno, & Bauhino collocatur, ipſis annuendum. Monardes in 1. gradu calidam, ſiccam vero in ſecundo pronunciat; inquit enim aereas poſsidere partes, tenueſque non ſine leui quadam adſtrictione. eligi debet recens, nulla ſui parte carioſa, cuius taleolæ ſint denſæ, albæ, compactæ, externus color ſit cineritius, facies rugoſa, ob id illa, quæ intus recedit à coloris albedine, infirmas vires habet, quæ ſemper in vetuſtate exoleſcunt. More tamen rhabarbari in millio ſeruatur incolumis. huic mirabili radici variæ, & inſignes tribuuntur dotes, pro profligandis ex humano corpore deterrimis morbis. ea igitur radice utimur, vel modicè contuſa infuſa, vel in ſubſtantia pulverizata fere ſemper n vino infunditur, dummodo febris abſit; quod ſi febris urgeat, in aqua cicorei, haud diſsimilis conditionis, ſiquidem ſuſtinet vix decoctiones. caute tamen in febribus uſurpanda; nam in augumento uniuerſali febrium, ſigniſque coctionis non apparentibus, tutius eſt abſtinere, quod rectè conſiderabat Ophmànnus, tunc non agitatis humoribus, de facili febrem augere poſſet. pituitam ducit catharticè; non tantum tenuem & craſſam, ſed etiam bilem. doſis in infuſione duarum drachmarum ſit uſque ad unciam ſemis; in ſubſtantia verò craſſiuſculo confecto puluere à drachma una, & ſemis ad drachmas duas; pueri verò à ʒ ſ. ad ʒ j. Deobſtruit validè, ideo ictero ſummopere conducit, immo hydropicis utiliſſima; nam præterquam quod obſtructiones efficaci ſatis vi reſerat; aquam etiam valde copioſè educit, & ſæpe ſæpius ob tenuitatem partium, quam obtinet urinam valide ciet, ſeroſitateſq; in hydropici corpore contentas per eam partem ducit, & ut plurimnm hydropem ex toto ſoluit, prout mihi feliciſſimo cum ſucceſſu non ſemel in praxi videre contigit, in pueris præſertim, & ephæbis; tradunt ſiquidem eſſe iecoris amiciſſimam; nec ſtomacho, aut lieni officere; cephaleam ſanat, capitiſque noxios humores detrahit, cerebrumque ob humorum infartum oppreſſum vindicat, ſub qua ratione etiam neruis opitulatur, ſic ſiſtit vertiginem & epilepticis utiliſſima ſe tradit, & ſtrumis compeſcendis efficaciſſima; immo tamquam remedium maximum hoc ipſum medicamentum arthriticis doloribus leuandis

uandis adhibent; tuſſi antiquæ orthopnææ detentis validè occurrit, & colicis doloribus, & uterinis, ſi frigidam præſertim agnoſcant cauſam; febribuſque longis auxiliatur, quia humores etiam craſſos eliminat, & obſtructionibus reſerandis utiliter ſe gerit. Mirum aſſerit Monardes Gallico etiam morbo aduerſari, dummodo perenni uſu adhibeatur, quibus viribus præſertim radicem mecoacan pollere crediderim, ſi medicamentum exhibeatur cauſa prius morborum cognita.

De Chelapa.

CAPVT LXXXIV.

Locus Chelapæ ubi naſcitur & inuentio ſtatuitur. dubitatur an à Monardes deſcripta ſit, temperamentum & vire explicantur.

EX eadem inſula occidentalis Indiæ ultra Mexicum Mecoacan dicta quædam alia radix ad uſum radicum utiliſſima deferri ſolet, ſummopereque expetita, quæ Mecoacanæ modo ſuperius deſcriptæ fere in omnibus aſſimilatur, præterquam in colore, hæc enim non eſt alba, ſed ruffeſſit interius, exterius nigricat: tradunt vocari à Maſſilienſibus Ialapium, aut Gealapa; alijs vero idem creditur cum mecoacan, & nominantur mas, ſiue nigra. Bauhinus in prodromo eam inter brionias reponit, & brioniam mecoacanam nigricantem appellat, quam & allatam proximis annis ex India aſſerit ſub nomine Chelapæ ſeu Celapæ, eamque deſcribit guſtu non non ingrato, ſed ita gummoſam ut ſi igni admoueatur, facile flammam concipiat; hincque deducere videtur ſeroſos humores valide purgare ob gummi copioſum, quo prægnans videtur; quamuis non ita blande humorem ducat, cum tormina circa imum ventrem facile excitare valeat, ſtomachoque languorem inducat; neque profecto fallitur. tradit inſuper viſcera roborare præcipue tamen hepar & ventriculum, cæterum quo ad robur ventriculo indendum attinet, contrarium experimentum ſuadet, ſub qua ratione ſtomatichis communiter corrigi ſolet Cinnamomo, Cubebis, Maſtiche, ſimilibuſque. huius plantæ vera facies mihi penitus ignota, niſi forte ea ſit, quæ deſcribitur à Monardes lib. 2. de hiſt. rerum medicinaliũ ex occidentali India relatarum, cap. 6. ubi exhibet etiam iconem floris Mecoacan, refert enim ibi ex Micaxequa & Quito, caputque Diuæ Helenæ appellato, aliud mecoacan priori folio ſimili deferri, quod ſane legitimum tradit, minori tamen, quod ſe adminiculis appoſitis circumuoluat, minori etiam radice eſſe tradit, quæ tamen aliquam acrimoniam attineat, ſed quæ viribus catharticis validiſſimis ſit, & vomitum ciere, & plurimas excitare valeat deiectiones, multaque ſymptomata inducere, quæ tamen omnia videtur referre in loci naturam; vocarique ab Incolis ob vim eius purgãdi validiſſimam, Icamonium: at cum Chelapa, quamuis vires mecoacan habeat & multo etiam validiores, nec adeo furens ſit, nec tam vehementia ſymptomata excitare valeat, nec radix ullam de ſe prodat acrimoniam; aliam omnino plantam à Ialapa diuerſam deſignari à Monardes crediderim.

diderim. uſus huius radicis noſtræ hiſce temporibus ſatis familiaris eſt, tum in infuſione, tum & in ſubſtantia. datur in infuſione à ℥ j. & ſemis, ad ℥ ij; in ſubſtantia à ℈ j. ad ʒ ſ. & Hidropicis ad ʒ j. uſque. hodie Chymicorum induſtria, tam ex Mecoacan, quam ex ialapæ radice fit extractum, quod in exili ſatis mole ad grana tantum innoxie exhibetur cum elect. len. vel floribus caſſ. ut ialappæ doſis ſit à gr. xij. ad gr. xv. Mecoacan vero à gr. xv. uſque ad ℈ j. infunditur utiliter ialapa ad hydropem, ſed etiam in ſubſtantia ad ʒ j. exhiberi ſolet. putat tamen Bauhinus etiam in alijs quibuſcumque conditionis morbis in ſubſtantia tutò dari poſſe, & ſic ad ʒ j. vires eædem ſunt cum mecoacan, morbiſque ipſis debellandis optatur; Mecoacan tamen ſtomacho ialapa ipſa minus infenſum eſt.

De Spina Infectoria.

CAPVT LXXXV.

Spina infectoria cur ſic vocata. Veteribus non cognita. deſcribitur eiuſque cathartica vis, & quomodo operatur declaratur.

FLegmagogorum facile parabilium medicamentorum familiam auget ſpina infectoria, ſic à nonnullis Botanicis vocata Matthiolo vid. Lobelio, Cluſio, Tabernæ Montano, pluribuſque alijs; quæ an veteribus cognita fuerit, aut ſub qua arborum ſerie recenſita, quoque nomine inſignita, nondum decretum video. Spina ſanè infectoria dicta, quia ſpinis raris rectiſque horret, & ſuccus viridis, qui ex eius fructu educitur, pictoribus uſus peruij ſit; libuit tamen magis Bauhino, & Dodoneo quibus etiam aſſentitur Ophmannus, eam inter ramnos collocare, & ramnum catharticũ ſiue ſolutivum appellare; ſpinam ceruinam, ſeu Cerualem vocauit Geſnerus, vocat & Ceſalpinus, ſub qua ratione autem, ut ingenue fatear, non video; quemadmodum neque quo iure inter ramni genera reponi poſſit, cũ potius ſilueſtri pruno aſsimiletur, & nihil cum ramno habeat præter ſpinam. Eſt igitur cathartica & ramnus arbuſcula; ſiue aculeatus frutex, pruno ſilueſtri haud abſimilis, in dumetis ſponte proſiliens, brachiali caule, & cortice ſub nigro, nitido, ceraſi inſtar, qui intus à ſuperficiali corpore vireſcit, & inde magis intime luteus eſt, lignum albidum, ſed cuius medulla rubet, rami duris ſpinis horrent, ſatis acutis, folia lata piris, vel potius prunis quodammodo ęmula; flores albi in herbaceum colorem deſinentes, fructus rotundi inſtar baccarum myrti, aut liguſtri, initio virides, ſed ad maturitatem perducti, nigri, intus verò virides, ex quorum contuſorum ſucco, ſi immature conterantur, luteus color emanat; ſi verò ad maturitatem deducti, lepidiſsimus color viridis, addito parum aluminis infectoribus paratur; ſed qui ſuccus etiam à bacchis maturis expreſſus vim catharticam obtinet, & ducendi ſatis blande & pituitam tenuem & craſſam, Matthiolo aſſertore, & præſertim dum irruit cum impetu ad articulos auocandam; at Dodoneus inſuper bilem trahere voluit, cuius opinioni aduerſatur Pena; hoc tamen medicamentum non ita gratum ſtomacho eſt, ob id

cor-

corrigitur herbis odoratis, aromaticiſque, præſertim cinnamomo, zingibere, exhibeturque ex vino, febre tamen abſente; huius plantæ fructum ſtatuit Dodoneus calidum & ſiccum eſſe in ſecundo gradu; huius tamen ſecundi principium vix attingunt, & acerbitas illa, quæ ijs percipitur, amaroris vim compeſcit, abſtergunt, & aliqua ſua adſtrictione, viſcera roborant; doſis ſucci eſt à drachmis tribus ad drachmas ſex, qui etiam more ſolito condenſari poteſt, ex eorumdem ſucco expreſſo fit ſyrupus cum melle, vel ſaccharo, addito corrigentium herbarum, ſiue aromatum modico pulueris, & ſeruatur ad uſum; cuius doſis eſt ab ℥ j. ad ℥ j. & ſ. vorantur quoque etiam baccæ ad eumdem effectum à num. xv. ad xx. quod ſi eas decoqui deſideretur, à num. xxxx. ad xxxxx.

De Eſula.

CAPVT LXXXVI.

Eſulam non eſſe Tithymalum ſtatuitur, eſſe potius pithyuſam Dioſcoridis. Male excludi à Meſue maiorem eſulam experimento aſſeritur. Deſcribitur eſula differt à linaria; temperamentum ſtatuitur, nocumenta ex Meſ. recenſentur; quomodo corrigatur; vires produntur.

LIbuit quibuſdam clariſſimis Botanicis eſulam, quæ pro corporum valetudine firmanda, reſtituendave non inutilem præbet medicinam, & præſertim pro educenda carthartice pituita, inter ſtrenua alvum ſubducentia collocare; quamuis ad validiſſima referri poſſit, & à Bauhino inter tithymalorum familiam repoſita ſit. Manardus ambiguus eſt & tithymalum Cypariſſium, Pityuſam, aut paralium eſſe affirmare non eſt auſus; Paralium tamen eſſe magis opinatur. Matthiolus omnino negat rationibus non ſpernendis; Actuarius turpetum nigrum vocat; Tragus Tithymalum Cypariſſiam; ſed male cum re tithymalus omnino diuerſus ab eſula ſit; Eſula namque à tithymalis ſpecie differt; quod ſtatuendum eò magis video, ſi eſula noſtra eſt pityuſa Dioſcoridis, prout communi fere conſenſu; nec inepte ſtatutum video. agit namque Dioſcorides de pityuſa ſeparato à tithymalis capite; cuius etiam videtur duplicem pro geuere ſpeciem, maiorem, & minorem, maiorem dum inquit, fructicem hunc valde magnũ in quibuſdam locis inueniri, quod ſcitiſſime adnotabat Dodoneus; minorem tamen tantum deſcribit, & reuocat ad uſum medicum; quamuis per hoc non videam cur cum Meſue improbemus eſulę maioris uſum; qui hanc reprobat & damnat tamquam nimis corpori infeſtam; ut quæ exulcerare viſcera valeat, cùm tamen ſenſato experimento nobis conſtet innoxie utraque eſula nos uti poſſe, dummodo cautè circa doſim, & circa corrigentium uſum eam exhibeamus. Eſt igitur planta quæ ad manus facile venit, & haud laborioſæ præparationis, ut merito Meſue ruſticorum purgativum nominet; cuius tamen deſcripti onem non exhibet, ſed tantum enumerat differentias; hanc igitur ſtirpem idem Meſue Alſcebram appellat; Serapion ſcebram & eſulam, in cuius deſcriptione ferè omnia ea ſumit, *Præuot. de med. Paup.*

quæ Dioſcorides habet in Capite de Pityuſa, recentiores tertium eſulæ genus addunt, & Venetam eſulam vocant, quam & raram appellat Lobelius; hæc enim Venetis familiariſſima eſt pharmacopœis, naſciturque frequentiſſima in Lio Venetorum inſula, ſiue in litore Adriatici maris. Aſſurgit eſula à radice caulicolis geniculatis, crebris, cubito maioribus, gracilibus, folijs oſyridis ſiue linariæ; hinc verſiculus ille inualuit, ut diſtinctio afferretur inter has plantas.

Eſula lacteſcit, ſine lacte linaria creſcit.

diſpari ordine ſitis circa caulem oblongis, & in acutum deſinentibus, ſatis anguſtis, ut eſulæ minoris folia tithymali cypariſſiæ æmulentur, & quodāmodo piceis folijs ſimilia ſint, ſiue pineis; ex quo apparet Dioſcoridem minorem eſulam deſcripſiſſe, non maiorem; cuius folia potius lathyridi ſimilia ſunt; flores quoque floribus tithymali nō ſunt diſsimiles, penduli, purpuraſcentes; inde thecæ in quibus ſemen reconditur tithymali cypariſsiæ non abſimiles; radix albicat, longiuſcula, craſsitie ſua minimum digitum æquans; tota planta lacte ſuo viroſo ſuccoſa eſt. cæterum quod ad eius temperiem ſpectat, calidum & ſiccū in principio tertij gradus meminit Meſues, lac tamen eiuſdem viroſum tota planta calidius eſt, quæ exſiccante, aperiente, & attenuante facultate prædita eſt; vimque habet à longinquis partibus, & articulis trahendi humores; pituitam præſertim cathartieè valide ducit, & bilioſas etiam ſeroſitates, necnon & melancholicos humores; ſola tamen innoxiè non exhibetur; & ni corrigatur, humano corpori infert tormina, licet non ita grauia, prout Meſue innuere videtur, qui & viſcera excoriare, & venarum ora aperire, & ſenem abſumere, febres excitare, hepatique, & cordi, necnon etiam ſtomacho nocere tradit; quæ quidem qualitates ſubaſtringentibus non difficulter compeſci ſolent, hepatis cordiſque tonum reſpicientibus, necnon ijs, quæ emplaſtica facultate donata ſunt, & quæ ab eodem auctore recenſentur, tragacantha videlicet, mucilagine pſyllij, bdellio, aloe, portulacæ ſucco, abſinthio, eiuſque cum myrobalanis permixtione; huius medicamenti corticem radicis Præuotius corrigit, dum macerat in aceto roſaceo, vel cydoniato, aut in ſucco endiuiæ, portulacæ, ſolanive; vel cum aceto vulgari acerrimo, roſis, berberi, balauſtio, malocotoneo, capreolis vitium, myrto, folijs labruſcę, & ſimilibus; quæ radicum cortices deinde exſiccatæ in vitreo vaſe bene clauſo ſeruari poſſunt ad uſum. huius radicis puluis ita præparatæ datur à granis ſex uſque ad ℈ ſ. vel grana xij. in infuſione à ℈j. ad ℈v. in vino, vel mulſo; lac vero eius, ſiue ſuccus ſponte emanans ex disrupto folio, vel caule datur à Meſue à ℈j. uſque ad ʒj. qui à Dioſcoride farina excipitur, & ad cochlearis menſuram exhibetur. dat pariter ſemen ad ʒj. Renodeus in medico ſuo diſpenſatorio, dum conſiderat electuarium de benedicta in quo eſulæ radix ingreditur, præparationem ſatis concinnam, ut videre eſt, exhibet. colligitur radix veris initio, & in eiuſdem fine. lac articulorum doloribus præcipue ſuccurrit; e longinquis ſiquidem partibus hoc medicamentum præſertim ex articulis trahere valet; hydropi quoque ſummopere conducit; & in iſchiadicis affectibus clyſteribus utiliter infunditur pro pituita in primis eliminanda; folia in aceto decocta capitis

fur-

furfures demunt, ſerpentum ictibus aduerſantur; & Vir doctus Ophmannus in quartanis, tertianiſque longis ſummopere laudat; exemplumque pulueris utiliſſimi ex ea radice facti ab alio accepto refert; dum radicis eſulæ præparatæ quatuor ſumit uncias ex aceto ut ſupra & exſiccatæ, maci, galangaque ad ℥ij. remiſtis, ſpodio præparato ad ℥j. tragacanthæ, bdellio ad ʒ iij. ſingulorum; doſis à ℥ſ. ad ℥j. felici cum ſucceſſu.

De Geniſta ſiue Spartio Dioſcoridis.

CAPVT LXXXVII.

Geniſtam fruticem eſſe Dioſcoridis, & antiquorum ſpartium creditur. ſolvuntur argumenta contrariam opinionem ſtatuentia. temperamentum vireſque examinantur modus, quo uſum medicum ſuum explet perpenditur.

EXhibet Geniſta hiſce noſtris temporibus non ſpernendi uſus medicamentum, facileque parabile & ob huius fruticis frequentiam ſatis peruium; de quo tamen adhuc is inter botanicos viget, numquid ſpartium Græcorum, de quo Dioſcorides lib. 4. cap. 158. idem ſit cum Geniſta vulgari? hanc controuerſiam dirimere conantur clariſſimi Viri Salmaſius, & Brodeus: at in re tanta opus eſt (me Iudice) Tripode. nam quemadmodú mihi facile arridet cum Salmaſio antiquiores illos Græcos quodcumque flexibile & ad vinciendum aptum ſpartium ſiue ſpartum appellaſſe, & ob id ſparto Hiſpanico herbæ non fruticí idem nomen aptari potuiſſe; quam tamen ſpartum herbam eas non cognouiſſe, aut deſcripſiſſe conſtat; ſic noſtram geniſtam Italicam fruticem, nõ eſſe eam, quæ à Dioſcoride pro ſparto deſcribitur, vix mihi perſuaſerim; cum & ſparto ſuo Græci flores leucoij aſſignauerint, ut lutæum chyri colorem aſſimilant: & huius ſiliquæ faſeoli inſtar cernantur, & fere ſemper planta præterquam in Veris principio ſine folijs obſeruetur; præterquamquod vires, quas idẽ Dioſcorides tribuit ſuo ſparto, alvum ſcilicet ciendi vomitumque excitandi, apprime noſtræ geniſtæ conueniunt. neque conuincit, quod noſtri ſparti flores in aceta rijs conditi inter bellaria, & ſecundas menſas reponantur, & excitati tamen vomitum, aut ciere, aut alvum proritare; namque madmodum acetum hellebori radices, & eſulæ pluriumque aliorum catharticorum furentem vim, qua ſcatent, compeſcat; ita & multo facilius idem acetum medicamentum geniſtæ florem, quæ tenuiſſimam habet catharticam vim, eam retundere poteſt; quod notiſſimum euadit omnibus in capparorum floribus, qui ex Dioſcoride cap. 204. alvum ſubuertere ſolent, & vomitum excitare, aceto tamen vel ſale conditi ſtomacho utiles euadere. Ad geniſtæ temperamentum quod attinet hanc calidam, & ſiccã pronunciat Meſue; eidem tamen tribuit humiditatem excrementitiam, à qua vomitoriam facultatem adipiſcitur, quæ ex Dioſcoride inſtar elleborí valet; addit tamen idem auctor citra periculum ut eorum opinionem reprobet, & præſertim Meſue, qui in ea furentem catharticam facultatem admittunt, quod forſan in arabica verificatur; quam furentem facultatem

 infe-

inferunt,quia ellebori inſtar purgare valeat;tale ſiquidem medicamentum non ſine periculo opus ſuum peragit, & perficit, ut ex Hippoc. manifeſtũ 4. Aphor. 1. & ex Gal. in ejuſdem aphoriſmi commento. verum ſatis valide ſpartium & per vomitum, & per ſeceſſum pituitam in primis cathartice non ſolum ducit, ſed etiam ſecundario alios excrementitios humores eliminat,& præſertim ab articulis, ſi Meſue fides habenda, quod fieri poſſe, ex Dioſcoride etiam elicitur, dum geniſtam,ſpartium ſcilicet iſchiadicis doloribus tollendis aptat, urinas mouet, renes abſtergit, & à calculis liberat;flores ſtrumis abſumendis utiliter imponuntur cum melle roſaceo, aut oue; tumores lienis etiam reſolvunt. corrigitur geniſta, ſtomachicis, & cardiacis, eius etiam ſemen in uſum reuocatur cum aqua fœniculi, aut dauci exhibitum; flores vix cocturam ſubſtinent, quam tamen ſemen diutius fere ſolet, anginoſis utilis, & iſchiadicis in clyſtere decocti ſtranguriiſque demulcendis; doſis ſeminum ab ℥ j. & ſemis; uſque ad duas, & ſemis, per ſuperiora ad vomitum ciendum eadem menſura cum aqua mulſa exhibent, ſic etiam pari modo ſi proritare ſeceſſum debeant, corriguntur cum ſtomachicis; flores vero aliquanto maiori doſi exhibentur. Præuotius geniſtam anguloſam ijs dem viribus præditam aſſerit; ſimilibusque corrigentibus, & eadem doſi pro pinari poſſe decernit.

De Hermodactilo.

CAPVT LXXXVIII.

Eſſe Hermodactilum idem cum Colchico Dioſcoridis quamuis haud venenatum, & Ægyptijs alimentum, Renodeus notatus. Purganti facultati præditum eſſe. temperamentum adducitur, nec recenter extractum eſſe venenum, contra Coſtaum vires produntur.

COlchicum illud radice alba ſiccata conſtans cenſent cum Dodoneo alij botanici clariſſimi eſſe hermodactilum legitimum; in genere varium eſt; in colcho namque proueniens,unde nomen ſumpſit, Dioſcoridi noſtro, lethale eſt;ſed in Ægypto alimentum,corporibuſque pinguefaciendis ex Alpino aptum; quod etiam ante ipſum Meſue admonuerat; in Italiæ tractu moderate purgat, ut Renodei conuicia in colchicum noſtrum temere collata contra Dodonei, Bauhinique ſententias, & experimentum, de ſe corruant,& nullius momenti euadant. ſic neque illud, quod Matthiolus contra hermodactilum uſuale affert, cùm is omnino & innocentiſſimi uſus ſit,& ab omni veneni ſuſpicione immune,quæ qualitas colchico in Meſſenia, vel colcho nato competere tantummodo creditur. noſtrum igitur Italicum colchicum, ſiue hermodactilus vocatus purgat quidem,ſed non validiſſime;præſtantior ſi eligitur,orientalis,quo frequentius utimur, & cuius radix denſior eſt,qui tunc ab officinis noſtris non eſſet explodendus,ſi præſertim fuerit peregrinus. calidum & ſiccum hermodactylum pronunciat Meſue in ſecundo gradu; ſunt tamen qui frigidum putant debili ſatis coniectura ducti, qui etiam ab Alexandro Tralliano reprehenduntur;

duntur; hæc medicamenti ſiccitas ſibi adiungit aliquam excrementitiam humiditatem, ſub qua ratione ſtomacho infenſus euadit. corrigitur ab eodem Meſue ſeminibus cimini, maſtiche, zingiberis, necnon pipere longo, menraſtroque; exſiccatum probatur ſex menſium. hinc deducit Coſtæus viridem bulbum, & mox extractum, venenum eſſe; at ſpatio ſex menſium ſeruatum, venenoſam qualitatem exuere; quamuis hoc quidem non ita facile admiſerim; facile namque exiſtimauerim hoc temporis ſpatio illam excrementitiam humiditatem, qua ſtomacho inſenſum euadit, ſuperare poſſe, non vero veneficam, ſi hanc à natura adeptum ſit. Eligit *Præuotius* pro pilulis conficiendis electiſſimum, quod præſertim neque extra, neque intus nigreſcat, quæ nota eſt venenati colchici; doſis pulueris ℈j. usque ad ℈ij. vis præcipua huius medicamenti ex omnium fere conſensu phlegmagoga eſt; pituitam namque mirifice educit, ſed præſertim ab articulis; peculiariter namque eos reſpicit id, præſertim aſſerentibus Paulo, Trallianoque caput mirifice expurgat, ideo & vertigini, lethargoque, morbo comitiali, cephaleæ aliiſque cerebri ex pituita morbis ſummopere conducit; aſthmaticis, orthpnoicisque proficit, icterumque ſanat; ad conuulſa, & rupta ex Dioſcoridis præſcripto, duorum obolorum pondere adhibetur; ſanguinem excreantibus, valdeque tuſſientibus prodeſt ad ℈j. Fallopius feliciter utebatur ipſo puluere ad dolores gallicos, ſed quid quæſo ſibi vult Meſue dum purganti huic medicamento facultatem impinguandi aſſignat? necnon ſemen augendi? cum hoc à vi purgatrice non per ſe prodire valeat; ſed potius vim obtineat ſub hac formalitate corpus emaciandi, extenuandi, pinguedinemque abſumendi. igitur vel dicendum cum Coſtæo ita attenuare pituitam, ut per ulteriorem concoctionem in ſanguinem faceſſere poſſit, & ſic materiam alimentalem augere; vel cum eodem Coſtæo & quibusdam aliis, quod Dioſcorides uniuerſaliter de omnibus bulbis protulit, à Meſue ſumptum fuiſſe, & ad hãc bulborum ſpeciem relatum. crediderim ego tamen, quod cum procul dubio eligendi ſint orientales hermodactyli, ſiue Ægyptij, quibus ſub communi genere poſitis, ad hoc forsan reſpexit cum Serapione Meſue; quia alimenta cum ſint prout ex Alpino manifeſtum, qua alimentum euadunt, & impinguare, & ſemen augere, ſanguinem alimentalem ad augendo facile poterunt; defectus enim ſeminis à ſanguinis defectu, & eiuſdem copia à ſanguinis copia procul dubio promanat. cum igitur hermodactyli illi Ægyptij alimentoſi ſint, ſanguinem augendo etiam copiam ſeminis generabunt; efficere autem id hermodactylos Ægyptios nos docent & Aron & Colocaſia, quæ ex Athenæo ex Diphilimente alimenti materiam populis illis præbent. paſſim ex hermodactylis puluis ad uſum conficitur, cuius compoſitio, quæ magis ad uſum pro doloribus arthriticis tollendis reuocata eſt, ſic deſcribitur.

℞. hermod. elect.
turbith an. ℨiij.
diagr. ℈iſ.
zingib. ℈j.
maſtic. ℨſ.
ſacchar. ℥j.ſ.

De Turpetho ſiue Turbith.

CAPVT LXXXIX.

Examinantur Auctorum opiniones circa Turbith genuinam Plantæ cognitionem, temperamentum & vires afferuntur.

INter plantas peregrinas, quæ medicum obtinent uſum, præſertim in purgandis humoribus electiue, & qua frequenter utuntur pharmacopei ad varia medicamenta componenda, vix alia datur, quæ ſub ignorantiæ latebris magis deliteſcat, ac ſit turbith. interim tamen lactariæ herbæ radicem eſſe, foliaque ferulæ gerere Meſue eſt Auctor; conantur tamen Auctores grauiſſimi hanc ipſam pro ſuo libito ad varias Tithymalorum ſpecies reducere. putat namque Actuarius turbith eſſe radicem tithymali pityuſæ,nec tamen ſibi ſatis conſtat, quia quæ nigricat pityuſæ radicem eſſe, & quæ albeſcit Alypi Dioſcoridis eſſe putat. Muſa ad Miſſinitem reuocat. ſed quæſo in ijs,ubi nam ferulacea folia, & caulis? quæ omnia à Meſue in turbith ſuo deſiderantur? Siluius exiſtimat eſſe trifolium Dioſcoridis; ſed manifeſto quidem errore,cum turbith nullum odorem præſeferat; guſtuique nullam acrimoniam, aut feruiditatem repreſentet, nec quidquam gummoſi in eo reperiri liceat. trifolio quidem nullus odor in radice, quæ non acris eſt, nec feruida guſtui, quamuis ſalſedinem quamdam præſeferat; nec gummatoſo lentore ſcateat.alij thapſiæ radicem autumãt, cuius opinionis fuere & Coſtæus, & Guilandinus. Thapſia tamen lacteſcens planta non eſt, & radicem acerrimam habet, minimeque gummoſam. Cluſius varius eſt, & modo unam, modo aliam plantam æmulari aſſerit.cæterum Garzias ab Horto ſerio fatetur turbith plantam lacteſcentem non eſſe, deſcribitque ipſam radicem gerere, nec magnam, neque longã, caulem edere modo per terram expanſo, digitali aut paulo plus craſſitie, aut cubiti longitudine, althe æ folio, floribuſque in candore ſuaue rubentibus. in hac tot opinionum ambiguitate, cum veri turbith radix ad nos procul dubio deferatur, & effectus miros edat in ſubducenda præſertim pituita, laborandum multum non eſt in confutandis Auctorum diuerſorum ſententijs, quod eſſet potius diuinari, quàm aliquid certi afferre, & forſan in dies, prout de aliis propemodum infinitis plantis factum video, forma vera huius clarius nobis innoteſcet. Verum eligenda pars illa radicis eſt, quæ prope caulem ſita reperitur, ibi enim & gummatoſum quid & magis ſucculentum præſefert; ſit intus alba, vacua arundinis inſtar, cortice cinericio, nec recens omnino, neque antiquata,ſed vegeta in quadam ſui mediocritate,quæ ſiccioribus locis collecta, fractu contumax non ſit. improbanda verum turbith radix illa eſt, quæ nimis craſſa flauo aut nigro colore, & quæ dum diſrumpitur quædam veluti filamenta neruacea prodat. Cum igitur duo genera turbith ab Auctoribus recenſeantur, orientale videlicet, quæ à Monardes, Coſtæoque, ſed male cenſetur tithymali Miſſinites radix, & occidentale, ſemper orientale turbith occidentali

præ-

præferendum. calidum temperamentum eidem radici aſſignat Meſue, & in tertio gradu; cuius opinioni vix aſſentiri poſſe crediderim, cum neque eiuſdem acrimonia aut feruor, nec odor, aut amaror tantum caloris gradum oſtendant. doſis huius medicamenti eſt ex eodem Meſue à ʒ j. usque ad ʒ ij. in decoctione vero à drachmis duabus usque ad drachmas tres, longis ægritudinibus & febribus diuturnis summopere conducit. ſcribit Actuarius pituitam craſſam è penitioribus partibus trahere, leproſis & hydropicis opitulatur, & gallica lue detentis, cum valide cacochymiam corrigere, & diminuere valeat, non innoxie tamen tam utile medicamentum usurpari poteſt, cùm vomitum proritet, & nauſeam inducat, ſtomachum namque ſubuertit, & ſi sæpius aſſumatur, tradunt corpus extenuare, aromaticis igitur & ſtomachicis præſertim combinandum eſt medicamentum, pipere videlicet longo, zingibere, maci, nuciquemoſcata, abraſoque cortice illo exteriore, qui nigricat, & noxam infert, euadet tutius medicamentum & benignius, immò utiliſſimum & neceſſarijſſimum, ideo non tam facile hoc præſtantiſſimum remedium, prout quidam facere ſolent, à cenſu medicamentorum proficuorum expungendum eſt, quod etiam exiſtimauit Ophmannus, quia, dummodo opportune corrigatur, vires ſuas, & quidem ſatis validas innoxie exercere poſſit, ut effrænis medicamenti nomen non mereatur. Verum antequam huius medicamenti examen concludamus, conſiderandum venit cur Meſues, turbith aſſumenti auſtrum vitare admoneat: quod factum ſanè autumauerim, quoniam cognouerit tale medicamentum corpora valide agitare, & imbecillas partes impetuosè ſani petere, ut ab ijsdem partibus humores educat; cum ex auſtro ex Hipp. dicente 3. Aphor. 3. conſtet ventos auſtrinos viſum, & auditum afficere, caput ille grauare veretur, vel cum nimia & effrenis ſubſequatur à turbith aſſumpto purgatio, partibus & flatus coadiuvare hæbetioribus redditis eneruare.

De Narciſsi lutei ſilueſtris radice.

CAPUT XC.

Deſcribitur Luteus Narciſſus, vires examinantur, & noxarum correctio affertur.

Radicibus catharticis non iniuria quidem recentiorum ſilueſtris Narciſſi lutei radicem accenſent, ita à Dodonęo vocati, quem & Montanum Theophraſti appellant; folijs porri ſeu narciſſi, minoribus tamen & breuioribus, dodrantali caule, in quo eminet flos narciſſo ſimilis, totus luteus, inodorus, calyce longiore. decocta huius narciſſi radix lentos & pituitoſos humores, necnon & ſeroſos purgat, ſtomachum crudiratibus refertum leuat, infarctum materiæ ſubducendo, qui cum ventriculo ſatis moleſtus ſit, corrigitur portione in decoctione addita zingiberis, macis, aut ſeminum aniſorum.

De

De uva Taminia radice.

CAPVT XCI.

Eſſe uvam Taminiam Celſi, vitem ſilueſtrem Dioſcoridis exiſtimatur; temperamentum aſſignatur; afferuntur vires.

ALteram modo catharticam radicem tenuem pituitam, ſeroſoſque humores electiue ducentem ſupradictis adiungamus, quæ familiã facile parabilium medicamentorum non inutiliter auget, eſtque uvæ taminiæ radix, quam Matthiolus Clematidem tertiem appellat, ſi Dioſcoridem conſulamus, qui ſub nomine ſilueſtris vitis eam deſcripſit, facultatemque non leuem ſubducendi aluam, & pituitam educendi præſertim tenuem aſſignauit. deſcribit ſarmenta vitis modo longa, & lignoſa, aſperaque, & rimoſo cortice emittere, folijs hortenſi ſolano ſimilibus, & latioribus, longioribuſque, flore capillato, muſcoſo, fructu exiguo, uvis ſimili, rotunda acinorum natura, qui ad maturitatem perductus, rubeſcit, & cujus radix decocta in aqua aut in vino aqua marina diluto cyathis duobus aquoſa deturbat, & ob id hydropicis utiliſſima; hanc Dioſcoridis deſcriptionem, viſam poſt multa comperimus congruere illi plantæ, quæ apud Gallos Viarna appellatur, & Pena ipſe Viarnam vocat; & profecto, ſi notę à Dioſcoride allatæ conferantur cum Viarnæ forma, hanc pro vite ſua ſilueſtri aſſignaſſe videtur. nominat hanc Dalecampius Vitalbam; Fuxius vitem nigram, quam & Præuotius à Matthiolo ita appellari tradit; uvam taniniam Celſus: quamuis hanc male confundit cum ſtafide agria, quæ omnino diuerſa planta eſt. ſunt qui Athagenam Theophraſti exiſtiment, de qua hæc habet lib. 5. de Hiſt. plantarum. Igniarium optimum fit à quibuſdam & Athagena, quæ arbor eſt viti ſimilis & labruſcæ. quomodocumque ſit, huius radix, quæ pro uva taminia modo circumfertur, flegmagogum utile medicamentum præbet; ſi decoquatur in aqua à ʒ j. & ſemis, ad ʒ iij; exhibetur etiam trita in ſubſtantia aut in puluere redacta à ʒ ſ. ad ʒ j. & ſed cum aliquam noxam ſtomacho inferat, ſpica corrigi ſolet, zingibere; cubebis, aut corticibus citri, aut ſeminibus Aurantiorum; abſtergendi non leuem facultatem habet, ſub qua ratione Galenus 6. ſimpliciũ, racemis utitur ad delendas cutis maculas, quod tamen didiciſſe videtur à Dioſcoride. calefacientem, & acrem vim habere aſſerere videtur Theophraſtus lib. 9. de hiſtor. plantarum cap. 22. pſilotri etiam vim obtinere tradit; prima germina condiri ſale habet Galenus, & tunc adſtringendi facultatem aquirere, quod vero conſentaneum eſſe videtur.

Lib. 4. cap. 165.

De Opopanace.

CAPVT XCII.

Panacis nomen ſæpè, & cur abuſiuè, quamuis non ſine ratione uſurpatum. Panacis veri nominis diſtinctio, à quo petita, à qua harum plantarum opopanax colligatur, & quo modo. deſcriptio offertur, & temperamentum, & vires panduntur; morſui præſertim canis rabidi aduerſari aſſeritur.

PAnacis nomen in plantis uſurpatum non vni tantum generi planrarũ tributum eſſe, ſed pluribus facie,& temperamento diſsimilibus; nec inepto quidem conſilio, vt plantarum ad mulra multiplices vires obtinentium nobis oſtentarent, præter Nicandrum & Heſichium, inſinuauit Dioſcorides, qui lib. 3. cap. 34. etiam origanum ſilueſtre ob eamdem cauſam Panacis nomine condecorauit. Priſcis namque illis temporibus,in quibus innocens medicina nondum artificum lenocinio polluta erat, ſed gratis operam ſuam, quam ex plantis depromebat,ægris paſsim corporibus impertiebatur, eò deuenit credulitatis, vt mortales autumarent ſtirpes dari poſſe, in quibus cæterarum omnium vires pro ſingulis mortalium morbis profligandis coniungerentur. ſic Polemonium Chyliadinimos appellauere, & Panaeea à facultatum congerie, quà morbis mille profligandis, aut omnibus pollerent; quæ ratio nominis etiam Plinio arridet; quamuis quibuſdam magis placeat tale nomen inditum à Panacea Aeſculapij filia; quod, vt verum fatear, nimis Poeticum eſt. cæterum illa plantarum genera,quibus arctius, nomen Panacis competit, ſunt tria à Dioſcoride relata, licet Theophraſtus plura recenſuerit, cui & Plinius aſſentiri videtur; ſed forſan nimis licenter, cum& Centaurijs quoque Panacis nomen, quibuſcumq; tribuerint. Dioſcoridi igitur primum Panacc eſt Heraclium, ſiue herculeum; quia vel Hercules hanc plantam indigitauerit, vel ab Heraclea prodierit ciuitate; aut quia quaſi Herculeis viribus prædita ſit. ex hac præcipue planta emanat ſuccus glutinoſus inſtar gummi,qui coneretus opopanax Græcis euaſit, quod & nomen ipſum oſtendit, quamuis Lobellius ex omnibus generibus Panacis, experimento comprobante, ſuccum hunc colligi poſſe opinetur. vtcumque tamen ſit ex Panace ipſo Heraclio Dioſcorides opopanax colligi fatetur, & eſſe idem cum Syriaco. huius opinionis & Ophmannus fuit, qui idem facit tamen cum Aſclepio; ex hac igitur Herculei Panacis planta colligi Opopanax conuincit; quod collectis ſeminibus aliquibus in gummi Opopanacis compactis, & terræ traditis, Panax Heraclium emerſerit, Dioſcoridis deſcriptioni non abſimile; quamuis ſpondilio altero Dodonei deſcriptio allata à Dioſcoride etiam congruere ſatis videatur. & licet flores lutei,vt ſtatuit in ſui deſcriptione Dioſcorides, in ſpondilio ſupra relato deſiderenrur, quia albidi ſunt, fatetur tamen Cobellius ſe Venetijs in Franciſcanorum Hortis luteos flores obſeruaſſe, & idem Dodoneus ex Petri Condelbergij pharmacopæi Antuerpienſis ex ſemine in opopanace reperto plantam natam

De Hiſtor. plant. c. 11. Lib. 25. c. 4. Lib. 3. cap. 55.

flores luteos geſſiſſe, habet. Deſcribitur igitur à Dioſcoride Panacis Heraclij planta ſolijs aſperis in terram iacentibus, virentibus, & multum accedentibus ad ficulnea ſolia, in ambitu quinque partito diuiſis; caule inſtar ferulæ elatiſſimo, alba lanugine obducto, folijs ſtipato minutioribus, umbella in cacumine inſtar anethi oblonga, flore luteo ſemine odorato, urendi vi prædito, radicibus pluribus ab una origine ortum ſuum ducentibus, candidis, graueolentibus, cortice craſſo, & ſub amaro guſtu; duobus vero capitibus ſequentibus & Panacis Chyronij, & Aſclepidi Hiſtoriam refert, quas deſcriptiones hic non afferimus, cum intentio noſtra ſit de eo tantum Panace loqui, ex quo opopanax citra controuerſiam colligitur; quod ex Heraclio tantummodo colligi fatetur Dioſcorides, cui aſſentiiur Galenus. Docet modum idem Dioſcorides, quo iſte ſuccus detrahi debeat, inciſa videlicet radice, dum cauliculi recenter pullulant, ſubductis inde ſolijs, & ſubſtratis, ut colligatur facilius; quod etiam fit inciſo caule, ſi Meſui credimus. Probatur ſuccus guſtu amariſſimus, interne albus, aut ſubfulvus; foris ad croci colorem vergens, leuis, pinguis, graui odore, in aqua facile liqueſcens, tener, friabilis. calidum pronuntiat Dioſcorides opopanax; gradus deſignat Galenus, & tertium caliditatis, cum ſecundo ſiccitatis poſſidere autumat, digerit & extenuat; at veteribus incognita vis illa qua meretur locum hunc occupare; purgandi videlicet pituitam craſſam, & lentam à remotis partibus, quod notum fuit Meſue, & Serapioni; crudos etiam humores ducere, & præterea aliquam vim emolliendi habere, quam tamen maiorem in Galbano veteres cognouere, ſed uſurparunt & radices, & caules, & ſemina; Meſue à ʒ j. ad ʒ ij. exhibet; immo pilulas conficit, in quibus miſcet, quæ eius nocumenta corrigere valent. cæterum non iniuria plantæ ſuccus opopanax vocatur ob virium in morbis depellendis multiplicitatem; febres enim per circuitus recurrentes ſanare tradunt, quatenus ſcilicet crudos humores eliminat, à quibus fouentur. ruptis, & convulſis prodeſt; ſed qua ratione? an quatenus digerit, remollitque? hoc potius contrarium videtur à caliditate, namque à vi adſtrictoria pendere nequit; ideo à tota forma emanare credendum; conglutinat vulnera, ſub eadem ratione laterum doloribus quoque prodeſſe aſſerunt, & torminibus, necnon antiquæ tuſſi, ea prorſus ratione, qua & febribus prodeſt materiam ſubducendo, & digerendo; urinæ ſtillicidio, & veſicæ ſcabiei qua abſumendo, qua reſoluendo, qua abſtergendo; iſchiadicis ſuccus ex Dodoneo prodeſt; qui etiam menſes trahere aſſerit, quod calori concedendum; fœtumque necare, ſi de embrione nuperrime conflato ſermo ſit, ea ratione qua menſes ducit, inflationibus vuluæ utile aſſerit, & duritiei eiuſdem, quod non difficulter ſua emollitione & calore; tradunt podagricos dolores demulcere, oculorumque aciem intendere tum manifeſtis, tum à tota ſubſtantia prodeuntibus qualitatibus; carbunculos quoque diſrumpere non difficili negotio ſuaderi poteſt; calor namque cum emollienti facultate iunctus ſuppuratiuum medicamentum efficit. mirum eſt quod habet, cum pice canis morſibus rabidi preſtantiſſimum remedium exhibere, ſed hoc à tota ſubſtantia potius; quemadmodum & ictibus venenatis occurrere fatendum eſt; notis item facultatibus

8. De Simpl. facult.

tibus occurrere vuluæ ſtrangulatui, & nudata oſſa tegere, & ulceribus mederi non difficulter ſuademur.

De Sagapeno.

CAPVT XCIII.

Sagapeni Gummi tantummodo notum veteribus, non vero Planta, à qua colligebatur. Eſse à Laſere diuerſum. reijcitur Galeni ſententia ſagapenum in Galbanum mutari. temperamentum eius ſtatuitur. vires explicantur.

FErulam gummiferam plantam illam eſſe, quæ ſagapenum, ſucci genus quoddam glutinoſum, in medicina exercenda uſitatum, producit eo modo, quò etiam opopanax; conueniunt tum veteres, tum recentiores, quamuis cuius ferulæ non conſtet, cum plures eſſe ferulæ ſpecies manifeſtum ſit; huiuſque ferulaceæ plantæ ex antiquorum lucubrationibus deſcriptio deſideretur; quam ſubticuiſſe videtur Dioſcorides, eo quia forſan tantummodo ſibi ſuccus cognitus erat. nam cum hæc planta etiam exotica ipſis veteribus eſſet, & ſolum natalem habuerit ſub cœlo feruidiori, Africæ videlicet mediæ, & Cyrenæ præſertim; non mirum ſi in hiſtoria eius recenſenda ſatis parce ſe geſſerit; prout feciſſe etiam videtur de alijs *ferulis*, è quibus exſudant Galbanum, Ammoniacum, Euphorbium; affinitas virium, quam habet Sagapenum cum opopanace, præſertim in euocanda cathartice pituita, à nobis exegit ut, eidem hunc locum aſſignaremus, & aliqua de eius vi ſubductoria præſertim, quæ priſcos latuit, afferamus; cuius gratia inſtituta à nobis eſt præſens diſsertatio. Eſt igitur Sagapenum ſuccus concretus è ferulacea planta; immò ex eadem ferula profluens inciſa radice, aut vulnerato caule; prout conſueuere veteres in Panace ad opopanacis collectionem. Plinius fatetur ſagapenum ex ferula colligi. & quamuis, ut notabat Lobellius, etiam ab alijs plantis à ferulis diuerſis exſudet gummi: magis tamen peruium, & magis medicamentoſum eſse illud apparet, quod non ſine artis ope à ferulis illis peregrinis colligebatur, & ratio ſuadet; cum & virium & temperamenti quodammodo diuerſitas non leuis in huius modi ſuccis reperiatur. hinc arguenda alicuius cognationis inter haſce ferulas conformitas, non ſpeciei identitas; quod expreſſit etiam Dioſcorides capite de ferula in fine; & quia præſertim in fruſtuli Laſeris inſpectione remixtum ſagapenũ viderit Lobellius; ut inde non ineptè arguat ex plantis cognatis ſagapenum & ſilphium procedat; licet hoc potius arguat, me iudice, ſoli natalis vicinitatem, quam ſpeciei cognationem. nec ſuadet id medius ille odor, qui inter Laſerem, & Galbanum, in ſagapeno ex Dioſcoride percipitur; cum forſan hac ipſa ratione diuerſitas generis argui poſſit, omneſque iſti gummatoſi ſucci odorem grauem redoleant, qui caloris, quo planta prædita eſt ſoboles eſſe poteſt, & ſolis feruori, & regioni ſiccitati adſcribi poſſit; prout ex Theophraſto de odoribus etiam notum. Cæterum cùm nihil certi ad formam plantæ quod attinet, à quibus ſucci iſti profluant, habeamus, neque per

leues conieƈturas aliquid certi afferre fas ſit, nec ſeminis, aut radicis uſus nobis commendetur, ſed tantum ſucci; ſatius erit ut vires eiuſdem ſucci percurramus. Matthiolus aliqua tamen protulit ex Braſauola aſſerente in Italia & præſertim in Apulia ferulas produci è quibus ſit Sagapenum; quorum tamen delineationem non expreſſit; quapropter, ut dicebam, cùm peregrinum iſtud gummi ad nos copioſe ſatis, & minime adulteratum deferatur; non eſt cur inſudemus plantas nondum deſcriptas admittere. ſuccus igitur iſte eligendus eſt iuxta Dioſcoridis documenta, quod transluceat, foris fuluo, intus albo colore, odore redolens quid galbani, laſeriſve; cuius rei mirum non eſt, ſi verum eſt quod habet Gal. 1. de Antidotis cap. 11. Sagapenum in Galbanum mutari, partemque videl. eius leuiorem, & ſpumoſiorem; quod gummatum affinitatem arguit, non idemtitatem; & quamdam aſſimilationem; non veram tranſmutationem; nam adducere exemplum eiuſdem Galeni caſſiam optimam in cinnamomum tranſire, non ita nobis arridet; eo ſcilicet modo, quo ſiſimbrij in menthã; nam alia ratio plantarum viuentium, alia verò vita funƈtarum, crediderim potius ego ex ferulis diuerſis diuerſos ſuccus manantibus incuria recolligentium miſceri, ut poſtea vel lotione, vel alio ſimili modo inter ſe ſecerni poſſint. eſt ſagapenum acri guſtum. Meſue odorem porri in ſuo ſagapeno deſiderat, ſubſtantia craſſa, leuique, ſed quod in aqua facile diſſolutum rubeat; qua conditione ſecernit legitimum ab adulterino; quod ſignum prius recenſuit Gal. 1. de antidotis cap. 11. qui verum ſagapenum dixit facile diſſolui in aqua vel vino, & minime adulteratum. temperamentum deſignatur à Galeno calidum, & tenuium partium; à Meſue magis expreſſe, calidum in tertio, ſiccum in ſecundo, & ex ignea potius, quam terrea ſubſtantia conflatum; tradit quoque aceto facile diſſolui, quemadmodum & ammoniacũ, & opopanax. Veteribus vis illa cathartica, qua nobis modo comendatur, incognita fuit; quamuis, ſi reƈte Dioſcoridem perpendamus, id innuiſſe videtur; dum à pulmonibus humores craſſos & moleſtos expurgare tradit. Arabes tamen hanc facultatem qoſſidere expreſſe commoſtrarunt. Meſue medicamentis In pilulis miſcet, ut purgatiuæ euadant; per ſe vero etiam exhibet à ℥ ſem. ad ℥ j. doloribus lateris, & peƈtoris, tuſſibuſque antiquis opitulatur. Habet Dioſcorides ruptis & conuulſis, paralyticis, opiſtotonicis, & lienoſis eo nomine forſan, & ratione, qua craſſos humores educit. febribus quinimmò per circuitum recurrentibus occurrere, ſed qua, quæſo ratione? cum calidum affirmetur? pro refrigerante namque ſagapenum aptat. eadem me iudice, qua purgat lentam, craſſamque materiam, quæ propria craſſitie meatus occludit, morborumque contumaciam efficit. Menſes ducere, & fœtum necare tradit; cum ſua vi propria menſes valide mouere poſſit, fœtuique nocere ſubtraƈto alimento, & alterato utero. Venenatorum morſibus occurrit, & iſtericis ipſis mulieribus olfaƈtu opẽ fert, qua ſpiritus excitando, qua ob ingratum odorem vapores compellendo affuſas luminibus caligines diſſoluere, & ſuffuſiones tollere tradit; digerit autem & reſoluit non ſine emollitione.

De

De Sarcocolla.

CAPVT XCIV.

Ignotam eſſe plantam, à qua exſudat Gummi ſarcocolla; notatur Plinius ad eius ſaporem, coloremque, quod attinet; diſcutitur temperamentum; produntur vires.

NOtiſſima antiquioribus fuit Sarcocolla, & noſtris quoque temporibus eius cognitio perdurat, ſi de ſucco ipſo loquamur gummatoſo, cui tale videtur inditum nomen, ab effectu videlicet carnem glutinandi, verum ad arborem quod attinet, ex qua exſudat, nulla notitia nobis emerſit hucuſque, & in eadem perſiſtimus ignorantia, in qua etiam ipſi veteres fuere; qui nullam aliam eius diſtinctam notam afferre potuere, præter illam, quod ſit lacrima arboris in Perſide naſcentis, ſic eam ipſam deſcribit Dioſcorides; cui & Gal. adſtipulatur 8. Simplicium, nec magis habet diligentiſſimus naturæ ſcrutator Plinius. addit Meſue arborem eſſe ſpinoſam, fruticoſam, & nodoſis ramis refertam; ſubticuit tamen regionem, ubi naſcatur. ſcribit Dioſcorides ſarcocollam eſſe pollini thuris tenui ſimilem, ſubfuluo colore, & amaram; Plinius candidam præfert, & cum quodam dulci acrimonia; ſed ſi Dioſcoridis experimento credimus, ad ſaporem quod attinet, melior eſt eius ſententia; immo color ille, quem eidem tribuit ſarcocollæ, improbādus eſt; quamuis Plinio Meſues conſentire videatur, qui tamen utcumque utrumque colorem in ſarcocolla agnoſcit, & experimentum fauet, ſi eam conſideremus, quæ ad nos nunc defertur. Tradit idem Meſue ſarcocollam temperamento calidam eſſe, eidemque deſignat ſecundum gradum, & in eodem fere ſiccam pronunciat; Serapio cauſticam vocat; hinc forſan auctiorem gradus calorem poſſidere opinandū. quòd ſi talis eſt, quomodo ſarcotica erit? guſtu ſane tantum calorem non indicat, & multo minus ſi ſperma auget, & quod habet Meſue, corpus impinguat; ſub qua ratione forſan non improbandus eius catharticus caſus, prout à quibuſdam factum video, in pilulis præſertim; licet Meſue correctam cum Cardamomo, & zingibere tuto dari poſſe aſſerat, à ℥ j. ad ℥ ij. cauendum tamen ne biliofis, & picrocolis propinetur. purgare inſuper tradit pituitam crudam, craſſoſque humores à neruis, cerebro, iuncturis, & pulmonibus; quo iure tuſſientibus, aſthmaticis, iſchiadiciſque opitulari voluit. catharticus tamen eiuſdem uſus nec Dioſcoridi, neque Galeno cognitus fuit, qui tantummodo hanc ipſam ulceribus glutinandis adhibet, & oculorum fluxionibus inhibendis. Meſue in lacte aſinino macerat, ſicque parat medicamentum ad oculorum morbos eliminandos efficax, cui fauet quoque Gal.

Lib. 3. c. 99. *Lib. 24. c. 14.* *Lib. de ocu lis cap. 4.*

De Ammoniaco.

CAPVT XCV.

Veterum opiniones variæ circà plantam, quæ Ammoniacum producit offeruntur; temperamentum adducitur; vires produntur.

QVamuis Ammoniacum à nullo ex veteribus auctore præterquam à Serapione inter purgantium medicamentorum electiue trahentium catalogo reponatur; licet hanc facultatem, quodammodo cognouiſſe videatur Dioſcorides aluum ſubducendi; libet tamen, utcumque ſit, nobis ſub hac formalitate conſideratum, vires eius etiam aliàs perpendere. Eſt igitur & ipſum gummi, ſed à qua ſtillet planta non ſatis conſtat, quinimmo neque ſatis definitum an ferula ſit, arborve, aut frutex; ex fructice ſtillare ammoniacum nomine ἀγασυλλίς voluit Dioſcorides, Ammoniacumque denominari, quia colligatur in arena prope templum Iouis Ammonis; & in ea Africæ parte, quæ Cyrenæ circum iacet, eſſeque ferulaceam plantam, quod tamen non æque congruit, ut frutex ſit planta ferulacea; immò Galenus contra Dioſcoridis ſenſum, lacrymam ferulæ eſſe aſſerit; Plinius ex arbore manare ſcribit, quam arborem nominat Metopion. utut ſit, duas ammoniaci differentias facit Dioſcorides; unam ſinceram, denſam, nullis ſordibus inquinatam, bene coloratam, granis thuris ſimillimam, amaram guſtu, odore caſtorei, quod quadantenus repræſentat, quam & Frauſma vocari aſſerit, quaſi fragmentum, ſiue fractura, alteram vero terra ſordidatam, calculorumque participem, phiraſma vocatam. auctores illi antiquiores temperamenti huius gummatis gradus calidam pronuntiant; quod aſserit eſse Dioſcorides, nec actionibus eiuſdem conditio temperamenti refragatur; nec ex guſtus amarore, aut odoris vehementia. Auerroes calidum in principio tertij gradus; Auicenna in fine eiuſdem gradus pronunciant, ſed ſic eum in primo; at eum validiſſimam facultatem emollientem poſſideat adeò, ut dixerit Gal. emollientium principatum obtinere, quod conuincit, quia artic ulorum tophos diſsoluat, induratoſque lienes ſoluere valeat. crediderim ego maximam eiuſdem caloris partem aeream eſse, quod ſane beneficium bdellium obtinet, ideo teſte Celſo lib. 5. cap. 5. recte pro ammoniaco uſurpari poſſit. Coxendicis doloribus, arctuumque, necnon lienis tumoribus arcendis aptat Dioſcorides, tum comitialibus & orthopnicis, albuginibus oculorum ſuccurrit, ſcabricieique genarum, tumoribus quibuſque reſiſtentibus emollitionem præbet, Serapioni viſcoſam pituitam catharticè ducere, aquamque citrinam extrudere placuit. Et hæc &c.

6. Simplic. Lib. 3. c. 98. lib. 25. c. 12.

6. De Comp. med. ſecundum genera. 8. De Simpl. med. facult.

De Brionia.

CAPVT XCVI.

Brionia à quo ita vocata; temperamentum eius diſcutitur; modus corrigendi eius noxas proditur; vires explicantur.

HActenus mitioribus pituitam electiuè purgantibus primo, & per ſe ind ulſimus, nunc ſtrenniſſimorum catalogo conſtruendo incumbenuum à Brionia exordium ſumentes; planta notiſſima, & quæ veteribus tali, & etiam viris albæ nomine donatur, quod ex Dioſcoride conſpicuũ; Lib.4.c.84. Brionia ita vocata quaſi pullulet, aut exaltet, extollatque ſarmenta ſua, quæ licet exile, dum repit, & vicinis fruticibns ſe conuoluit, valde etiam ſeſe extollit, Pſilotrum appellatur; fractus enim, quem edit, de pilandis corijs aptiſſimus eſt: folijs ſarmentiſque ſatiuam vitem æmulari tradit Dioſcorides, ut non iniuria vitis nomen adepta fuerit, habet tamen hæc omnia hirſutiſſima, & proximis adminiculis inſtar vitis clauiculis proprijs ſe alligat, dum ſurſum ſe attollit; turiones dum erumpunt tenelli aſparagorum more commanſi alvum, & urinam prouocant; magni radix raphani inſtar, quod omiſit Dioſcorides, alba, flores ſtellati, fructus inſtar ſolani hortenſis, primo virides, mox rubentes, quibus ſemen ſubeſt; decocti turiones alvum, & urinam prouocant, & quam calidam & ſiccam pronunciant; ſed tamen valide ſiccam, moderateque calidam, Meſues tamen ex Galen.6. Simplic. Dioſcoridis ſententia calidam & ſiccam in gradu tertio aſſerit; ſed quæſo ubinam hæc habet Dioſcorides? niſi eliciamus ex eo quod fructui, radici, & folijs acrem vim tribuat; proprium enim eſt eiuſdem auctoris non deſignare gradum temperamenti plantarum; abſtergit, incidit, attenuat, & rubificat ex Dioſcoride cum ſubaſtrictione, adſtipulante Galeno; ob id in tertio calidam pronunciauit Meſues; & ſi leniter calefacere dixerit Galenus, & quodammodo eidem conſentire videatur Auicenna, ut vix credibile ſit lenem calorem poſſidere; ex guſtu namque ſummum acrimoniæ habet, quod & ex amarore percipitur. conceſſerim tamen de facili Coſtęo humorem copioſum, quem in radice gerit, caloris actiuitatem compeſcere, temperamentum tamen non demere; vis eius præcipua cathartica eſt, quæ quidem eidem validiſſima ineſt; trahit namque electiue pituitam ex Dioſcoride; ſi ſuccus eius bibatur cum aqua mulſa, ſerum ducit cum Meſue à cerebro, thorace, articulis, partibuſque penitioribus, ab aureo uno ad aureos duos in ſubſtantia; in ſucco vero à ℥ j. ad ℥ ij. Brioniæ, aſparagi ſiue turiones more olerum decocti ad manipulum ſemis purgant ſatis valide; ſuccus germinum in vino vel iure efficaciter humores delectos ducit à ℨ j. ad ℨ ij. cum abſynthio, origano, vel calamintha; corrigitur etiam maſtiche, cydonijs, ſapa, cinnamomo, zingibere, maci, ad alvum ipſam ſoluendam. Præuotius laudat placentam è brioniæ germinibus in oleo abſinthij frixam umbilico applicitam; radix exſiccata in vino abſinthij in ſubſtantia exhiberi poteſt à ℈ j. ad ℨ j. in decoctione vero cum abſinthio,

vel

vel cum ſimili correctiuo à ℥ j. ad ℥ iij. Cæterum viribus etiam præter hæc ſingularibus prædita eſt brionia, nam & urinam mouet, & obſtructiones viſcerum etiam contumaces ſuperat, tum intus aſſumpta, tum extra in fotu adhibita; affectibus neruorum tollendis aptiſſima cenſetur, ob id opportune occurrit apoplexiæ, epilepſiæ, & conuulſionibus; aſthmati, & tuſſi antiquæ confert; ſuccus namque cum melle linctus efficaciter infarctam pituitam detrahit, duros tumores lienis, & iecoris; aliarumque partium valide reſoluit; ulcera maligna abſtergit; emendatque oſſium fragmenta, ſpina, ſpiculaque inflicta extrahit benigne, lac auget, ſecundas ducit, menſes auocat, partum facilitat, uterum purgat, & experimento ſenſato hyſtericis affectibus occurrit; cortice abſterget, eiuſdemque vitia emendat. ex radice contuſa, & expreſſo torculari ſucco, ex eo, quod ſubſidet decantato prius liquore, quod ſupernatat, quod ferula vocatur, conficitur medicamentum hiſtericis affectibus ex recentiorum experimẽto utiliſſimum; viperarumque tandem morſibus, & venenatorum animalium ictibus opportune opponitur.

De Colocynthide.

CAPVT XCVII.

Colocynthidem à cœtu catharticorum delendam admonet Manardus & Muſa. deſcribitur; temperamentum ſtatuitur; quæ deligenda, & quomodo corrigenda ſit; vires produntur.

COlocynthis, agreſtis ſiue cucurbita validiſſimum, & æquè periculoſum medicamentum eſt, cum ex ipſius Meſue teſtimonio non tantum humores furenti quodam impetum ducere valeat; ſed ſanguinẽ quoque ipſum è venis ſollicitare poſſit, & educere; immò qui unicæ plantæ unicus fructus eſt, venenum præſentiſſimum creditur. Veteribus in uſu, omnium medicamentorum. amariſsima eſt, & ita amara, ut ſtirpes qualcumque amarore validiſsimo præditas ſuperare queat; qua ratione à Perſis non iniuria fel terræ appellatur. amaror tamen iſte, dum per os aſſumitur, quia celerrime actionem ſua perficit (Gal. & Auic. teſtibus) ſenſum diutius non afficit. Arabibus plantarum mors dicitur; veneni namque inſtar protinus plantas ſibi proximas conficit; terramque ubi degit, ita ſterilem facit, ut quaſi igne exuſtam reddere valeat; quod de Baſiliſco ſerpente protulit Plinius, cuius veneno hanc cucurbitam venenatam aſsimilat, hinc deducunt Manardus, & Muſa ab huius medicamenti uſu omnino abſtinendum eſſe. Deſcribitur hæc planta à Dioſcoride, quæ fructus huius ferax eſt, ut producat à ſua radice ſarmenta, ſoliaque per terram ſtrata, ſatiui cucumeris ſimilia, in ciſuris diuiſa, floribus lanuginoſis, ex luteo pallidis, edereque ait fructum rotundum inſtar medioeris pilæ vehementer amarum, qui dum colligitur externum virorem in pallorem mutat; medulla intus alba, qua ſolummodo utimur, & ſeminibus cucumerinis referta. Diuidit Meſue colocynthidem in marem, & fœminam; maris fru-

De Simpl. medi. facul. Cap. de Colocynthide. Lib. 2. trac. 2. c. 129.

ctum

dum conſtituit lanuginoſum, colore extra in viridi nigricãte, durum, ſubaſperum, grauem; fœminam tamen præſtantiorem affirmat, exacte maturam, leuem, raram, albam, leuiſsima medulla, quæ quo leuior eſt, eo meliorem putat; præcipit autumno colligendam eſſe: harum cucurbitarum temperamẽtũ dicunt Botanici eſſe calidum & ſiccum in tertio gradu; quod quidem citra controuerſiam ſtat; validiſſime humores educit, ſed electiue, pituitam præſertim; humoreſque admodum diſtantes à centro craſſos, & licet partibus imbutos, auocat valenter deinde humores à pituita alienos, & poſtremo etiam ſanguinem ipſum, quod furentium catharticorum proprium eſt. verum cum valide viſcera afficiat, ſtomachicis corrigitur, & cardiacis; ac ne inteſtina exulceret, ſolet miſceri cum tragacantha, & maſtiche, ne venarum ora tententur, ſic enim præparatus eius ſuccus utiliſsimus eſt. Seplaſarij trochiſcos conficiunt, Alhandal vocant, quibus paſsim utimur. Fallopius pomo excauato colocynthidis pulpam infundi iubet, & incoqui; ſed parari etiam poteſt vino abſinthite, pro ſcabie namque contumaciſsima ſananda, ea ipſa ego cum abſinthio remixta in quadam paupercula feliciſſimo cum ſucceſſu uſum ſum; id etiam obtinui in lepra incipiente curanda ſæpius facta opportuna illitione, capitis & thoracis grauiſſimos affectus domat; cephalalgiæ, apoplexiæ, epilepſiæ, conuulſioni, aliiſque cerebri & neruoſis affectibus conducit; iſchiadicis doloribus, & cæterorum artuum utiliter opponitur, quemadmodum, & thoracis anguſtiæ ex pituitæ collectione & colicis cruciatibus in clyſtere ad ℥ ij. in petia; anaſarchæ quoque commendatur, dolores dentium, auriumque tollit oleo excepta, & inſtillata. Iacobus Clauius ex colocynthide excellens extractum parabat, addita aniſum aqua, & ex nucibus cupreſſinis deſtillata cum pauco aceto. infunditur, & maceratur colocynthidis pulpa in vino abſinthite à gr. 5. ad gr. xx, decoquitur à gr. x. ad grana 24. corrigitur cum aliquo ſtomachico, tutiuſque euadet medicamentum ſi *emplaſticum* aliquod addiderimus; opus namque ſuum tutius perficiet iuncta cum malua, althæa, fœnugræci ſeminibus, fruſtulis cinnamomi, aut caſiæ ligneæ, & abſinthij coma. excauata colocynthidis cucurbita, & vino abſinthite repleta per noctem, vinum catharticum exhibebit. imponitur in clyſtere ad iſchiadicos dolores tollendos, & humores in parte poſitos eliminandos in petia à ℨ ſſ. uſque ad ℥ ij. in glande uſurpatur à gr. v. ad gr. x.

De radice Cyclamini.

CAPVT XCVIII.

A quo cyclamini nomen græcis deductum ſit. Dioſcoridis deſcriptio offertur, qui benè caulem eidem plantæ aſſignat; temperamentum vireſq; adducuntur.

Cyclaminum Græci plantam illam vocant, quæ à propriæ radicis rotunditate inſtar pilæ, foliorumque orbiculari figura nomen adipiſcitur; iiſdem quoque inſignis cathartica vis nota fuit, qua trahendi pitui-

tam & quidem etiam craſſam & à penitioribus partibus valet; & ita valide munus hoc ſuum exequitur, ut non tantum per os aſſumpta id moliatur; ſed etiam exterius cataplaſmatis in modum ventri applicitam alvum ſubducere poſſit: ac proinde Arabes, & Meſue ex hac radice unguentum ſuũ de artanita parant, ſic enim cyclaminum vocant. ruſticis etiam panis porcinus appellatur; quod ſues hac radice maxime delectentur. Deſcribitur à Dioſcoride folijs hederaceis, in viridi purpureſcentibus, varijs albicantibus maculis tam ſupra quam infra refertis; caule quaternum digitorum, nudo & inani, in cuius ſummo flores erumpunt purpureſcentes, radice nigra, rapo proxima, aliquantulum lata; addit Meſue eſſe intus albam, quod veritati congruit, quamuis exterius potius ruffa ſit, quam nigra; immo in quadam cyclaminis differentia, lutea etiam conſpicitur, ex cuius præcipue ſucco ad aurium ſurditatem tollendam, medicamentum peculiare parant; ſic & flores ſubalbidos eſſe tradit, qui quidem aliquando tales viſuntur; addit ſine caule, ut in hoc à Dioſcoridis deſcriptione diſſentire videatur, qui cyclamino caulem quatuor digitorum aſſignat; immo experimentum Dioſcoridi fauet, cum manifeſtũ ſit, dum cyclaminus flores emittit, caulem licet breuem obtinere inanem, & ſine folijs. delineat alteram ſpeciem cyclamini Dioſcorides, quam repentem vocat, cui etiam Plinius adſtipulatur, quæ tamen nobis adhuc incognita remanet, licet variæ cyclaminorum differentiæ à Botanicis referantur à foliorum colore, florum forma, radicis colore, & varietate diſſimiles, quæ tamen omnia ad cyclaminorum genera referuntur. Meſue in duo genera cyclaminos diſpertitur, in maius, quod congruit fere in omnibus deſcripto à Dioſcoride in primo loco, & in minus quod etiam vidiſſe Matthiolus refert radiculis ciceris magnitudine, aut auellanæ; Iconem tamen non præbuit, quæ quidem differentia cyclamini ſi datur, certe differentiſſima eſt à relatis à Dioſcoride, & à Meſue; nec tantam alterationem pro ſoli mutatione adeptam eſſe credendum. eſt quidem cyclamini radix validiſſima acrimonia referta, ob id reſoluit, attenuat, incidit, abſtergit, temperamentumque, ſi Meſuem conſulamus, in initio tertij gradus calidum conſecuta eſt. obtinuit à natura catharticam vim validiſſimam, craſſam pituitam, ſerumque, & quidem etiã à partibus longinquis trahendi; ideo hydropicis utiliſſima, quibus opitulandis modum docet idem Meſue. Exhibebant veteres in ſubſtantia, qui modus noſtris ſuſpectus eſt, & ſub hac ratione naribus innixum potius adminiſtratur tamquam caputpurgium; loco namque errhini foraminibus narium imponi ſolet: exiſtimo tamen ego, ſi recte colligatur, etiam tuto in ſubſtantia exhiberi poſſe in robuſtis; & forſan cauſa hæc eſt, cur morbos rebelles, licet ſanabiles, non euincimus; quoniam ijs validioribus medicamentis in ſubſtantia uti veremur, vel ea, eorumque vires in officioſa arte ita infringimus, ut aut nullum, aut debile priſtini vigoris robur obtinere valeant. corrigitur eius acrimonia demulcentibus, ſtomachicis, & cor etiam roborantibus, eo modo, quo de brionia dictum. exhibetur quoque eius radicis ſuccus ad ℥iiij. cum ſaccharo ad cocturam tertiæ partis remixto; vel ſumitur cum oximellite. viſcerum obſtructiones valide tollit, præſertim lienis, ſudorem copioſum promouet; icterum ſanat eo

Lib.2.c.194

modo ſuperius dicto ſumptum, & ventri infimo illitum; ſic & colicos dolores ſuperat, retentaſque inopportune fæces per alvum feliciter ducit. affectus neruoſos ſanat, cerebroque & oculis confert, contumacioribus capitis doloribus obſtat, menſes ducit, & hæmorrhoides excitat, ſedis procidentiam comprimit illitione, abortum inducit, & partum facilitat. immo, ſi Meſue credimus, radix de collo ſuſpenſa conceptum prohibet; ſi Dioſcoridi vero utero gerenti abortum efficit, ſolo in traſcurſu tactu; at hæc potius ſcribenda, quam credenda. venenis aduerſatur, ſed vi ſua peculiari leporis marini virulentiæ; in vino ſumptum cyclaminum, & exterius applicitum morſum, ictumque venenatarum animalium ſanat, cutem abſtergit, & affectus cutaneos emendat, alopecijs utiliſſimum, & maculis delendis; podagræ, pernionibus, & luxationibus cum fructu adhibetur.

De Chamelæa.

CAPVT XCIX.

Chamelæam eſſe plantam differentem à Mezereo, & Thimelea aſſeritur. cur Tricoccos dicta, deſcribitur. quomodo corrigatur, exhibeaturque explicatur. vires traduntur.

ITa ſtat confuſa apud Botanicos ſcriptores Chamælææ hiſtoria, vt vix diſtinctionem vllam eius à Mezereo Arabum habeant & à Chamæleo nigro; immò cum thymelæa diuerſiſſima planta ſit, pudendo errore eamdem cum thymelæa confundunt, licet reuera & priſcis illis temporibus planta diſtincta fuerit, vt notum ex Dioſcoride, & noſtris etiam vtrorumque diuerſa ratio afferri poſſit. Thymelæa namque, ſi de Mezereo Arabo loquamur, ex eiuſdem Dioſcoridis delineatione lacticinoſa planta non eſt prout ſuo Mezereo aſſignauit Meſue; vt hinc facile conſtet qui Mezereum cum thymelæa confundunt, ex diuerſis vnicam plantam conſtituere. Thymelæa namque ex Dioſcoridis deſcriptione eſt Crenion, qui ab uno caule multiplices ſurculos emittit, tenues oleæ aut potius maligranati tenuioribus tamen, & viridioribus folijs, ſed minoribus, à quo nomen deſumpſit, craſſiuſculis, ſaturoq; virore præditis, linguam mordicantibus, abradentibuſque aſperam arteriam decuſſatim poſitis, & trium foliorum compage combinatis, paruis floribus, folioliſque eorum ex luteo pallidis, quibus ſuccedit fructus viridis, primo coloris terna unione compactus, ſed poſtremo purpureſcentis, vt merito à forma ſeminis eiuſque marſupio, & colore appelletur Tricoccos Chamælæa. Pituitam detrahere & pariter bilem elcctiue ſimul cum ſero, quod Dioſcoridem non latuit, & eiuſdem abradentis facultatis, immò exulcerantis, quibus condictio eius caliditas exprimitur. ad temperamentum quod attinet, excedere tertium gradum caloris & ſiccitatis creditur, & ad quartum accedere. hinc ex eiuſdem conſilio uſurpanda eſt potius in catapotijs redacta, prout ſi uni parti chamelææ duas abſinthij partes adiungamus, ijſque melle exceptis, aut aqua, catapotia concinnentur. ex horum catapotiorum formula à Lib.4.c.173

 Dio-

Dioſcoride tradita elicimus ſemper chamęlæam ſtomachicis corrigendã eſſe, reddit rationem ſummus Auctor cur ita corrigat, quia inquit hoc modo ſumpta ingeſta non diſſoluitur, aut liquefit; ſed eodem modo congeritur, etiam egeritur integra, & ſic illa vis exulcerans, qua prædita eſt, ad actum reduci nequit; nec impeditur interim cathartica facultas; hinc tutius exhiberi crediderim, ſi tali compoſitioni emplaſtica etiam addantur. vis cathartica eiuſdem chamælææ inſignis ſatis eſt, non ita tamen, ut effrænis ſit, prout Arabum mezereum; licet à quibuſdam ſpeciem chamælææ eſſe credatur, maioris tamen actiuitatis & nocumenti, ut merito maligna, & venenata planta appelletur. cæterum cum Meſue ſuum mezereum lacteſcentem plantam dicat, vix ad credendum adducor eſſe chamælææ ſpeciem. habet & aliud chamęlæa, quo medicis expetatur; folia enim eius trita & cum melle excepta ad ulcera ſordida commendantur, quod rationi conſentaneum eſt, cum abſtergentis validi rationem ſubeat.

De Thymelæa.

CAPVT C.

Deſcribitur cum Dioſcoride Thymelæa; temperamentum conſtituitur; vires explicantur.

Viribus non ita tamen efficacibus catharticis ſuccedit modo chamelææ conſideranda Thymelæa, eam merito ſubnectentes cum forma non admodum diſſimilis & viribus ſit, & Dioſcorides à capite de chamęlæa ad illud de Thymelæa tranſitum facit. deſcribitur ab eodem Dioſcoride, quod ſit frutex ſua natura ſatiui lini æmulus, virgas edat ſpecioſas, numeroſas, tenues, binum cubitorum altitudine, folijs chamælæa anguſtioribus & pinguioribus, quæ maſticata aliquid glutinoſi aut viſcoſi præſeferat, candidis floribus, inter quos fructus emergat inſtar myrti, paruus, rotundus, initio viridi, & mox rubente colore; ait ſeminis inuolucrum durum eſſe & nigrum, ſed medullã albã; calidum temperamento eſt cum ſiccitate non leui, nec abſimili admodum à chamælæa: pituitam, ſerum, bilemque per inferna educit; uſurpatur præcipue ſemen, & eius medulla inuolucro ſoluta, ſi recte eiuſdem auctoris ſenſum percipimus; de quo recte carpitur Matthiolus à Lobellio. doſis ad ſcrupulum uſque unum; vetum quia, inquit fauces adurit, cũ farina, polenta vè, aut uvæ acino exhibenda venit, aut melle correcta. ſudorẽ prolicit trita cum nitro ex aceto quo corporis ambitus illinatur. folia vino diluto inſperſa, & epota aquoſa detrahunt. vis eius effrænis moderatur, ſi coquantur cum oleribus, aut lente. ſtomacho noxam inferre tradit: necare ſubditum habet partus.

De Mezereo Arabum.

CAPVT CI.

Mezereum Arabum non eſſe chamalaen, neque laureolam feminam ſupponitur; tanquam de medicamento omnino ignoto deſeritur eius conſideratio.

MEzereum quamuis Chamęlææ nomine à Meſue donetur; non eſſe tamen ſub chamelææ genere reponendum conuincit & vis venenata, quam poſſidet, & quia inter lactarias herbas ab eodem reponitur; quia fructum ex eodem nigrum gerit, quia magnitudine myrti, & quia ſi folia oleæ gerit, maiora tamen eſſe aſſerit, cuius tamen plantæ multas differentias recenſet diuerſas colore, foliorum forma, & magnitudine, viribus tamen uniformes, neque à conditione lacteſcentium diuerſas, ut rectè Coſtæus aſſeruiſſe videtur, vel Meſue ipſum numquam hanc plantam vidiſſe, vel aliam omnino eſſe à Dioſcoridis Chamęlæa; exiſtimat Dodonæus deſcriptam plantam pro mezereo à Meſue, eſſe laureolam fęminam, at me iudice hoc eſt potius diuinare, quam quidquam certi tradere, utcumque tamen ſit, laureola fęmina noſtris temporibus notiſſima eſt, nec tam malignæ facultatis ut congruere poſſit mezereo ſeu chamelææ Meſues, habet vires validiſsimas pro educenda pituita; corrigi & exhiberi poterit eo prorſus modo, ſi innoteſcat, quo & Thymelæa, & Brionia, & ſimiles plantæ; vires eius præter facultatem catharticam, ſunt validiſsimæ, & ab eodem Meſue deſcriptæ, quas conſulto omittimus, cum de eius certitudine vix nobis quidquam conſtet.

De Euphorbio.

CAPVT CII.

A quo Euphorbium nomen acquiſiuerit cum Plinio ſtatuitur; varietates opinionum circa Euphorbij plantam adducuntur; differentiæ offeruntur; à Dioſcoride calidiſsimum eſſe temperamento ſtatuitur; vires aſsignantur.

SI Euphorbium eſt ea planta (prout opinor ego) nam certe peregrina eſt, nec niſi ſuccus, quo nos utimur deferri ſolet, & quæ à Dodenæo deſcribitur, cui notam fuiſſe aſſerit Bruxellis in horto cuiuſdam Viri Nobilis, priſcis illis Græcis omnino incognita fuit, nam Dioſcorides lib. 3. cap. 96. eſſe lybicam arborem aſſerit, ferulæ ſpeciem habentem, naſciq; in Monte Atlante in Mauritania. Galenus vero protulit euphorbium eſſe ſuccum plantæ ſpinoſæ in terra Maruſiorum naſcentis; quod ſi Dodonæo credimus, nec arbor ſpinoſa eſt, neque ferulacea, ſed herba acanthi folijs potius, quaſi Plinij deſcriptioni quodammodo congruere videtur; qui etiam denominari ita tradit ab Euphorbio inuētore Antonij Muſæ fratre, qui Iubæ Mauritaniæ Regi ſub medici conditione inſeruiebat; huic opinioni

9. De Comp. medic. ſec. loca c. 4.

nioni

nioni nec diſſentire videtur Galen. dum libellum de Euphorbij viribus factum aſſerit,& Iubæ dicatum. deſcribit Dodonæus Euphorbij à ſe viſi plantam oblongis folijs, craſſis, virentibus, in rotunda & tereti facie, anguloſis,albicantibus, ſpinis crebris, lino ordine vallatis. diſcrepantiam conatur conciliare Renodęus, dum inquit Euphorbij plantam ſibi videri per initia herbam, quæ ætate ſubcreſcente ſpinis exhorreſceret; nimis tamen mihi laxa, & longinqua opinio videtur. utcumque ſit, eſt planta acerrimo ſucco turgens, cuius ſummo feruore, prout habet Dioſcorides, territi incolæ,ut innoxiè colligant, ouillos ventres lotos arbori prius alligant, mox è longinquo caulem contis, & miſſilibus haſtis vulnerant, inde ſtatim vulnerata planta copioſiſſimum lacteum liquorem in ventres illos alligatos effundit; tantoque impetu; ut etiam humi copioſe ſpargatur. Duo ſucci huius Euphorbij appellati genera poſuit Dioſcorides; unum ſarcocollæ pelluciditate æmulum,magnitudine erui; alterum quod in ventriculis ſubditis concreſcit,& vitri effigiem repræſentet. eligit idem auctor pellucidū & acre; at Meſues has conditiones in euphorbio ſuo deſiderat; ut videlicet ſit leue,clarum,colore pallido,fragile, odore, & ſapore acerrimum,ſitque recens, nam vetus reprobatur. notas affert Gal. quibus à recenti euphorbio vetus diſtinguamus; quod vetus maiorem flauitiem inducat, ſicciùs euadat, & conſiſtentia ſua magis durum, ſed ea quæ ex guſtu dignotio percipitur, minus inquit fallax eſt; nam in veteri vix veſtigiū aliquod caloris remanet. ætatem eius etiam conſiderat neceſſariam, ut ſi ſit bene aſſeruatum, optimeque collectum in principio; durat eius vis uſque ad tertium annum; imbecillus euadit quarto, & adhuc magis quinto, ultra quos annos omnino inutile cenſetur. calidiſſimum ab effectu euphorbium pronunciauit Dioſcorides, dum inquit leui eiuſdem contactu os exardeſcere. Gal. 9. Simplicium, cauſticæ facultatis, & urentis aſſerit, & tenuium partium eſſe pronunciat. Meſue omnium lacrymarum calidiſſimam eſſe aſſerit,& tenuiſſimam, & caloris cum ſiccitate quartum gradum obtinere. vim validiſſimam purgatoriam obtinet, educendi pituitam, & alios humores; ſed ob inſignem eius acrimoniam, nunquam ſolum exhiberi ſolet. ſub hac medicamenti purgantis formalitate tamen ſuccus iſte veteribus non videtur cognitus; quamuis ſi attente Dioſcorides legatur, aliquid in eo cognouiſſe purgantis conditionis videtur aſſerendum; Meſue tamen & Arabes, necnon Actuarius, & Paulus huius facultatis meminere, ut quod valide craſſam pituitam ab articulis,& locis penitioribus ducere valeat,quàuis valide impactam. fatetur Manardus ſe medicamentum hoc in doloribus gallicis ſumma cum utilitate expertum fuiſſe; Dioſcorides aſſerit ſuffuſionibus tollendis,diſcutiendiſq; aptum; ſed cum in potu ſumptum exurat; in fotu uſurpari poterit in collyrijs ad detrahēdam eius acrimoniam, iſchiadicis commendat, aſſeritque unica die corruptorum oſſium ſquammas remouere. docet inde modum utendi, à quo & recentiores chirurgiæ docti cauſticis ſuis utuntur, vt caro videlicet circumcirca in dictis linamentis communiatur. morſibus ſerpentum opportunum remedium prædicat: quod ſi eius ſuccus inciſa cute intrudatur intra vulnus, nihil moleſtia affici aſſerit, quod tamen ex aliorum relatione refert.

3. De Comp. per gen. c. 4.

Di

De Laureola utraque.

CAPVT CIII.

Laureolam marem non eſſe Mezereon Arabum, nec Dioſcoridis Daphnoidem exiſtimatur cum Dodonæo. Daphnoidem vero eſſe Chameleon vulgare creditur Fœminam: Laureolam vero eſſe potius Mezereum, ſed Germanorum. Deſcribitur mas laureola, deinde & femina; utriuſque temperamentum ſtatuitur; temperamentum aſsignatur, & quomodo corrigatur eorum noxa; vires examinantur.

MArem & fœminam Laureolam agnoſcunt Botanici, & quidem plantas diſtinctas à Chamelæa, Thymelæa, & Chamæleone; de Laureola tamen dubitari merito poteſt, numquid ſit daphnoides Dioſcoridis, de qua agit in lib. 4. c. 148. cum notæ inibi deſcriptæ, licet ſatis conciſæ, laureolæ congruere videantur; ſunt qui putent laureolam eſse mezereum Arabum, & Meſue; quod tamen affirmare non auſim; cum mezereum à Meſue deſcriptum noſtræ Laureolæ non videatur conuenire; mihi potius ſubſcribendum videtur Dodonæo & Dalecampio, qui chamæleonem vulgarem, ſiue officinarum Daphnoidem Dioſcoridis eſse putat; fœminam vero Laureolam eſse mezereum Germanorum, quæ acerrima quidem eſt, & validior mare; hoc quidem id affirmantibus facile conceſserim; non vero mezereum Arabum, quod deſcriptum facile crediderim ab ipſis inviſa planta, & in unum glomeratis viribus, & multarum plantarum formis, prout Thymelææ, chamælææ, chamæleone, chamædaphne, Daphnoide, ut recte opinatus eſt Ophmannus. frutex eſt laureola mas, quæ è ſua radice multos ſurculos prodit lentos, craſſiuſculos, & craſso ſatis cortice obtectos; folia profert circa ſurculorum faſtigia oblonga, lata, laurinis licet minora & molliora ſimilia, carnoſa, lenia, perennia, & viridi ſaturo nitentia, *floſculis* oblongis, cauis, ſtellatis, albo virentibus, foliolis adnatis, e quibus baccæ virides, quæ colorem dum ad maturitatem perueniũt, nigrum induunt, nucleum ſatis durum includentes. fœmina verò laureola folijs non ita craſſis, quamuis eadem forma concinnatis, viridi pallore refertis, verſus ſummitatem ſurculorum prodeuntibus deciduis, floribus purpuraſcentibus; baccæ ſimiles ex nigro ruffeſcentes; utrique plantæ maxima acrimonia ineſt, & ſi dentibus folia atterantur; exaſperantur fauces, & incenduntur; vis tamen acrior fœminæ eſt, cui plenum quartum caloris gradum ſtatuunt cum inſigni ſiccitate, nec folia contuſa diuerſum habere temperamentum oſtendunt, quemadmodum & fructus; Euphorbij namque inſtar cauſtica facultate cum polleant, veſicas celerrimè excitant. Laureolam mare tertium excedere gradum tradunt. pituitam & quidem à penitioribus partibus, necnon & ſerum experimento ſenſato trahere affirmatur; ſed quoniam validum medicamentum eſt, validam etiam, & diligentem correctionem expoſcit, cum & ſtomachum euertat, & viſcera inflammet, & guttura incedat. corrigenda utraque laureola Gal. 6. Simplicium dum aceto prius macerata fuerit cum malo cotoneo, aut berberi,

deinde

deinde exſiccatā & ad annum ſeruata, additis tunc, dum uſurpatur, ſtomachicis,& acrimoniam demulcentibus, cum tragacantha, vel ſimilibus, ne inter deglutiendum gutturi officiat. Plinius Daphnoidis exhibet folia, ſiue ſemina trita cum ſale ad ℥ iij. infuſa in hydromellite; ſed de fructu præſertim intelligunt auctores. in hydropicorum cura utimur pilulis de mezereo ad ℥ j. quæ correctiua neceſsaria poſſident vires validiſſimas. uttaque Laureola haber, non tantum pro educenda pituita craſsa, & tenui à partibus etiam penitioribus, ſerumque in hydropicis; ſed etiam & medicamentum cholagogum euadit, ſicum cholagogis, & melanagogum, ſicum melanagogis miſceatur, ut Alexandri teſtimonio fatetur Meſue, vermes necar; quartanis febribus ſuperandis aptiſſima ab eodem cenſetur, ulceribus cachoetis emendandis, & cutaneis affectibus illita cum aceto; dentium dolori & gingiuarum eroſioni in collutione utiliter adhibetur.

De utraque Sanamunda.

CAPVT CIIII.

Sanamunda ex Cluſio adducitur deſcriptio; Themidis temperamentum habere ſtatuitur; Doſis, & vires produntur.

PLacuit quibuſdam Doctiſſimis Botanicis augere medicamentorum flegmagogorum familiam acceſſione quarumdam plantarum, quæ quamuis aduenæ, ac proinde ferè incognitæ nobis,& neglectui potius dandæ, quam attenta animaduerſione conſiderandæ, attamen cum ſæpeobſeruari ſoleat plures ſtirpes ex peregrino ſemine nobis delatas cœlo noſtro ſueſcere, & inquilinas euadere; ob id non incongruum fore duxi, cum ea quæ typis mandantur non ad proprium urbis commodum,in qua degimus, ſed in alio etiam utilitatem dirigi debeant; harum notitiam curioſis dare, quia præſertim olim,ſi Bauhino credimus,differentiæ Sanamundæ à Cluſio ſic appellatæ à Mauritanis,& Granatenſibus in ſummo pretio habitæ fuerint, ob mirum præſertim in purgandis corporibus earum effectum. has deſcribit Lobellius, quas Bauhinus in Pinace thymelæis accenſuit, quia exiſtimauit facultates conſimiles poſſidere; quarum primam etiam vocari voluit thymelæam folijs chamælææ minoribus,ſub hirſutis;ſecundam vero folijs chally ſalſis, lanuginoſis; immo addit tertiam, quam thymelæam tomentoſam folijs ſedi minoris appellat, quæ à Lobellio prætermittitur. Eſt igitur ſanamunda hiſpanica planta, quæ frequentiſſime reperitur, Cluſij teſtimonio, in Valentiæ ac Granatæ regnis, alijſque Beticæ regionibus, ſed præſertim maritimis. prima flexilibus ramis exſurgit à radice, cubitalibus, nigro cortice exteriore, quo interior cortex obtegitur, qui in fila ſatis tenuia facile diſcinditur; folia circa ramulos myrti ritu ordinata, chamælææ non admodum diſſimilibus, breuioribus tamen, carnoſis & hirſutis tithymalo paralio proximis, acri, & amaro guſtu, gummoſo ſucco linguam adurente, flores lutei, foliolis quatuor conſtantes, e quibus fructus thymelææ ſimilis, colore nigricante, radice craſsa, lignoſa; altera

Obſeru. pag. 624. in cap. de Sanamunda & Sanamunda altera.

Lib. de hiſt. plantarum.

quoque differentia ſimilis ferè in totùm eſt; radice craſſa, lignoſa, ramuli exteriori cortice craſſiore, denſiore,& magis carnoſo contectis, interior priori non abſimilis, qui quoque facillimè inſtar lini in fila diducitur; foliolis acuminatis prioris æmulis, ſed minoribus, tomentoſis & magis hirſutis, guſtu ſubſalſo, ſed acri, & exurente, numeroſis floribus luteis faſtigium occupantibus, non admodum diſſimilibus oleæ, fructu conſimili. deſcriptarum modo plantarum proculdubio ſapor earum temperamentum calidum deſignat, & forſan thymelææ validius, & viribus thymelæa ipſa magis vigoroſis: tradunt ſiquidem Hiſpani auctores dimidium drachmæ ſufficere purgandis cathartice corporibus pro copioſiſſime educenda pituita, & ſeroſitatibus; exhibent in iure aut vino. tradunt tamen tormina, & ventris inferni cruciatus parere. Lobellius exhibet ad ʒ j. in iure cicerum; Prævotius à ʒ ſ. uſque ad integram in iure pingui; corrigitur cum ſtomachicis, & ſeminibus cydoniorum. at profectò utriuſque auctoris doſis mihi nimia videtur, ob id ſuſpecta, pro præſertim delicatioribus,& potius ruſticis accommodanda; verum dum neceſſitas impellat, etiam delicatis propinari poterit ad ℈ j. in ſubſtantia, & ad ʒ j. in decoctione, quod de primis duobus ſanemundæ differentijs dictum eſt; de tertia etiam idem recolligit Cluſius, quæ à Bauhino vocatur Thymelæa tomentoſa, folijs ſedi minoris.

De Tithymalis.

CAPUT CV.

Tithymalorum apud antiquos exacta cognitio fuit. Hippophaem ex Theophraſto ex Tithymalis confici ad libidinem equis indendam. Salmaſij opinio reiecta. genera Tithymalorum ex Theophraſto recenſentur. Nominis etymum adducitur. deſcribuntur modus colligendi, doſis, & temperamentum ſtatuuntur. vires examinantur.

Tithymalorum genus quemadmodum hiſce temporibus ubique ferè locorum late longeque ſeſe diffundit, magna ut verum fatear humani generis felicitate; ſic priſcis etiam illis temporibus nō leuem cognitionem de ſe præbuit; aut exilem exiſtimationem ſibi comparauit. Nicander etenim Colophonius ille, qui Attali iunioris Pergami regis temporibus vixit, medicamque artem lepidiſſimis verſibus exarauit, exactam horum cognitionem habuit, quam expreſſit erudito verſiculo.

Sampſuchi, Cytiſumque, & lactoſas tithymalidas.

verum Theophraſtus, cuius plantæ tanquam ſupra æui ſui longa annorum ſerie cognitæ & familiares, eius uſum meminit; habet enim ex lacteo & viroſo tithymalo. hæc namque planta ſuccum copioſe effundit inſtar lactis albidum, confici hyppophaen apud Tegeam Arcadiæ urbem omnium optimum, & quod in maximo pretio habebatur; tunc enim hippophaes habebatur philtrum illum, ſiue herba ex Teocriti ſcobiaſte qua deguſtata equi ſummo libidinis œſtro corripiebantur. negat tamen Salmaſius huiuſmodi dari herbam, & arguit mendum in Theophraſti textu; nihilominus, *Lib. 9. de hiſt. plant. cap. 15.*

in citato loco faſſus eſt idem Theophraſtus ex tithymalo fieri filtrum. habet quoque Columella ex eodem venenum parari; neque ita facile arguendum mendum eſt in Theophraſti textu; quod quidem latuerit Clariſſimum Virum Danielem Heinſium; nec Salmaſij coniectura deducta à calidiſſimo tithymali temperamento, eiuſque acrimonia; quia incredibile ſit ex ſucco illo viroſo & acri, immo cauſtico tithymalorum philtrũ concinnari, quod ab equis non auerſaretur, aut validiſſimam non inferret iiſdem noxam. Verùm pace ſublimioris Viri, ex hoc argumentor potius contrarium deducendum fore, cum ad œſtrum excedens naturæ limina, & coitus veluti in rabiem efferandum, equiſque inducendum magnæ actiuitatis philtrum opus fuiſſe opinandum; & Plinius lib. 28. veneficum philtrũ vocat, præterquamquod ſæpe quod homini venenum eſt, in animalium uſum faceſſit, ut de cicuta in ſturnis notum. verum utcumque ſit, notiſſimũ ut dictum eſt, euadit, tithymalorum plantas priſcis illis temporibus cognitas, & in uſum reuocatas fuiſſe. horum tria genera fuit Theophraſtus, quorum primum vocat Paralium; gramen maritimum vertit Heinſius; alterum vocatur tithymalus maſcula & oleæ folio; myrtaria demum folijs myrti parte poſtrema. verum Dioſcorides latius ſe diffundit & ſeptem tithymalorum genera recenſet. nec Plinius ab eodem numero diſſentit. vocat tithymalum quaſi exuberantem præ nimio lacte mammam ſiue papillam repræſentet, Latinis & Plinio lactaria herba, & lactuca caprina, primum vocat Caracias maſculũ, quaſi vallare, & à quibuſdã idem vocari etiã amygdaloidem aſſerit. ſecundum fœminam dicit, & myrtitem; Carytem etiam, & Miſſinitem; Tertium Paralium ab alijs Tithymalidam, quartum helioſchophiũ; quintum Cypariſſiam, ſextum dendroidem, quaſi arboreſcat; ſeptimum & poſtremum platyphillos, ſeu latifolium. primum Caratium deſcribit caules ſuprà cubitum attollere rubros; acri lacteoque ſucco refertos, circa ramulorum propagines folia conſtitui oleagineis ſimilia, anguſtiora temen & longiora; radicem & lignoſam gerere, & craſſam, coma iunci in caulium cacuminibus, & in caua quædam ſpectari alueolorum ſimilia, in quibus ſemen reconditur. huius tithymali generis Dodonæus quinque enumerat ſpecies, alij plures, alij pauciores, forma tamen parum diſcrepantes, & quæ facili negotio ad ſuum genus reduci poſſunt. fœminam inde tithymalum deſignat idem auctor Dioſcorides myrtitem Carytem, aut Mirſinitem vocat, & Daphnoidi ſimilem facit, delineatque folijs myrti maioribus, in ſummitate acutis, & aculeatis, emittere à radice ſcribit ſarmenta dodrantalia, quam alternis annis fructum proferre ait nuci ſimiles, qui leniter linguam mordicet, huic plantæ, quod tamen Dioſcorides ſubticuit, flores muſcoſi, pallidi, ſub luteo herbaceo colore, fœminæ maſculo non abſimilia. Paralio tithymalo tertium locum aſsignat idem auctor maritimo vid. cum circa maris æſtuaria naſci ſolet; deſcribitur ab eodem rubentibus à radice virgultis, ſiue caulibus quinis, aut ſenis, glutinoſis, cubitalibus, folijs minutis, crebris, ſtipatis, atro virore refertis, capite in cacumine orbiculato, in quo ſemen erui ſimile. quarum occupat locum tithymalis Elioſcophius, folijs portulacæ, rotundioribus tamen, & tenuioribus, ramis à radice quaternis, aut quinis, dodrantali ſtatura, ramulis mino-

Lib.4.c.165

minoribus, tenuioribus, rubentibus præditis, copioſo lacte plenis, quemadmodum cætera genera, capite anethi ſemina inter folia veluti locata. nominis rationem reddit, quia comam cum Sole circumagat; habet deinde hiſtoriam quinti tithymalorum generis, eumq; tithymalum Cypariſſium vocat, cui dodrantalem aſsignat caulem, quandoque tamen elatiorẽ, ſub rubrum, foliolis pini, mollioribus, & tenuioribus, quæ tamen naſcentem pinum æmulentur; inde ſextum, quem Dendroidem appellauit, deſignat, licet in petroſis naſcatur, quaſi arboreſcens tamen dicitur, & folioſam in cacumine denſamque ſpargere comam ait. huic ex botanicorum obſeruatione radix fibroſa fruticat, & hoc tithymali genus ex uno ſtipite caules emittit bicubitales, folijs myrti, ſed caratiæ tithymalo magis accedentibus, & potius eſulæ maiori. huic coma lutea eſt & amplior cęteris, fructus caratiæ ſimiles gerit. ſeptimum tandem in ordine tithymalorum eſt platyphyllos, cuius deſcridtionem ſubticere modò decreui & alio eam relegare, quoniam diuerſos à ſuperioribus humores educere, & allicere ſoleat; ſerum namque peculiariter & primo loco allicit, ne eidem improprium locum aſſignare videamur. temperamentum omnium tithymalorum ſimile eſt, nec admodum diſſimiles vires; validiſsimum eſſe quodcumque pronunciat Gal. 7. Simplicium; habere ait vincentem calidam & acrem facultatem, & vim excaroticam, Pſilotrumque medicamentum eſſe; ut non iniuria Præuotio tithymalis aſsignetur in conſimili ſiccitate quartus gradus caliditatis. ſic tantam in eo caliditatem cognitam etiam video à Dioſcoride; qui dum in dentium doloribus adhibetur tithymalus, ut cæteri dentes à dolente incolumes ſeruentur, cera illiniendos eſſe tradit. tribuitur ſupra relatis tithymalorum generibus pituitam primo, deinde bilem efficaciſsimè trahere; quod etiam per ſuperna excitato vomitu Dioſcorides detrahi docet, Caratiam tamen non ita valide operari tradit, & inefficacioribus viribus ſuo Eleſcophio aſſerit ad omnia tamen ijſdem facultatibus prædita. eſt igitur tithymalus etiam à recentioribus in uſum catharticum reuocatus, prout ex quo præſertim facile remedium pro pauperibus eligi poſsit; ſuccus namque eius, ſiue lac diligenter collectum circa vindemiam, Dioſcoridis more exhiberi poteſt à granis quinque ad grana duodecim, ramuli vero tenelli foliaque in ſubſtantia à drachma ſemis ad ſcrupulos quatuor; radicis cortex in ſubſtantia à ſcrupulo uno, ad drachmam unam; in maceratione vero à ſcrupulis quatuor ad drachm. iij; corrigi tamen diligentiſſime debet, quia & exaſperat, & exulcerat. corrigentia ea eſſe debent, quibus Meſue emendat ſuum Alſebram. exhibet Dioſcorides tithymalum ad vomitum ciendum duorum obolorum pondere cum melicrato, aut poſca. Meſue tamen ſuccum Alſebra, quod tithymalorum proculdubio, & lacteſcentium plantarum ſoboles eſt, licet ad quod genus à Dioſcoride relatorum referendum ſit, adhuc ſim neſcius; diligentius corrigit, ut qui cognouerit valentiſſimi medicamenti vires, quod ob temperamenti cõditiones, nocumenta non leuia inducere valeat, ſi præſertim aut copia paulum excedamus, aut eorum qualitas non ſatis compeſcatur. quod etiam facit Auicenna de ſuo mezeregì; quamuis, ut verum fatear, noſtrorum tithymalorum conditione vim ita effrænem ſuũ

Ll 2 non

non gerant, forſan è climatis diuerſitate, habet tamen tithymalus facultatem, qua ſtomacho infenſus euadat, ideo ſtomachicis corrigendum, cardiacis, & hepaticis, necnon refrigerantibus, & emplaſticis, quia præſertim ratione temperamenti, impenſe calefacit, & exulcerat; febres ob id excitare valet, venas aperire, ſanguinemque detrahere. infundit radicem Meſue in aceto per diem naturalem, in quo macerata ſint malacydonia, & myrobalani, ſic per totidem horas in lacte macerari voluit, vel in aceto per duas vel tres vices, quod & Auicennæ cognitum fuit, quamuis ab auctoribus hoc de eſula interpretetur, & à Meſue commentatoribus, quod tamen intelligendum eſt de omnibus lactariarum herbarum generibus, cum cauſtica omnia facultate ſint prædita; fortiſſimum ſiquidem ſuccum lactariarum appellat Gal. 8. Simplicium. ſemen mediam vigoris rationem obtinet; debiliorem vim habent folia, & radices, quarum uſurpatur cortex. detur puluis radicis à ſiliquis duabus ad ſiliquas ſeptem, ſuccus vero à ſiliqua una ad ſiliquas tres; articulorum doloribus in primis commendatur, cum non tantum pituitam ducat, ſed ſerum, & præſertim bilioſum, ideo hydropi neceſſarium medicamentum euadit, & illis omnibus affectionibus morboſis, quæ à contumaci & impacta partibus pituita dependent. ſuccus amygdalarum dulcium ſucco remixtus acrimoniam amittit; cutaneos affectus emendat, abſtergendis igitur maculis cutis cum fructu adhibetur, ulceribus cacoetis, gangrenis, carbunculis phagedenis utiliſſimũ ex Dioſcoride medicamentum euadit.

De Flore Æris loto.

CAPVT CVI.

Quis abuſus intercidat apud ſeplaſarios circa æris loti uſũ detegitur, & electio modusque legitimum as colligendi explicatur; temperamentum eius, & vir examinantur. Album æris florem dari ex Fallopÿ teſtimonio confirmatur.

QVamuis noſtrum inſtitutum præcipuum ſit hic cathartica vi præditarum vires ſingulares, quibus ex propriæ ſuæ formæ diſpoſitione, ad humores ab humano corpore eliminandos ſpecifice à natura deſtinantur tantummodo explicare, non vero metallicorum quibus ſuo loco, dum de metallis verba facturi erimus, commode agendum venier, nihilominus ob miram ſimilitudinem, quam habet flos æris lotus in flegmate educendo cum ſupra explicatis plantis, paucula etiam de eodem afferre fas ſit, deque præſtantia eiuſdem in electiue ſubducenda vigoroſeq; pituita. eſt igitur flos æris inſigne catharticum flegmagogum medicamẽtum, ſi præſertim lotus in uſum medicum trahatur, quod non latuit Dioſcoridem lib. 5. cap. 38. id memoriæ tradidit. cæterum non inutiliter dubitatur numquid flos æris, quo in præſens officinæ utuntur ad pituitam expurgendam, idem ſit, qui loco citato à Dioſcoride ad hunc uſum, & ad alios effectus commendat. concludit & optime Faloppius ſeplaſarios noſtros uti pro flore æris (magno quidem errore) eiuſdem æris ærugine, &

quæ

quæ proculdubio maiorem obtinet acrimoniam; & hoc quidem, quia æris flos non ſine magna difficultate colligatur; ærugo vero faciliter. Docet Dioſcorides modum habendi æris florem; & fit inquit dum æs fuſum per tubos in receptacula defluit, tunc enim frigida aqua puriſsima profundi debet; à qua effuſione fit æris concretio, eo ſiquidem tempore ex intimo flos ad ſuperficiem floreſcit; Chimici tamen ſecuriori modo ſe habere, florem colligere profitentur, & ex æris placenta, licet Agricola fateatur ſe reperiſſe æris florem ſponte concretum inſtar millij, granulis tamen minoribus intra fornacum cineres, ubi æs funditur. utcumque, ſit ſi legitimus haberi poteſt, eo uti poterimus tamquam medicamento aptiſſimo ad pituitam educendam; quem laudat Dioſcorides dum teritur fariabilem, valde ruffum, ponderoſum, & ſplendentem. verum quoniam, inquit, flos ſcobe eiuſdem æris adulterari poteſt, deprehenditur tunc vitium, quoniam ſcobs dum dentibus teritur, non eſt friabilis, ſed dentium compreſſione dilatatur. temperamentum quamuis neque à Dioſcoride, neque à Galeno floris æris deſignatum videam; æris calidam naturam neceſſario ſequitur; immo calidior cenſetur, cum magnopere mordicet. ad pituitam educendam adhibet idem auctor flore in æris duorum obolorum pōdere; adſtringendi facultatis eſſe aſſerit, & cohibere excreſcentia, & abſtergere; ſub qua ratione oculorum ſuffuſionibus utiliter adhiberi. vitioſas narium, & importune creſcentes carnes abſumit; tum etiam ſedis, utiliſſimumque medicamentum prædicat reprimendis papulis cohibendiſque, albumque æris florem commendat ad aurium ſurditatem, ſi tritus per tubulum in aurem inſuffletur; quem profecto æris album florem ſe vidiſſe fatetur Falopius Ferrariæ in cineribus, ubi cuprum liquatur; uveæ fluxiones & tonſillarum cum melle adhibitum reprimere. cæterum cum medicamētum iſtud in medium uſum non ita peruium habeat; de eo ſatis ſuperque dictum ſit; licet non ſpernendum medicamētum. Præuotius à duobus obolis ad quatuor exhibet & corrigit cum oxymelite. hoc igitur poſtremo medicamenti genere catharticorum flegmagogorum concluſam eſſe ſeriem tandem volumus, ut ad melanagoga explicanda in poſterum accedamus.

De medicamentis humorem melancoliium cathartice educentibus.

CAPVT CVII.

Veteres nobis, & iudicis difficultatem in Medicina exercenda minuerunt & experimenti periculum ſubſtulerunt, exciti à morborum tum ſeuitia, tum brutorum animaduerſione, & uſu in neceſsitatibus, qui è veteribus magis præſtantes fuerint in Simplicium cognitione offertur cauſa cur de Melanagogis agendum ſit.

DVo ſunt in rem medicam eximia veterum beneficia, quibus nos; & poſteritatem omnem plurimum deuinxerunt; primum quod iudicij difficultatem minuerint; alterum, quod experimenti periculum ſubſtulerunt, utroq; modo labores nobis minuentes, de quo conqueritur Hippocrates multum contraxerunt. & iudicij quidem difficultatem minuere, natu-

naturæ humanæ ſedula contemplatione adhibita, etiam artificioſa membrorum ſingularium anatome; tum cauſarum, à quibus ægritudines producuntur accurata perueſtigatione, methodoque nobis relicta, qua in particularium proprietatum cognitionem perduceremur in rem, ut fatetur Galenus, neque exacta ſcientia compre henſibilem, neque verbis ullis ſatis explicabilem. ſuſtulerunt veteres experimenti periculum, dum ipſi experiri omnia ac tentare voluere quæcumque in bonæ valetudinis curam, tutelamque cedere poterant. impulit eos ad remediorum explorationem morborum ſæuitia; optabilior namque mors eſt, inquit Diuinus ille Panaretes, pertinaci ægritudine. inuitarunt tamen ad medicamentorum vires indagandas bruta quoque animantia, cum animaduerterent ciconiam ægrotantem ex origano medelam capere, ex hedera Aprum, caligantium oculorum nubem ab hirundinibus, fęniculi chelidoniæve ſucco diſcuti; dum eo affricato pullis implumibus viſum aut acuunt retuſum, aut amiſſum reſtituunt: cum canes cernerent gramine manſo ſtomachi faſtidium deducere, reiecta per vomitum pituita; ceruas ſerpentium morſus elaphaboſco mederi, infixaſque ſagittas dictamni paſtu excutere; ſerpenteſque denique ipſos deguſtato fęniculi ſurculo ſpolium hybernum exuere. neque experiri tantum remedia antiqui voluere, ſed reperta quoque memoriæ poſterorum tradere. diu inquit Plinius, inter ipſos ingeniorum certamen fuit, ne quid ſeculis profuturum diutius lateret; itaque vel à vetuſtiſſimis ſæculis vires herbarum, editis in publicum ſcriptis, promulgarunt auctores clariſſimi, atque inter hos primus, & vere Princeps ſublimis ille Hermes, Salomon, Hippocrates, Mithridates, Cleopatra, Euax, Cato, Caius, Valerius, Plinius ſecundus edita, ad Veſpeſianum Imperatorem de rerum natura hiſtoria luculentiſſima. Pal mam tamen omnibus præripuit Dioſcorides, qui in virium plantarum naturis explicandis extitit ſemper unus inſtar omnium, præſertim in catharticis facultatibus prodendis; quemadmodum hucuſque viſum eſt, & in ſequentibus apparebit. Cum igitur mixta quæque, non uno conſtent elemento, ut ex Hippocrate notũ, nec unico humore viuentium corpora conflentur; ex horum mutuo, neceſſarioque diſſidio, exuberantia, inde noxa emergit; nec promiſcue horum exuberans ſarcina eliminanda veniat, ſed electiuè, & quantum opus ſit. hinc ſingularia etiam ex varia natura generauit medicamenta ſingulis humoribus, mole præſertim & qualitate peccatibus educendis deſtinata, ut vires corporis nimio eorum pondere collapſæ, aut noxia qualitate labefactatæ inſurgerent, & corpus ipſum veluti poſtliminio in integrum reſtitueretur. Hanc igitur naturæ intẽtionem ſecuti, quæ bilis, & quæ pituitæ exceſſum caſtigarent, ſupra retulimus: nunc melanagogis medicamentis explicandis incumbendum, quibus deinde hydragoga ſubnectimus, exordium ſumentes ab epithymo, medicamẽto in melanagoga ſatis temperato.

De Epithymo.

CAPVT CVIII.

Epithymi nominis etymon declaratur. Deſcribitur. an pendeat in deliteſcente forma in Thymi nutrimento. an a propria Thymi forma dubitatur. Sequi epithymum conditionem temperamenti eiuſdem, cui innaſcitur plantæ ſtatuitur & eius temperamentum adducitur difficultates circa Pauli & Meſ. opiniones examinantur. vires, & doſis produntur.

NOn rarò obſeruare licet etiam ea, quæ infrà proprij generis perfe-ctionem poſita videntur, & naturæ tanquam abortus, & recrementa, non careant tamen eximijs viribus, quibus humanæ valetudini commodum promouent. Epithymum interea plantis quidem imperfectis annumeratum agnoſco; viribus tamen vel perfectiſſimis non inferioris efficaciæ. Quid ſit, obſcurius propoſuit Dioſcor. cum illud θύμου ἄνθος Thymi florem eſſe ſcribit. Vnde alij aut non cognouiſſe plantam, aut eamdem à Thymo non diſtinxiſſe viſi ſint. meliorum tamen ingeniorum conſenſu eadem eſt, cuius & Græci, & Arabes meminerunt; quum probabile ſit Dioſcoridem non propriè floris voce, ſed communiore ſignificatu uſum fuiſſe; *Græcis* utique ἄνθος ἀνωθῆν ab imponendo videlicet, in ſupremis partibus ponendo deductum eſſe; prout rationabiliter annotatum à Saraceno in ſcholis video. item quidquid in ſuperficie, qua tenerior pars effloreſcit, unde ἁλὸς ἄνθος & ſalis, aliarumque rerum florem denominamus, prout nõ ineptè acceptum eſt à Fabio Columna. ita epithymum, quoniam florum quandam imaginem Thymi capitula, cincinnis, & quaſi capillis comare *videatur*, ijſque adhærere, à Dioſcor. florem appellari. Quod verò non idem *penitus* cum Thymo ſit, arguit nomen, in quo particula ἐπὶ additamentum, & acceſſionem θύμου innuit. diſertè id confirmat Meſ. epithymũ ex herbis eſſe creſcentibus in alijs herbis; & eſſe ſimile Cuſcutæ; creſcere autem in planta, alkil, & allhaſcè, & origani quadam ſpecie. Aetius etiam è Græcis ait epithymum eſſe florem, qui in Thymo in Thymbra, & ſtæbe, quoque ſæpè naſcatur, quemadmodum poſt & recentiores deprehenderunt in Hyſſopo, ſerpillo, praſſio, chamædri, & Geniſta productum. ſanè Plinius appoſitè, epithymum non florem Thymi, ſed florem de Thymo ſcripſit. Eſt itaque, de quo hic loquimur epithymum, planta in Thymo prognata, denſiſque capillis inuolucri inſtar illud circumplexa, & viribus communibus, & nutrimento perfuſa. prouentus epithymi haud immeritò mirabilis; quum conformatione à Thymo diſtinctum ſit: quum radice propria careat, in qua aliàs ἐγκάρδιον conſtitutum. referre tamen ortum eius libeat, vel in formam deliteſcentem in hauſto Thymi nutrimento, quæ locum, & calorem nacta, vim ſuam, & facultatem exerat, efformetque, non quod debebat, ſed quod poterat hoſpitio in obuio, prout de viru credimus, vel in formam Thymi propriam; non aduenam partem alimenti ſuperfluam quidem; non temen rei cuiuſdam productioni ineptã

Rariorum ſtirpium lib. 2. cap. 23.

fin-

ſirgentem efformantemque partem pro ſui ratione à proprijs diuerſam; ſimilem in animantibus tunicati innuunt abſceſſus; prius confirmat artificioſa plantarum inſitio; malorũ in platanis, pirorumvè in ornis, quercum in ulmis non aduerſantibus ſibi eiuſdem ſpeciei formis, dummodo cætera conſentiant materiæ adminicula. Temperamentum huius ſtirpis, prout & facultas uariare ſolet pro conditione plantæ, cui innaſcitur, adeoque planta vim purgandi non habet, dummodò ipſa, cui innaſcitur facultatem purgandi non gerat; quemadmodum Cuſcuta, quæ lino, & alijs conſimilibus increſcit plantis, quod obſeruatum eſt à Clariſſimo Faloppio, necnon ab alijs. Epithymum Thymi Gal. calidum, & ſicum pronunciat in tertio gradu, Meſ. verò in ſecundo; probabile tamen eſt hunc reſpexiſſe ad latitudinem, & confinia cum gradu tertio; pollet igitur epithymum attenuãdi, incidendi, aperiendique facultatibus, adeoque hypochondriorum, & præſertim lienis, renumque obſtructionibus tollendis à Meſ. utiliſſimum medicamentum creditur; ſed ex eodem id peculiare eſt epithymo ſuper omnia facilè, & ſine moleſtia melancholiam ducere; addunt aliqui etiam phlegma, prout Dioſcor. qui χολὴν μέλαιναν καὶ φλέγμα etiam purgare ait. Cur autem Meſ. bono iure carpere poſſit Paulum Æginetam, ut verum fatear, non video; nam cum idem Meſ. dicat epithymum omnibus melancholicis morbis occurrere, & inde reprehendat Paulum, qui dicat atram bilem educere, hoc eſt exuſtos humores; cumque plures morbi melancholici ab atra bile originem ducant; potiùs Meſ. redarguendus, non Paulus, qui eiuſdem eſt opinionis. nec mihi arridet reſponſio Coſtæi, qui ut auctorem excuſet, intelligere Meſ. ait per exuſtos humores bilem flauam, quia feruida eſt; at nullus, me iudice, talem bilem exuſtam & atram vocabit. dicendum potius deeſſe in codice Meſ. particulam (non) qua Paulum negaſſe crediderat epithymum educere atram bilem; & ob id ab eodem reprehenſum. utcumque tamen calidum, & ſicum medicamentum bili feruidæ opponere, & corporibus tali temperamento donatis non ita congruum videtur. Cæterum & bilem & ſecundario duci ab epithymo voluit Plinius; ſic & ex mente Dioſcor. Serapio; qui tamen Dioſcor. nihil de hoc habet in textu. admonet Meſ. circa uſum epithymi ignauam eius vim intendi aliqua addita portione Myrobalanorum Indorum, aut hellebori nigri, quod aſſequi aſſerit etiam piperis, vel zingiberis modico. Præſtare etiam habet, ſi exhibeatur cum mulſa, vel aqua paſſularum, aut ſero caprino. De doſi epithymi nil certi apud Arabes; adhuc tamen magis incertum apud Græcos. Magnis tamen viris compertum eſt, recte exhiberi poſſe in ſubſtantia à ʒj. ad ʒ vj. in decoctione verò ab ℥ ſ. ad ʒ x, vel ℥ j. & ſ. commendatur in capitis doloribus, melancholia, & epilepſia, cum utraque affectio à tetris, malignis, & melãcholicis vaporibus ſurſum delatis, Deutrochia cerebri exorta ortum ducat, in tremore cordis, & deliquio; non tamen in paroxiſmo, ſed extra; & cum ab aura frigida, vel maligna princeps viſcus percellitur. ſplenis affectibus, ſed non abſolute omnibus, ſed ab humore melancholico excitatis medetur, remota cauſa. Cancro afflictis, nondum, nec enormiter aucto, neque exulcerato affectu malum minuit. Leproſis verò quid conferat, medicamentum calidum, & ſicum, ſane

ne quia multorum conſenſu bilem atram euacuat; verum admodum temperatioribus correctum exhibendum, licet vix meo iudicio aliquod iuvamentum afferre poterit, ob ſummum ſqualorem, & uredinem partis affectæ; quibus profecto ſolatium nullum, niſi à balneis, oleis temperatis, medicamentis, & alimentis refrigerantibus, & humectantibus; ut è recentioribus obſeruatum monuit Iulius Palmerius tractatu de elephantiaſi.

De Cuſcuta.

CAPVT CIX.

An Cuſcuta ſit Plinij Caßita inquiritur. non in lino tantum innaſci, ſed & in alijs plantis oſtenditur. Variare temperamentum, vireſque pro natura eius, cui innaſcitur plantæ.

EPithymo cognata admodum eſt Cuſcuta planta ſic officinis vocata; nam haud ſecus atque illa plantis diuerſis innaſcitur propria radice deſtituta; grandior eſt epithymo, & ſine folijs, floſculos producit albos in capitulis, ſuperuacuo ſemine abundantibus. Matthiolus plantam hanc his non refragatur, qui ijſdem viribus, quibus aliæ plantæ præditæ ſunt, quercũ corpori incumbunt, donatam eſſe affirmantibus. dubitat tamen an eadem circum Plinij Cadyta, vel Caſſyta, quam in Syria tantum naſci aſſerat; nec ſolum fructices, ſed arbores quoque implicet; cum noſtra Cuſcuta herbis tantum, & fructicibus inſternatur. Recentiores eamdem faciunt natura cum epithymo, ea diſtinctione, ut minorem, & vulgatam Cuſcutam, Cuſcutam nominent maiorem; eamdem verò Cadytam Plinij, non obſtante, vel amplitudine, vel extenſione, cum hæc ipſa non in lino tantum, in quo λινόδεσμον, & ποδάγρα dicitur; ſed urticæ maiori innaſcatur, lupulo, ſed & in rubo, in Sambuco, Epiactæ, Columnæ deprehenſa ſit. Temperamentum huius definit Matthiolus, quod ſit in gradu primo caloris, & in gradu ſecundo ſiccitatis, aſſeritque abſtergere, & roborare cum quadam adſtrictione; commendatque eam in iecinoris, & lienis obſtructionibus, morbo regio, urinæ difficultatibus, puerorumque febribus aduerſari, & ſanguinem à pituita, & à bile purgando puriorem reddere; cum tamen diuturno uſu ventriculum grauet, aniſi momentum adiungendum. at hæc non ſimpliciter admittunt viri magni, & præſertim Faloppius diſertè, qui Cuſcutam vino iunctam minimè purgare ſcribit. Ego quemadmodum plantam, cui inhæret diuerſam temperamento eſſe haud dubito pro ratione alimenti, quod ex diuerſis ſubiectis trahit; non ſemper purgandi vim reſpondere; quæ Sambuco innaſcitur, & aperiendi, & purgandi inſtar Sambuci facultatem obtinebit; parique modo in alijs, prout natura gerulæ plantæ fuerit.

De Polypodio.

CAPVT CX.

Polypodij radix cur ſic dicta; deſcribitur planta; à loco ubi innaſcitur deſumere præſtantiam aſſeritur cum Meſ. paſſiuarum, qualitatum in temperamento conſtituendo polypodij laudatur Meſ. opinio, reicitur actiuarum.

CVm epithymo & cuſcuta iungitur facultatum affinitate polypodiũ, quamuis ob temperamenti remiſſiorem modum à Meſ. epithymo præferatur. radix hæc, quæ & tantum uſurpatur, cirrorum polypi piſcis prorſus æmula, longa, verrucoſa, digiti minimi craſſitudine, hirſuta nomen plantæ dedit, ſi Dioſcor. conſulimus; & quam etiam filiculam vocari voluit à folio filici non valdè abſimili. Promit à radice folia palmi longitudine, auerſa parte maculata, non caulem, non flores, non ſemina inſtar filicis producit. in antiquorum quercuum cauitatibus præſtantius polypodium innaſcitur, ut non ita probi uſus ſit, quod lapidibus, & umbroſis macerijs, muſcoſisque increſcit, ob ſuperfluam, quam inde trahit humiditatem; & ob id ſtomacho magis infenſum euadit, quod Meſ. admonebat, dum nauſeam ventriculo moleſtam, excitato flatu, concitare aſſerebat. Radix hæc nodoſa, ex rubro nigricans, guſtu adſtringenti, & cum dulcedine ſubamara percipitur. Temperamenti ratio ex Meſ. incerta euadit, dum hic Dioſcor. dixiſſe referat polypodium temperamento calido in tertio, & ſicco in ſecundo habere dicat; quod tamen ex textu Dioſcoridis elici nequit, ut qui nunquam gradus temperamenti deſignet. Auerrhoes tamen temperatum eſſe polypodium credidit, cum in eo inquit dominetur dulcedo cum adſtrictione; & cum ex Gal. conſenſu ſiccet citra mordicationem. Manardus, Meſ. reprehendit, ut qui aſſerat polypodium valdè corpora exſiccare, & ventriculum ſubuertere, nam cum leniter purget, neque excellenti aliqua vi polleat, videre neſcit, quomodo corpora extenuare valeat. Verum quod ad calorem attinet polypodij, niſi noſtrum ab Arabum polypodio ratione diuerſitatis climatum differat, cum ſummum amarorem ſuo tribuant, & Caryophyllorum aromaticitatem, vix excedere primum gradum caloris exiſtimauerim; quod etiam ſenſu linguæ deprehendimus. de ſiccitate autem libenter Meſ. adſtipulandum cenſeo, quemadmodum, & Gal. nec valet ratio Manardi, quod leniter purgat, valdè ſiccare non poſſe, quoniam purgandi facultas nunc infra, nunc ſupra temperamenti conditionem, ſeſe exerit. In Doſi hodiernorum conſenſu non cõuenit cum antiquis; exhibetur in ſubſtantia à ʒj. ad ʒiv, in decoctione verò ab ℥ſ. ad ʒx, imbecillitas purgandi roboratur admixtis validioribus catharticis; exſiccatio nimia prohibetur decoctione florum cordialium, vel paſſularum, aut iure galli. Nos antiquiores imitati, ut teſtatur Cato, qui purgantia cum eſculentis coquebant, ſtomachi offenſam cauemus addito aniſo, fœniculo, zingibere, & ſimilibus. Fatetur Dioſcorides polypodiũ bilem euacuare, ſed atram cum pituita craſſa, cui aſſentitur Meſ. Plinius

8. Simplic. medicam.

bilem

bilem ſimpliciter prodit; ſed experimento ſtandum eſt, & meliorum conſenſu. Commendatur polypodium à Meſ. ad articulorum noxas, quod experimentum Dodonæus apud Menapios deduxit; ſic & ad flatus inteſtini coli, qua bilem, pituitamque ſubducendo, qua diſcutiendo, & exſiccando. Commendat itaque ad ſplenis duritiem, ſed ſub qua ratione quæſo, cum obeſſe potius videatur ſua, qua pollet, adſtrictione, niſi ſimplicis euacuationis gratia uſurpetur atram bilem ſubducendo? Fractis & Luxatis tritum polypodium efficaciter illiniri habet Dioſcorides. & ſane quamuis ab affecta parte reuellenda fluentes humores prodeſſe queat; multo tamen euidentius iuvabit contuſum, tenuiſque emplaſtri modo circumdatum; non in principio cum repellendi neceſſitas maior, ſed in progreſſu, cum diſcutiendum, ac roborandum eſt. ſanat præcipuè ſciſſuras, quæ ſunt in manibus, propria tum ſicandi, tum abſtergendi facultate: reſpiciendum tamen ad mali cauſam, ſi quam fouentem habet; nam cum à frigore eſt, optimè confert polypodium.

De Senna.

CAPVT CXI.

Non eſſe Sennam Coluteam Theophraſti, aut eiuſdem Colytheam, nec Dioſcoridis Delphinium, vel Antiquorum Peplion, Peplon ve, aut Empetron, nec Ægyptiam dici poſſe ut Alexandrinam. deſcribitur ſenna. ſtatuuntur genera. non aſpernatur Italicum ſolum. diſquiritur an folia vel potius folliculi præſtantiores ſint. reprehenditur Meſ. qui ſtomacho infenſam putat ſennam. Tormina tamen excitare aſſeritur: quos humores electiuè ducat ſtatuitur. Temperamentum definitur, vires examinantur.

PRæſtantiſſimum medicamentum Arabum ſenna eſt, & ita innocuum, ut morbis ferè innumeris profligandis tutiſſimo experimento; nec vel leuiſſima excitata læſione paſſim uſurpari videatur; immò ob eius vim polychreſtem, varia medicamenta, magno cum artis decore, ſummoque ægrorum emolumento ingrediatur. iure igitur ab Authoribus nobile, & benignum pharmacum vocatur, cum citra noxam ullam in medica facultate exequenda tot præſtet efficaciſſima commoda; ut fatendum veniat, veteres nonniſi maxima cum languentium iactura tanto medicamẽto caruiſſe. Solum inter Græcos auctores ſennam calluiſſe Actuariũ facilè perſcrutanti offertur, ut qui afferat, tale medicamentum ex Ægypto, & Syria delatum fuiſſe. Cæterum manifeſtiſſimo errore detinentur illi, qui ſennam credunt eſſe Coluteam, vel Colyteam Theophraſti, quas ſtirpes procul dubio arboreſcere cognouimus; Senna autem ſatis humilis herba eſt. ſed multo minus opinandum cum alijs eſſe Dioſcoridis Delphinium, facies enim harum omninò differens inter ſe. Delphinio namque folia oblonga, repanda, tenuia, & flos purpureus, ut flos geniſtæ; luteus ſennæ, & matronali violæ, ſiue braſſicæ ſimilis, & folia potius fœnugræci, aut myrthi. non peplion, aut peplon antiquorum, cum hæ lateſcentes plantæ ſint, & folia

gerant portulacæ, nec ſemen in ſiliquis ferant, quod à toto genere à ſenna diſtat; non empetron tandem, cui lentis folia ſimilia, & ſapore ſalſa; ſennæ nihil horum, ſed guſtu ſubamara. Apud Arabes Ægyptia, & Alexandrina ſenna eadem eſſe putatur, quæ apud Perſas Abalſemer. hinc non ineptè aliqui credidere orientalem ſennam eſſe potius perſicam, quam ægyptiam ſiue Alexandrinam, quæ è Perſico ſinu Alexandriam delatam, emporium nobile, Alexandrinæ ſennæ cognomen ſibi adſciuerit; ea prorſus ratione, qua Romani calamum aromaticum Alexandrinum vocabant, quia inde ad illos deferebatur, quamuis ibi non oriretur. nec Myrrha ſyriaca eſt, quamuis poeta Syriacam vocet, parique ſenſu nardum ſyriacã appellat Dioſcorides; quæ tamen ex eodem iuxta ripas Gangis producitur; ſic Synapium Minium appellat Strabo, licet Cappadocico ſolo collectum. At profectò, ſi ſenna planta Ægyptia eſſet, Alpinus diligentiſſimus Botanicus, ſimpliciumque rariorum totius Syriæ, & Aegyptiæ regionis ſcrutator egregius, certè de hac ipſa maximi uſus planta mentionem fecisset, cum plantæ longe minus præſtantes eius diligentiam non ſubterfugerint. Deſcribitur ſenna folijs Glycyrrhizæ, ſecuridacęve ad myrthi maioris effigiem accedentibus; colluteæ etiam quodammodo ſimilibus, craſſioribus tamen, ac ſubpinguibus, ſaporè ſubamaro, & quadantenus fabaceo. Caulem promit à radice cubiti menſura elatum, à quo flexiles ramuli dependent; flores lutei palleſcentes, venulis purpureis referti, braſſicæ, aut violæ, floribus perſimiles; Folliculi indè falcati, ſatis compreſſi, veluti in ſiliquaſtro ſpectantur, in quibus ſemen recluditur ex nigro ſubuiride Gigarto ſimile; folliculi tenuiſſimo pediculo appenduntur; quo fit, ut dum ſemen matureſcit, vel ſpontè facilè decidat, inquit Serapio, aut quacumque leuiſſima aura decutiantur. Satiuam ſennam, tum & ſilueſtrem facit Meſ. quod ex foliorum diuerſitate, quæ obſeruatur in orientali ſenna dum ad nos defertur, manifeſte colligere eſt, prout non ineptè notauit Lobellius; nam ea, quæ præſtantior creditur, ad Myrthi maioris folij effigiem accedit, acutioris tamen quadantenus, atque oblongioris, quod quidem ſatiuæ ſennæ folium exiſtimatur. Silueſtris verò ſennæ folium illud eſſe autumant, quod myrthi folium quidem, & ipſum æmulatur, ſed magis rotundum, & breuius. annua planta ubique ſenna eſt, & frigoris impatiens, & inimica. Seritur tamen etiam in Italia, ſed præſtat ea, quæ ex oriente defertur. conditiones, quæ præſtantiores ſennam deſignant, ſunt, ut ſit oblongo folio, acuto, myrthi maioris effigie, ſubalbido viridi prædito, folliculum vero ſit recens, maturum, ſeminibus compreſſis refertum, colore ſubliuido in nigrum vergente, ſit ſapore ſubamaro, ſubadſtringenteque. Interim lis non leuis eſt inter auctores, nunquid ad uſum, quod attinet, folia uſurpanda veniant tantummodo, an ſennæ folliculi; prout Meſ. opinatur. at cum experimentum contrarium ſuadeat, eius ſententia haud amplexanda videtur, & profectò ſubterfugium ſatis leue illud Matthioli eſt, necnon Acoſtæ, qui ut auctoris opinionem tueantur folliculos præſtantiores tunc eſſe dicant, ſi maturi à planta diuellantur, antequam euanidi ſpontè decidant; Cum contra obſeruatum ſit ex Apulis folliculis maturis à planta decerptis tentatam fuiſſe euacuationem, & inde

Lib. 12. Geograph.

De Plantis Ægyptiorũ.

Aduerſar. pag. 406.

pati

pari doſi è folijs; poſtremam tamen faciliorem, ampliorem, & feliciorem exitum habuiſſe, quod multò præſtantius haberi poterit ex ſennæ orientalis folijs, & quæ ſequetur operatio magis opportuna erit ex folijs, quam folliculis, & magis proficua. Aſſignant igitur Arabes ſennæ ſub ductoriam facultatem, & inter poſteriores Græcos Actuarius; quam tamen ſatis debilem credidit Meſ. & ventriculo noxiam, poſtremam tamen hanc aſſertionem, pace tanti viri, nec admittit experimentum, nec ratio ſuadet cum ſenna & ſubamaro ſapore ſit prædita, & qualitate ſubadſtringente. Cæterum imbecillam ſubducendi vim in ſenna experimur, ſi eam in decoctione exhibeamus, quamuis pati poteſt, cum vires eius tunc langueſcant, & ſic euadat parum utilis. Tormina tamen ut plurimum excitare comperimus, flatus enim copiam facilè ſuſcitat, contra quam noxam, vt videmus, admiſcenda ei ſtomachica ſunt, & flatus diſcutientia, prout ſunt ſemina Aniſor. Maſtiche, Caryophylli, cinnamomum, zingiber. Decoctionem vt iam dictum eſt vix patitur, ſed paſſulis remixta felicius operatur, præſtantius infuſa in ſero, aut iure galli, addito cinnamomo, & ſyrupo de corticibus citri. Sennam temperamento calidam in principio ſecundi gradus, & ſicam in primo pronunciat Meſ. at Auerrhoes abſolutè ſecundum vtriusque qualitatis gradum deſignat. verum cum flatus excitare valeat, vt ſupra diximus, potius Serapionis opinioni ſubſcribendum cenſeo, qui eidem ambas qualitates ſatis remiſſas aſſerit. Bilem & quidem atram ducere ſatis felici ſucceſſu tradunt auctores ſennam; immò cùm Meſ. excrementa quæcumque melancholica. Actuarius cum Serapione contra Auerrhois ſententiam ſtatuit, etiam pituitam electiuè eliminare. has diſceptantium opiniones recentiores non ineptè conciliant, dùm dicunt, poſtremos intelligere de pituita ſalſa, quæ reſultat ex bilis mixtione, ac proinde affectibus cutaneis, & lui Celticæ, tumque melancholicis morbis, & diuturnis ex pituita ſalſa emergentibus aduerſari; vt rectè Actuarius ſennam prædicet medicamentum nobiliſſimum, atque efficaciſſimum remedium delirijs melancholicis abigendis, quartanis quoque febribus; affectibus omnibus cutaneis, & tandem morbis animi auerruncandis, expetitumque medicamentum à quacumque ætatis conditione infirmis & viribus exiſtentibus. Vtero quoque gerentibus ſatis peruium remedium eſſe, vt correctum ſine noxæ ſuſpicione exhiberi poſſit; immò & puerperis quoque, ſumitur in lacte ſub forma pulueris ad ℨ ij. rectius ſi admiſceatur cremori tartari, ſic enim minori doſi vſurpari poterit, & maiori cum vtilitate. datur in infuſione à ℨ ij. ℥ vj. in aqua etiam frigida, aut ſero lactis remixta additis aliquot guttulis ſucci limonum. affectibus quoque Apoplecticis opportune exhibetur. viſcera interim mirificè emendare traditur à quacumque labe. immo multi profitentur iuuentutem prorogando ſenectutem ipſam retardare, diuturnioremque, & iucundiorem reddere.

De Fumaria.

CAPVT CXII.

Etymon fumariæ; declaratur eius diuiſio per genera affertur, quæ à radicum differentia petitur; deſcribitur; Temperamentum perpenditur; vires produntur.

E Melanagogis benigniora ſunt Senna, & Fumaria; igitur ſennæ fumariæ tractationem, annectimus, & conſtituimus. Fumaria à Græcis καπνὸς dicitur, quod verbum latinis fumum ſonat, indè noſtris deductum Fumariæ nomen; ſuccus enim huius plantæ oculis illitus, cum acris ſit, vellicando partem inſtar fumi lachrymas exprimit. Eſt ità paſſim obuia planta, ut quamuis, ut loquitur Meſ. præſtantiſſima ſit, & nullum nocumentum partibus quibuſque corporis noſtri inferre valeat aſſumpta; vileſcit tamen, & in uſum rarò reuocatur. Diuiſio ſumma differentiarum fumariæ Botanicis penes radices ſtat, dum eam diſcriminant in bulboſam, & non bulboſam; utraque tamen ſuas differentias ſubiectas habet; eum aliqua tamen diuerſitate diſtinctas, præter quàm in foliorum, vel caulium tenuitate maiori, aut minori, pernnitate, florumque forma, aut horum coloris diuerſitate. Cæterum vulgaris fumariæ, cuius uſus magis peruius eſt, facies deſcribitur, ſic ut à radice ſatis exili producantur ramuli fruticoſi, angulares, fibroſi, pallido virore lãguidi, quibus innituntur folia eiuſdem coloris, tenuia, coriandri inſtar inciſa, flores purpuraſcentes ut plurimum, in quibuſdam albidi, & in montana lutei, maiores, minoreſvè, & forma etiam diſpares iuxta propriæ ſpeciei conditionem; ſemen ſaturo viridi refertum, paruum, rotundum. Verum lis non leuis adhuc viget de fumariæ temperamento; Arabes frigidum, & ſicum pronunciant, quibus inter recentiores etiam Ophmannus aſſentitur; Meſ. verò opinioni Galeni adſtipulatur, & fumariæ calidam facultatem attribuit: conſiderat enim eam acri ſucco refertam, amaramque, ita vt quamuis in eadem pugnantes qualitates agnoſcat; calidam tamen vincentem pronunciat, & ſic quod ad actiuas qualitates, fumariam in primo gradu caloris ponit, exiſtimatque deinde ſiccam in ſecundo gradu, quod à Præuotio confirmatur, præſertim cum non leuem attenuantem poſſideat. cæterum cathartica eius ſubductoria facultas veteribus omninò incognita fuit, quibus tantummodo vrinam ducere creditum eſt, & quidem bilioſam, Arabibus tamen manifeſta, ſed ſatis imbecilla, quam adiuuat Meſ. paſſulis aut ſenna, vel myrobalanis ſero, aut melle. iecoris imbecillitatem eiuſdemque obſtructiones, necnon, & aliorum viſcerum mirificè tollit; quæ quoque roborare traditur, ſed præſertim ſtomachum; quo iure ad idem præcipuè commendat Galenus exemplo illius plebei, qui eius frequenti vſu vna & ſtomacho robur indebat, & aluum ſubducebat. exuſtam melancholiam ſatis benignè ducit, & oculis illitus ſuccus viſum acuit, eorumque caliginem abigit. Scabiei, lepræ, impetigini, alijſque affectibus cutaneis curandis, ſanguinem depurando ſuccurrit, cui præcipuè incumbit; ac proinde in nothis tertia-

nis

nis opem non leuem fert, & Cacoethis optimam. Aetius dolores internos, ſi ter ſuccus ſumatur, ſedare aſſerit; qui ſuccus exhiberi poteſt. ad uſum, *Lib. 10. c. 2.* & ad doſim quod attinet, ab ℥ ſ. ad ℥ ij, puluis foliorum à ʒ iij. ad ʒ v: & in decoctione ab ℥ x: ad ℥ xv; ſed ſanè ſuccus condenſatus commodior valde videtur.

De Stœchade Arabica.

CAPVT CXIII.

Catharticus Stœchadis uſus non omnino certus. Nominis etymon declaratur. Lobel. notatus. Dioſcorides defenſus. Arabica ſtœchas præfertur, temperamentum & vires examinantur.

INter atram bilem ducentium medicamentorum ſeriem Arabicam ſtœchadem enumerat Meſ; cuius cathartica tamen facultas Coſtæo ſuſpecta eſt, eò quia experimento non correſpondeat; quo fit ut Græcis antiquioribus potius adſtipulandum videatur, qui quamuis eam magni fuerint; de cathartica ſtœchadis facultate haud meminere; vinum namque ex eadem, & acetum ſtœchaditem appellatum Dioſcorides ad plures medi- *Lib. 5. c. 5.* cos uſus commendauit. ex Stœchadibus inſulis Narbonenſis Galliæ, & quam Romani olim Brachatam Galliam appellauere Maſſiliæ, quæ obuijs plantam deduxiſſe nomen, cum idem Dioſcorides, tum Plinius credidere; quamuis Lobellius non ex Maſſiliæ regione, ſed potius Olbiæ inſulas ſtęchades eſſe dicat, cum diſtent (inquit) à Maſſilia, & ab eius littore bidui itinere. Scio Apollonium Rhodium eas Liguſticas appellare, ita & Stephanus; ſed quo iure, non video, cum procul dubio in Tyrrheno mari, ſiue *Lib. 4. Argonaut.* mediterraneo ſitæ ſint, & in ea eius parte, quæ Gallici pelagi nomine inſignitur, & magis Narbonenſi prouinciæ, & Maſſiliæ proximæ. Abrahamus Ortellius eaſdem appellat Galliæ Narbonenſis inſulas, idemque ha- *In Theſaur. Geograph.* bet Raphael Volaterranus. ſed litem commodè dirimit Strabo, qui mino- *Geograph.* rem ſinum Gallicum ad Narbonam ſpectare aſſerit, & Stęchades inſulas *lib. 3.* incumbere Maſſilienſibus, Olbiamque Maſſilienſium urbem vocat, Tur- *Lib. 4. Geograph.* rentium, Antipolim, & Niceam, quam etiam urbem Italicam vocatam, eius temporibus tradit, & Liguribus vicinam. immo in Stęchadibus ipſis inſulis olim à Maſſilienſibus impoſitum præſidium contra piratarum impetum; ergo optimo iure Stęchades inſulæ Maſsilienſes à magnis viris Dioſcoride, & Plinio vocatæ. quapropter male Dioſcorides carpitur à Lobellio, & nimis acerbè perſtringitur ab auctore hiſtoriæ plantarum, qui perperam dixerit ſtęchadem plantam oriri in ſtęchadibus inſulis è regione Maſsiliæ ſitis. Cæterum non ex ijſdem tantummodò ſtęchas colligitur, ſed etiam per totam Narbonenſem Galliam tanta ubertate producitur, ut Clibanis calefaciendis, inquit Lobellius ſatis ſit; ac proinde Plinij ſententiæ ſubſcribere non poſsit dicentis, eamdem in ſtęchadibus tantum reperiri, qua ratione ſtęchadem dictam. Galenus tamen aliter ſentit, & eam in Creta inſula reperiri ait, ſed inferioris conditionis, & ubique terrarum,

etiam; Verũ Arabicam, & Maſſilienſi ſtęchadi, & Creticæ quoque, & omnibus alijs alibi naſcentibus Meſ. præferri voluit; & optimo iure quidem; eſt enim cæteris odoratior, & valentioribus viribus prædita, præſertim catharticis. Cæterum dubitari meritò poteſt, cur Stęchas noſtrâs deiectoria non videatur, nec eadem facultas Maſſilienſi tribuatur, ſed tantum Arabicæ; cum tamen ſubductoria vis à tota ſubſtantia prodeat, & facultate ſpecifica non à temperamento; & ob id inconueniens dicere ſit Arabicam ob ſoli, cœlivè diuerſitatem, magis alvum ſoluere, minus, aut nihil Maſſilienſem, aut aliarum regionum ſtęchadem. crediderim ego cuiusquę ſtęchadis plantam, & ubique locorum habere eamdem ex propriæ formæ viribus facultatem; at cum facultas combinetur etiam temperamento, quò ut facilius operetur, pro inſtrumento utitur; debile inſtrumentum facultatis operatione debiliorem reddere valeat, & ſub hac ratione in Arabica ſtęchade vigere facultatem cathartieam, quæ à validiori temperamento iuvatur à ſolis vigore ſortitum; aeriſque,& terrę activitate; imbecilla vero eſſe in alijs regionibus, quibus inſtrumentum ità validum deſit; cum præſertim utcumque etiam in Arabica facultas ſubductoria ſatis modica ſit, lenientiumque ordinem non excedat; Meſuè namque imbecilliter purgare habet,& ob id ei admiſcet Cyaneũ lapidem, aut ſal indum, ut vim purgantem auat; niſi potius eum Coſtæo dicamus Arabes uſos fuiſſe ſua Arabica recenti ſtęchade, quia ipſis obuia, nobis verò ob locorum diſtantiam, niſi vetuſtate obſoletam peruenire. Deſcribitur ſtęchas à Dioſcoride, quod ſit Thymi coma ſurculis tenuibus, longiori tamen folio; quæ vero nobis peruia eſt ſtęchas, multos caules à radice prodit cubitales, tenues, lignoſas, & comatam ſpicam in ſummitate producit inſtar lauendulæ, flores foliacei cęrulo purpurei ſuaueolentes, ſeminæ urticæ, folia verò ſubfuſco colore incana lauendulæ ritu. Temperamentum ſtęchadis ſi inquiramus, idem deſignatur à Meſ. calidum in primo, ſiccum in ſecundo, quem ſequitur Præuotius Gal 8. ſimpl. terrenis partibus conſtare tradit, diuerſis tamen in unum coeuntibus; parte ſcilicet terrea, frigida, ſed exigua, hinc modicè adſtringat, & terrea quoque copioſa ſicca, ſed extenuata valde, à qua amarorem concipiat. his igitur combinatis, eius vires reſultant extenuantes, extergenteſque, quas ſtęchas poſſideat, & roborantes; ut ſubinde non ſolum ab obſtructionibus viſcera liberare valeat, ſed etiam eadem roborare. Si vires ſtęchadis à Dioſcoride petamus, eas procul dubio eximias eſſe comperimus; quas tamen nimis arcto compendio perſtringit: Decoctum enim eiusdem plantæ, hyſſopi inſtar, non ſine maximo fructu usurpari habet, admonetque utiliter antidotis admiſceri. Latius verò Plinius, cum menſes etiam ciere tradat; latiſſimè Meſ. tamen, ut qui obſtructiones iecoris, lienis, aliorumque viſcerum aperire aſſerat: corrigere omnem partium intemperiem etiam cum materia, & putredinem inhibere; cor item, & cerebrum, neruoſque roborare, & è partibus licet longinquis, capite, neruiſque, atram bilem, pituitamque educere, ſenſuumque inſtrumentis quibuſque robur indere, omnibuſque frigidis affectibus aduerſari; & oleum ex planta confectum omnem capitis imbecillitatem, neruorumque, robur nativum reſtituendo tollere. epi-

lepticis,

lepticis, & vertiginoſis apprime conducere, ſi cum aceto ſcillitico, aut ſcilla propinetur; valentioribus medicamentis remixta, prout cyaneo lapide, aut ſale indo, vel ſimilibus demendis melancholicis affectibus cum timore, & mœrore iunctis oppottuna, & cordis noxis à cauſa conſimili, cũ ſucco borraginis, bugloſſivè, aut pomorum redolentium occurrere; doloribus articulorum, muſculorumque, & neruoſæ ſubſtantiæ opitulari; quartanis febribus, necnon chronicis, & pituitoſis cum utilitate uſurpari. attamen quamuis ſtęchas utiliſſimum in uniuerſum medicamentum ſit, attamen calidis & ſiccis naturis corporibuſque bilioſis, & quibus in ſtomacho redundat bilis, à Meſ. prohiberi videtur; his enim, & vomitum proritat, & ardorem, ſitimque moleſtam excitat. Interim ad uſum eius quod attinet flos ſtęchadis cæteris plantæ partibus præfertur, qui tamen ex ſententia eiuſdem Meſ. leuem decoctionem ſuſtinet. uſurpantur etiam folia, quæ licet maiorem decoctionem ferant, minus tamen vigoris habent; itaque cum huius plantæ vis ſubductoria imbecillis ſatis ſit, iure idem auctor admiſcet Myrobalanos chebulos, vel indos cum ſexta parte ſalis gemmæ. Maceratur in ſero lactis; ſed in capitis affectibus admiſcetur cum ſcilla, & paſſulis, aut ſucco pomorum dulcium. Admonet tamen Præuotius magis utiliter decoqui in decoctione noſtra ſtęchadis. exhibetur decoctio ex eodem Meſ. ab ℥ v. ad ℥ vij. quæ doſis tamen nimia Præuotio videtur; Is enim exhibet ab ℥ ſ. ad ℥ iſ. quæ doſis, ſi verum fatear, ſi alui ſolutionem tentemus, mihi nimis parca videtur; ſecus autem exhibita pro præparante medicamento; at tutior eſt media inter has via. exhibetur in puluere à ʒ iij. ad ʒ v.

De Lapide Armeno.

CAPVT CXIV.

Lapidem Armenium veterum, eundem eſſe cum recentiorum lapide aſſeritur; illius catharctica eius vis incognita. Fallopij opinio reiecta, non in Armenia tantum generari ex Ceſalpino affirmatur; loturam temperamenti conditionem vocent; loti huius lapidis temperamentum ſtatuitur. vires examinantur, & corrigendi modus traditur.

STrenua Melanagoga, exactis benignis, nunc recenſenda veniunt; & ea præſertim, quæ uſum Medicum explere facilè poſſunt. inter præcipua ſunt lapis Armenus, & lapis Cyaneus. quæ quidem medicamenta, quamuis propoſitum noſtrum excedere videantur, ut qui vires plantarum catharticarum, & uſitatiorum, facileque parabilium explicare propoſuerimus; cum tamen vix aliud medicamentum in plantarum cenſu reperiri videatur, quod in melancholico humore educendo valentiſſime, tantæ efficaciæ nobis innotuerit; niſi hoc Alypi ſemen fuerit, de quo alibi diſeruimus; excedere noſtrum inſtitutum cogimur; qua ſane excuſatioue etiam Meſ. ab obiectis vindicamus; & ſic aliqua adnotare de Armeno, deque Cyaneo lapide, qui ſtrenue electiue melancholicum humorem educere va-

lent; non tamen efficaciſſima ſunt, aut furentia vocata; horum lapidum vis cathartica Dioſcoridem latuit, & Gal. qui tantummodo conſiderauere reſultans pigmentum ex hoc lapide contritum; quod non latuit Alexandrum, Trallianum, Aetium, Paulumque, qui præſertim dum inueteratæ melancholiæ curationem inſtituit, albo Veratro lapidem Armenum præponit, ibique eiuſdem affert præparationem. Commendatur ad id ab Aetio, qui hoc ipſo lapide contrito pictores uti aſſeuerat: Cæterum quidem aluum purgare, quemadmodum & Paulus aſſerit, ſed ſtomacho non leuem noxam inferre. Interim Fallopij doctiſſimi nulla euadit oppoſitio, dum contendit lapidem Armenum à Meſ. deſcriptum diuerſum eſſe à lapide illo Armenio delineato à Dioſcoride, & à Gal. cum hoc ſit pigmentum pictorum, illud catharticum medicamentum melancholiam ſtrenuè ducẽs; nam pigmentum ex cathartico ipſo lapide Armenio contrito idem eſt, quod ſeplaſarijs viride azurrum vocatur eò, quia cæruleus color, quo lapis is inſignitur, in viride deſinat, & varijs etiam coloribus maculatus appareat, quibuſdam virentibus, alijs etiam nigricantibus, & in ijs modò cæruleum vincit, modò viride; quem poſtremum tamen colorem aſſerit Plinius eſſe præſtantiorem in lapide, contra ſenſum Dioſcoridis, qui præfert colorem cæruleum: facile tamen tantos auctores conciliabimus, ſi dixerimus colorem ſequi conditionem lapidis; nam ſine eo color cæruleus exuberat, etiam pigmentum ad cæruleum magis vergens euadet; ſecus verò ſi in eodem viriditas magis eluceſcat, tunc Chryſocollæ colorem imitatur, cui etiam pares vires tribuunt; nam non lotus inſtar Chryſocollæ, vomitum ciet. verum utrumque medicamentum tam à lazuli, ſiue Cyaneo, aut Armenio lapide deſumptum, ſi illotum ſumatur, ut notabat Fallopius, nimis noxium euadit. Armenus vocatur lapis iſte, ſi Cæſalpino credimus, quia præcipuè in Armenia gignatur; reperitur tamen etiam in varijs Germaniæ locis, ſed præſertim in Vngaria, & Tranſiluania; cuius matrem exiſtimant Molochitem Gemmarij; ſed quam plures idem cum Cyaneo lapide confundunt, cum ſæpè ambo ſimul iuncti reperiantur, in unoque, & eodem lapidis fruſtulo; quamuis Armenius Molochites mollior ſit. Armenium imbutum chryſocolla, & Cyaneo in ſua geneſi aſſerit Cæſalpinus ſe vidiſſe, licet Chryſocolla ipſa nimis periculoſum medicamentum ſit. hinc forſan non inepta prorſus coniectura Dioſcorides à Chryſocolla de Armenio lapide ſermonem inſtituit; habereque vires chryſocollæ ait, cum immediatè ex ære ortum ſuum ducere credant; ſub qua ratione utrique lapidi vomitoria facultas à natura impertitur. Forſan hinc temperamenti actiuitas conſurgit, & excedens me iudice gradus, ſi de illoto loquamur, à Meſ. aſſignatos; tunc enim erodentem facultatem habet, & carnes ſupercreſcentes abſumit; & pilis cum Dioſcor. in palpebris alendis utilis, quæ profectò indicia ſunt, & caliditatis excedentis, & ſiccitatis etiamdum gradum aſſignatum à Meſ. quam tamen temperamenti exuberantiam Armenium amittere crediderint aſſidua, qua antiquioribus tentabatur lotura; unde ſic lotus vix attingit primum caliditatis gradum, quem parum excedit in ſiccitate; ut propterea in hoc Præuotio aſſentiri non dubitem, qui lapidem iſtum ita præparatum in actiuis temperatum, in paſſiuis verò

Lib. 1. c. 6. circa finem.

Lib. 2. c. 42.

Lib. 2. de metall. c. 64.

primum gradum ſiccitatis non excedere crediderit. Eligit Dioſcorides lapidem Armenium, qui in ſuo colore & aliquid cærulei, & liuidas ſiue nigricantes maculas admittat. Meſ. vero colore medio inter viridem, & obſcurum, & magis friabilis ſit, quam quod natura lapidis præſeferat. vires huius præcipuè diriguntur ad humorem melancgolicum atrabilaremque eliminandum, & morbis eiuſdem conditionis ſuppetias ferre tradunt. præfert Meſ. huius medicamenti vires conditionibus hellebori nigri, cum ex Armeniaco ſumpto minor noxa expectanda ſit, quemadmodum ex cyaneo lapide, in quo minor validitas experitur. cerebrum ab atra bile præſertim ſanare aſſerit, tum alijs capitis morbis epilepſiæ, vertigini, cephalalgiæ conducit; quartanis quoque febribus occurrit, cancro, lepræ, elephantiaſi, & affectibus quoque lienis. Thoracem, & pulmones ab infarctu craſſorum, & viſcidorum humorum liberat, & abſtergit; namq; ex Gal. cum leui acrimonia, cum leuiſſima pariter adſtrictione, quod de loto intelligendum venit; qua ratione utilem dicit ad oculares affectus. Icterum ſanat, incuboque aduerſatur, hilaritatem animo indit, iuventamque diutius ſeruat: & tandem ad ea omnia comendat Armenium lapidem Dioſcorides, ad quæ chryſocolla. cæterum de modo eiuſdem præparationis, & exhibendi, non leuis eſt difficultas; ſed cum illotus ex propria natura vomitum excitet; proculdubio dum vomitum ciere expedit, abſque lotione exhibendus, & corrigendus cum ſtomachicis, quia ventriculo infenſus. ſi vero per ſeceſſum molienda eſt euacuatio; tunc præparari debet, quod fit lotura multoties replicata. In Tralliani vulgato codice hunc ipſum lapidem duodecies abluere videtur; at in antiquiori Codice eiuſdem ablui quinquagies neceſſarium ducit. hunc modum ſequitur Manardus, qui iter etiam deinde aqua roſarum infundi imperat. Verum ne hallucinemur in tanta ſenſuum diſcrepantia in deſignanda recta medicamenti præparatione, confugiendum eſt ad Gal. documentum, qui loquens de qualibet lapidoſa, aut metallica ſubſtantia; iubet eam toties aqua ablui, donec ipſa aqua ab omni ſorde, aut alieno colore, vel odore expers remaneat; immò etiam medicamentum, quod abluitur omnem ſaporem, odoremque omnem exuat. ſed clarius lib. 1. de Compoſit. medicament. ſecundum genera cap. 10. tota inquit, die conuenit rem metallicam, aut lapidoſam atterere, mox in liquore, ſeu aqua relinquere per noctem, poſtera die aquam abijcere, & nouam ſuperaffundere, rurſumque terere, & per noctem quieti relinquere, & ſic ſingulis diebus hæc peragere, donec & aqua pura, & limpida remanſerit, & acrimonia nulla, ſapor, aut odor in medicamento relinquatur; ſic enim & temperamenti vis moderabitur, & acrimonia, noxæque adimentur; quare diligentia Tralliani, & Meſ. in lapide abluendo haud improbanda. hinc forſan ſit, quod medicamentorum valentiorum uſu magna cum artis iactura, & ægrorum emolumento modo careamus, ob pharmacopęorum diſſidia. trigeſies abluit Meſ. prius tritum lapidem, dulci aqua in vaſe lapideo, mutatque ſemper; tandem decies lotionem repetit cum aqua roſarum, ut ſic ad perfectam loturam redactus, rectè in uſum medicum reuocet. Præuotius doſim uſualem tradit, exhiberique poſſe vult à ʒ ſ. uſque ad ℈ iiij, quæ doſis conuenit cum aſſignata ab Ale-

2. de medic. facult. c. 15.

xandro; Meſ. tamen ampliorem dat à ʒ j. uſque ad ʒ ij. & pro vomitu ciendo non lotum à ʒ ſ. ad ʒ j.

De Lapide Cyaneo.

CAPVT CXV.

Cyaneo lapidi colorem nomen dediſſe; et ex eo, quemadmodum etiam ex Armeno pulcherrimum parari pigmentum aſſeritur; vimque horum lapidum veteres latuiſſe ſtatuitur contra Matthioli ſententiam: adducuntur conditiones ex Meſ. et Serapione. affirmatur non eſse venenum; vires afferuntur, et temperamentum.

NOtiſſimus antiquioribus fuit Cyaneus, ita vocatus lapis, latinis quoque cæruleus dictus, officinę lazuli vocant; vires tamen eius catharticæ, quemadmodum priſcis Græcis, & Plinio etiam incognitæ reclamante *9. Simpl.* Matthiolo, qui vocem Kata ex Gal. pargativum vertit, cum tamen vox hæc non catharticum, aut ſubducentem, ſed potius deraſorium, & demollientem ſignificet. ita Arabibus maximè notas qui quandoque tamen confundunt Cyaneum cum Armeno. Interim Tralliano inter recētiores Grecos manifeſta, ut qui aſſerat ad melancholicos affectus profligandos cyaneum lapidem eſſe maxime utilem. eſt quidem is pulcherrimus lapis, & ſumma cum ratione Meſ. ſtellatum appellat; micant enim in eò undequaque atomi quædam viſibiles, quæ ex nitidiſſimo auro congeſtæ intra marmoris huius cærulea ſpatia veluti ſtellas componunt coruſcanres; marmoreum enim eſſe cyaneum lapidem, ſiue marmoris ſpeciem aſſeruit Dio*Lib. 5. c. 56.* ſcorides, quamuis Plinius arenam vocet in auri, & argenti metallis; non *Lib. 35. c. 6.* eſt tamen, quod huius lapidis ſpecioſi genus uniuerſum punctulis iſtis aureis decoratum ſit; cum plures huius ſobolis lapides ſint, in quibus aureæ eædem ſcintillæ micare non obſeruentur. Ex hoc ipſo pigmentum precioſiſſimum illud paratur, quod vulgò vocant *Azurro oltramarino*, cæruleum ſcilicet, ultra mare, quod parandi modum docet Anſelmus Boot. Præſtat lapis ille, qui in fodinis ærarijs, præſertlm ex ſententia Dioſcoridis, Cypri reperitur; quem etiam inueniri aſſerit in arena littorali, cæteris præſtare putat; facileque ibi emergere aſſerit excauatis maris vimineris inſtar foſſionum. Plinius huius lapidis plura genera à loco diſtincta ponit; præſtantiorem tamen exiſtimat Ægyptium; nihilominus etiam reperitur in pluribus Europæ fodinis ſcintillis aureis illis minime collucens, quas in orientali tantum reperiri exiſtimatur. Notæ quibus huius lapidis diſtinguitur præſtantia, habentur ex Serapione, & Meſ. dum oportere dicunt illum leuem eſſe, & ſine aſperitate, quæ leuitas non pro pondere uſurpanda, marmori namque nulla leuitas congruit, cum neque menti Dioſcoridi ſit conſona; ſed ponitur pro leuore, ut ex Meſ. ſeſe explicante obſeruatur, dum ſubdit ſine aſperitate, ſit aureis micis refertus, colore admodum cyaneo, ſitque purus ſine miſcella alterius lapidis, fractu contumax, nec eius fruſtuli ità exiles ſint, ſed potius magni. Iis igitur requiſitis donatus lapis prædictus magnum euadit medicamentum ſi concinne præparetur; licet

ſint,

ſint, qui dicant inter quos Fuchſius hoc medicamentum a cenſu utilium remediorum eſſe expungendum, tanquam nimis corpori humano noxium, & ut venenum lædens, quod probant Auic. auctoritate, dum aſſerit putrefactiuam poſſidere facultatem exedentem, excaroticamque; quæ poſtremæ conditiones ex Dioſcor. etiam manifeſtæ ſunt. Cur igitur Meſ. qui nocuas huius lapidis vires cognoſcit, & fatetur, hoc ipſum pro medicamento utili admittit, cum præſertim doceat Gal. quod medicamenta illa, quæ corruptricem vim habent, per os aſſumenda non ſint, prout Calcanthum, Miſi, Sori, & aliæ huius generis, prout eſt Armenius lapis, & Cyaneus; quod quidem bene procederet, ſi lapis iſte illotus aſſumeretur; ſed lotus eo modo, quo de Armenio diximus, innoxie adhibetur, licet diutius teri debeat, nec prorſus alio modo lauari; ſic enim eſt, magnæ utilitatis, & leuiſſimas noxas infert. Temperamentum cyanei lapidis idem aſſignatur cum Armeno; non lotus enim ad tertium caliditatis, & ſiccitatis gradum accedit; exurit quidem, & cruſtas inducit; ſecus de loto, cui vires excedentes à lotura eximuntur; tunc in actiuis temperatus euadit cum quadam ſiccitate, quæ gradum primum non excedit. exhibetur in ſubſtantia à ʒ ſ. ad ʒ j, & ſ. uſque ad ʒ ij; Præuotius minorem doſim aſſignat, corrigitque cardiacis in iure pulli; purgat melancholiam ex Meſ. & atram bilem, ſanguinemque depurat, quapropter omnibus affectis melancholicis aduerſatur, maniæ, ictero nigro, incubo, epilepſiæ, quartanæ febri, lepræ, à quo poſtremo morbo eius frequenti uſu homines præſeruari traditur; aſthmati conducit, ſyncopique, & cordis tremori, quod etiam roborare creditur; ſplenicis affectibus occurrit, corpus floridum reddit, & tandem inquit vitam beatam reddere. Ex eo varia componuntur medicamenta. proſtant in pharmacopæis pilulæ de lapide lazuli, quæ in affectibus melancholicis ſummopere commendantur, reſpiciuntque oculares noxas è viſcida & craſſa materia ortum ducentes.

Lib. 2. tract. 1. cap. 37.

13. Meth. 20

De Vtroque Elleboro.

CAPVT CXVI.

Ellebori tam albi quam nigri conditiones, ob nominis affinitatem, hoc unico in loco expenduntur. Veteribus infrequenti & religioſo uſu habitum ad animi pracipuè aciem acuendam adhibitum. cur ita appellatum. inuentio cui ex Dioſcoride & Plinio tribuatur. adnotantur nonnulla circa deſcriptionem. expenduntur diſſidentes auctorum ſententia. utriuſque ellebori vires perpenſæ; & qua eorum noxas corrigere valeant.

STrenuis medicamentis hucuſque adductis, quibus electiue melancholicus humor validè eliminatur, validiſſima modo, & furentia vocata, explicanda ſuccedunt; in quorum numero elleborum præſertim nigrum, quamuis non ita effræne ſit, connumeratur. quod proprie cathartice melancholiam reſpicit, quadam tamen nominis potius affinitate, quam genuina ratione de albo, elleboro etiam agendum, licet ad ſolam melancho-

liam

liam educendam in primis non ſpectet, ſed potius humores omnes furenti quadam vi ducere valeat; immo magis propriè vomitorium medicamẽtum ſit, quam deiectorium. Cæterum hunc locum eidem adſignamus, ut de utroque elleboro ex nominis affinitate cum modò acturi ſimus, eorum vires in medicum obſequium traductas conſideremus. Fuit ſane elleborum religioſe ſatis veteribus, & frequenter tam expiandis domibus, quam pertinaciſſimis ægritudinibus ſuperandis à vetuſtiſſimis ſæculis nimis ſuperſtitioſè collectum, & adhibitum. Petronius de Cryſippo ſcribit, qui
In Satyrico. ut ad inuentionem ſufficeret, eo ter prius animum deterſerit, quod etiam
Lib. de Ani. Tertullianus teſtatum reliquit. Vocant elleborum veluti quoddam, quod
eſu perimat; fuit enim quondam terribile, inquit Plinius, poſtea promi-
Lib. 25. c. 2. ſcui uſus, & à pleriſque ſtudiorum gratia ſæpius ad uſum reuocatum. Ad acrius ſcilicet peruidenda, quæ commentabantur; ſubdit hoc latinis etiam veratrum dici, quaſi mentem euertat, ſi eam inſania laborantem inueniat. in hac ſignificatione profectò veratrum à Perſio ſumptum video, dum ait, non eſt hìc Ilias, Athi, ebra veratro. Plautus facete ſane quemdam vocat elleboroſum, quaſi elleboro indigum, immò ſub hac ipſa ratione uſurpatũ
In Dial. Diogen. & Alex elleborum video à ludione illo Luciano, ubi Alexandro dementiam obtrudit, dum ſic loquitur, *quandoquidem in his locis veratrum non prouenit*. Ex Dioſcoride duo ſumma ellebori genera cognoſcimus, album, & nigrum, quod congruit ellebori diuiſioni à Theophraſto allatæ. Nec Hippocr. 4.
10. de Hiſt. plant. c. 12. Aphor. 13. 14. 15. 16. quinta Aphor. 1. hanc ipſum diuiſionem latuit, qui utitur albo elleboro ad excitandam validiſſimam per vomitum purgationem; tunc enim hoc (elleborum) ſimpliciter vocat: quando vero alterum ellebori genus exhibet, quod per alui deiectionem molitur, nigrum elleborum appellat. Deſcribit album elleborum Dioſcorides, plantaginis, aut betæ ſylueſtris folijs, maioribus tamen, & breuioribus; quod verificatur, dum è terra recenter emergit; nam cum folia ellebori iam adultæ ſoboleſcunt; & maiora ſunt, & longiora, diluto virore palleſcentibus, additque dorſo rubeſcentibus; quam poſtremam conditionem Plinius elleboro ſuo nigro tribuebat, cuius verbis Botanici nonnulli ſuaſi credidere elleborum album Dioſcoridis eſſe à noſtro elleb oro albo longe diuerſum, cum hæc foliorum rubedo in noſtro albo deſideratur; immo albi noſtri ellebori folia inſtar gentianæ minoris ſint potius plicata; quorum tamen opinionem ego non ita facilè admiſerim; quia ſi aliqua intercedit varietas; ea potius tribuenda videtur locis conditioni, ubi Dioſcorides plantam conſiderauit; cum in cæteris nulla ſubſit diſcrepantia effatu digna, & & vires noſtri ellebori albi ſint eædem cum relatis à Dioſcoride. ſubdit deinde caulem gerere palmi altitudine, concavum, foliorum tunicis conuolutum, quas tamen tunicas à ſe abdicare aſſerit dum incipit areſcere. Tandem aſſerit radices gerere numeroſas, tenues, fibratas, candidas, prodeuntes à capitulo ſatis exiguo inſtar cæpæ, oblongo tamen, ut à radicis colore, prout innuebat Plinius, albi ellebori cognomen ſibi adiunxerit, quemadmodum nigrum à nigra radice. altera ellebori differentia nigri videlicet, priſcis & ipſa notiſſima fuit; quod quidem etiam à Dioſcoride vocatur Melampodium, à Melampo, ut ipſe fatetur, caprarum cuſtode, in-

uentore,

uentore, qui tale medicamentum in uſum medicum traduxit; Cum is eo Præti filias furentes caprarum lacte, in quo elleborum infuſum fuerat, ſaluti reſtituit, velut Plinius habet, lacte capellarum elleboro paſtarum. huic ellebori præcipuè generi veteres vires ſummas aſſerebant, melancholicum humorem ſcilicet, atrabilaremque educendi; immo mentem efficaciter depurare, ingenij perſpicacitatem tribuere, cordique hilaritatem indere. Plinius affert Carneadem philoſophum antequam ad Zenonis libros confutandos accederet, prius mentem hoc elleboro purgaſſe; ſub qua ratione eius uſum pleriſque peruium fuiſſe. Delineat ellebori nigri figuram Dioſcorides, quod folia gerat platano ſimilia, minora tamen, ſpondilij folijs proxima, ſciſſa pluribus inciſuris, nigriora, & ſubaſpera, breui caule, flores candidi purpuraſcentes, figura racemoſi, intus ſemen Criſſi. quæ ellebori nigri ſane deſcriptio, cum in pluribus elleboro noſtro nigro non cōueniat, exiſtimant multi à Dioſcoride deſcribi plantam à noſtro elleboro alienam; nec talis ſuſpicio omninò irrationabilis eſt; nam quòd præſertim de floribus habet, hi potius elleboro albo conueniunt, quam nigro, à quo racematos produci manifeſtum eſt; ut nihil aliud dicendum ſit, quam quod ſcriptorum inſcitia id irrepſerit à capite ellebori albi in illud nigri migrauerit; in quo capite nihil congruum de ellebori albi floribus dicat. De ſemine quoque dubitatum video, præſertim à Rhambaldo, Dodonæo, quamuis ſatis leue dubium, nec in ipſo diluendo immorandum admodum ſit. maiorem difficultatem comperimus ex Renodeo, qui deſcriptionem ellebori nigri à Dioſcoride allatam potius congruere exiſtimat conſiligini, & quam plantam ratione iurium parem in omnibus dicto elleboro facit. Dodoreus tamen animaduertit nigrum veratrum noſtrum eſſe magis ſimile à Theophraſto deſcripto, quam à Dioſcorides; ut inde concludat, vel in textu Dioſcoridis errorem ſubeſſe, vel differentem plantam à noſtro elleboro nigro deſcripſiſſe, immo ſuſpicatur, quod ibi potius delineauerit *ſaniculam* fœminam, cuius effectus feliciſſimos in atra bile educenda ſe ſæpius expertum fatetur. ſed quæſo ubi in ſanicula folia platani maiora, ſiue ſpondilij folia? Cæterum quæſtionem hanc non eſt ita facile dirimere; crediderim tamen ego ea, quæ de elleboro nigro à Dioſcoride produntur, elleboro noſtro conuenire; præter ea tantum, quæ poſtremo loco de floribus habet, & quæ in hoc capite, incuria ſcriptorum irrepſiſſe à ſuperiori immediatè capite, non eſt ut difficulter credamus. nigri ellebori recentiores quatuor exhibent differentias, quarum illa nobis præferenda, quæ flores albos leuiter purpuraſcentes producit; cuius conditionis cum duæ differentiæ circumferantur, & inter ſe parum diſſimiles; ambarum uſus haud improbandus; nec harum figura ſeminis, diſcrepat admodum à deſcripta à Dioſcoride, dum ſuum ſemen ſimile ſeſamo facit; ſub qua etiā ratione ſeſamoide vocari poſſe ait, cum de ſiliqua intelligat, in qua ſemen includitur, quæ non admodum cnico diſſimilis eſt; quamuis Plinius ſeſamoidem ellebori correctorium ſcribat, & ſatis prouido conſilio à natura in Anticyra productam, ubi ellebori huius maximus prouentus, ne ibi (inquit) quidquam deeſſet, ad uſum innoxium reuocandum medicamentum tam ſingulare. radices interim à Dioſcoride deſcriptas, dum tenues eſſe

ait,

ait, nigras, & à quodam veluti cepæ capitulo dependentes conuenire cū ellebori nigri noſtra differentia conſtat, cuius differentia magis eſt in uſu. non eſt tamen propterea, quod Theophraſti de elleboro doctrinam reijciamus, quia in ea aliquam diſcrepantiam comperiamus; cum quæ de elleboro habet, potius ex aliorum relatione, ut fatetur, ſcribat; multa tamen congruunt cum Dioſcoridis littera, quæ non ita acuere conſiderabat, ut adnotabat Coſtæus & infimul collata mutuam opem in prodenda ellebori exactiori cognitione ſibi conferre poterunt. Galenus utrique elleboro temperamentum calidum, & ſiccum aſſignat in gradu tertio, cuius opinioni adſtipulatur Meſ. quamuis calore in albo moderatiorem dicat, eligit nigri radices tenues, ſed exemptis interaneis medullaribus; cum fateatur Plinius medullam impedire purgantem medicamenti facultatem, habetque nimias vomitiones ab albo elleboro concitatas ſiſtere. Cum igitur utrumque elleborum validiſſimè, & furenter operetur; Plinius tamen album altero terribilius fatetur, & ſenſato experimento validius munia ſua exequitur; ſed ab antiquioribus illis ſtudiorum tantummodò gratia uſurpatum, illud vero quod in æſtuarijs creſcit, tantam vim non habet. peculiaris albi facultas eſt, vi ſua efficaciſſima humores per vomitum educere; quod etiam facere valet, ſi Dioſcoridi fides habenda, in Balano ſubditum. nigri vero ex Meſ. ſententia ex propria ſui natura magis per ſeceſſum euacuat; quod anſam Ariſtoteli præbuit quærendi, cur quibuſdam medicamentis peculiariter accidat vomitum ciere, alijs per ſeceſſum pro-
2. *Problem.* ducere. præcipua albi ellebori correctio per acida habetur, repetita radicibus irroratione, indeque facta exſiccatione. utebantur veteres albo elleboro infuſione, decoctione, infixione in raphano, vel pomis acidis odoratis, præſertim cydonio; Cum ipſis compertum fuerit ad retundendam ellebori malignitatem vires mali cydonij utiliſſimam. Nigrum corrigit Meſ. Dauco, pipere longo, Aniſi, petroſelino, Hyſſopi ſucco, aut calaminthæ, vel origani, aut ſylphij; tutius tamen, & efficacius ait operari, ſi cum epithymo miſceatur, polypodio, aut ſale. cæterum veteres circa doſim ſatis meticuloſè ſe geſſere, ob ſymptomatum ab eo ſuperuenientium periculum, præſertim conuulſionis, & ſuperpurgationis, ut toti fuerint in modo adipiſcendo, quo tute idipſum exhiberent, ut furentem eius vim eluderent, quod ex pluribus Hippocr. locis manifeſtè apparet; non abſtinebant enim eo epoto à ſorbitionibus, immò quandoque eas reaſſumebant, ſic ſatis proſpectum in diris effectibus ellebori credidere. Cæterum in ſtatuenda doſi non ſatis inter ſe conſtabant, affectantes potius peccatum in defectu, quam in exceſſu. nobis in præſens laborandum eſt, ne quæ ab aſſumpto elleboro expectanda eſt euacuatio, aut excedens ſit, aut ni-
2. *Sympoſia. quæſt. 8.* mium parca fiat; hoc namque notandum venit ex Plutarcho, dum inquit veratrum purgandi hoc habet vitium, quod molem corporis perturbet; ſed ſi iuſto minus exhibeatur, turbatur corpus, non purgatur; quem metum inanem ſane videtur redarguere Plinius, dum præconium ſuſpicit de elleboro ab Herophilo prolatum, dum medicamentum hoc aſſerebat ab eodem æquiparari ſtrenuò quidem duci, cuius erant munia, ut concitatis intus prius omnibus, id ipſum primum exire. Verum quomodocumque ſit elle-

elleborum album in ſubſtantia exhibere, ſemper ſuſpectum fuit. id tamen Paulum non deterruit, qui elleborum in puluere exhibebat; nihilominus eum dare in ſubſtantia nobis in deſuetudinem venit. Et ſane purgatio ſatis vehemens ſemper ab utroque elleboro expectanda; & tamen innoxiè ſuccedit, ſi utrumque optimè corrigatur. inſigimus iuxta exigentiam, & ſcopos ſatisfaciendi, utriuſque radices per noctem raphano, cuius ſuccus inde expreſſus bibi ſolet à ℥ ſ. ad ℈ ij, ſed profecto elleborati raphani uſus recentiorum non eſt, is enim etiam veteribus familiaris fuit: etenim inſigebant raphano radices, inibique ſpatio vigintiquatuor horarum relinquebant, inde vel ſuccum expreſſum, vel raphanum eo modo præparatum exhibebant; vel eumdem ita infixis radicibus præparatum oxymeliti infundebant, deinde oxymel ſic elleboratum tradebant. Inſigimus & nos malo cydonio, quod coquimus ſub cineribus, & extractis radicibus eius fruſtulum exhibemus. ſic ſi puluerem adhibere velimus, is admiſceri poteſt cum Nymphææ conſerua: Nymphæa & mala cydonia ſunt virulentiæ ellebori correctoria præcipuè. bibitur etiam album cum liquidiore ptiſana, & cum panatella pingui, ut ſingultus præſertim, quem facilè excitare ſolet, vel arceatur, vel compeſcatur. à recentioribus chimicis extractum conficitur albi optimi, & innoxij uſus cum aceto deſtillato addito ſub finem oleo corticum citri, vel è ſeminibus aniſorum deſtillato, ut ex *Clauio* colligere licet. proſtat etiam in officinis extractum nigri ellebori, quo ipſo, & innoxiè, & frequenter utimur, dum ellebori vires propitias ominamur. ſic ſyrupus de pomis Regis Sabor ex elleboris conficitur; cuius conditionis eſt ſyrupus roſ. elleboratus Montani. attrahit album elleborum ex ſuo delectu præcipuè bilem atram, quamuis omnium humorum uniuerſalem, & validiſſimam moliatur euacuationem, ſeroſitates ſcilicet, pituitam, & utramque bilem; ſed albi præſertim proprium in primis vomitum ciere, & per illum locum verſicolorum humorum congeriem vigorosè educere. Verum ex Hippocr. ſententia corporibus ſanis non conuenit, quod etiam de ſenum, & puerorum habitibus mollioribuſque conditionibus cenſendum eſt; quod etiam de quocumque valido purgante verificari ſolet. aſſeritur à Medicinæ ſcriptoribus album elleborum ad paralyſim ſummopere conferre? quidni conducat pituitam, bilem, atque melancholiam concitata vehementi vomitione, & cauſam horum ſimilium morborum, ſi generosè trahit, ut Plinij verbis utar, quæcumque horum cauſa eſſe poſſunt, præſertim à melancholia morbi ortum duxerint, cui peculiariter aduerſatur. capiti præcipuè proſpicit, ſternutamenta excitando, unaque humores educendo, ſiue eos ſponte ſua trahat, ſiue calore proprio, & acrimonia, quorum prius Fallopio placet. præſtat inſerta auriculæ perforatæ radicis ellebori albi fibra, ut & oculorum fluxiones cohibeat, & à parte abducat. Epilepſiam ſanare tradit Plinius, qui Druſum clariſſimum plebis Tribunum hoc ipſo remedio in Anticyra à comitiali morbo liberatum aſſerit. Somnum etiam inducere idem auctor ſcribit; in quo quidem manifeſtiſſimum ſcriptorum vitium deprehenditur. Elleborum namque ſomnum potius diſſoluere legendum videtur, idem namque *Plinius* ſumptum hoc ſomniculoſis potius remedium ſtare ſcribit. proba-

batur contra febrium horrores in circuitionibus earumdem. Dioſcorides tamen in tradendis ellebori albi viribus, ſatis ſobriè ſe geſſit; nihilominus & menſes excitare, & partum eneeare tradidit; immò & eollyrijs, & ſuffuſionibus utiliter admiſceri voluit, & tandem etiam & ſternuramenta ciere. ſed ad plura quoque alia utiliſſimum perhibetur, dummodo nos furente eius conditione non deterreamur, doſimque iſtam exhibeamus, neque ex neceſſitate minorem, quod à Plinio antiquioribus vitio vertitur, dum timore nimio pereiti, dum tale pharmacum exigi menſura deberent, locum ſymptomatibus terribilibus relinquebant. hoc namque genus remedij (inquit) eo celerius ſibi exitum ſternit, quo largius ſumitur. Cauendum tamen ne Plinio audacia in temeritatem degeneret, cum de congrua quantitate intelligendum venit; Nigro vero elleboro plura priſci illi tribuebant, eo enim & facilius & tutius utebantur; ex illis igitur nobis inſinuata utilitas non ſpernenda. Comitialibus namque morbis, & articulorum auetruncandis, & paralyticis eognoſcebant utiliſſimum; inſanientibus quoque, & lymphaticis; menſes ducere ſubditum aſſerebant, partumque auocare, & uleeribus fœdis, fiſtuliſque congruam opem ferre, callum, & ſordes abſumendo: feram ſcabiem ſanare cum cedrino oleo, pice aut cera; auditus difficultatem ſoluere, ſi per triduum ſit in auribus immiſſum, ſic pari modo tinnitum ſanare, ex aceto illitum: radicum puluerem viriliginibus, impetiginibus, lepræque ſalubriter occurrere. dolorem dentium collutione tollere; Hydropicorum ventri tumido ad motum ſummopere conducere, quod poſtremum remedium coarctat Plinius in Tympanniticis incipientibus. conficitur naturale vinum elleboratum purgatiuum, ſi ellebori planta prope vitium radices ſeratur. hoc igitur etiam pharmacum veterinariorum ad manus eſt; pituitam namque peeorum excedentem, & iumentorum feliciter extrahere tradit Plinius, ſic & quadrupedum ſcabiem ſanare eum cera, thure, & pice.

De Antimonio, ſiue Stibio.

CAPVT CXVII.

Antimonij internus uſus veteribus tum adhibitus malè pro Panacea uſurpatus à Paracelſo. quam ſuſpecta ſint eius vires. perpenſæ fraudes agyrtarum & detecta in eo ſuſpicienda. Damnatum eius uſum decreto Scholæ Pariſienſis.

Lib. de Otio Sapientum.

C*Vrioſum nobis natura ingenium dedit* (inquit Seneca) *conſcia ſibi pulchritudinis artis ſuæ, cum nos in tanta rerum ſpectacula genuit, verita ne perderet fructum ſui, ſi tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formoſa ſolitudini oſtenderet; ut ſcias* (ſubdit) *illam ſpectari voluiſſe, non tantum aſpici.* quod quidem hiſce noſtris ſæculis in Antimonij, ſiue Stibij perſecutione ſatis exactè verificari videtur, dum recentiorum ingenia in rerum humanarum diuerſitate ludentia veterum deſpectis monimẽtis multo plura ex eodem exigere contendunt, quam quod tradiderint ſapientiſſimi illi; & viliſſimam glebam e terræ latibulis ereptam, ſupra aurum,

obryzum, lucidiſſimaſque gemmas efferri curant; & deterrimum pharmacum olim ad externum tantummodo uſum ſola artis ope innoxiè a ſhibitum, interius promiſcue ſumendum parant. immò nimis audacter, ne dicam temere vitalibus principijs inſtaurandis, quod ex propria natura deſtruendis productum conſtat, propinare contendunt cum miſerorum fidentium iactura, ne dicam vitæ certo diſcrimine. nec profectò tantus conatus omninò improbandus eſſet, ſi eius utcumque uſus ſenſatæ rationi ſubijceretur. nam quemadmodum humana ſolertia truces ipſas feras ſibi inimicas ſyderibus lætis ſub iugo cogendo in utilem uſum aduocauit; ſic etiam furentia, & venefica pharmaca proficuo, & omni laude digno nixu ab omni æuo à ſapientiſſimis factum comperio; de quo paſſim admonemur ex Hippocr. præſertim lucubrationibus, necnon Dioſcoridis, & Galeni. Quod vero pro panacea ſtibium paſſim à pluribus obtrudatur; locum dedit Theophraſtus Paracelſus, qui omnia meditatus, quæ ad præſentis vitæ felicitatem conferre poſſent; ſtibium tanquam unum adinſtar omnium inter pharmaca recepit; qui tamen cum hoc tanto remedij genere, vix adoleſcentiæ annos expleuit. Huius eſtiæne conſiliũ roborauit auctoritas Matthioli, alioquin egregij Botanici, qui ſanè quemadmodum Paracelſus chimicis ſuis ita medicorum cętui infirmis, & pauciſſimis experimentis imponere non eſt veritus; & ſic ſapientum coreulis tranquillitatem animi turbauit. multi inde horum opinionibus acceſſere, ſed præſertim illi, qui non officij ſanctitati, & humanæ ſaluti reparandæ ſtimulo addicti, ſed ad opes conſertim, & vanam gloriolam aucupandam præcipites ferebantur. inter quorum cenſum plures ignaros ſacrificulos comperio: qui vtinam quemadmodum legis edicto ab his arcentur; ſic ex hominum cætu expungerentur, dum ægrorum periculo ſecuro ſcelere inclyti eos veluti deſtinatas ſuæ gloriæ victimas periculoſum pharmacum ab omni ratione & humanitate vetitum propinant; & deſpectis (adulterina audacia) artis nobiliſſimæ præceptis, longiſſimo experimento comprobatis, & maximorum hominum ſententijs ſuffultis; vetuſtatis accuſatores facti, nouæ artis, & quidem, vt aiunt, præſtantiores auctores ſe produnt; & ad ſtomachum vſque gloriantur, ſi exhibitum remedium, quod an datum in ſalutẽ, mortemvè directum neſciunt, non infauſtum; quod frequentiſſimè euenit; ſed potiùs propitium, vel morbi imbecillitate, vel ægri virium robore, euentum habuerit; ſtatim hoc tanquam certiſsimum ad omne morbi genus remedium, immò diuinæ propemodum artis ſuæ effectum inerti grauitate in vulgus promulgant; coemptis etiam, ſi dijs placet, præconibus; quam profectò unius ſanitatem caſu conſecutam, poſtmodum ſua pernicie plurimi luant. Talium igitur medicorum doctrina cum ægrorum plauſu peccantium, non ſine ſectatorum credulitate, ac unitate remedij ſtat, ſic enim qui eidem incumbunt, ſcientiam facilem ſibi promittunt; immò nullo labore comparandam; increpantes diuinam prouidentiam, quæ uniuerſam opem medicam in infinitis propemodum fere ſtirpibus, foſſilibuſque, & animalibus diuerſo temperamento pręditis, viribuſque varijs collocare voluit, licet non indiſcriminatim uſurpandam, quamuis ad unicum finem ſalutem, videlicet humanam, aut ſeruandam, aut reparandam

directam; & quæ cuncta ſanè remedia ex ijs elicita, ut probe cognoſcantur pro recta horum adminiſtratione, laborioſiſſimis lucubrationibus opus habet, quas tantum vaniſſimas afferunt; & præceſſorum labores inſanientium deliramenta appellanr; vel ſaltem ambiguitatis inconſtantiſſima axiomata, fierique nulla cogente neceſſitate, ut ad medicinam exercendam præſciantur.

Hinc arcano ſuo (ita vocant quod è ſtibio ſub varia forma parant) varia nomina de induſtria confingunt, ampulloſis delectis nomenclaturis, ut maiorem arti ſuæ exiſtimationem concilient, ſatis ridiculè coquum illum Plautinum imitati, qui inofficioſis vocibus ferculorum variam, ſed inanem compoſitionem innuens; vanam inde ſibi expilcari gloriam lucrumque quærebat. ſic ijdem Antimonium diuerſe laruatum Protei inſtar varia figura indutum proferunt; quod quidem quantumuis horum deceptoria ſolertia corrigi, mutariuè contingat; ſemper tamen in propriam naturam, quam nunquam deſerit, reuerti poteſt. huius diuini medicamenti (ita loquuntur) ab intimioribus eius viribus prodigioſa manare ignaris obtrudunt: non turbare afferunt venoſum genus, licet furenti quodam impetu ſe gerat; ſed veluti pluſquam humana mente donatum à bonis humoribus noxios in inſtanti ſecernere, nulla horum expectata coctione, nulla viarum præparatione requiſita, quoquouerſum mouere, ſuſque deque; ſuccos natura inutiles extrudere, nulla alimentalibus illata iactura, nulla ſpiritibus concuſſione facta, nulla viſceribus alteratione introducta: ſomnum conciliare, vigilibus corporibus, torpidoque veterno marceſcentibus viuidam hilaritatem reddere, delirium ſi ingruat ſiſtere, idipſum præcauere in inflammationibus tum externis tum internis opem ferre; humectum reddere corpus ſi nimia ſiccitate laboret; ipſum ſiccare ſi *plus* iuſto humectum; ſudorem quoque prolicere; ſed ſi occaſio ferat, tandem ſiſtere; urinam ciere, & pari miraculo diabetem compeſcere; cor *ſpiri*tuſque roborare, & reficere: & contra peſtem unicum antidotum deſignari; & tandem quæcumque ad ſalutem comparandam e penu naturæ ſub vario ſchemate à nobis deſumi ſolent, in unico hoc remedio recondita eſſe, dummodo tamen ab ipſis paretur. Immo horum audaciam ad id deueniſſe conſtat, ut proiecto omni ingenuo pudore, diris proſequantur & conuitijs tamquam humanæ ſalutis oſores eos qui illorum placitis non aſſentiuntur. Minus tamen meo iudicio peccant Chimici; qui tum ſuo dracone rubro, tum ex antimonio, aureos montes ſibi pollicentur, quamuis irrito ſemper conatu ſub ingentis ſpei patrocinio argentum in aurum vertere nitantur, & idolum ſuum, ut cum Renodęo loquar, adorare non deſinant; qui vir ſummus Stibium vocat Empiricorum catharticum; quo omne morbi genus expugnare glorientur; cum tamen ut ipſe inquit alvum moleſte, & miſerrime turbet, alijs enim hypercatharſi moleſtiſſima introducta, miſerrime laceſſunt, multos interimanr, paucos ſanitati reſtituant, cuius rei plurima & miſeranda exempla proponit, quæ hic raticere nobis noſtrum non eſt, cum iam totus orbis hoc ipſum in propatulo habeat. Gaſpar Ophmannus vir doctiſſimus, & de medica facultate optime meritus uſum Antimonij ex toto non improbat, ſed Imperati potius auctoritati indulgens,

In Paralipomena officinalia.

gens, & Matthioli, dubitat an ſecuritatem nobis polliceri poſſimus, ſi infuſo ſolo utamur, cum quælibet præparatio qualiſcumq; ſit illa venenum in ſe ſemper habeat;& ſapienter concludit medicamentum potius ruſticis obtrudendum. Clarius tamen mentem ſuam explicat, dum affert decretum promulgatum contra medicaſtros Chymicos, & Empiricos ante annos octoginta & amplius à Collegio Pariſienſi latum; quod Collegium conſtat ex centum & amplius doctiſsimis, & præſtantiſsimis Viris ſequentis tenoris.

Qui plebeculæ imponunt mira pollicentes ex hoc veneni vſu.

COLLEGII MEDICORVM PARISIENSIVM de Antimonio ſententia.

VNiuerſi Collegij Medicinæ facultatis conuentu habito ſuper Stibij, ſeu Antimonij iudicio & lege ferenda ſancitum eſt, omnium qui medicinæ claruerunt auctoritate ac quæ rationibus, tum alibi ſæpe, tum nuper apud Patronum Regium deductis ipſum ſtibium deleterium eſſe, & inter ea ſimplicia, quæ venenata qualitate pollent annumerandum. nec poſſe quauis præparatione emendari; ut intro citra moleſtiſsimam noxam poſſit aſſumi.

Datum in Scholis Med. 3. Kal. Auguſti anno 6. ſupra ſexquimilleſimum ſexageſimum.

Simon Petrus Maldenſis Decanus facultatis Medicæ.

Mercurialis antimonium damnat, damnat Greuinus & ſexcenti alij viri ſapienliſſimi, ut mirum ſit quomodo eius uſus modo tam pertinaciter irrepſerit; quid enim obſtat ingenuis Viris proprijs virtutibus veram laudem aucupantibus, ut in medicamentis certa rerum cognitione, & experime nto ſenſato comparatis, in quibus nulla veneni omnino ſuſpicio adſit & ex artis notiſſime præſcripto ad ægrorum certam ſalutem delectis. Non negauerim tamen interim in quibuſdam ſingularibus, ſed rariſſimis caſibus antimonium recte præparatum exhiberi poſſe, & ego ipſe, licet rariſſime, eo cum fructu uſus ſum; at longe plura requiruntur dum exhiberi id ipſum fas ſit. Parant Chimici ſub vario tamẽ nomine ut propriæ artis præſtantiam inſinuent antimonium ipſum; primo ſub nomine Stibij; deinde ad formandas pilulas perpetuas eiuſdem regulum ex vitro formant; annulos & pocula; à chimicis ex antimoni o educitur oleum, ſiue potius tinctura, quod commendatur à Fallopio ad ulcera cachoeta; extat etiam puluis ab eo ex Cratone, ex fabro quinta eſſentia, & flores, ita & antimonium fixum habent; habetur puluis Emeticus Bezaarticus Antimonij; Butyrum antimonij; & ex antimonij Butyro fit laxativum minerale Orſtij; cuius correctio tota in nitro & ſale conſiſtit; ſed præparationem requirit diligentem; fit ex eodem puluis Algaroticus Pompei Sprecchij pharmacopæi Veneti. cauendum tamen in eo, & alijs per nitrum & ſalia correctis antimonialibus infuſiones fiant in vino nimis generoſo, cum per illud corrigentia ſalia ab antimonio facile ſeparentur; & ſic etiam repetita infuſio

magis

ſtragis noxia euadit; ſic quoque in quibus conceditur uſus repetitus. Quidam Nardius ex huius medicamenti uſu e lipothymia in ſincopem, me vidente, dilapſus extinctus eſt. Petrus Sanſouinus hydropis præludijs correptus aſſumpto, me inuito, antimonio e viuis celerrime ſublatus eſt. Mercatorem quemdam in eo medicamenti genere nimis fidentem citiſſime ad plures migrare coegit excitato vomitu contumaciſſimo; quo genere mortis ſublatus eſt alter hydrope ſicco detentus; à vomitu ſanguinis profluvio ſuperueniente, confecit Bibliopolam hydrope anaſarca excitato; ſic hypercatharſi inducta Cerdonem ad extremum deduxit exitium; in myropola, palpitationem excitauit, à qua breuiſſimo temporis ſpacio syncopis ſuccesſit, à qua interijt; ruſticus qui gloriabatur ſe à Domino ſuo ſalutem, mediante puluere recepto accepiſſe, qui erat Algaroticus, replicato eiuſdem uſu, irremediabili ſtomachi ſubuerſione detentus interijt. ſic & ſexcentis alijs ſub varia forma exhibitum antimonium extremã attulit noxam, tandem languorem irremediabilem calori ſtomachi natiuo introducendo. In deſperatis tamen caſibus, in quibus non ratio, ſed temeritas conſulenda, non omnino improbandus, in quibus præſertim remedia ex uſu artis exhibita non profecerint; ſed anni temporibus proprijs, viribus integris exiſtentibus, cordis vegeto robore, valido ſtomachi calore; ſed nunquam exhibendum in cardialgia, ſyncope, ſpaſmo, hæmotoiſique diſpoſitis; in deplorata paralyſi exhiberi poterit, melancholia confirmata, diuturnisſimis febribus, iſtericis contumacisſimis affectibus, & uniuerſali arthritide. cauendum tamen in paralyſi exhibendo diaphoretico, ſi cor imbecillum ſit, cui his quæ ſpiritum reficiunt & confortant, aſsiduo incumbendum. quod ſi quis in modo exhibendi antimonium plura deſiderat, conſulat Ceſium lib. 2. cap. 6. ſect. 11.

De Seroſitate per aluum ducentibus medicamentis.

CAPVT CXVIII.

In hydragogorum perquiſitione idem ordo ſeruandus ſtatuitur, qui in præcedentibus eſt habitus aſſeritur, à benignioribus exordium ſumentes.

EXuperant quandoque, & vitioſæ redduntur in corpore humano ſeroſitates, quemadmodum etiam alij humores, quæ cum tenues ſatis ſint & ex ſe fluxiles, etiam catharticis validis, dum opus ſit medicamentis, nulla præmiſſa illarum præparatione, tentari & educi ſolent; quamuis ut plurimum ſi non humores ipſos, ſaltem vias, per quas educi debeant expedire, & peruias facere neceſſe ſit. utcumque tamen, quemadmodum antehac in alijs catharticis medicamentis explicandis cautum fuit; ita in iſtis poſtremis eumdem ſeruabimus ordinem. horum namque quædam benigna dicta ſunt, quæ blandè ſubducunt; ſtrenua alia, quæ vigoroſe ſatis euacuant; & tandem valentiſſima, quæ ſummo vigore humores ſibi familiares trahunt ex alto, & intimioribus partibus impactos; ſic igitur in hydragogorum cenſu ſtatuendum, & à blandioribus exordium ſumentes cæteris

præ-

præmittemus Iridis radicis ſuccum, varij ſanè uſus, ſed qui præcipue vim obtinet purgatricem, & facultatem alliciendi per ſeceſſum ſeroſitates; quo quidem medicamento unuſquiſque innoxie uti poteſt, & facilem ſatis exhibere operationem; prouida namque natura ubique ferè locorum Iridem ſatis copioſam nobis ſuppeditauit; cuius facultatem modo intimuis perſcrutabimur.

De Iride.

CAPVT CXIX.

Iridem ex euacuantibus cathartice benignè ſerum, humanæ ſaluti ſingularem opem ferre aſſeritur. oſtenditur qua ratione iridis nomen huic plantæ inditum fuerit: non unico nomine priſcis expetitam. ex odoratis plantis ſolam ex Theophraſti ſententia ex Europa, immo ex Italia deſumptam. Eius figura deſcribitur. notatur error Pauſaniæ, & Salmasij. temperamentum ſtatuitur, vires examinantur.

SEroſos humores purgant e lenientibus & benigne euacuantibus non pauca, inter quæ Iris multis nominibus præſtans. & ſanè famoſum hoc *Iridis* nomen, quod lepidæ huic plantæ colorum illa varietas, quæ in *vnico flore* percipitur, impoſuit, ſi Dioſcoridis dicto ſubſcribamus, cui etiam aſſentitur Plinius, non minorem animis admirationem incutit, quam quod faciat cæleſtis ille arcus; hoc ipſo præſertim varietatis coloris nomine ſuſpiciendus; hinc priſci illi Iridem Thaumantidis, ideſt admirationis filiam aſſerebant; quamuis Caſaubonus in Athenæum dicat Iridem hanc nomen deſumpſiſſe, ἀπὸ τοῦ ἔιρω, quod nuncio ſignificat; exiſtimabant *enim*, quod quidem e ſacris paginis didiciſſe credendum, arcum illum cæleſtem verſicolorem, qui in nube opaca ſoli oppoſita multoties obſeruatur, eſſe diuinæ pacis internuncium; quapropter etiam Vraniam, ſi Theophraſtum conſulamus, quaſi Sacrum quid vocabat; quamuis à Philino ex Athenæo Iridis flores lupos vocari videam, quia lupi labijs aſſimilentur. Cæterum Iridis planta varijs de cauſis priſcis & nota, & ſummo in pretio habita, præcipue quia ſuaueolentem radicem gerat; quamuis fatetur Theophraſtus hanc tantumodo ex Europa, immo ex Italia ſola peti; quod verificatur ſi Strabonis geographiã ſpectemus, qui Liburnos & Illyricos, à quibus talis radix expetenda, inter Italiæ regiones annumerat; quæ quidem ſola inunguentis & ſpiſſamentis ſelectiſſimis, & præſtantiſſimis ex ea conficiendis radicem ſuppeditet odoratam; cum in alijs conficiendis unguentis non hæc, ſed ex India, Libya & ſimilibus calidioribus regionibus Aromata ſint procuranda. cæterum augetur Iridi exiſtimatio, quia catharticam facultatem obtinet, ducendi præſertim ſeroſitates, & quoniam multis alijs morboſis affectionibus occurrat. deſcribit Dioſcorides plantam Iridis, eamq; fere folia gladioli, maiora tamen, & latiora, & pinguiora ait; floribus in caule alternatim e regione collocatis, ſibi mutuo correſpondentibus, reflexis, verſicoloribus in vno eodemque flore; radi-

ces

ces gerere ſubdit geniculatas, ſolidas, & odoratas, quas inciſas in vmbra ſiccari tradit lineo filo traiectas, & ſuſpenſas, & ſic ad vſum ſeruari. hæc Iridis deſcriptio à Dioſcoride allata, non admodum differt ab ea, quæ aſſertur à Theophraſto, dum eidem harundinacea folia attribuit, quæ cum gladioli folijs ſatis conueniunt. non eſt tamen Iris gladiolus, vt cenſuit Pauſanias in Bœthicis, qui Iridem deſcribens eam apud Cheronenſes lilio parem magnitudine facit, colore minime candido in paluſtribus naſcens. Nicander vero Iridem aſſerit ſelectiſſimam oriri ait iuxta fluenta Naronis & Drilonis; & vt ibi antiquiſſimus Scholiaſtes notat *Drilo*, & Naron ſunt fluvij diuidentes Liburniam ab Illyrico. cæterùm quod *Iris* in paluſtribus naſcatur, repugnat ſenſui, cum plantam potius naſci in apricis, & deſertis locis, quam in vliginoſis manifeſtum eſt; prætérquamquod hoc ſententiæ Theophraſti & Plinij repugnet; ille enim Iridem naſci dicit non in maritimis, ſed in mediterraneis locis, & magis ad Septemtrionem ſitis, ut paluſtria excludere videatur; hic vero lib. 21. cap. 7. laudatiſſimum Iridem ex Illyrio petit; ibique non in paluſtribus, ſed in ſilueſtribus circa Naronem & Drilonem fluvios emergere tradit, quod forſan à Nicandro in Theriacis accepit; hi namque fluvij iuxta Ptolomæi Geographicam diuiſionem, ſunt in Dalmatia ſiti Illyrico contermina. ſed eſto quod in paluſtribus horum fluviorum naſci patiamur; nullo modo tamen aſſentiendum eſt Pauſaniæ ſententiæ, Iridem videlicet idem eſſe cum gladiolo, quia gladiolus in paluſtribus naſcatur; quod ſane impoſuit Clariſſimo Viro Claudio Salmaſio, qui ſane ſummus vir ſæpeſæpius in botanicis iudicijs ferendis, ſatis incautè ſe geſsit; autumauit namque Vir Doctiſsimus Iridem idem eſſe cum gladiolo; eſſeque idem cum Poëtarum hyacintho & maniſeſtiſsimo errore confundit cum Kiride paluſtri quidem planta; nam gladiolus à Dioſcoride vocatur kyphion non hyacinthus, de quo poſtremo & ſeorſim, & proprio capite agit. Abſurdiſsimum quoque eſt dicere Gladiolum eſſe khiridem, cuius hiſtoriam differentiſsimam affert idem Auctor lib. 4. cap. 22. ſunt non gladiolo flores purpurei kiridi vero luthei, & omnino à kiride diuerſa aſsignatur à gladiolo facies. & quamuis Dioſcorides ſcribat Iridem gladioli folia gerere, innuit in folio ſimilitudinem, non identitatem; utrobique enim ſunt folia inſtar gladij longa, & conſimili latitudine, latiora tamen multo in Iride quam in gladiolo. eligitur à Dioſcoride Illyrica Iris & Macedonica, quæ Illyrio contermina regio eſt, Nicandrum in hoc ſecutus, qui hanc cæteris præſtare ſaſſus eſt cum Gal. & forſan quia odoratior eſt, quæ quidem conditio præcipue in Iride attenditur, de quo admonebat Dioscorides hoc ipſo loco; & Galenus 1. de antidotis cap. 21. ſed ante omnes Theophraſtus 9. de Hiſt. plantarum cap. 7. & hoc equidem ſingulare priuilegium in locis ſpecificam proprietatem referendum puto; certas ſiquidem leges æterno prouidentiæ fœdere natura quibuſdam impertita eſt locis, ut quarumdam rerum ſingularium proprietate gauderent; verum Libyca Iris optimæ etiam conditionis cenſetur, ſeu Aphricana, quæ tamen cum debilioris virtutis ſit; idem auctor tantum differre fatetur ab Illyrica, quãtum à viuo corpore cadauer exanimatum; quod quidem certè tribuendum non eſt caliditati regionum,

In Exercit. Plin. in Sol.

Lib. 4. c. 20.

ſub

ſub hac enim ratione præſtaret Libyca; Piſidicam poſt primas commendabat Plinius, ad unguenta tamen quod attinet; dum unguentum ex Piſidica Iride paratum cæteris præſtare aſſerebat, & præſertim ijs qui in Leucade & Elide conficiebantur; ſed forſitan hoc procedebat, ut notat Caſaubonus, ex unguentariorum diligentia ſumma, non ex loci proprietate, quia ibi redolentiſſimum irinum conficiebant. Commendat Dioſcorides Iridis radicem, quæ in uſum medicum ſit traducenda, denſam, & quaſi decurtatam, frangenti contumacem, ſuaui odore, colore ſubfuluo, amaroque guſtu, quæ ſitum non redoleat, & quæ inter frangendum ſternutamenta exciiet. Facit Plinius Illyricæ Iridis radicem duorum generum, alteram raphanitim vocatam, à ſimilitudine cum raphani radice; alteram Rizothomos appellatam. Docet nec profectò inutiliter Meſue, quo tempore opportuno radix hæc colligenda veniat; ſtatuit aptiſſimum tempus eſſe vernum. hoc ſane rationabiliter dictum; eo videlicet tempore, quo flores nondum expanſi ſunt; tunc enim radix ſucco prægnans nondum omnes vires ſuas ad flores expellendos exactè tranſmiſit. ſunt tamen qui hæc non admittant, cùm Dioſcorides doceat in totius operis præfatione radices ſtirpium autumni tempore colligendas eſſe: facile tamen litem conciliando cum Dioſcoride Meſuem dirimemus dicentes, Dioſcoridem radices euellendas in autumno præcepiſſe, quia tradebat regulam generalem omnibus radicibus euellendis communem; autumni ſiquidem tempore vigor omnis & facultas dum folijs & caule deſtituuntur, ad radices deſcendit, cæteris partibus omnino exſuccis redditis. at ſuccus ille, qui præcipuè expetebatur à Meſue in Iridis radice ad purgandum neceſſarius, facilius colligitur initio Veris, quo tempore vegetior redditur purgatrix facultas, ad quem uſum nõ reſpexit Dioſcorides, ſed ad quam plures alios, ad quos radix Iridis deſtinatur ultra facultatem catharticam; quam tamen in eadem radice reperiri non negauit; quod neque fecit Gal. Manifeſtum hoc euadit ex Dioſcoridis verbis, dum collectionem radicum autumnali tempore commẽdat, ad catharticam eius facultatem non reſpexiſſe, dum eam odoratiſſimam eligi imperat; quod quidem in Iride verificari nequit. id etiam innuebat Theophraſtus, dum Iridis radicẽ viridem parũ, aut nihil olere aſſerebat; nihilominus etiam ad alia peragenda ſtatuto tempore ex Meſue eam ipſam radicem effodere opportunum fuerit, ut exiccetur; quia cum Iris folia numquam amittat, integras tamen vires ſeruare radicem exſiccatam per biennium communiter aſſeritur; ideo etiam in autumno extracta, cum humore pregnens ſit, vires integras arefacta ſeruare poterit. pronunciat Meſ. temperamẽtũ Iridis calidum & ſiccum in tertio, in fine tertij Auicenna; ſed prius magis placet, ſi præſertim loquamur de ſucco recenter extracto. Præuotius ſimul cum Dodoneo Iridem ſiccam in ſecundo gradu pronunciat, ſed calidam in tertio; Lobellius & rationabiliter autumat, in recenter extracto ſucco coniungi cum calore non excedenti humiditatem moderatam; Paulus verò calefacere abunde aſſerit, ſed ſarcoticam eſſe; igitur cum Paulo gradum ſecundum caloris Iris non excedit, quod ſarcoticorum proprium eſt. ſerum benigne ſatis cathartice Iris ducit, pituitam deinde, & etiam craſſam, quod poſtremum Dioſcoridi

In Athenæũ

5. Simplic. medic. c. 20.

Lib. 6. c. 16.

magis placuit, & Galeno quoque; experimentum tamen nos docuit ab ea-
dem in primis ſeroſitates peti. dubitat tamen Fallopius an noſtris hiſce
temporibus ſuccus iſte tuto exhiberi poſſit; obſeruauit autem ſub Braſa-
uola præceptore exhibitum dolores atroces, quamuis correctum, excitaſ-
ſe. verum ſi optime corrigatur, tutò & maxima cum utilitate exhiberi po-
terit, quod ego non ſemel obſeruaui. doſis ex Dioſcoride cum mulſa exhi-
bitam Iridem ex ʒ vij. pondere; minorem doſim exhibet Meſue à duobus
vid. uſque ad ſex drachmas, in ſero lactis, vel iam dicta mulſa, addita pau-
ca ſpica, vel melle: ambo tamen de radice exſiccata intellexere; Præuotius
doſim auget, quod de ſucco loquatur, quod quidem magis opportunum
autumo, datque ab duabus uncijs, ad uncias tres in vino abſinthite; ſuc-
cum vero eiuſdem condenſatum cum abſinthio exhibet aut ſeminibus ani-
ſorum à ʒ iij. ad ℥ ſ. Iridis radice in vino decocta in febribus feliciſſime uſus
eſt Platerus; at ſi ſuſpectus ſit eius calor, commodè exhiberi poterit cum
ſucco boraginis, vel cicoreæ, vel cum ſimilibus condẽſatis. pituitam craſ-
ſam & bilem remixtam multoties educere Iridem electiue pronuntiat Me-
ſues; ſed ſi ab experimento notitiam deſumamus, ſeroſitates in primis vi-
goroſe elicere comperimus. Valide abſtergit Iris, concoquit & reſoluit,
obſtructaque reſerat; in quo arrident etiam Meſues & Gal. ob id pectoris
vitijs demendis opportune occurrit, parato ex lambitiuo, quod in farctam
pituitam tenuem abſtergat, craſſamq; attenuet Dioſcoride quoque ipſo
annuente. hinc aſthmaticis, & tuſſientibus proficua. ſuccus ex ea expreſſus
vel puluis per nares attractus capitis pituitam valenter educit, & ad ob-
ſtructiones viſcerum aperiendas maxime valet. radices coctæ ex Dioſco-
ride, & impoſitæ ſtrumas compeſcunt. inueteratos ſcirrhos & tumores
ubicumque ſitos emolliunt, ſed articulorum præſertim & diſſolvunt,
iſchiadicis, alijſque articulorum doloribus opitulatur, maculas cutis de-
let; menſes ducit, in peſſo ſubdita uteri dolores demulcet; ſed abortus ta-
men excitare valet; ſub qua ratione grauidis horum peſſariorum uſus ar-
cendus; gonorrhæis ſiſtendis opportune ſe gerit; carne replendis vulneri-
bus & ulceribus etiam ſinuoſis utiliſſima; oſſa perioſtio nudata carne ob-
Lib.8.obſer. cap. 362. ducit, quamuis Ludouicus Septalius inutilem exiſtimauerit; prodeſſe ta-
men poſſe manifeſtum in ſpecies corrigendo, abſtergendo partiſque hu-
midum exſiccando. ex recentiorum obſeruatione dentium dolores ſedat;
& oſſis corrupti ſquamulas iam à natura ſegregatas quam citiſſime deci-
dere facit; ſomnum ex Dioſcoride & Meſue inducere valet; de quo tamen
dubitatum valde video a Coſtæo, cum hoc efficere eiuſdem plantæ tempe-
ramento repugnet, cum calida ſit; neque ſiccitas calori copulata ſomnum
inducere ſoleat. duobus tamen de cauſis hoc fieri poſſe aſſerit, vel à medi-
camento calido auocato interno partis calore, & ſubinde reſeratis po-
roſitatibus; vel attenuata pituita in capite exiſtente; hinc ab ea excitatis
vaporibus frigidis & humidis, ſpiritus in ſenſorio cohibeantur. addo ego
excitare ſomnum diſcuſſione melancholici vaporis, ſiue potius exhalatio-
nis, & euacuatione ſeroſitatum acrium, aut acidarum, ſed etiam corrobo-
ratione ſpirituum. venuſta ſane hæc planta & cephalica, & cardiaca cen-
ſetur, ac proinde à Dioſcoride, & à Meſue ad capitis dolores inueteratos,

&

& ad cordis affectus edomandos utiliſſime adhibeatur; & in ſumma concludunt venenis etiam valide aduerſari; fit etiam ex eius floribus oleum ad varia, ſed præſertim utiliſſimum torminibus ſedandis.

De Chamæleontis albi radice.

CAPVT CXX.

Albi Chamæleontis purgandis ſeroſitatibus innoxiæ radix opportuna: an nigri Chamæleontis radix venenata ſit perpenditur; deſcribitur planta; temperamentum deſignatur; vires produntur.

E Genere accanaceorum chamæleon purgandis ſeroſitatibus blande ſatis nobis obuium & opportunum ſeſe exhibet medicamentum nō tamen quodcumque huius nominis, ſed album; cùm nigrum ex Nicandro, Plinio, & Aetio facultatem venenatam gerat; quamuis hoc ipſum nec ſatis à Botanicis diſcuſſum, nec exactè deciſum ſit quodnam vid. pro albo genuino chamæleonte vſurpandum ſit, quod notis à Theophraſto & Dioſcoride ſuo albo Chamæleonti attributis correſpondeat, & pro tali uſurpandum à nobis veniat. Gal. in ſuo nigro chamæleonte aliquid venenati cognoſcit; quid tamen neque à Theophraſto, neque à Dioſcoride proditum; immo potius Dioſcorides albo ſuo alexipharmacam vim tribuit; & ſanè niſi vim lethalem in chamæleonte ex eo arguamus, quod Theophraſtus dicat ſues & canes interimere, vix aliquid aliud inueniemus. addit Dioſcorides etiam mures necare; quod dictum profectò neceſsario in eo vim venenatam non arguit; cùm ſæpè quod uni animalium generi venenum eſt, alteri vel alimentum, vel antidotum eſse queat; & forſan Nicander, Plinius, & Aetius de Ixia veneno locuti ſunt; de quo tanquam quid ſeiunctum à chamæleonte noſtro Dioſcorides in proœmio totius operis loquitur, tum ſexto libro, ubi de venenis ex profeſso ait; quod tamen Scribonius Largus chamæleontem vocari tradit. cęterum chamæleontem nigrum non eſse, & multo minus album ex eo conuincitur, quia radix Ixiæ, ſi Dioſcoridi fides habenda, & ſaporem & odorem ocimi habet, quæ cōditiones in utroque chamæleonte deſiderantur. ſed pariter diſtinguitur Ixia à nigro & albo chamæleonte, dum hoc ipſum Dioſcorides viſcoſum Colophonem appellat, tale ſiquidem nomen planta hæc, quæ nobis conſideranda venit à Dioſcoride ſibi vindicauit ex ſoliorum coloris varietate, quem ſanè diuerſum, ob ſolis cœlique diuerſitatem induit; ut modo ſint intensè viridia, modò albicantia, alibi cyanea, ſæpè rubicunda. addit idē auctor appellari etiam à nonnullis ἰξίαν, videlicet, eo quia in quibuſdam locis viſcum ad radices ferat; quo, ſubdit, mulieres, cuius exemplo ego in plantula exſiccata manifeſtè vidi, quam à præclariſsimo Viro felicis memoriæ Nicolao Contareno dono accepi; pro maſtiche utantur, quod ſanè Dioſcoridis dictum certe errori locum dedit confundendi Ixiam venenum cum chamæleonte potius alexipharmaca planta; folia gerit carduo vel ſilybo ſimilia, aſperiora tamen, quam quod in nigro chamæleonte reperiantur, Lib. de Com. pos. medic. cap. 6.

riantur, ſed etiam validiora; eſt quidem chamæleon à caulis, ſed è foliorũ medio conglomerata ſpina, ſeu potius ſpinoſum diſcum erino marino, aut cinaræ ſimile producit; flores ex eodem diſco emergunt purpurei velut pili, ſeu capilli per totum erumpentes, qui tandem in pappos abeunt, ſemen cnico ſimile; in pinguibus collibus radicem craſsam, in ſterilibus vero graciliorem, in profundo albam quadantenus aromaticam, dulcem, graui odore. ad temperamentum quod attinet, idem elicimus à Dioſcoride, qui chamæleonris radicem dulcem, & aromaticam facit, odoreque graui; ut hinc calidam eſse facile deprehendamus; verum gradus caloris deſignantur à Galeno, qui plantam hanc calidam in ſecundo completo, ſiccam in tertio aſserit. Verùm ſi vires huius expendamus, & præſertim catharticam eius facultatem, habet Gal. & Dioſcorides aqueum humorem educere, & ideo ad hydropem ſuperandum ſummopere conducere; hydropicis namque ſeroſitates ſunt propriæ, quas ſatis benigne educere valet; nec eſt quod eius uſus reformidetur, quia ab Aetio inter venenatas plantas reponatur, cum contrarium antiquorum experimentum ſuadeat; Prætctius namque doctiſſimus in hydragogorum cenſu repoſuit, & mihi non ſemel candide affirmauit, hac radice cum fructu in huiuſmodi affectibus uſum fuiſſe, ut de eius incolumi actione haud dubitari liceat. potam radicem acetabuli menſura ſeu oxyphabi, quod idem eſt, ex Gal. in vino auſtero vermem latum necat; ex Dioſc. in origani decocto. dubitari tamen merito poteſt numquid tanta doſis de radice in ſubſtantia exhibita, vel de eius ſucco, aut de ſola decoctione uſurpanda veniat. Oxiphabus namque, ſi Budeum conſulamus, 24. drachmas pendet; his enim cotylæ quartam partem fuit; nihilominus Oribaſius autumat oxyphabum 12. tantum drachmas continere; maxima ſiquidem diſcrepantia; plures verò alij unciam non excedere credunt. utcumque tamen ſit, potius de radicis infuſione accipiendum; niſi dicamus ad latum vermem pellendum efficaciori remedio utendum eſſe, quod quantitate ſua roboratur. Præuotius ad ſeroſos humores ciendos dat in ſubſtantia à drachma ſemis ad drachmam unam; in decoctione verò à drachma una ad drachmas ſex; corrigitque cum ſeminibus odoratis. bibitum decoctum albi chamæleontis contra urinæ difficultatem, morſibuſque tandem virulentis in vino exhibitum ſalubriter opitulatur.

8. Simplic. cap. 18.

De Axe.

De Erba mirabilis floris Hiſpanorum, ſiue Hocal Indi Peruviana.

CAPVT CXXI.

Herbam Mirabilem variegati floris Hiſpanicam, vel potius Peruvianam hydragoga facultate pollere aſſeritur: eadem deſcribitur; à radice quotannis non ex ſolo ſemine planta reproducitur eius temperamentum non deſcriptum, calidum tamen cenſendum.

ELegantiſſimam plantam Peruianam non iniuria ab Hiſpanis ob florum varietatem venuſtatemque, tum odoris iucunditatem herbam mira-

mirabilem dictam, nobis locum occupare in Viridarijs principem non multis ab hinc annis ſibi vindicaſſe videtur, quamuis mundi plagam diuerſam longe à natiua ſua repererit; inſtar tamen propriæ, & ad ſui propagationem aptam inueniſſe experimentum demonſtrat;cum fere ubique per totam Italiam ne dicam Europam,ubi lętum inueniat ſolum ſuæ altionis propagationiſque vegetæ uberrima ſigna prodat; verum hanc ipſam ſolertiſſima naturæ prouidentia etiam medicinæ inſeruire, & cum indigenis plantis præſtantia certare, hydrogogorumque benignorum familiam augere, hiſque feliciter annumerari præclariſſimorum Virorum obſeruatione, & haud fallaci experimento comprobatum eſt. Hæc igitur planta ſingularis aſſurgere ſolet bicubitali caule, & geniculato, ab eoque ſimiles ramuli prodeuntes, & plures, præſertim ſi in pingui ſolo ſata ſit luxuriantes; ſolia emittunt ſuccoſa, Circeæ, ſeu hortenſis ſolani, vel ſiliquaſtri latiora, cauli petiolo adhęreſcunt, & in apice acuminata videntur, colore dilute virenti, quæ dum teruntur, viroſum odorem emittunt, nec abſimili ſapore guſtanti ſe produnt; flores ex extremitatum illarum, ramorumque prodeunt complicati, uſquequo pandantur in quinque flexuras diuiſi conuoluoli maioris ritu, cauliculis in ima floris parte diſpertitis in quinque ſciſſuras viridibus, quibus flos præcingitur coronæ inſtar membraneceis; & qui flore euaneſcente, ſemen unicum includunt baccæ æmulum. flores ſunt modo flaui, modo purpurei, albidi ſæpè, aut pallentes;in unaquaque tamen planta eodem tempore hanc diuerſitatem commonſtrantes; ſed ſæpiſſime in unico flore binum colorem lepidiſſime gerunt laſciuientes, ſiue florum ambitum circumambiant, ſiue recta per tranſuerſum occupent, virgulatis fibris totam longitudinem delineant, aut radiorum inſtar inequaliter per floris ambitum verſicolore mixtura ſe includant: odor floris ſatis iucundus, narciſſi æmulus, in quo quidem flore ab immo ad ſummam uſque e floris meditullio ſtaminulæ ſex longiuſculæ emergũt. in his floribus eadem caducitas obſeruatur, quæ in conuoluolis, qui non diutius expanſi remanere ſolent, ſed horis tantummodo matutinis, & adueſperaſcente die: floret ab Auguſti menſis principio ad integrum uſque Octobris, floribuſque noctu ſeſe contrahentibus, e radix craſſa, foris nigra, intus alba, guſtu aliquatenus acri, ſubdulcique. Eſt quidem annua planta, quamuis eius radix dum ad maturitatem perducta eſt, ſi è terris euellatur, & ſubſequente vere denuò terræ committatur, germinare rurſum ſoleat; facilius tamen è ſemine reproducitur. Cortuſius Botanicus noſter Patauinus huius plantæ facto periculo, eiuſdem radicis binas drachmas, eius præſertim quæ variegatum florem gerit, benigne & egregiè aque os humores purgare tradidit: quod & Præuotius obſeruauit. Notandum tamen hanc plantam, longè differre ab ea, quæ ſub herbæ mirabilis planta deſcribitur in hiſtoria plantarũ, quę amaranthus tricolor eſt. Exiſtimauerim ego, ſi tamen licet diuinari, ex articulata huius plantæ ſtructura, humores etiam ab articulis eliminari; quod quidem facile admitti poteſt, ſi pythognomonicæ ſtudio ſubſcribamus; ſuccus ex caule idem præſtare poterit; corrigitur à Præuotio ſeminibus aromaticis. Temperamentum

mentum adhuc ignotum; at cum Peruviana planta; ſit cum Monarde calida potius cenſenda.

De Hemerocalle.

CAPVT CXXII.

Hemerocallis catharticam facultatem hydragogam non Dioſcoridi, ſed Plinio notam aſſeritur; nominis ratio affertur: deſcribitur; temperamentum affertur; doſis, & vires explicantur.

HEmer ocallis non quidem Theophraſti; is enim radicem lignoſam habet; ſed Dioſcoridis, qui ſuo hemerocalli bulbaceam aſſignat, hydragogis medicamentis accenſetur; quod tamen ab eodem auctore non ſatis liquet, cum dicat radicem cum lana & melle in peſſo ſubditam aquam & ſanguinem in mulieribus inutilem educere; ut ex ijs potius voluiſſe videatur hemerocallem per uterum, quam per alvum munia ſua exequi. ſerum tamen etiam per ſeceſſum educere fatetur Plinius; immo addit ſi emplaſtri more ventri applicetur, quod Præuotio etiam placuit, ſeroſitates eliminare. plantula ſane hæc hemerocallis vocatur, ſi Heſichio credimus, ob pulcherrimi floris dieculæ tantum unius durationem, quaſi eius pompa vnica die & ſe explicet, & abſoluat, hoc tamen veritati refragatur ut potius dicendum ſit, qui magis proprium etymum eius nomini aſſignari velimus, quia noctu ſe contrahat, & veluti contabeſcat; oriente vero *ſole in* eius conſpectum flores lepidè pandat. caulem gerere deſcribitur à Dioſcoride, & folia veluti liliacea, porri colore; flores vero e caule erumpentes per ſingulas propagines terni, quaternive lilij, cum dehiſcere cæperint diuiſura, ochræ colore ſed ſaturatiore, per quam luteo picturatos. radicem gerit pergrandem bulbo ſimilem. hæc ſane Hemerocallis planta cum veteribus ſic & noſtris æque cognita, præſertim ea, quæ bulbum gerit, plures non Hemerocallidis differentiæ circumferuntur. ſatius tamen erit ea uti, quæ bulbum gerit, de eius temperamento vix quidquam certi à veteribus rimari poſſumus. quod autem bulbus hic leuiter diſcutiat, hoc habemus ex Gal. 6. Simplicium, qui habet radicem lilij æmulam gerere, eidemque ſpecie & viribus aſſimilari; ideo freti tanti viri opinione, non erit inconueniens primum gradum caliditatis ei retribuere, & in paſſiuis qualitatibus temperatam pronunciare. igitur ſi radix, ſiue bulbus ſi in ſubſtantia, ex Præuotij ſententia exhibeatur, à ℥ij. ad ℥iij. blandè ſeroſitates ſubducere valebit; quod Plinius teſtatum reliquit, qui bulbum tritum cum melle remixtum ventri appoſitum idem præſtare aſſerit. eadem radix ſimul cum folijs contuſa ambuſtis medetur; mammarum ex partu inflammationes reprimit, & oculorum epiphoras. Corrigitur abſinthio, & alijs ſtomachicis, cùm ventriculo ſatis infenſa ſit.

De Cynocrambe.

CAPVT CXXIII.

Dubium ſoluitur circa Dioſcoridis Cynocrambe deſcriptionem, & noſtram eſſe geminam Dioſcoridis affirmatur; aſsignatur temperamentum; affertur doſis, & noxarum correctio.

CYnocrambe Græcis, quæ Braſſica canina Latinis, & Mercurialis ſilueſtris mas appellatur, benignis hydragogis medicamentis adſtipulatur; Hæc quidem Dioſcoridis temporibus non ignota planta fuit; eius namque deſcriptionem affert, quæ fere in omnibus noſtræ Mercuriali ſilueſtri aſſimilatur, & quæ pro veterum Cynocrambe obtruditur. cæterum neque hoc ſine controuerſia ſtat; humana etenim ingenia nouarum rerum indagandarum œſtro gloriæ percita exiliſſimum quodcumque dubium acrioribus velitationibus emendare ſolet. verum hoc ſane ſtadium minime improbandum puto, cum egregij iſti conatus ex tenebroſis doctrinarum ſemitibus clariorem lucem eruant, variorumque hominum mentes generoſas exemplo numquam pœnitendo perficent, excitentque. Vtcumque tamen ſit, vires eæ, quæ cynocrambi ſuo veteres aſſignauere, in noſtro euidentiſſimo experimento elucent; immo fere omnes notæ, quæ ab antiquioribus pro explicanda eiuſdem plantæ natura Mercuriali ſilueſtri traditæ ſunt, ei quæ à Neotericis pro cynocrambe obtruditur, conueniunt Mercuriali ſcil. mari vulgariorum. afferunt tamen pro materia diffidij quod Dioſcorides ſemen folijs adereſcere ſcribat, cum tamen ſi recte textus perpendatur, facile tollimus de medio iurgium, emendabimus iacturam, ſi de pediculo ſemen ſuſtinente interpretemur, quod non ſolum geminos *quaſi* teſtes innuat, ſed etiam pediculum, cui adherent, deſſignet. De temperamento huius ſtirpis nihil certi ex Dioſcoride elici poteſt, cum neque Theophraſtus, neque Galenus, Paulusve, aut Aetius omnino de hoc retulerint; horum namque Cynocrambe in totum ab hac planta noſtra diſcrepat, cum Apocynum eorum eadem planta ſit. Præuotius calidum & ſiccum in primo æque gradu facit, ut ſic cum Mercuriali mari, & Mercuriali fœminæ temperamenti conditionem ſimilem gerere videantur; cuius opinioni neque Matthiolus, aut Dodoneus, vel Lobellius diſſentire videntur. vires & facultates huius plantæ haud diſſimiles ſunt mercurialium plantarum deſcriptarum conditioni; bilem namque & pituitam, necnon & melancholiam, ſed præcipue, & in primis ſerum detrahit, & aquoſa. decoquitur cynocrambe in iure à manipulo ſemis ad manipulum unum & ſemis, & olerum more oleo condita comeditur. coquitur cum aromatibus. hoc ſane remedium facilè parabile eſt, & ubique fere locorum obuium. Lib.4.c.184.

De Trifolij bituminoſi radice.

CAPVT CXXIV.

Trifolij bituminoſi vires, tum pratenſis etiam expenduntur, utriuſque temperamentum adducitur.

Bituminoſum trifolium nobis fortaſſe non inutile medicamentum ſe exhibet pro alliciendis blande ſeroſitatibus; Præuotius namq; mihi ſemper memoriæ recolendæ in re herbaria præcepra ſæpe ſæpius ſucceſſu felici à ſe expertum afferebat medicamentum pro ſeroſitatibus eliminandis; ſub qua ratione in cenſu hydragogorum medicamentorum repoſuit, eſt quidem trifolij; planta pluribus nominibus expetenda ſuſpiciendaque, ſi præſertim in communi accipiatur, ut quæ & inflammationibus coercendis, ſi trifolij pratenſis conditionem conſideremus, contuſa & appoſita, vel decoctionis irrigatione repetita muliebri profluuio ſiſtendo mirificè proſit; præſertim illa, ut dixi trifolij pratenſis differentia, rerum humanum captum ſuperare videtur, quod de trifolio pratenſe fertur, fanaticum namque quid de ſe prodere tradunt, dum hoc ipſum futura vaticinari conſtet, præſertim ex Plinij hiſtoria; quod quidem imminentes cęli tempeſtates, & vehementes horridaſque procellas prænunciare valeat; quod nobis accurata animaduerſione etiam innotuit; ut ſacro plantatum ornamento fatendum ſit ſub ſtirpium figura ſuos vates naturam tribuiſſe; inhorreſcit enim trifolium ad tempeſtatum procellarumque præludia, quaſi præſcientia quadam donatum ſit, quas de longinquo proſpectans, præ horrore rigeſcit; ſubrigendoque conglomerat foliola ſua, quæ robuſte ſatis contrahit, quaſi validiori nixu contraniti ſe paret; quod tamen in leuioribus tempeſtatum inſultibus facere non videtur, ut tantummodo ea, quæ valide pertimeſcenda prudenter præcaueat, futilibus interim deſpectis, idque nobis prædicendo, quod circumſpectionem neceſſariam requirit. cæterum trifolij bituminoſi vis præcipua ad ſeroſitates blādè & cathartice educendas aptatur, ut caliditatem aliquam cum ſiccitate in temperamento præſeferat: ſecus verò ſi pratenſis temperamentum conſideremus, quod frigidum & ſiccum eſſe fatetur, ut potius ſiſtendo aluo, quam molliendo aptum videatur. huius trifolij decoctum cum melle inteſtinorum eroſiones & dolores emendare valet; bituminoſi vero trifolij vis viſcidos humores parietibus inteſtinorum adhærentes abſtergere & educere creditur. pratenſis trifolij inflammationibus omnibus utiliſſimum medicamentum euadit. Dodoneus pratenſis flores apibus gratos eſſe profitetur: bituminoſi vero trifolij radix pro ſero educendo datur in ſubſtantia ad ℥ iij. & hæc de benignè ſerum educentibus.

De Antoræ radice.

CAPVT CXXV.

Antoram venenorum, ſed præcipuè pthoræ ſingulare alexipharmacum aſſeritur. eſſe Napellum Moiſis Auic. deſcribitur. vires examinantur: cathar- ticaque facultate ſerum euacuare affirmatur.

LEuiter purgantium ſeriem concludebat trifolij bituminoſi radix; nūc ea quæ ſtrenue ducunt ex altiori loco petitas ſeroſitates percurramus, exordium ſumentes ab Antoræ radice. eſt igitur antora, ſiue antitora nobile, & præſtantiſſimum alexipharmacum, in qua diuinæ prouidentiæ peculiare munus eluceſcit ad oppugnandum præſertim, expugnandumque aconitum infeſtiſſimum virus; ſed præſertim pthoræ ex aconitis omnium una deterrima planta, propè quam anthorā naſci voluit natura, ut nobis oſtenderet maternum eius amorem, ſolertiamque eiuſdem proderet in auerruncandis à nobis periculis, & noxis à varijs plantis nobis illatis medelam promptam exhiberet; quæ ſane antoræ planta alijs etiam venenorum inſultibus opem non debilem fert; immo ſub hac ipſa ratione peſtilentibus omnibus affectibus aduerſari traditur. & ſane agyrtæ radiculas venditantes ad venenorum inſidias præcauendas, tamquam indubitatam Panaceam utiliſſima fraude vulgo imponunt. vocatur antitora, ſeu antora ob peculiarem vim, qua pollet contra ptorę venenum, quod deuincit. proprium huius plantæ natale ſolum apud Allobroges eſſe creditur; ubi eius uberrimus prouentus eſt, circa præſertim alpes ſit, & apud Heluetios, Lemanumque lacum, Rhętos, Ligureſque, ſed alibi etiam naſcitur, cum in Baldo Veronenſium monte celeberrimo ob ſingularum plantarum prouentum inueniri facilè poſſit. redditur hæc planta ex Auic. notiſſima, quia Napellum Moyſis ab eo appellatā credimus ob foliorum florumque formam Napello non abſimilium; quam quidem plantam alibi vocat albam zedoariam. eſt igitur antora napelli effigie, non tamen ita elata, ut ſe caulium luxuriȩ diffundat, dodrantali culmo, folijs alte inciſis, ſciſſuris per interualla diſpoſitis & diſtinctis, minoribus tamen napelli, qui eiuſdem & ſiliquas & ſemen æmulantur; caulibus ſubſunt genitæ radiculæ oliuares, ſolidæ, rugoſæ, quæ ſi lætum ſolum nanciſcantur, etiam multiplices euadunt & craſſiores, fuſco cortice, intus albæ, amaræ valde. à quibuſdam traditur Indis hanc plantam eſſe familiariſſimam, nec ſiluestres capras lapidem Bezaar generare, niſi prius hanc ipſam plantam paſtæ ſint. quale antoræ temperamentum aſſignetur non ſatis video; nihilominus cum huius radix valde amara ſit, calidam eam ipſam crediderim nō ſine ſiccitate; putredini enim valde reſiſtit. huius pręcipuę vires alexipharmacæ ſunt; ptoræ enim & aconito venenis, tum alijs etiam aduerſatur, ſpecificeque eludit, ſuperatque; quemadmodum & omnibus alijs affectibus peſtilentibus aduerſari compertum. Experimentum tamen docuit ſeroſitates catharticè, & ſatis quidem ſtrenuè educere. Vgo Salerius Largus ea-

iumdem ſeroſitatum euacuationes moliri etiam per vomitum tradit, inteſtinorum lumbricos, tineaſque pellit. putant Allobroges ad colicos dolores ſummopere conducere; aſſeruntque quod cum geminarum radicum eiuſdem plantæ una quotannis flaceſcat, altera ritu cynoſorchis tumida remaneat; flaccidam dolorem excitare, tumidam vero ſecus; doſis radicis eſt à ʒ j. ad ʒ ij. quomodocumque ſumpta; corrigit tamen eam Præuotius aromaticis.

De Æris ſquama.

CAPVT CXXVI.

Æris ſquamæ vires ſub qua ratione expendantur affertur: hydragoga eius facultas Dioſcoridi incognita, item vomitoria. temperamentum ſtatuitur. Doſis affertur, & quomodo corrigantur eius noxæ.

OB catharticam virium affinitatem, qua exuſtum æs & æris ſquama cum plantis hydragogis habet, & ea ſolummodo ratione, qua de æris flore, deque lapidibus catharticis in ſuperioribus capitibus verba fecimus; quamuis à ſtirpibus genere aliena ſint, hiſce locum damus; ut vid. purgantium medicamentorum ſeries uberior euadat. æs non uſtum & eius ſquama non pituitam craſſam tantum, ſed ſtrenue ſeroſitates etiam ducunt, licet Dioſcorides vomitoriam tantummodo facultatem in ære uſto agnouerit; at in alijs ex ære petitis medicamentis etiam ſubductoriã, præſertim pro craſſiore pituita educenda. verum recentiores in ijs omnibus, ſed præcipue in æris ſquama vim aquoſos humores eliminandi aſſeruere; cuius medicamenti interim ſi temperamentum inquiramus, hoc ſtatutum video, calidum admodum; valide enim mordicat, dummodo mordacitas ablutione ſæpius repetita non auferatur; tunc enim adhibetur ad ea ad quæ flos æris; ſed præcipua ad alvum ſubducendam; immo tradunt à natura ad trahendas ſeroſitates ſtrenue deſtinatum. doſis utriuſque conditionis optime loti in ſubſtantia à ſcrupulis duobus ad ſcrupulos quatuor exhiberi ſolet cum ſyr. de abſinthio, vel de corticibus citri. Admonet Præuotius prius exactiſſima lotione præparari deberi; corrigi deinde zingibere, & abſinthio.

De

De Radice cucumeris agreſtis, deque eius ſucco elaterium vocato.

CAPVT CXXVII.

Antiquiſsimus elaterij uſus ex agreſti Cucumere expreßus. quæ de eius duratione feruntur, expenduntur; deſcribitur planta. notæ eius præſtantiæ ex Dioſcoride afferuntur; an lucernis appoſitum lumen extinguat, aut accendatur; circa id diſſidentes ſententiæ conciliantur. Scrutatur temperamentum, doſis & correctio adducitur. de colore elaterij diſsidium tollitur ex Lob. quemadmodum de corrigendis elaterij noxis cum ſtibio, cum potius cum ſinapi corrigendum.

A Primis uſque ſeculis cucumis agreſtis uſum in medica facultate obtinuit frequentiſſimum, quod præcipue ex Dioſcoride manifeſtum euadit, dum lib. 6. cap. 33. admonet præcauendam eſſe noxam, quæ ſæpe occurrere ſolet ex uſu familiarium quorumdam medicamentorum, inter quæ elaterium enumerat; eſt enim elaterium ſuccus agreſtis cucumeris; quem nontantum exprimebant ex eius fructu, ſed etiam ex radice condenſatum ſeruabant; ex ſolo tamen fructus ſucco melius cenſeatur à Dioſcoride, Plinio, & Theophraſto. talem ſuccum vocabant elaterium à vi quadam, qua humores turbando agitabat; ſatis namque exigua doſi per utrãque partem ſeroſos humores pituitamque ducebant. huius medicamenti Hippocrates varijs in locis mentionem fecit; quod neque incognitum Theophraſto; de eo namque agit; de eiuſque virium duratione; mira etiam tradit; cuius ſententiæ Plinius lib. 20. cap. 1. lubens adſtipulatur; tradunt non quo vetuſtius eo melius dari; immo ad ducentos annos perdurare. quorum tamen ſententia Dioſcoridi non arridet, qui eum à bimatu ad decennium tantummodo viribus integris ſufficere tradit; cuius facultatis durabilitatem adhuc minorem cognouit Meſue, dum aſſerit Elaterium à ſexto menſe ad duos tantummodo integros annos vim ſuam ſeruare; immò Paulus elaterium nil vetuſtius integro anno probat; quorum Virorum Doctiſſimorum opiniones inuicem certantes prgferendam eſſe Dioſcoridis ſententiam cæteris exiſtimauerim. Agreſtis igitur cucumis, qui & aſininus à quibuſdam vocatur, ſarmentoſa planta eſt, repentibus cauliculis, cucumeris ſatiui folijs, ſubrotundis, maiori ſcabricie tamen præditis, colore quaſi cinericio, flores lutei, palleſcentes, ſatiuo cucumeri non abſimiles; fructus echinati, domeſticis cucumeribus æmuli, oblongi, ſed minores & hirſuti, petiolo tomentoſis ramulis adhgreſcente, qui fructus ad maturitatem perducti vel leuiſſime tacti in obuium contrectantem diſſiliunt, liquorem viroſum, amarumque ſimul cum ſemine iaculantes; ſemen vero pullo colore colocinthidis inſtar, craſſa radice, brioniæ aut raphani non diſſimile. huius igitur præſtantiſſimæ plantæ ſuccus elaterium vocatus ad varia morborum genera profliganda electiſſimum exhibet medicamẽtum, cuius modum exacte concinnãdi deſcribit Dioſcorides lib. 4. c. 149. vbi de agreſti cucumere ex profeſſo agit; qui modus ſane præparandi elaterium cæteris præferri debet, prout à recentioribus factum video. Do- 9. de Hiſtor. plant. c. 14.

cet Dioſcorides ſigna elaterij elaborati; quod primo ſit amariſſimum, candido colore, quod leuori leuitatem coniũctam habeat, & tandem quod lucernis admotum accendatur; cæterum hoc poſtremum dictum non ſine controuerſia ſtat; nam Theophraſtus contrarium aſſerit, nec Plinius opinioni Dioſcoridis aſſentitur. habet Theophraſtus 9. de hiſtor. plantarum 14. tantam humiditatem continere elaterium, vt lucernis admotum, licet antiquum, ad quinquageſimum vid. annum, lumen earum extinguere valeat; Plinius vero notas optimi elaterij ex eo deprehendit; quod lucernis appoſitum antequam eas extinguat, ſurſum & deorſum prius ſcintillare cogat; ergo elaterio proprium non eſt lucernas accendere, ſed lucernas extinguere. Interim, vt Dioſcoridem ab obiectis vindicemus obſeruandum ex Lobellio quod elaterium non ex ſucco tantummodo fructus confici ſolet, ſed etiam ex liquore ex ſeminibus expreſſo, quæ in fructu reperiuntur, vt etiam ex Plinio notum; quod etiam conuenit cum Dioſcoridis littera, licet hoc quidem non ita expreſſe dicat; ex quibus ſeminibus, opinandum eſt, prout etiam ex alijs omnibus, quid pingue & unctuoſum edaci; quod flammæ admotum facile accendatur; hinc nil mirum ſi, vt notabata Ianus Saracenus, ratione allata ad motum lucernis accendatur, ac deinde ratione abundantis humiditatis etiam extinguat, & antequam id faciat, eandem flammam ſcintillare cogat, dum humido appoſito crepitat, quaſi eidem contranitatur, quamuis cum exuberantis contrarij victoria; ſic enim facile diſſidentes ſententias conciliabimus. notatur inſuper diſcrepantia inter Dioſcoridem & Paulum ad colorem elaterij, quod attinet; Dioſcorides candorem in ſuo pro neceſſario ſigno aſſerit; Porraceum co-

Lib. 7. de Simpl. med. purg. lorem in elaterio aſſignat Paulus; Plinius Dioſcoridi aſſentire videtur, dũ herbaceo præfert pallidum; litem dirimit Lobellius, qui periculo facto elaterium, quod ſoli expoſitum perfici voluit; nigri coloris euaſiſſe aſſerit; quod vero igne & ſub cineribus elaboratum confecit, albi, & pulli coloris euaſiſſe; quorum utrumque tamen flammam, ut ipſe fatetur concipiebat. aſſignat Gal. elaterio temperamentum ut calidum in ſecundo gradu, ſiccumque ſit; Præuotius autumat radicem calidam eſſe in tertio, ſiccam vero in ſecundo, ſed ſi acre elaterium eſt, ſi vomitum valde proritat, ſi igneis partibus conſtat, & terreſtribus valde aduſtis & attenuatis, ſi venarum orificia tentat, ſi ſubditum in peſſo partum enecat; merito cum Meſue eidem aſſignabimus tertium caloris gradum. ita rectius erit dicere elaterium gradum tertium caliditatis obtinere, radicem vero ſecundum, cum ignauior ſit; ſi doſim præſertim obſeruemus; quia veteres in ea exhibenda utebantur. Fallopius calidius elaterium ſcamonio aſſerit; plures tamen ſunt qui radici vim maiorem tribuunt, quos falli ratio ſuadet; cum Dioſcorides eius ſubſtantiam exhibeat à gr. xv. ad ʒ ſ. in maceratione à ℈ ij. ad ℈ iiij. in decoctione à ʒ ij. ad ʒ iiij. elaterij vero ſumam doſim facit à gr. v. ad gr. x. & ſane ſi quis hanc doſim exceſſerit, noxaque inde eueniat; eos temerariè ſe geſſiſſe declarat. Vt acrimoniæ eius occurramus, corrigitur lacte, aut lactis ſero, mulſa, tragacantha, & bdellio; vt vero ſtomacho proſpiciamus, ſtomachicis, prout cinnamomo, ſpica, maſtiche, & pro mora operationis remouenda addit Meſue ſal gemma. Elaterij præ-

cipua

cipua vis cathartica eſt, & per utramque partem ducit; quod ſi ſeceſſum deligimus, admonet Dioſcorides duplum ſalis admiſcendum. vetus traductio ex Polydoro Virgilio addebat parum ſtibij; ſed quæſo ad quid? num ad noxam augendam, non corrigendam? quid habet enim ſtibium quo elaterium corrigere valeat? Morbanus & Saracenus opportunè nacti codicem correctiorem, dum pro στίμμεως, σινάπεως. fauet huius lectionis mutationi Aetius, qui de ſimplicium doſibus emendatis lib. 8. hæc habet ἐλατηρίου τριώβολον, νίτρου ἀφροῦ. τριώβολον, & quæ ſequuntur; ſinapi enim admiſcere erit conuenientiſſimum correctorium addere, non ſtibium; quod cùm quadam vocis affinitate in ſcriptura concurrat, difficilem non fuit in hunc errorem incidere. ducit igitur elaterium ab omnibus partibus præcipue ſeroſos humores, pituitam deinde, poſtremo etiam bilem ſi ſit in promptu. & cũ facile hypereat harſim prouocet, etiam ſanguinem, dum ora venarum aperire traditur, & ob id quomodo corrigi debeat ob hanc cauſam, docet auctor; utroque igitur modo ex Dioſcoride prædictos eliminat humores, ut in primis hydropicis utiliſſimum euadat medicamentum; & proinde icterum ſanat, & à Meſue ad iecoris, lieniſqua obſtructiones tollendas optimum cenſetur. doloribus capitis aqua dilutum & per nares atractum conducit; ciet menſes in ſucco ſubditum, ſed partum necat, illinirique in anginis efficaci cum ſucceſſu tradit Dioſcorides. Modo aliqua cum Dioſcoride eodem de radice cucumeris agreſtis viribus ſubiungamus, nè tamquam inutilem eam à cenſu medicamentorum arceamus; habet enim ſuccum eiuſdem citra ſtomachi noxam purgare pondere ſexqui oboli, & eius cortices quarta acetabuli parte bilem & pituitam educere, præcipue in hydropicis, radicem linitam cum polenta, quarumque œdema diſſoluere, & cum reſina applicita tubercula diſrumpere; in aceto vero decoctam ad podagricos dolores adhiberi; iſchiadicisque prodeſſe eius decoctum; infuſam dentium dolores demulcere collutione; maculas faciei, ſiccam tritamque emendare, vitiligines, impetigineſque, & lepras abſtergere, cicatrices obliterare; ſuccum foliorum inſtillatũ doloribus aurium optime conducere; pro correctione malo cydonio admiſceri poterit, quemadmodum & elaterium ex recentiorum obſeruatione.

De Ebulo, & Sambuco.

CAPVT CXXVIII.

Sambuci & Ebuli affinitas conſideratur; & diuerſitas. in quo conſiſtant nominis ratio explicatur, deſcribuntur temperamentum, examinatur, vires producatur.

COmbinat ebulum cum ſambuco Dioſcorides, quamuis diſtinctas plantas inter ſe eas cognoſcat, ſunt enim ſimiles virium validitate, & temperamenti pari conditione donatæ, necnon foliorum figura, muſcarijs, acinis ipſis; & tandem ſemine: nihilominus ebulus eſt annua planta; ſambucus verò arbor perennis. Sambuco truncus ignavus, quamuis ampliſſima medulla plenus, & inſigni cauitate refertus, ebulo vero caulis

lis herbaceus; hinc harum plantarum maxima ſimilitudo ſuaſit Dioſcori-
dem; ut unico capite ſambuci, & ebuli hiſtoriam traderet; quamuis eiuſ- *Lib.4.c.175*
dem auctoris recentiores interpretis illarum plantarum naturam, & vires
duobus capitibus, licet contiguis, deſcripſerint; immo Græci unico ferè
nomine utramque plantam indigitarunt; namque latinis ſambucus; illis
ἀκτῆ, quod nomen (lictorale) ſignificat; Theophraſtus namque aquas amare
aſſerit; vel vt alij putant, ob eius flexilitatem, & quam latini plantam,
ebulum vocant, Græcè χαμαιάκτην, hoc eſt parvum ſambucum. prior planta
à latinis vocatur ſambucus, ſeu ſabucus, prout placuit Quinto Sereno in
his duobus verſiculis,

Conueniet tenera radix decocta ſabuci,
In geminis calidi cyathis potanda lyæi.

Ita appellata à quodam muſico, cui nomen ſambix fuit; muſici inſtrumenti
ſambucæ huius nominis inuentore, quo inſtrumento aiunt, primũ uſam
fuiſſe ſibyllam in pangendis ſui vaticinij carminibus. poſtrema vero plã-
ta dicitur ijſdẽ ebulus, eo quia feruidos ebullitione humores valide edu-
cat. hanc & Ælio vocari ait Plinius, quod gaudeat vliginoſis, quamuis *Lib.24.c.8.*
non bene ebulum, de quo agit Chameactem diuerſum faciat. Sambuco fra- *Lib.25.cap.10.& lib.26.cap.8.*
xini folia, quamuis latiora, & per ambitum ſerrata tribuuntur, nucis iu-
glandis habet Dioſc. ſimilia, ſurculis arundinaceis cauis, medulla plenis,
teretibus in principio, mox rugoſo cortice, & cineritio colore, præſer-
tim, dum ſeneſcit: nodis per interualla diſtinctis, ubi erumpunt folia gra-
ueolentia; emergit in ſurculorum ſumitate latiſſima umbella, candidis flo-
ribus ſuaueolentibus, quibus ſubſunt acini virides primò, deinde uvarum
inſtar, dum ad maturitatem perducuntur nigreſcunt, Corymbacea figura,
atro rubente ſucco grauidi. Ebulus verò, quem cameactem vocat Dioſco-
rides, quaſi humilem ſambucum, ab eodem deſcribitur annua planta, &
herbacea, minoribus ſcapis, & tenerioribus, quadrangularibus, & geni-
culatis. ſingulis geniculis folia erumpnnt ampla pluribus foliolis periolo
craſſo, & neruoſo hinc inde adhærentibus minoribus, quam quod ſint in
ſambuco amygdalina forma; longioribus tamen per ambitum crenatis te-
terrimo odore in caulicorum bicubitalium ſummo ſe pandit umbella albis
floribus ſambuco ſimilibus, à quibus acini emergunt non differentibus,
nec diſſimili ſucco præditis; ſucco atro colore purpuraſcente tumentes;
ad quod alluſiſſe videtur Poeta, dum inquit,

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi,
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Semina intus parua, dura, oblonga; radix longa ſuccoſa. harum plantarũ
temperamentum ſi viros celebres audiamus inter ſe diſſidẽtes, ambiguum
eſt; nam Dioſcor. proculdubio ſiccare tradit. Plinius citatis locis refrige-
rare faſsus eſt. Gal. ad inflammationes adhibet, ut ex ijs colligere poſſi-
mus in actiuis ſambucum frigidum eſſe. At Præuotius ebulum tempera-
tum ponit in paſſiuis, & in primo gradu calidum pronunciat; verum ad
medium corticem quod attinet, eſſe frigidum, & humidum habet in ſecun-
do gradu; Dodonæus verò in tertio gradu calidum, & ſiccum ebulum fa-
cit, dum baccas, ſuccumque condenſatum palatum quorundam, & fau-

ces

ces exulceraſſe tradit, ideo quod de ebulo dictum eſt, verificari etiam debebit de ſambuco, cui Dioſcor. vires utrique pares, & facultates parum inferiores tradit. Sunt qui arguere velint frigidas has eſſe plantas, quia inflammationes retundant, & hoc vel ratione potius humiditatis fieri, quæ non exigua eſt in cortice medio recenti; vel quod magis crediderim, ratione eximiæ tenuitatis partium, qua humores calidi validè diſcutiuntur, etiam abſumuntur, quamuis moderatè facere dicat. Gal. Educit ebulus mirè ex omnium conſenſu catharticè ſeroſitates, quo fit, ut hydropicis ſummoperè conducat; quam eamdem facultatem habere etiam ſambucum ex Dioſcor. Plinio, necnon experimento ſenſato comperrum eſt; ſed quoniam ſtomacho infenſa, vino corrigenda planta; inflammationes compeſcit ratione ſupra allata; Vrinam acini mouent; turiones ebulorum tenelli aſparagorum more ſumpti pituitam, & ſerum detrahunt; immo etiam bilem, quod facit ex Dioſcor. radix in vino decocta. Viperarum morſibus occurrit, ſerpenteſque ſuffitu fugat; corrigit uteri, & pudendi tumida orificia, emollit, & aperit; folia contuſa canum morſibus aduerſantur impoſita cum polenta; podagræ doloribus occurrit cum ſeuo taurino, vel hircino. ex ſecundo cortice medio vocato viridi Matthiolus unguentum concinnat ambuſtis utiliſſimum; ſinuoſa ulcera, & calloſa glutinat; ſedis procidentiã, & uteri ſuccus ebullitus, & in peſſo exceptus inditus reprimit, menſes auocat; Anginæ inflammationem repellit, ſi ſuccus circa collum reponatur; acinorum humor capillos denigrat; ſed vis magis vegeta in ebulo ad omnia quam in ſambuco reperitur, licet utrique facultas ſimilis; tandem œdematoſos tumores diſcutere compertum eſt, doſis ſeminum eſt à ℈ j. uſque ad ℈ ſſ. infuſio radicis ebuli magis efficax eſt, purgatque eiuſdem decoctio à ℥ ij. uſque ad ℥ ſ.

De Lactuca ſilueſtris ſucco.

CAPVT CXXIX.

Lactuca genera adducuntur ſumma. Plinij error refellitur circa notitia m eiuſdem plantæ. unde ſic appellata. Temperamentum inquiritur, & ex Hippocr. frigidiſsimum eſſe conijcitur. Cur à Pythagoricis quædam Enucus appelletur, & à Græcis mulieribus Aſtitida; diſsidentes ſententiæ de temperamenti lactuca conſtitutione; vires explicantur.

LActucæ genera diuerſa, variaq; etiam forma diſcriminata, diuiditur Lactuca à Dioſcoride in ſatiuam, & filueſtrem; ſic & ſatiuæ variæ ſpecies ab herbarijs traduntur, alia namque criſpa dicitur, alia capitata, Romana alia vocata, aliaque braſſicæ folio appellatur, & ſic de alijs pluribus etiam à loci varietate denominatis, præſertim à Plinio recenſitis, & à Columella; quod antiquioribus etiam ſeculis à Theophraſto factum video, qui quatuor ſatiuæ lactucæ genera facit; ſed lactuca ſylueſtris unico genere contenta eſt, ſi Penæ, & Dalecampio credimus, qui ſinguli alteram ſpeciem à ſylueſtri vulgata diuerſam prodidere. Lactuca ſanè priſcis

Lib. 2. c. 129. *Lib. 5. c. 18.* *Lib. 1. c. 3.* *9. de Hiſtor. plant. c. 2.*

ſcis

Lib. 2. de dieta tex. 18 ſcis ſeculis notiſſima fuit Hipp. namque apertè meminit; quapropter mirari non deſino, cur Plinius dixerit ante Auguſti tempora ab ea caueri ſolitum; tunc vero omni religione caruiſſe, dum Muſæ Medici prouidentia eumdem, Lactucæ beneficio ab ægritudine ſeruatum; cùm tamen eius plantæ uſus & Hippocrate, & Theophraſto obuius fuerit. dicitur lactuca à lacte copioſo, quo exuberat, eius namque folia lacteo ſucco turgent. Apuleius tamen opinatus eſt ita denominari, quia in cibis uſurpata lactis copiam in fœminarum mamillis generat; Theophraſtus tamen Lib. 1. c. 9. habet lactucam aquoſo ſucco conſtare, quod potius de caule, quam de radice, aut folijs dicendum. non deſcribitur ſatiua lactuca à Dioſcor. quoniam eius forma omnibus conſtabat; habet tamen ſilueſtrem lactucam eſſe ſatiuæ ſimilem, ſed ampliore Caule, & candidioribus, gracilioribuſque folijs, guſtu amaris, & aſperioribus. Hieracis tamen maioribus, & per ambitum laciniatis magis. cum igitur ſatiua lactuca omnibus nota ſit, & de eius viribus præcipuè nobis inquirendum veniat; eius varietates nunc ſunt nobis recenſendæ. Mirum tamen eſt, quod ſcribit Athenæus è lactucis ſatiuis illam, quæ lato caule dicitur quandoque caulem ipſum ita amplificare, ut pro Antis ad hortorum hoſtiola ſufficere valeat. Ad temperamentum eius quod attinet, eam refrigerare nulli controuerſum videtur, quod de ſatiua quoque protulit Dioſcor. quemadmodum & ſomnum habet conciliare; ſilueſtrem verò ait papaueris vires poſſidere; ut hinc in eadem frigiditatem non modicam arguamus. idem quoque ex Gal. argue- 5. Simp. c. 8. mus, qui habet frigiditatem lactucam poſſidere ſimilem fontanis aquis; At fontanæ aquæ ſi puræ ſint, ad elementare aquæ temperamentum, quæ prima frigidorum eſt, accedere videntur. idem etiam innuit, dum largius aſſumptam lactucam, nō ſecus atque cicutam, interimere aſſerit. Hippocr. quoque loco citato, lactucam frigidiſſimam eſſe habet, & Dioſcor. eamdem ſoporiferam eſſe, & Venerem auertere ſcribit. Ex ijs facilè intelligo, quid ſibi velit Athenæus ex Euboli ſententia, dum lactucam mortuorum edulium vocat, quaſi ſua frigiditate calorem natiuum extinguat; & idem Nicander Colophonius, qui pulcherrima allegoria dicat Adonem lactucis nimium indulgentem ab apro interemptum: in quo ſenſu accipiendum, quod habet Callimachus, Venerem Adonē in lactucis occuluiſſe; ut cum Dioſcoride oſtendant hanc plantam homines ad Venerem ſegnes reddere, quod perfacetè inſinuabat Amphis Poeta ex Athenæo,

Inter lactucas, quæ peſsimè parcant;
Has ſi quis edat nondum ſexagenarius,
Conſuetudinem cum fœmina his nunquam habiturus eſt;
Verum totam noctem huc, illuc conuertitur,
Nec ideò magis.
Perficit quod optat eius opere vicem,
Neceſſariam ſortem manu terens.

hinc manifeſtum lactucam optimo iure ab Ibyco pythagorico Eunucum appellari, at à mulieribus Aſtitida quia ciere lotium, veneremque hebetare valeat; quod quemadmodum de poſtremò facilè verificari poteſt; ſic de primo non ita concedendum; cum diuretica calida, & ſicca temperamento,

mento, ſtatuantur. Dicendum tamen lactucam id impropriè efficere, humorem ſcilicet augendo, ut in diureticis impropriè dictis obſeruatur. ſed quomodò quæſo tanta frigiditas in lactuca concedenda? ſi enim conſulamus Dioſcoridem, ſtomacho valde accommoda eſt, & lactis abundantiam facit, quod ſanguinis generationem ſupponit,& ſic validum ſatis nutrimentum præbere, & Celſus inter alimenta boni ſucci lactucam reponit, at quod Martialis reſpexiſſe videtur, inter edulia ſcilicet uſitatam, dum inquit,

Claudere, quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

& Auerrhoes tandem quinto colliget; dicat lactucam eſſe frigidam in primo, aut in principio ſecundi gradus. Vt quæſtionem ſoluamus aſſentiendum his opinor, qui diſtinguunt ſeneſcentem lactucam ab ea, quæ nondum coaluerit, ut hæc non ita frigida ſit, nec ſecundum excedat gradum frigiditatis, & humiditatis illa ut tertium compleat. Tenella igitur lactuca & alimentum præbere valet ſatis congruum, quibus conuenit, & eodem modò ſtomacho conducit, itaut & alimentum quidem præſtare valeat, ſed alimentum medicamentoſum; & accommoda ſit ſtomacho, ſi ſtomachum exæſtuantem inuenerit; ſic ſi corpus nacta ſit caliditate excedēti refertum, & bile ſcatens, ſanguinem feruidum præſertim compeſcendo, nutritioni conducere poterit: tunc enim in debita quantitate exhibita lactuca, & ijs, quibus natura conuenit, & ſtomacho utilis erit, & ſanguinis copiam generando nutritioni opportuna, quod de ſatiua habendum; quæ tamen etiam alvum lubricam reddere valet, quamvis Galen. id non arrideat, quod Dioſcor. aſſerit experimentum docet, & Martialis teſtimonio comprobatur, dum inquit, 2. de Alim. 40.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis;

uſus tamen ſatiuæ nimis frequens oculorum claritati officit. Siluestrem verò lactucam, alvum ciere catharticè ducendo ſeroſitates, nulli controuerſum eſt; quo nomine præcipuè hic nobis commendatur, & ab hydropicis deſiderari teſtis eſt Theophraſtus cui etiam aſſentitur Plinius. 7. de Hiſto. plant. c. 6. Doſis eius ſucci eſt Dioſcoridi pondere duorum obolorum cum poſca. Lib. 1. c. 7. Piæuotius exhibet à ℥ ij. ad ℥ vj. cum vino dulci abſynthite, aut cum oxymelite; menſes trahere habemus ex eodem Dioſcoride, quod vix credibile eſt, plantam videlicet temperamento frigido, & humido donatam ad id conducere: ſed in ſilueſtri ſeneſcente lactuca, cùm ſuccus acrior ſit, id forſan expectandum ex eius irritamento. dolorem capitis ex æſtu tollit, hinc, & vigilijs ſuperandis & ſommo inducendo faciet; ſitim ſedat, qua it frigerat, qua humectat; ſomnia turbulenta arcet, & venereas titillationes validè compeſcit; cùm frigiditate ſua tetros vapores ſiſtendo, ſiue attemperando, phantaſmata incongrua cohibeat, ſpirituſque ſua frigiditate ſenſorio alliget; ſub qua & ratione nocturnas pollutiones prohibet; nec mirum, cùm lactucæ ſuccus præſertim adultæ, & eò magis ſilueſtris teſte Dioſcoride, Mechonij ſucco aſſimiletur; qui tamen ſuccus oculis appoſitus, & eorum caliginem eximit, & cruſtoſis ulceribus circa

Rr cam-

eamdem præſentem erumpentibus opitulatur, idem tandem ſuccus illitus cum ſale ex Plinio ambuſtis, priuſquam puſtulæ erumpant, prodeſt.

De ſoldanella recentiorum, ſiue braſsica marina Dioſcoridis.

CAPVT CXXX.

Nihil habere commune Braſsicam Marinam cum Braſsica ſatiua etiam cum ipſo Dioſcoride ſtatuitur. Cur ſoldanella dicta. Deſcribitur; temperamentum ſtatuitur. Vires panduntur.

SIc diſcrepat Braſſica Marina à veteribus Græcis ita vocata à Braſſica vulgari, ut ferè nihil cum ipſa habere commune videatur in eſſe plantarum, præter vegetabilitatem; Qua quidem ratione, & Dioſcor. ipſe cogitur aſſerere, Marinam Braſſicam à ſatiua prorſus diſſidere, quod facilè ex eius deſcriptione probat, dum inquit multa ferre folia tenuia, & ariſtolochiæ rotundæ ſimilia, quorum ſingula à ramulis rubentibus, ſiue cauliculis inſtar foliorum hederæ ſingulari pediculo prodeuntia, & albo ſucco, licet non admodum copioſo ſcatentia guſtu ſalſo, & ſubamaro, ſubſtantiaque tandem pingui. Ex quorum verborum ſerie quantum differat marina braſſica à ſatiua iudicent Viri docti. Libuit Bauhino, quod etiam Ophmanno, & Dodoneo placuit, plantam hanc non ad braſſicas referre, ſed ad leues ſmilaces; re enimuera etiam ad florem quod attinet, cumvolvulorum formam potius, quam braſſicarum repræſentet, quibus toto cœlo etiam facultatibus videtur diſcrepare, qui flores calathi formam habent dilutè purpuraſcentes, ſemenque in folliculis orbicularibus nigricat; ſic Braſſica marina oblongam radicem gerit tenuemque. Tota planta amara eſt, & ſubſalſa, quod tamen à ſolo recepiſſe creditur. Cæterum recentiores priſcum nomen reprobantes ſoldanellam vocarunt, neſcio tamen, qua ratione ducti; nam qui tale nomen eidem inditum autumant, quia ſummam vim obtinet in vulneribus ſolidandis, manifeſtiſsimo errore detinentur; hoc namque experimento non congruit; forſan melior opinio Gaſparis Ophmani, qui ſoldanellam dictam autumat à (Soldam) Arabico nomine, quod principem ſonat, ob ſummam, & præcipuam vim, quam à natura obtinuit ſeroſos expurgandi humores, quo nomine præcipuè hydropicis expetitur, ut inter cæteras huic affectui debellando plantas deſtinatas, & principes partes ſibi vindicet. eius temperamentum ſtatuitur calidum cum Dodoneo, & ſiccum ad tertium uſque gradum; quod facile elici poteſt ex eius ſapore amaro, & cum acrimonia ſalſo. Præuotius tamen ſoldanellæ quartum caliditatis gradum, tertium verò ſiccitatis aſsignat; Ophmanus utriuſque qualitatis ſecundam gradum non excedere autumat; ego quidem quemadmodum exiſtimo Præuotium in aſsignando temperamento ſoldanellæ excedere; ità Ophmanum deficere facilè crediderim. Aluum vehementer purgat, aquoſoſque, & crudos humores catharticè detrahit. Dioſcorides ſtomacho infenſam refert; qui ut eius acrimoniam compeſcat, coqui cum pinguibus carnibus impe-

imperat, ut ſic temperata eius acrimonia in doſi moderatè ſumpta ſtomacho non aduerſetur: decoquuntur itaque eius folia in iure pingui à M. uno, ad M. duos; dantur quoque exſiccatorum foliorum in decoct. ad ℥ ſ. ad ℥ j. additis ſpica, & rhab. Fallopius puluerem exhibet à ʒ j. ad ʒ jſ. & Alexander Maſſaria uſque ad ʒ ij. in hydropicis; ſerum namque valentiſſimè purgar, & efficaciſſimè confert. Prævotius indè extractum parat expreſſo ex folijs ſucco, mox depurato, & condenſato cum quarta parte Maſtiche, & Maceris, & ſic maſſam pilularum conficit; vel ex eodem ſucco inſpiſſato cum quarta parte mellis, & octaua parte ſucci Abſynthij, doſis à ʒ j. ad ʒ ij.

De utroque Ricino: Dendæ Arabica & minore Ricino ſiue Cataputia.

CAPUT CXXXI.

Ricini planta à quo nomen deſumpſerit ſtatuitur. deſcribitur. D. Hieronymi ſententia allata. Arborem ſcil. eſſe illam, ſub quà Profeta Iona cubauit. Dubitatur an arbor ſit vocanda. ſoluitur dubium; Temperamentum diſquiritur; vires perpenduntur, tum doſis affertur. Minoris Ricini ſiue Cataputiæ affertur hiſtoria cur; Cataputia veteribus dicta, & lactiris. Salmaſij error exploſus; non eſſe cicutam conuincitur. nec cicutam cathartica facultate pollere. malè ab eo intellectos Horatij verſiculos. cicutam lathyridem dici non poſſe. deſcribitur. Temperamentum ſtatuitur, vires explicantur. Et quomodo eius noxæ corrigantur.

RIcinus à ſimilitudine animalis fœdiſſimi Græcis κατὰ κρότων nomenclaturam cum ſemine accepit eiuſdem ſemen, qui figurâ eius animalis gerit Ægyptijs cici vocatus, quod forſan creditur deriuare à verbo hebraico Cicaion, Mauritanis verò Kerua appellatur, canibus, & bobus non minus quam hominibus infenſum; dum hoc animal infixo capite, veluti quodam roſtro, cum nullibi excrementorum exitum habeat, eouſque ſanguinem exugit, quouſque ex continuata ſagina in globum redigatur informem, & indè ſpontè decidat; unum ſcil. animalium, ut Plinij verbis loquar, cui cibo non ſit exitus, nimiaque ſatietate dehiſcat, alimento ipſo moriens. eſt igitur ricinus Dioſcoridi arbuſcula paruæ ficus altitudine, platani folijs, ſed maioribus leuioribus, & nigrioribus ramis, caudicibuſque cauis arundinis inſtar, ſemen in receptaculis aſperis, ſiue aculeatis, quod decorticatum ricinum alatum repræſentat, multifida radice, & fibroſa. hanc arborem Diuus Hieronymus in commentarijs in Ionam Prophetam illam eſſe, ſub cuius umbra idem Propheta laſſus ex itinere recubuit, quæ derepente orta, etiam derepente marcuit à verme corroſa. Dubitat nec ineptè Ianus Saracenus, an Ricinus rectè denominetur arbor, cum nobis tantum annua ſit planta, & quotannis in hortis ſeri ſoleat ad iniurias Talparum arcendas, cuius odorem natura ijſdem abigendis ſtatuit. cum igitur caule haud lignoſo ſit, nullamque congruam proceritatem habeat, qua mereatur inter arbores collocari; videtur potius inter fructices, quàm inter arbuſculas reponenda. Fallunt aliqui auctores, dicentes Dioſcoridem ex allato nomine arbuſculæ diminutiuè fructicem in-

In Exercit. Plinian. in Soli.

Cicuta lib. 1. Epigram.

nuere voluiſſe, verum cum conſtet Ægyptiam Ricinum & ad iuſtam arboris magnitudinem aſſurgere, & perennare, immo à Bellonio in Creta inſula, necnon à Carolo Cluſio in Betica circa maris æſtuaria huiuſmodi arbores mira altitudine truncòque brachiali radice refertas obſeruatas, & per annos plures perennaras; hinc aſſerendum ricinum meritò repoſitam à Dioſcoride inter arbores; qui forſan, dum eam deſcripſit, Ægyptiam delineauit, vbi præſertim elicitur oleum ex ſemine fædum, vt loquitur Plinius, in cibis, ſed emplaſticis vnguentis apprimè vtile; quod quidem ſemen ex fructibus racematim congeſtis prodit, liuore externo maculatis, candida intus medulla, prius euaneſcentibus floribus muſcoſis, pallidis. Temperamentum ſeminis ricini ab omnibus calidum cenſetur: non conueniunt tamen auctores inter ſe in deſignando diſtinctè graduum num. Meſ. namq; & calidum, & ſiccum autumat in gradu tertio; Præuotius exiſtimat Ricinum in paſſiuis qualitatibus temperatum, calidum verò in gradu ſecundo, Monardes in tertio calidum, & in ſecundo humidum, quod de oleo fatetur ſemine calidius, præſertim expreſſo ex planta Americana, quam maiorem cæterarum partium caliditatem habere tradit; in quo caſu facile ipſi concedendum; ſecus de noſtro, & potius Præuorij ſententiæ aſſentiendum. Purgant ſemina ſatis validè, & in primis ſeroſitates, deinde etiam pituitam, & poſtremò bilem; ſed vomitum ciere ſolent, quo fit, ut minus grata, immò magis laborioſa ſuccedat euacuatio, qua ratione medicamentum, ſtomachicis miſcendum. hydropicis utiliſſimum euadit remedium, quibus exhibetur cum lacte caprino. ad doſim verò quod attinet, ſuſpicantur neoterici, nec malè quidem, doſim à Dioſcoride aſſignatam nimis excedere, ac proinde ad hypercatharſim introducendam aptam, autumantque mendum ſubeſſe in textu, dum triginta grana ſeminis exhiberi traditur, quorum coniecturæ ego facillimè faueo, puto namque Americani ricini ſemen innoxiè exhiberi poſſe à granis v. ad gr. vj. vel vij, nec ultra, niſi cum damno; noſtri verò ricini quidem eſt, ut puto cum Meſ. exhiberi poſſe à gr. v. ad gr. xv. Præuotius propinat à ʒ iij. ad ʒ vj. ſed nimis larga doſis, ſic emulſionem eorum propinat in iure pingui cum aliquo aromate à ʒ j. ad ℥ iij. electiuè ſeroſitates, & præſertim crudam pituitam trahit, vel etiam ex articulis, & ſic coxendico dolori prodeſt; folia contuſa, & applicita mammas turgentes cum aceto, & lactis ubertatem noxiam compeſcit; oculorum œdemata, & inflammationes varos, & vitia reprimunt ſemina & folia, necnon eryſipelatibus cohibendis utiliter adhibentur. De oleo ex Americani ricini ſemine educto ex Gliſco nouæ Hiſpaniæ prouincia plura habet Monardes, quod ipſe ricinum oleum appellat; Hiſpaniæ verò ficus infernalis oleum vocat; experimento ſiquidem comprobatum eſt, ut idem aſſerit, hoc ipſum oleum omnes frigidos morbos, vel à frigidis humoribus, & cauſis prodeuntes ſanare. Tumores cunctos diſſoluere & flatus in ventre præſertim contentos diſcutere, qua ratione omnibus hydropis generibus conducere ait, ſiue exterius adhibitum, vel interius ad aliquas guttulas aſſumptum in vino, aut alio liquore; ſic ſtrenuè etiam ſeroſos humores euacuare, idemque facere ait, clyſteribus admixtum; ſtomachum Anorexia ex frigidorum

humo-

humorum infarctu liberare, colicoſque dolores compeſcere, ſi eodem oleo pars illinatur, & aliquot eius olei guttulæ in iure pingui Gallinæ inſumantur. prodeſſe immò doloribus omnibus etiam articularibus, ſi prædominetur materia frigida pituitoſa; ſummopere etiam iuvare neruorum contractiones qua emolliendo, qua reſoluendo; obſtructionibus viſcerum tollendis, puerorum ventri ſoluendo, & vermibus necandis illitum efficaciter pollere, ſi in lacte una, vel altera guttula bibatur, aut in iure pingui. ſurditati commodè occurrit, & aurium doloribus, puſtulis capitis, pſoræque utile; faciem abſtergit, maculas, vitiaque cutis tollit. ſemen quod variè maculatum non eſt, ſed nigrum dimidia ſua parte ad purgandum tam ſupernè, quam infernè ſufficit.

Similes etiam facultates gerit Dende Arabica, ſiue Serapionis, ſemen, ſcil. illud, quod Agyrthæ venundare ſolent pro Ricino Americano, felicis, & ipſum & noti uſus eadem doſi exhibitum.

Minorem etiam Ricinum, & Cataputiam minorem ab herbarijs ſic vocatam, meritò hìc ſubnectimus, quam uſum medicum obtinere, & ſerum catharticè educere notiſſimum eſt, & non ſpernendi uſus cum facilè ad manus ſit; plures ex Antiquioribus hanc plantam Lathyridem vocant, eò quia, ut quibusdam placet, extrema eius folia, quæ in ſummo caule crumpunt, anſam veluti conſtituant, & cauitatem, in qua ſemen continetur; alij cataputiam appellant, forsan ſuaſi à verbis Dioſcoridis, ut qui dicat purgare ſemina in catapotio ſumptas, hoc eſt in pilulis; vel prout alijs magis arridet, quia ſemine in globulis ſuis inſtar pilularum orbiculos concluduntur; Ab Italis Citocaciam dici tradit Apuleius, eò quia, ut interpretatur Iſidorus, citiſſimè purget, quod quidem nomen ſuaſit Viro clariſſimo Claudio Salmaſio, Lathyridis plantam non citocaciam, ſed cicutariam vocatam; per errorem namque exiſtimat citocaciam dictam, loco cicutariæ, ideò putat cicutæ nomen non ſolum conuenire cicutæ venenatæ plantæ, ſed etiam huic lathyridi, immò, & omnibus alijs plantis cavum caulem habentibus, quibus à Poetis ſub hac ratione cicutæ nomen indatur, tanquam fiſtulis conficiendis aptiſſimis, & tibijs; quod quidem non ita facilè admitti poteſt, de herbaceo præſertim caule fragili, & minimè tibijs ſtruendis apto, qui nullam perforationem admittere poteſt. eſto namque, quod & Sambuco, & arundinaceis plantis hoc ipſum congruat; lathyridi tamen annuæ plantæ, quæ nulla caulis durabilitatem præfert, & interitum ſuum quotannis agnoſcit, hoc competere nequit. Nec ſanè Viro Clariſs. fauet coniectura deſumpta ex Dioſcoride, dum ſcribit caulem habere inanem, cum pro fiſtulis concinnandis, tibijſque; hæc conditio ſola non ſufficiat; non illa deſumpta ab Horatio, qui Cicutam purgantem facere videtur dum ait, quæ poterunt unquam ſatis expurgare, cum de expurgatione cathartica à cicuta molienda non loquatur niſi Poeticè, & Metaphoricè; nec deniq; Perſij lepidi verſiculi in ſatyra quinta pro ſe adduci poſſunt, dum inquit Poeta,

Calido ſub pectore maſcula bilis,
Intumuit, quam non extinxerit urna Cicutæ.

Cum ibi manifeſtiſſimè Poeta feruori bilis, cicutæ frigiditatem opponat,

ut

ut eadem alteretur, & euincatur non catharticè ducatur, quaſi nullo alio modò bilis æſtus ſummus (bilem etenim maſculam vocat,) quam ſummo frigore Cicutæ, à quo tantummodo extingui poſſit. Addo ego, quod lathyris in primis bilem non trahat, ſedpotius ſecundario, & proprio temperamento ſuo magis calori opponatur; ſi enim conſulamus, bilis ſincera
Gal.7.ſimp. eſt calida & ſicca in quarto gradu, vt merè commentitium euadat, quod habet Vir ſummus, Cicutam veteribus vocari etiam lathyridem. Adſcribit lathyridem Dioſcorides ex aliorum potius conſenſu Tithymalis, quā opinionem tamen non damnat; ſi quidem Lacticinoſa planta eſt, & eaſdem ferè vires cum Tithymalis habet: Caulem cubitalem à radice emittere ait, digiti craſſitie inanem in cuius cacumine alæ viſuntur, & folia oblonga Amygdalinis ſimilia, ſed leuiora, & laxiora, quæ ab imo ad ſummum ipſum ambiunt: Caulem ſucco lacteo, viroſo, ſingula ſcatentia, flores exigui, colore pallidi, ſemen in globulis incluſum minutis, Tricoccon, quod magnitudine cætera Tithymalorum genera ſuperat, expreſſa tamen diuiſura inſtar Cameleæ; quod quidem ſemen decorticarum candidum eſt, & guſtu dulce; hinc error eorum, qui ex ſeminis Tricocij poſitura hanc ipſam plantam cum Camelea confundunt; radix tenuis, & candida, nullius vſus. Temperamentum ex Dioſcoride elicitur, qui purgandi gratia exhibito ſemine ſuperbibendam aquam frigidam imperat. Gal. temperamentum cum Tithymalis aſſignat, & vires communes facit, Præuotius in vtraque qualitate calida ſcil. & ſicca; ſemini quartum gradum aſſignat. Vires præcipuè, ob quas præſentem locum obtinet Catapucia, ſunt catharticè educendi ſerum in primis, & crudos humores, & poſtremò etiam bilem trahere. exhibet Dioſcorides 7. aut 8. grana cum caricis pro molienda efficaci euacuatione; & idem ſuccum efficere tradit, inſtar Tithymali, decoquique ad eundem vſum in iure galli gallinacei. exhibet Præuotius huius ſeminis gr. viij. vſque ad gr. 15. cum caricis vel facta emulſiue cum hydromellite. admonet interim, cum medicamentum valdè ſit ventriculo noxium, ſtomachicis corrigendum, præſertim Abſynthij, aut ſeminibus citri, vel aurantiorum, alterato iure.

De Vite alba Matthioli tertia clematidis ſpecie.

CAPVT CXXXI.

Albam vitem Matth. quæ eadem eſt cum Clematide tertia ſpeciei, non eſſe vitem ſilueſtrem Dioſcoridis affirmatur. Deſcribitur. Temperamentum definitur; vires expenduntur; cura doſis, exhibendæ ratio, & noxarum, quas indere, ſolet correctio affertur.

VSus obtinuit clematidem, ſpecies illa, quæ tertia paſſim à Botanicis appellatur, in cenſu materiæ medicæ adſcribi, pro ducendo valido humore ſeroſo. putant aliqui eſſe vitim ſylueſtrem Dioſcoridis, pro ut exiſtimabat Dalecampius; non eam tamen, quam Matthiolus ſic vocabat, quæ dulcamara eſt, ſed illam, quam Dodoneus cum eodem Matthiolo

thiolo tertiam appellat Clematidem, & Fuchſius vitem nigram, qui pro nigra vitæ Dioſcoridis accipit, cum tamen huius plantæ notæ, ut obſeruauit Pena, non correſpondeant; inſtar enim vitis ſarmenta prælonga producit, cortice rimulis diſciſſo, aſpero, duro, vitis viniferæ colore, & arboribus ſeſe facilè clauiculis implicans; folia hortenſi ſolano ſimilia, ſed latiora & longiora minimè cincinnata aut ſerrata; florem radiatum gerit album odoratum, & filamentis multiplicibus muſcoſis compactum, indè folijs decidentibus muſcoſis villi & incurui emergunt omentoſi, quibus ſuccedunt. Acini plures racematim congeſti, rubelli, figura rotunda paululum compreſſa; temperamento calido conſtat cum pari ſiccitate in gradu tertio completo, ut pſilotri medicamenti vices etiam gerere poſſit. purgat validè ſeroſos humores, ob id Dioſcorides ad hydropem commendat, dum exhibet eiuſdem radicem in vino cum aqua marina diluto ad cyathos duos; Præuotius radicem propinat decoctam ad ℥ſ. in vino pari aqua diluto, corrigitque coriandro, aut myrtho; uvei fructus varos, & maculas faciei abſtergunt, & emendant; folia trita cum ſucco appoſita, ex Plinio, coxendico dolori, & aliorum articulorum proſunt.

De Tithymalo platiphyllo.

CAPVT CXXXII.

Cur de hac Tithymalorum ſpecie ſeorſum à cæteris agatur adducitur ratio. dubitatur an noſter platiphyllus Dioſcoridis platiphyllo notis correſpondeat. deſcribitur. electiuè purgare ſeroſitates aſſeritur. dilutum in aqua ſuccum piſces necare ex Dioſcoride aſſeritur.

IN tithymalorum hiſtoria à Dioſcoride delineata enumeratur, in ordine ſecundum tithymalum platiphyllum, cui præ cæteris mira in primis traditur facultas ſeroſitates electiuè ducendi; igitur data opera eius deſcriptionem huc tranſtulimus, ubi de plantis ſerum cathartice ducentibus, & quidem ſtrenue, verba facimus. Eſt igitur tithymalus platiphyllos lactaria herba, ſucco videlicet viroſo, lacteo colore, & conſiſtentia ſimili refertus, cauſtica & ipſe conditione præditus, & valida acrimonia, & amarore donatus, cuius notas non ità congruas Botanici tithymalo à Dioſcoride deſcripto facilè inueniant; cum idem Auctor tithymalo ſuo platiphyllo verbaſci folia aſſignet; ideo recentiores varias variè inter ſe diſſidentes opiniones protulere. Doctiſſimus tamen Cluſius Dioſcoridis notis correſpondentibus platiphyllo in Valentiæ Regno inueniſſe fatetur. Cui, & aſſentitur Lobelius, & Ceſalpinus, & ſemine ſibi natum in horto Piſano aſſerit, ad frugem tamen non perductum. platiphyllus igitur latiora habet folia, quam quod habeant cæteræ tithymalorum ſpecies, ut & Plinius aſſeruit, & oſtendit platiphylli cognomen: Cubitalem caulem eleuat, folijs ſubrotundis, amplis, circa caulem virentibus, & potius carnoſis, flos in caulium ſummitate ritu, & forma aliorum tithymalorum in luteo purpuraſcens, in aceptabulis inde ſemen. Temperamentum idem

habet

habet cum alijs, viresque cæteris ſimiles; purgat tamen ſeroſitates electiuè in primis, eoque eodem modo,& corrigi,& uſurpari poteſt. illud tamen peculiare habet, inquit Dioſcorides, quod piſces necat in aqua dilutus; quod tamen commune etiam eſſe cum alijs tithymalorum ſpeciebus recentiores tradidere.

De Medicamentis cathartìcis vomitum cientibus.

CAPVT CXXXIV.

Medicamentorum vomitum cientium ratio inquiritur. nullum dari medicamentum ſtatuitur vomitorium, quod etiam alvum turbare nequeat. fieri euacuationes irritata partium expultrice, modo ſuperiorum, modo infernarum. Cur magis euacuatio ad inferna deuoluatur quam ad ſuperna. An dentur cathartica, quæ ſua ſpecifica vi per vomitum tantummodo materiam deducant; contrariæ ſententiæ conciliantur; in quibus caſibus conueniat aut non, vomitoriorum uſus: refutatur Athenæi opinio antiquioribus vomitum in uſum non fuiſſe. cathalogus medicamentorum vomitum excitantium adducitur, & in ſuas claſſes diſtinguuntur pro humorum ſerie, & eorum præſtantia.

CAtharticorum medicamentorum ſeries, quemadmodum vnica non concluditur claſſe; ſic nec è corpore humano humores noxios vnico modo, aut vnica tantum eliminat via; etenim non ſolum per ſeceſſum opus ſuum perficit, ſed per vomitum etiam hoc moliri videatur; quamuis ex vomitorijs ſic appellatis medicamentis nullum omninò detur abſolutè tale, quod per ſeceſſum etiam purgare non valeat. Cæterum de Vomitoriorum vi, & effectu nihil dubitandum videtur; nam cùm vnumquodque pharmacum opus ſuum irritando partium expultricem exequatur; ſequitur partes illas, quæ magis viuido ſenſu ſunt præditæ, etiam magis proritari; vt ex hoc facilè conſtet partem etiam illam, quæ ciborum ingeſtioni deſtinata eſt, exquiſitiſſimo ſenſu donatam, vi vorati medicamenti excitatam, excernendis noxijs humoribus concurrere. hac igitur ſola ratione neceſſarium euadit admittere vomitoriorum conſuetudinem maximo cum fructu à ſeculis exercitam; quam quidem rationem ex Gal. ipſo elicimus, dum aſſerit fieri purgationem à medicamento trahente, & natura expellente; quod quidem etiam ab Auerrhoe confirmatum video, qui expultricem partis in qua reſidet medicamentum, vim medicamenti catharticam adiuuare ait. hinc deduci facilè poteſt medicamentum purgans non magis trahere ad inteſtina, quam ad ventriculum; immò conuenientiùs apparet humores ad ventriculum ipſum aſcendere, in quo diutiùs medicamentum moram trahit, vt indè potiùs per os, & promptiùs excerni debuiſſet, quam infernas partes, dum præſertim & medicamentum, & humores attracti ſua acrimonia ventriculi expultricem primo laceſſere, & irritare valeant; cùm ſupernum ſtomachi orificium exquiſitiſſimo ſenſu polleat: ſic ex ijs concludendum videretur per vomitum potiùs à purgantibus medicamentis excitatam expectandum fore euacuationem, quam

1. Aphoriſ. Comm. 22.

5. Collectan. cap. 21.

per

per aliam partem. Quod cum vt plurimum contrarium ſuccedat, euadit
conſiderationc dignum, qua rationc fiat, ut humores à pharmaco attra-
cti potius, & frequentius ad alvum deſcendant, cum aſcendere potiùs de-
buiſſent, & per inferna excernantur. Cæterum non unica ratione hoc fie-
ri obſeruamus, nam humores aſcendere quidem reuera properant ad ven-
triculum ex delectu prolecti, & attracti, ubi medicamenti moles, & præci-
pua tractoria eius vis reſidet; nihilominus triplici de cauſa viam ſibi non-
ſternunt impulſu vomitus per os, quod Meſ. doctiſſime notabat, primo
quia materia excernenda proprio pondere & innata ſua grauitate potius
ad inferna properat; grauium enim eſt deorſum tendere: ſecundo quia
mearus vaſorum in maiori copia ad inteſtina diriguntur, quam ad ventri-
culum; & poſtremò quia inteſtina ſunt à natura propriè inſtitura, ut per
illam partem eycrementa excernantur, non verò ſtomachus, cui aliud mu-
nus obire demandatur. natura enim gulam, & ventriculum ingeſtioni,
non egeſtioni deſtinauit, cuius inſtitutum præcipuum eſt, ut peruiam in-
feriorem, quæ aliena à bono abiectaque ſunt pro ſui conditione excerne-
rentur; & ſic humores à cathartico excitati phatmaco, & tracti per ſedes
extruderentur, nõ verò mediante vomitu per os reijcerentur, cum, vt dictũ
eſt, eadem natura excipiendis alimentis ventriculum, præparandiſque di-
caueiit, non regerendis recrementis. hoc quidem ſumma cum ratione fa-
ctum eſt; nam cum ventriculus leni, blandoque calore prædicus ſit, facilè
à *noxijs* humoribus medicamentique acrimonia, ſi hanc tanquam partem
exitui neceſſariam excrementorum ſemper peterent, labefactaretur; ut
mirum non ſit, ſi ferè ſemper ex ingeſto tantummodo medicamento à ſo-
la eius præſentia turbetur, & veluti horreſcat, quaſi vim patiatur. in vo-
mitu etenim, ut notabat Gal. ventriculus veluti conuellitur; cum è conca-
vo fiat conuexus, quod eſt violenter figuram propriam mutare, & ſic præ-
ter naturam moueri: fit enim iſte motus præter eiuſdem naturæ intentio-
nem, qui eamdem partem ad aliam, ut ſuprà dictum eſt, quam ad purga-
tionem ventriculum deſtinauit. ſic igitur non difficulter ſatisfacimus quæ-
ſito reddentes rationem eur pharmacum, dum opus ſuum peragit, potius
ad *inferna* humores extrudat, quam ad ventriculum trahat; & ita cur lon-
gè frequentius fiant euacuationes per illam, quam per hanc partem. Sed
hic opportunè quærendum venit, an medicamentorum catharticorum,
alia ex propria, ſua natura ſint ſubductoria ſpecificaque facultate, & alia
ſimili modo vomitoria; ita ut purgantia medicamenta non ſolum à pro-
pria forma, & ſubſtantia (ut aiunt) tota alliciant, trahantvè ex delectu
ſuo magis hunc, quam illum humorem; ſed etiam ſub eadem formalitate
magis per vnum, quam per alium locum deijciant. Sunt qui dicant, quod
etiam placuit Fernelio, de ratione pharmacorum eſſe illud, quod ſua pro- *5. Meth.*
pria natura vomitioni excitandę deſtinatum eſt, euacuationi per ſeceſſum, *cap. 7.*
minimè conferre; & è contra, quæ ab eadem natura purgationi per ſeceſ-
ſum ſunt dicata, vomitui excitando etiam per illam partem humoribus
eliminandis non conducere. idem videtur ſenſiſſe Plinius, dum habet, ni- *Lib. 25. c. 5.*
grum veratrum per inferna purgare, album verò humores noxios per vo-
mitum educere. Auicenna pariter cum Meſue huic ſententiæ aſtipulari

Prima pri- viſi ſunt, dum Auic. Vomitorium medicamentum illud eſſe ait, quod motu
mi cap. 4. ſuæ naturæ, & ſuæ ſubſtantiæ proprietate os ventris ſuperius debilitat, & laceſſit, dum in eodem loco immoratur, materiã trahit ad ipſum ab hepate, & inteſtinis, quæ cum lædendo, ad nauſeam excitant, ac vomitum, & excretionem per os. eadem ferè habet, & Meſ. dum inquit, ſic operari medicamenta, quia cælitus talem ſortita ſunt facultatem. idem quoque, & Ariſtoteles voluiſſe videtur, dum quærit, cur alia medicamenta ſupernum ventrem, alia verò inferiorem mouent, ſubdit, ut elleborum ſuperiorem, ſcamonium inferiorem. ex his igitur inferendum videtur medicamentorũ purgantium alia perpetuò per aluum ſubducere, alia verò per os, mediante vomitu extrudere; ſiquidem ſi facultas electiuè ſubductoria, quæ à tota ſubſtantia pendet, prout ſtatutum eſt, ſemper talis exiſtit, ut potius hunc, quam illum humorem alliciat; ſic, & pari ratione dicendum, quæ ab eadem facultate obtinebunt eſſe ſubductoria, vel vomitoria, hunc ipſum tenorem perpetuò ſeruabunt. Ego tamen qui ſemper exiſtimaui haud dari in natura purgans medicamentum, quod purè vomitoriũ ſit, aut merè dejectorium, ſed potius quod utrinque mouere ſit diſpoſitum, ac proinde nunquam à ſpecifica facultate ſua poſſidere, ut electiuè moueant, extrudantvè humores tractos magis per unam, quam per aliam partem; non ita libenter horum opinioni ſubſcribo, qui à ſtellis, aut ab occultis qualitatibus, vel à tota ſubſtantia pharmacum magis operari per vnam quam per aliam partem deriuant; cum id potius facilius referri poſſit in qualitates manifeſtas, primas, ſecundas, tertiaſvè, quod quidem eſt ſentire cum Ariſtotile loco citato, ſi rectè eius ſententia intelligatur. impoſſibile etenim videtur catharticum medicamentum, dum ſuo fungitur officio, per utramque viam operari non poſſe, cum humores à pharmaci vi à diſtantibus partibus tracti ad ventriculum, non ſolum expultricem inteſtinorum, ſed etiam ſtomachi, ac proinde utramque partem ad expulſionem excitent; quarum partium, quæ debilior eſt, maiorem humorum molem, vel totam recipit, & per locum ſibi magis commodum vellicata expellit; ac proindè fateri cogimur illud pharmacum, quod per vomitum eoſdem propellit humores, id potius obtinere à propria leuitate, aut alijs conſequentibus qualitatibus, & ſic à manifeſta qualitate, non verò à propria forma, aſtriſvè, aut à tota ſubſtantia, ut illud, quod terreſtrem, aut aqueam naturam ponduſque, aut fluxibilitatem obtinet, & citius ad inteſtina delabitur, & potius ſedes petat, quam ventriculum. at quod leue horum eſt, & aeream obtinet ſubſtantiam, ac proindè in ventriculo fluitet, ſupernatetque, ut ſupernum pylorum eiuſdem tangere facilè, & irritare queat materiam, quam cathartica ſua vi traxit, faciliusetiam per eamdem partem expellere valeat. Quod ſi medicamenti conditio ea ſit, ut utriuſque rationis naturam agnoſcat, & mixtionem, ut notabat Ariſtoteles, utramque partem petere ſolet; dummodò tamen arte eius naturam, ut ita dixerim amphibiam corrigamus, ſub qua ratione deindè euacuatio magis procliuis reddit ad vnam quam ad aliam partem, quod in agarico manifeſtum ſit. Cum enim aerea ſubſtantia præditum ſit prædominante, ac ſubinde flatulenta, ſi ſincerum exhibeatur, & nulla arte correctum in ventriculo fluitat,

ſuper-

Marginal notes: Theor. 1. cap. 2. — 2. problem. problem. 41. — Problem. citato.

ſupernatatque; & dum os ſupernum attingendo vellicat, vomitum excitat, & per os euacuationem molitur. Cæterum cum agaricum terreſtreitatem remiſſiorem obtineat in naturali ſua compoſitione ſatis extenuatam, ſi Meſ. credimus, ſi nimia eius leuitas corrigatur, tunc eiuſdem præualente terreſtreitate, per ſedes facilius expurgat, per hoc tamen non tollitur cathartica medicamenti vis, delectum ſibi humorem à tota ſubſtantia trahendi; licet ijdem humores ab eadem facultate tracti, magis ad unam partem, pro conditione eiuſdem humoris allecti, & qualitatum manifeſtarum trahentis medicamenti, quam per aliam viam expurget. Cæterum quamuis ſtatuta opinio grauiſsimorum auctorum decretis aduerſari videatur; non omninò tamen diſcrepat, immò ferè coincidit; quod manifeſtè apparebit, ſi eorum dicta ad ſenſum reuocâuerimus. etenim cum Meſ. ut ſuperius dictum eſt, vomendi, ſubducendivè rationem in leuitatem, aut grauitem medicamenti purgandi reijcere viſus eſt; nec diuerſo modò locutus ſit Auic. dum conſiderabat medicamentum vomitorium effici poſſe, quod ſua natura deiectorium erat, & è contrà, quod vomitorium in deiectorium mutari, pluribus adductis ab eo cauſis tam ex parte medicamenti, quam ex parte aſſumentis, nil aliud ſonat, niſi quod manifeſtè reducantur ad primas, ſecundas, tertiaſque qualitates; prout, inquit, ſi ſtomachus vorantis medicamentum ſit inſigni robore præditum, vel vehementer æger faſceſcat, vel ſi idem aſſumens nactus ſit lubricam viarum, & præſertim inteſtinorum viam, & ſic ad deiectionem magis diſpoſitus euadat, vel quia aſſumens vomitioni inaſſuctus extiterit, vel poſtremò ſi medicamenti ſubſtantia grauis ſit, & propterea facilis ad deſcenſum, vel leuis, & ſic promptior ad aſcenſum: quæ quidem omnes conſiderationes Auicen. etiam ex Meſ. elici, vel conſiderari poſſunt. Verum nec aliud ſentire videtur citato problemate Ariſtotiles, dum reddit rationem cum pharmacorum alia inferiora petant, & inteſtina excitant ad materiam explodendam, alia ſuperiora, & irritato ventriculo id ipſum ad vomitum proritent, horum enim diuerſorum effectuum philoſophus cauſam aſsignat, caliditatem, vel frigiditatem medicamenti, eaſque refert ad primas qualitates, quamuis ex effectu facilè ſuaderi poſsit non primas tantum, ſed ſecundas qualitates ad id conducere, quatenus calor in medicamento laxitatem cauſat; grauitatem frigiditas; ratione quorum magis hanc, quam illam partem petit. ſic igitur apparet, cur medicamentum vomitorium perpetuò tale non ſit, aut deiectorium tale ſemper non conſeruetur, quoniam unumquodque eorum nullam ſpecificam eſſendi tale poſsidet à ſubſtantiæ proprietate, quemadmodum habere ſolet catharticè trahendi humores; ſed potius id obtinet à qualitatibus manifeſtis; ut hinc euenire ſoleat, quod ſuam procliuitatem de facili varijs concurrentibus cauſis mutare poſſit; quam quidem procliuitatem ſi à ſpecifica facultate, & à tota ſubſtantia obtinuiſſet, perpetuò unicum ſeruaret ordinem; quemadmodum detractione humorum cathartica, quam à forma obtinuit, videtur, quæ nunquam immutatur. Verùm cum inurbanum videri poſſit ea omninò improbare, quæ non ſine ratione in contrarium à Viris clariſſimis ſancita ſunt; dicamus deiectorium medicamentum euadere poſſe, quod ſua facultate vomitorium

 erat,

erat, vel deiectorium in vomitorium verti non ex propria natura, ſed ex accidenti, quod fieri poteſt de ratione conditionis medicamenti, vel ratione ægri aſſumentis, vel propter utramque cauſam, quod à Meſ. citato loco ſtatutum video. Ex parte medicamenti fit vomitorium, quod deiectorium erat; primo quia natura abominabile euadat, ſub qua etiam ratione ſtomacho infenſum fit, vel quia ita ſupernatet in ventriculo, ut ſupernum eiuſdem orificium attingat, & ſic vellicando ſubuertat; vel tandem ſi idem medicamentum nimia aſſumatur copia, vel maxima acrimonia vellicet, proritetque. ſic etiam ex parte ægri totidem de cauſis euenire poteſt; vel dum aſſumendi ſtomachus valdè imbecillis ſit, & propterea ad vomendum facilis quocumque etiam minimo irritamento accedente; vel quia à flatibus inferius contentis humor, dum attrahitur potius ad ſupernas impellitur partes, quamuis proprio pondere ad inteſtina delabi debuiſſet; vel poſtremò dum induratis fæcibus, aut inteſtinis ab aliqua cauſa anguſtioribus redditis, humorum tranſitus per inferna impeditur.

Cæterum cum nec ſemper, aut indiſcriminatim pro purgatione molienda vomitoria medicamenta uſurpanda veniant; opere pretium modò eſt conſiderare in quibus caſibus adhibenda ſint, & ad uſum reuocanda, aut abijcienda. Verùm quamuis antiquioribus, quæ per vomitum fiebat purgatio frequentiſſimè uſurpata fuerit, ut patet ex Hippocr. oraculis, quidquid dicat Athenæus, qui antiquitus vomitum in conſuetudine non fuiſſe, immò ex cuiuſdam medici verbis affert ſe neſcire aliquem ex veteribus, qui ea ſit uſus euacuatione, & à quodam Eraſiſtrato eos fuiſſe reprehenſos dicat, qui huiuſmodi euacuationem moliebantur, cum eo conatu lædantur oculi, & alvus cohibeatur; quod ſanè dictum vaniſſimum, & commenticiũ eſt, & ex Hippocr. teſtimonio reprobatum, aptior tantùm recentioribus euacuatio illa viſa eſt, quæ per ſeceſſum fit, & expetibilior, quia & magis tuta, & magis naturæ congrua, eo quia omnibus partibus æquè opituletur, & à natura magis deſiderata, quæ ductus proprios, per quos excrementa cum ſolida, tum liquida excernerentur ad inferiora, ut notabat Ariſtotiles deriuauit. Et ſanè minus incommodum ſequi videtur ab ea euacuatione, quæ fit per ſeceſſum, quam pharmacum nec ità imbecillum reddit ſtomachum, nec à motu eius concitato imminet ſuffocationis periculum, prout in vomitu non ſemel obſeruatur; nec ſymptomata quoque, quæ ut plurimum à purgante medicamento excitare ſolent, ita redundant, & infenſa capiti, & cordi ſic euadunt, ob maiorem diſtantiam humorum extrudendorum: & tandem quia ex vomitus violentia periculum maximum imminet, ne aliqua pectoris vena diſrumpatur. Vtcumque igitur ſit, ſemper vomitus laborioſus eſt; hinc opportunè quærit Ariſtotiles, cur delaſſatis corporibus euomendum præcipiatur, ſubdit ſi verè vomitus laborioſus eſt; nihilominus vomitoriorum uſus quandoque exoptabilis, immò neceſſarius euadit. Hippocrates vomitiones diuidebat in neceſſarias, & coactas; ut innueret eaſdem quandoque à natura ipſa expetitas. immò 1. Aphoriſm. aph. &c. ſpontaneos dari vomitus aſſerebat, ſic gracilibus, & facilè vomentibus per æſtatem vomitum imperabat, & in uniuerſum tandem ſtatuebat humidioribus naturis vomitum etiam ter in

15. *Dinoſo-phiſtarum.*

5. *problem.* *problem.* 7.

1. *progn.* 1. *part.* 38.

menſe

menſe conducere; & ſic pluribus alijs in locis non ſolum vomitoriorum uſum admiſit, ſed proficuum ſummoperè futurum docuit. Cogimur etiam in quibuſdam caſibus, dum ſuſpecta eſt per ſeceſſum euacuatio, ad vomitum recurrere. Præſtat igitur vomitum excitare, & euacuationem humorum noxiorum per eam partem moliri, dum inferum ventriculi orificium aliquo inſigni affectu detinetur, veluti inflammatione, tumore, tuberculo, aut ſumma eiuſdem anguſtia; ſic quando inteſtina inflammatione laborant; ita in dyſenteria, & diarrhæa, dum eadem inteſtina ex humorum præcipiti copia à toto, vel inſigni eorum irritamento laborant. Expedit quoque euacuare per vomitum in cœliacis paſſionibus, lienteriaque, prout optimum uſum præbet vomitio in vehementi ſanguinea hæmorrhoidum fluxione; in ijs etenim, & ſimilibus caſibus neceſſarius vomitus euadit, ne materia noxia nimis impetuosè ad affecta confluat loca, morbumque proritet, & augeat; hoc igitur modo felicius blanda vomitione relatis morbis occurrimus, quia unà & congruam excrementorum euacuationem habemus, & præcipitem quodammodo fluxionem à parte inhibemus; quamuis in diarrhæis, & dyſenterijs, dum irritamentum ab excrementis factum magis urget, quam materia, & copia, etiam blandis deiectorijs uti poſſumus cum fructu, quidquid dicant alij, qui obſtinatè nimis contendunt, nunquam in ſimilibus affectibus tentandam eſſe euacuationem per medicamenta deiectoria; tutior tamen ſemper in relatis caſibus illa euacuatio, quæ per vomitum fit, dummodò proprijs non careat requiſitis, ut infrà conſiderabimus; ſed quandoque nullo reſpectu habito etiam cogimur non pronos etiam ad vomitum, prout obſeruamus in ijs, qui venenum recenter aſſumpſerunt. Cæterum multis de cauſis vomitoriorum uſus prohibetur; requiritur enim, dummodò extrema neceſſitas non cogat, ægri ad vomitum facilitas, & procliuitas. laborioſus etenim *vomitus ſemper ſuſpectus* eſt, nec quocumque tempore uſurpari debet, ſed *opportuno*. ſancitum enim eſt ab Hipp. æſtate medicari magis ſuperiores, hyeme vero inferiùs, eo quia materia craſſa difficulter per hyemem mouetur, ut notabat Gal. in Com. ſic etiam uniuerſalem rationem uniuerſaliter tenendum conſtituunt auctores, quibus vomitus interdicatur, quod in pluribus locis diuinus ſenex innuebat, & quibus etiam conueniat; ſupra ſeptum tranſuerſum, inquit dolores purgatione indigere per ſupradicta; quicumque vero inferiora moleſtant, per infraſcripta; Galen. pariter hoc idem habet, dum ait, quod affectus partium ſupraſcriptum indicant vacuationem per infraſcripta; quia inquit euacuatio ſimul fit, & revulſio. quas tamen per vomitum purgationes Hippocr. non faciendas habet in difficulter vomentibus, & quas omninò prohibet in tabidis; ſub qua etiam conſideratione Gal. vomitum interdicebat ijs, qui longo erant collo, & anguſto pectore, necnon eleuatis humeris, quos recentiores allatos appellant. Cæterum ijs per compendium habitis de euacuatione per vomitum procuranda; opportunum modò videretur de ſingulis medicamentis vomitum cientibus ſingularem tractationem inſtituere. attamen cum de vomitorijs incidenter etiam verba fecerimus, dum purgantium medicamentorum hiſtoriam ſupradicta contexuimus, vires eorum expendentes; ſuffi-

4. Aphoriſ. aph. 4.

4. Aph. 7. 4. Aph. 18. Lib. quos & quando purgare oportet

ſufficiet in præſentia vomitoria elencho recenſere. eorum unumquodque pro virium robore, valoriſque facultate. ſub propria ſerie conſtituentes, quatenus videlicet unum magis, quam alterum humorem trahere valent, afferentes tantummodo utilitatis gratia uſum, non verò medicamentorum naturam expendentes; quam ſatis innotuiſſe conſtat, dum purgantium facultatem pro ſuo delectu conſiderabamus. At animaduerſione dignum euadit, dari præterea vomitoria, quæ facultate ſua humores ex delectu trahunt; etiam ea, quæ cum omninò trahendi virtute ſint deſtituta, eluunt potius ventriculum, exonerantque, quam quod humorum quidquam ex alto trahant; & ob id dum propinantur, externo indigent irritamento, ut cum fructu excerni poſſint, & inde ſecum ducant, quæ in ſolo ventriculo morantur. Itaque illa, quæ in cauſa calida adminiſtrari poſſunt, debent eſſe expertia caloris; ſic ſub hac ratione uſurpatur vel ſimplex aqua, vel aqua hordei, aut ius pingue; ad hæc opportunum euadit idem ius *tepidum*, vel aqua tepida cum oleo communi, ſiue amygdalarum dulcium; horum ad ℥ iij, illarum ad lib. i. uſque ad lib. ij. Si verò frigida materia in ſtomacho contenta vomitorium expoſcat; dari poterit oxymel ad ℥ ij. vel ℥ iij. in iure ſeminum citri, aut aranti orum, quæ idem præſtabunt. ad idem quoque refertur aqua, in qua ebullierint lauri folia, aut narciſſi bulbi eadem, qua ſupra menſura; ſic eorumdem radix cocta, & comeſta ad ʒ i. idem præſtare ſolet aut betonicæ radicis puluis à ʒ i. ebibitus uſque ad ʒ ij, aut ʒ iij. in aliqua prædictarum aquarum, aut iure; ad idem valet puluis radicum peponum à ℈ i. ad ʒ i. in eius aqua, aut decoctione ſumptum. quod ſi materiæ craſſities ſummopere obſtet, quia forſan etiam impacta ſit, oxymelliti addi poterit una vel, altera rhaphani ſucci uncia in iure aliquo, vel adhuc maiore exiſtente reſiſtentia ob craſſitiem materiæ frigiditatemvè, quidam nitrum addunt, medicamentum quidem valdè abſterſorium à ℈ i. ad ʒ i. in iure pingui, aut mulſa, in quo iure incoqui poterunt hiſſopi folia, aut zingiber, vel piperis grana, addito etiam oxymellite ſimplici, aut etiam ſcillitico, & hæc de eluentibus ventriculum per vomitum. Verum non ſemper expedit ventriculum ſubuertere, ut inde materia in eodem contenta excernatur; ſed pro conditione morbi, corporis diſpoſitionis, aut propenſionis ad eumdem. expedit quinimmo ſæpè etiam ijs vomitorijs uti, quæ ab alijs partibus peccantem materiam chatarticè extrahere valent, quæ diuiduntur à Meſ. in vomitoria clementia, mediocria, & vehementia, quem quidem ordinem etiam à recentioribus ſtatutum video; & nos, ut promptius quæque pateant, quæ in quocumque caſu conuenire poſſunt, libenter ſequemur. Clementia ità ſunt appellata à modo, quo opus ſuum perficiunt benignè. interim, clementia à Meſ. appellata ſunt illa, quæ ſine ventriculi labore vomitum proritant; mediocria, quæ etiam ſtrenua vocantur, illa ſunt, quæ non ſine labore, aut ſtomachi languore vomitum excitant; trahunt enim à partibus etiam longinquis; vehementia verò ſunt, quæ & valentia, & à quibuſdam etiam furentia dicuntur, & ſunt, quæ non ſine magno labore laborioſoque ventriculi conatu catharticè humores à longinquis partibus trahunt. benigna igitur, ſiue clementia, quæ bilem per vomitum educere valent, ſunt ſemina hortenſis naſturtij in pulue-

rem

rem redacta & cum aqua exhibita à ʒij. uſque ad v. vel vj. ſic idem præſtat flavus ille cortex, qui latitat ſub primo frangulæ cortice, ſi decoquatur in aqua, aut iure à ʒ ij, uſque ad ʒ iiij. mediocriter verò bilem trahunt, & ſatis ſtrenuè per vomitum aſari radices; quorum etiam proprium eſt pituitam educere; ita utilis euadit in utroque humore prædominante, ſi congruo temporis ſpatio in aqua macerata à ʒij. uſque ad ℥ſ. vel ʒv. propinentur, vel puluerizatæ in ſubſtantia exhibeantur à ʒ j. ad ʒ ij. in aqua. id quoque præſtabit arthriticis ſemen in puluerem redactum à ʒ j. ad ʒ ij. in pingui iure; at ius alterari poterit abſynthij folio, ne medicamentum ſtomacho languorem indat. fructus pariter chamçceraſi montanæ Geſneri, quæ planta deſcribitur à Dodonæo ſub eodem nomine, & quā non eſſe Arabū, Mhaleb, aſpectus deſcriptioni non correſpondens ſatis oſtendit, & Thragus halimon vocat, qui fructus vorati ab octauo, vel nono numero bilem per vomitum ſtrenuè purgant; ijs ſuperbibitur vel ius, vel aqua tepida. Tandem vehementi quodam conatu, vel furenti per vomitum educendæ bili ſuccus radicis Mandragoræ eſt opportunus à ℈ ſ. ad ℈ i. cum vino mulſo; circa quod remedij genus animaduertendum, hoc ipſo utendum non eſſe, niſi valida urgente neceſſitate; cum Mandragora, ut alias docuimus, inter venenatas plantas repoſita ſit. his igitur bili auocandæ per vomitum ſub differenti ratione à natura proſpectum eſt. Cæterum modo eodem ordine à nobis afferenda ſunt ea, quæ pituitam per vomitum trahere valent. ſi igitur exceſſus pituitæ ingruat, & ea euacuanda per vomitum, ſi loquamur de benignis catharticis, & clementibus, tale officium præstabunt geniſtæ hortenſis virentes ramuli, aut decocti in iure, aut in eodem iure macerati: ad id valent etiam flores eodem modo ſumpti à ʒ ij ad ʒ iiij. ſic, & agaricus non trociſcatus, aut alio quouis modo præparatus exhibetur in iure pingui à ℈ ij. ad ʒ ij, additur una, vel altera uncia oxymellitis ſimplicis. ſic commendatur ad auoeandam clementer pituitam ſargulæ ſemen in puluerem redactum ad ʒ ij. ad ℥ ſ. bibitur in iure cum oxymellite, aut mulſa. ſic ad voitum benignè emoliendum æquè valet coluteæ veſicariæ ſemen, quod adminiſtrari poteſt in ſubſtantia à drach. i. ad drachm. ij. in vino aromatico, in quo etiam macerari poterit à ʒ i. ad ℥ ſ. ad quod benignè valebit etiam ſemen coluteæ ſcorpiodes eodem modo exhibitum. Strenuè pituitam per vomitū ducunt catharticè medicamenta deſumpta primò ex tithymalorum generibus; horum enim quorumcumque incocta folia à ʒ i. & ſ. drach. ij. uſque ad ℥ ſ. in aqua remixta cum mulſa cum exitu proficuo exhibetur. additur horum cenſui tabaci ſuccus à drachm. i. ad drach. ij. qui exprimi debet ex nicotianæ folijs in iure ſeminum citri. ſub hac eadem medicamentorum ſerie continetur album vitriolum in iure à drach. ſ. ad drachm. i. propinant demum auctores pro pituita ſtrenuè per vomitum euacuanda ſtaphidem agriam, ſemen eius tritum à drach. i. & ſ. & exhibitum in mulſæ larga doſi, valenter, & copioſè, pituitam per vomitum educit, cui ius pingue ſuperbibendum, ut citius vomitum proritetur; verendum namque eſt, ne in ventriculo, ſi in eodem diutius moram trahat, morboſam phlogoſim excitet. Vehementer, valenterque pituitam è lon-

è longinquis partibus, ut per vomitum excernatur excitant anagiridis ſemina trita, & in aqua exhibita, aut iure à drach. ſ. ad drach. i. ad id commendant etiam eiuſdem plantæ corticem in puluere redactam in vino, aut iure pingui ſumptum, quod tantum cortex, ob imbecillem tractationis vim potius connumerari meretur inter mediocria trahentia, melancholiã per vomitum attrahunt, atramque bilem, quæ magno vigore non ſunt deſtituta; cum humor iſte ad exeundum ſatis contumax de re ſit, ac proinde benignis tractionibus non cedit, aut obſequitur; ſed vel mediocriter, aut ſtrenuè operantibus, vel vehementibus, & valentioribus. Ex mediocriter igitur per vomitum melancholiam trahentibus atramque bilem, commendant antimonium, & ad hoc conficiunt flores, calcem, & vitrum, ijs quoque paratur tinctura, paratur & oleum. horum enim quodcumque ad id videtur à natura inſtitutum, ut arte ad hoc elaborari poſſit, exhibetur flos, vel vitrum, aut calx in ſubſtantia à gr. iij. ad gr. vj. immo, & in abſynthij conſerua, vel totius citri, vel anthos, aut in vino aromatico, in quo prius abſynthij coma infuſa fuerit, vel ex ſtomachicis aliquod maſtiche, rore marino, aut ſimilibus; macerari quoque poterit à gr. iiij. uſque ad x in vino abſynthite. Valenter demum, ſiue vehementer humores euacuat ſimiles per vomitum ellebori albi radix, ita præparata, ut conuulſionem, aut alia ſymptomata ſæuiſſima, immo lethalia non exciiet; radicis namque cortex diligenter emedullari debet, macerarique per diem naturalem in aceto roſaceo, vel cydoniorum, vel in aceto parato ex maſtiche, aut macis, in quo ſi modicum ebullierit, vires ſuas furentes aliquantiſper amittit. hæc igitur radix ſic præparatur, ac deindè in umbra ſiccata infunditur in vino abſynthite à ℈ ſ. ad ℈ i. cæterum præſtat etiam eam ipſam ſic præparatam in malo cydonio infigere, coquatur cydonium ſub cineribus, & ex eo cocto extractis radicibus, eius mali exhibeatur fruſtulum; ſic etiã tradi poteſt ſuccus ex eodem cydonio expreſſus exhibitus à drach. i. & ſ. in vino, iure pingui, ptiſana, panatella. Veteres raphano infigebant radices præparatas, & utebantur ſucco ex raphano expreſſo. gratius tantum, immò tutius medicamentum euadit, ſi ſucco mali cydonij ita præparati utamur, vel eiuſdem fruſtulo cocto. Verum ſeroſitates, & ipſæ quẽadmodum per ſeceſſum, ita, per vomitum educi poſſunt, quando educi per ſeceſſum negatur, indicantque dum earum copia urgemur. medicamenta hæc, & ipſa in triplici illo relato diſcrimine ſita ſunt, itaut, & benignè, & ſtrenuè, & vehementer per vomitum euacuare poſſint, dum, aut ratio, aut neceſſitas ſuadeat; benigne eas per vomitum trahimus ſucco elicito ex radicibus & ſambuci, & ebuli à drach. i. & ſ. ad drach. iij. in iure pingui, in quo contabuerit abſynthij coma. ad idem valent aquaticæ baccæ ad drachm. ij. voratæ vel tritæ, & in iure pingui exhibitæ cum infuſione abſynthij. mediocri conatu trahere compertum eſt ſeroſitates cataputiæ folia viridis, lathyris ſcilicet Plinij. Exhibentur in iure pingui à drach. i. ad drach. iſ. abſynthii coma correcta. tandem cathartice eliminabit valenter, vehementerque per vomitum ſeroſos humores elaterium, quod eſt ſuccus cucumeris agreſtis, dum ex fructu perpuncto emanat,
quod

quod amariſſimum tantum eſt, exhibetur à gr. iij. ad gr. x: & miſcetur cum modico ſucci abſynthii condenſati, vel cum exili portione pulpæ caricarum, vel in iure pingui alterato abſynthii foliis; quod de elaterio dicitur verificatur, etiam de ſucco recenter extracto, qui exhiberi poteſt à gr. ij. ad gr. v. vel vi.

Multa quidem ſunt in vomitoriorum ſerie, quæ vomitum electiue trahere ſolent, ſed ea tantum, quæ tanquam ſelectiora in uſu ſunt adduxiſſe ſufficiat.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS DE PLANTARVM NATVRA.

NEminem arbitror adeò contra communem humani generis ſenſum obriguiſſe, qui non incolumnitati ſuæ operam aliquam impendat; qui non tacitis votis annare deſideret, & perennare; ut etiam pertæſus erumnarum, & ludibriorum nouercantis fortunæ, cum ex hac mortalitaris ſcena excedere properat; ab amore tamen vitæ tãquam ab Arriẽ. ſe in ipſo limine, vel ſiſtatur, vel reuocetur. Eſt autem amor vitæ unica illa catena, quæ Caucaſo mortalis æui, quam validiſſimè morrales alligat; quam laxare quidem ſapientiæ, & religionis inſtitutis iubemur; abrumpere, & diſſoluere impetu noſtro ſeriò prohibemur; ne ceu refractarij milites ante de ſtatione noſtra cedamus, quàm id imperatori noſtro viſum eſt. Et quid de amore tantum loquar? immenſum inquam homini inſitum eſt vitæ tam ſeruandæ, quàm proferendæ ſtudium; in quo cùm ardentiſſimæ voluntati fati decretum nõ ſatisfaciat; maior mortalium pars naturam malignitatis accuſat (ut loquitur Seneca,) quod in exiguum adeò æui hominem genuerit; quod quæ data nobis temporis ſpatia tam rapide, tam velociter decurrat.

Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Nec confuſam tantum e triuio turbam, & male feriatum vulgus hæc cura macerat; ſed è medio ſapientum cœtu lectiſſima corcula ſimiles affectus in gemitus & lacrimas deduxerunt. Eſt qui ceruis, & cirnicibus ætatem; eſt qui ſerpentibus ſpolia ſenectutis, & exuvia inuideat; qui Phœnici fęcundos cineres non Lucciæ, non Statiliæ, non denique Neſtoris ætate ſaturandus; adeo vera pariter, ac vetus eſt Poſidippi ſententia; nil eorum, quę à Dijs precibus homines poſtulant, quidquam immortalitate dignius exiſtere. Notum eſt Mecęnatis apud Anneum votum, quamuis ſapienti viro parum dignum; debilem inquit facito manu, debilem pede, coxa, tuber adſtrue, giberum, lubricos quate dentes, vita dum ſupereſt, benè eſt. Cęterum ut genus humanum compoſitum ex anima & corpore eſt, ita res ſuę

ctæ, perdurationiſque ratio omnis; corporis alia, alia animæ naturam cōſequitur: atque anima quidem ſecura ab hiſce curis eſt, quippe uniformis, & ſimplex nihil in ſe terrenæ fęcis lentoriſque poſſidet; & ut verbo complectar, ſiderea penitus eſt & cęleſtis. non velociſſimi temporis curſu fatigatur non annorum ſerie atteritur, ſed exempta penitus veſpillonum manibus, ut cum Poeta loquar

Extremos effugit una rogos.

Vtpote, quæ vel hoc argumento immortalitatem ſuam afferat, quod eam immortalia delectent; quodque rebus diuinis, non ut alienis intereſt, ſed ut ſuis. Præclare Saluſtius incorruptum ſcripſit animum, æternum, rectorem generis humani; qui agit, atque habet cuncta, neque ipſe habetur; dignus alioquin cum ad gloriam, virtutis via graſſatur, qui in conſortium numinis perueniat. itaque non in animam, ſed in corpus animæ domiciliū lamenta omnia reuolvuntur; id autem imbecillum eſt, & protinus ab ipſo exordio caducum; componitur enim expugnantibus, & fatali diſſidio aduerſantibus inuicem elementis; ob quorum infidum nexum lapſui ſemper proximum exiſtit, & ruinæ. hoc bullam vocabat Ludio ille Lucianus. & ò quam vere, contemplatur aliquis prima illa naſcentis hominis rudimenta, & à viuido calore ſuſcitatam ſecundinarum ex ſemine veſiculam, tum productum ex ea ex tantillo ſpermatis rude corpuſculi contextum, vix apiculam membrorum amplitudine ſuperantem, & bullis aliquot pellucidis diſtinctum caput, enormes oculorum orbes, & ab umbilico ſurgentia venarum tenuiſſima filamenta, nutrimenti vehicula fragiliſſima, habebit cur exclamet cum Menandro.

Quod opera maximum eſt per naturam infirmiſsimum eſt; *aut cum altero, dum in ſatyris*, inquit

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.

Accedit ijs congenitis imbecillitatis cauſis ingens externarum cumulus, quæ vel fortuitorum impetu nobis impinguntur, vel iumento proprio acceſſuntur, ut rectè illud Maronis uſurpemus.

Vndique ventorum concurrere prælia.

Non opus eſt magna tempeſtate, ut ſoluaris, inquit Romanus ſapiens; ubicumque arietaueris, collideris. non omne cœlum ferimus; afflatu non familiaris auræ offendimur; ciborum modo copia premimur, modo inopia fatiſcimus; laborum impatientes ipſo rurſus otio ituri in tabem: mortalitati tandem etiam proximiores, cum inculpata valetudine fruimur; ut tū demum verè ſe mortalem homo prodat, cum minus ſe mortalem credat, facitque, quando cum inſano Menecrate Iupiter dici amat; cum inſolenti Alexandro Iouis filium; cum vinoſo Romanorum triumviro, Bacchum; cum degenere Commodo Imperatore, Herculem, ſeſe exiſtimat. corpori igitur tuendo ſolicitudo omnis impenditur, cuius vacillantem valetudinem ut fulciamus, nullum non pharmaciæ præſidium admouemus.

Eſt autem pharmaciæ præſidium remediorum omnium perfecta collectio, autore Plinio, diuinum munus, etiam licet humani operis inuentio videatur; triplicique veluti rerum naturæ regno, & legione deſcriptum metallicorum, vegetabilium, atque animantium. metallicorum abſtrusè

validèque copiæ qu id præſtent, impugnentque, publici iuris alias f acturi ſumus; verſamur modo in ordine vegetabilium, quorum affectiones percurrimus, & cùm ad fontes ſuos reuocamus, duplicis obſeruamus originis. nam, vel à forma ipſa, & Enthelechia, tamquam eius propriæ facultates proficiſcuntur nullo temperamenti certo gradu definitæ, quales ſunt admirabiles illæ determinatos ſuccos purgandi, certiſque venenis reſiſtendi vires, certaſque partes roborandi, de quibus hactenus in 1. lib. vel materiæ ſiue elementorum concurſum ſequuntur; ſuntque ſenſu externo perceptibiles qualitates omnes, adeoque tactui, oculis naribus, linguæ ſubiectæ; tales ſunt temperamentum, ſapor, odor, color, necnon figuræ, aliæque ſimiles ſanè vel eò nobis ſuauiorem contemplationem præbituræ, quo propriorem ſenſibus notitiam ingerunt, de quibus modo agendum nobis eſt.

CAPVT PRIMVM.

Plantarum figura, eiuſque varietates iuxta plantarum diuerſitatem conſiderantur; à qua cauſa varietas emanet diſquiritur. non à calore, frigoreuè, aut ab Aſtris deriuari, ſed propriæ cuiuſque plantarum naturæ deberi aſſeritur.

INter qualitates ſenſibiles pluribus ſenſibus ſubijcitur plantarum figura, ac veluti facies, quæ mille modis pares inter ſe videntur, & diſpares; accipio autem figuræ nomine non ſolum rectitudinẽ, aut curuitatem, ſimileſque linearum differentias; ſed traducta in ampliorem uſum voce, partium cauitates, meatus, eminentias, aſperitates, nodos, certis, incertiſve ſpatijs diſpoſitos. itaque faciem, ſiue externam formam ſtirpium inſpiciamus, aut rectius figuram. recta ſanè fuerit ulmus, curua vitis, turbinata cupreſſus, rotundus iuncus, cyperus anguloſus, caua arundo, ſpinis frequentibus horrida paliurus, nodis inæqualibus eſt cornus, eminentijs ulmus: Quamuis hæc ipſa figura vegetabilibus perpetua non ſit; nam vitis initio recta, cum ætate tandem contorquetur: maluæ, herbarumque non paucarum caulis adoleſcentibus plenus eſt, ſeneſcentibus cauus; nux iuglans initio leuis ſeneſcens fit rugoſa; lactuca item initio mitis, vetuſta ſentibus horret. Cauſas harum indagantes Philoſophi non ad unam idemque mentem conuerterunt; alij ad caloris ubertatem reſpexerunt materiam fingendo, ac diſtendendo habilitantem, proprium autem caloris eſt varia in humidum ſiccumque alteratione varias inducere figuras. hanc igitur ob cauſam exiſtimant Platanum malo cydonia, aut meſpilo figura pulchriorem eſſe; vitim, & cucurbitam ob imbecillitatem humiditatemque ſe ipſas non ſuſtinere, ſed indigere adminiculis, quibus fulciantur; ſpinoſas omnes, & ſenticoſas plantas calidi oris eſſe conditionis, cum & ignis figuram acumine partium æmulentur, ignemque etiamſi viridia facillimè concipiunt. ſic in animantium genere mares calidioris ſeminis fœtum eſſe in calidis uteri locis productos hiſpido, ac duriore corpore; quod & Diuini Hippoc. auctoritate confirmatur Lib. de nat. Puer. & Lib.

de

de carnibus: immo hominem rectum incedere ob calorem fuit Ariſt. aſſertum. Hæc ipſa tamen parum obtinere videntur probabilitatis, ſi accuratius ad normam veritatis exigantur; nam quid eſt cur pulchritudine, ac ac ſymmetria partium platano cedat cupreſſus? quam tamen in confeſſo eſt, & calorem habere magis remiſſum, & materiam minus mollem. ſi propter debilitatem caloris, & oneroſam humiditatem vitis, & cucurbita non aſſurgunt, cur hedera, piper, clematidumque non paucæ quamuis calidæ valde, & temperamento præditæ ſicciore, ſimiliter tamen ac cucurbita procumbunt, atque alieno indigent auxilio? Quod ſi propter calorem aſperæ, & ſpinoſæ fiunt plantæ, lactuca, & ſonchi aliquot, oxyacantha item, berberis, & ribes, utpote frigidæ omnino naturæ, ſpinis prorſus carere deberent. Sexum viuidiorem in animantium genere à calore fieri uberiore falſum eſt, repugnat in multis corporis partibus numerus; ſymmetria etiam maior; arguitur idem artifex non maior. temperantior fœmina requirebatur, ut ſanguinis pluſculum generaret pro embrionis conformatione, tum augmentatione; nec Hipp. excludit cauſam principem, naturam ſcilicet omnibus communem. Sunt qui altius acceerſunt cauſas, & figuras, habitumque ſtirpium à Cęlo planetiſque deriuant; itaque ſcilicet ſaturninas aſſerunt plantas, quarum partes ſunt magis compactæ, ac macilentæ, aridiſque fibris ſtriatæ, toto aſpectu horridæ, & inamænæ; tales arbitrantur aconitum, cicutam, hyoſcyamum, taxum, aſplenium, tamariscum, ſabinam, cupreſſum. Iouiales agnoſcunt, quæ ſubſtātia conſtant oleaginosa, folijs planis, quæ ſapore atque odore non ingratæ, iecori potiſſimum familiares, ut ſaturninæ lieni. huius ordinis conſtituunt caryophyllos, betonicam, fumariam, chamædrim, rhabarbarum, rubiam tinctorum, lilia, berberim item, & ribes. Martiales appellant plantas, quæ habitu partium aſpero, ſpiniſque crebris armato, quæque ſapore acri ſunt & urente, colore flammeo; tales exiſtimant rhamnum, rubiam, *carduos*, anonidem, eſulam, urticam. Soli ſubeſſe ſtatuunt plantas, locis apricis gaudentes, ſapore, atque odore gratas, florum colore aureo, vel flauo, ſolemque circumflexu quodam veluti ſequentes: ex ijs enumerant vinum, crocum, mala aurea, & citrea, helenium, meliſſam, heli chryſium, hypericum, & quibuſcumque alijs chryſanthemum, aut helianthemum nomen contigit. Veneris ſubijciunt dominio, quarum partes lento abundant humore, folia plana, glabra, non laciniata, cuiuſmodi ſatyria ſunt, & lilia omnia, hyacinthi, narciſſi, nymphæę, roſa. Mercuriales arbitrantur plantas, quæcumq; ſiliquas gerunt quaſi marſupium, aut talares æmulantes, ſaporem obtineant ſubtilem, deguntque locis arenoſis, ut chamęmelum, ſambucus, bellides, parietaria, iuniperus. Denique lunares putant, quibus ſucci plena folia, craſſa, mollia, ſapor aut nullus, aut ſubdulcis, & in aquis vita degitur; huius ordinis conſtituunt cucumeres, braſſicam, allium, papauer, mandragoram, lenticulam paluſtrem, aliaſque congeneres.

Cæterum fundamentum aſſertionis huius valida experientia nititur. cōſtat Cęlum, ut in alia ſublunaria, ſic in plantas agere non calore ſolo, & lumine, ſed etiam ἀπόῤῥοιᾳ, ſcilicet influentia occulta figuras variante; cui

ſen-

ſententiæ, tum Aſtrologi ſubſcribunt, tum hodiernum Chymicorum vulgus. hæc tamen curioſorum hominum decreta, parum videntur habere roboris, apud eos præſertim, qui ſtirpium figuras ad proximiores propioreſque cauſas deducunt. Quamuis enim nemo inficias ire poſſit, cæleſtis caloris opera tam perfectionem, quam imperfectionem ſtirpium variè effici; externum tamen, vel commodum eſt, vel incommodum. plantæ enim, quemadmodum per interna principia vitam habent; ſic & partium conſtitutionem, quibus actiones vitales exæquantur, calor artificialis idē præſtat, quod Sol; cui tamen figuras non imputemus. igitur quid influētia hiſce addat occulta, occultum eſt; adeoque cum de effectu ſenſibus nil manifeſtetur, nec rationem aſſurgere ad earum cauſam. præterea non reſpondere ſtirpium temperamenta naturæ planetarum; Saturno, qui frigidus perhibetur, ac maleficus, non rectè ſubijcitur ſabina calida admodum planta, tum aſplenium, ſiue ſcolopendria herba notiſſimæ ſalubritaris. Ioui, quem calore, & humiditate temperatum prædicant, quomodo chamędrin, fumariam, rubiam tinctorum attribuunt euidenti caloris exceſſu præditas? berberim item, & ribes manifeſtè frigidas? Quod ſi ſpinoſa omnia Marti ſubdita ſunt; quid eſt, quod acri calore præditæ plantæ quāplurimæ ſpinas haud obtinent; aut quæ obtinent non omnes calore, & acrimonia vim planetæ ſui produnt, ut rubus, meſpilus, tum roſæ? Soli calidiſſimo planetarum, nec aurea, citreavè poma, temperamento reſpondere, nec chryſanthema vel helichryſum, ut omittam; nec roſarum ſiccā frigiditatem Veneris vim præſeferre; nec ſiliquis vegetabilium, cum talaribus Mercurij ſatis conuenire. In hoc diſcrepantium ſententiarum conflictu, nec ſimpliciter calori plantarum configurationem aſſignabimus, nec abſolutè tribuemus Cęlo, non calori; hic enim niſi ab agente nobiliori dirigitur, nullius certæ magnitudinis, ſymmetriæ, cauitatum, ac meatuum determinatarum, tum aſperæ, aut lenioris ſuperficiei modum ſtatuit; tantum humida reſoluere, homogenea congregare, ſegregare heterogenea. Non Cęlo, quia ſiue per occultas agere dicatur influentias, hæ autem pro ſtellarum errantium vario aſpectu maxime varient, ac mutentur; non poteſt eiuſdem ſpeciei ſtirpibus eamdem ſemper faciei, ſeu figuræ habitudinem inducere. ſi manifeſto ſolummodo vel frigore, vel calore plantas afficit, externam tantum addit cauſam, non internam, remotam, non proximam inſtrumentariam, non principem. Concludamus itaque figuram, ac conformationem plantarum naturæ ijſdem inditæ opus eſſe, quæ calore tantum, ut inſtrumento utitur ad varium, propoſitumque ſibi finem aſſequendum. hæc, formatrice, qua pollet facultate, ſtirpibu figuram rectam, curuam, turbinatam, rotundam, triangularem, quadratam, aſpetam, ſpinoſam, tuberoſam, nodoſam, æqualem, aut inæqualem inducit: hæc, utilia à ſuperfluis, vitæ fundamenta, ab ornamentis, immota quadam, licet ignota nobis lege ſolertiſſimè diſtinguit. Quas autem ob cauſas inductæ ſemel figuræ mutentur, in poſterum declarabimus.

De Fine figurarum partibus impreſsarum.

CAPVT II.

Quot modis natura veteribus accipiatur diſquiritur, & quæ videatur in plantis figurarum mutationis cauſa; cur mites principio, mox aculeis amentur. an figurarum varietas, florum, foliorumque donum ſit. ornatus tantum, an utilitatis cauſa; perpenditur.

HOmo non eſt tumultuarium naturæ opus, inquit Seneca, ſed ab eadem cogitatum ante, quam factum; quod de plantis quoque luculenter dici poſſe, mira earum ſtructura non leuiter ſuadet, harum intimam naturam ſanè, & veteres ſcrutantes magni fecere nobis quoque non ſine veneratione conſideranda, & quæ ſit diſquirenda cum illis naturæ nomen; nec vane prorſus varie recipiatur pro Deo aliquando, ut Plinio viſum eſt in præfatione libri primi, & Gal. de placitis Hippocratis; & Platonis item pro calido natiuo, prout eidem Galeno placuit 2. ad Glauconem pro cõformatione corporis, ut eidem Gal. & Hippocr. quoque 1. Epidem. pro prouidentia: mihi pro forma, entelechia ſcilicet. Quamquidem tamen naturam quomodocumque acceptam non abundare ſuperfluis, nec deficere ſuppeditandis neceſſarijs, magno ſapientum conſenſu recepta ſententia eſt. Hanc ut animantium, ſic ſtirpium, plantarumque corpora certa partium menſura figuriſque definire, iam ante propoſui. Quæ verò cauſa ſit, quod inductæ figuræ cum ætate mutentur; non difficulter inueſtigare licet. Etenim plantas initio recta aſſurgentes paulatim incuruari, partim ſiccitas efficit, quam menſium, annorumve decurſu acquirunt, quæ priſtinam partium diſtenſionem impedit: hinc in pinguibus, atque humidis locis rectius increſcunt ſtirpes; in aridis verò ſolique inclementi diutius expoſitis curuantur, contorquentur. Partim in pondus referendum eſt, & amplitudinem partium ſuperiorum, quibus ferendis aut ſubſtinendis, cum inferiores pares non ſunt, incuruari eas neceſſum eſt. Sic ex hominum cœtu quotquot annorum veluti pondere grauiores, ſilicernia fiũt; habituque craſſiore præditis infantibus, intempeſtiue exſolutis faſcijs cũ ad greſſum compelluntur, crura diſtorquentur. Quandoque occultum vitium hoc in puella, pueroque nobili hac de cauſa prodiens alioquin ſanis agnoui. quamuis etiam externæ iniuriæ, & ventorum, imbriumque impulſus figuræ vim inferre queat. Quod verò pleni per initia herbarum aliquot caules, nonniſi vetuſtiores cauitatem acquirant, non alio efficitur, quàm formatricis naturæ mora; quæ veluti in omnium rerum fabrica ſenſim ab opere imperfectiore ad perfectum gradum ſtruit; ſic etiam in plantis quidem debitas partibus ipſarum cauitates nonniſi progreſſu temporis conſummat. Hominis corpuſculum adhuc ſub formatricis penicillo conſtitutum ſi quis contempletur, is nec in cerebri fluida mole, ventriculos, nec in gyris inteſtinorum patentes ductus, & ſub membrana aurium, vacuum humore tympanum; nec in oſſibus quantumvis grandioribus fiſtuloſas ad

uſum

uſum medullæ cauitates deprehendet; quibus tamen omnibus viribus, ac tempore confirmatis debitus vigor,& habitus accedit:idem cogitandum de plantis. In ſiccitatem quoque cauſam reducere, nil vetat; ſeneſcentibus enim quibuſdam plantis,cum humiditatis defectu interna partes areſcant, & in ſe ipſas veluti conçidant; cauitates ſeſe manifeſtant; quæ turgentibus ob humorum copiam caulibus, initio ſenſum fugiebant. Rugarum vero, quæ ſeneſcentibus plantis accidunt, cauſam membranæ, corticiſque duritiem agnoſcimus. increſcente enim ſecundum omnem corporis dimenſionem ſtirpe;adeoque cutem corticemque diſtendente,quotieſcumque hæc paulo durior,ſicciorve exiſtit, ſinditur varijs rimis. Quamobrem licet ex affluxu denuo alimenti noua cutis,novuſque cortex reparetur, veſtigijs tamen ſiſſurarum permanentibus, rugoſa partibus inæqualiter prominulis facies apparet. in animantibus autem cuti flacceſcente exoritur. Iam cur ſtirpium nonnullæ prius mites, poſtea ſentibus armentur, durioribus aculeis, ac ſpinis ſe comuniant; vix capit humani ingenij coniectura. quamuis enim inducta partibus ſiccitas, vel caloris, vel frigoris adminiculo anſam præbere poteſt operi; res tamen ipſa non tam materiæ conditiones ſequitur, quàm opificis naturæ inſtitutum; quæ Galeno monitore ἐντοσθεν varias formas eo inducit tempore, quo melior illarum utiliorque uſus futurus eſt. nam neque maxillas animantium primo ſtatim exortu dentibus exaſperat, nec genas inumbrat barba, mammarumve uber glandulis auget; ſed quo id tempore optimum videtur, ac decentiſſimum. Quod ſi vela hic pandere libeat, & altius penetrare in hoc diſputationis fretum, perquirendum porrò fuerit an mirabilem in plantis figurarum varietatem ornatus tantum, ac pulchritudinis cauſa produxerit natura, an uſum præterea reſpexerit, ſiue commodum, ſiue ſtirpium ipſarum, ſiue aliorum. Non inanem pulchritudinis oſtentationem ſuſcepiſſe naturam, magnus ſapientiæ profeſſorum arguit conſenſus; nihil eam fruſtra facere: & ut Eraſiſtratus dixit οὐδὲν ἐκμερόπτικόν nil habere, quod deriſum, quod friuolum ſit; agere conſtanter propter finem; etiam, cum parere monſtra quædam videtur, ac portenta. hanc rerum omnium magiſtram pronunciarunt veteres prouidentiam fatum, & quod Hipp. præcipuè familiari ſermone fuit, nominarunt Deum; à quo tantum abeſt,ut friuolum quid, & otioſum proficiſcatur,quantum ut friuolus, & otioſus ipſe ſit. Itaque utilem eſſe varium in figuris partium apparatum, vel plantis ipſis vel animantibus, & præcipue homini, cui potiſſimum natura fructum eſſe factumque voluit manifeſtum.Cæterum licet in plantis radicum, ſtirpium, ramorum, fructuum confeſſa ſit omnibus, & manifeſta utilitas; non defuere tamen inter recentiores viri alioquin doctiſſimi, qui folia, floreſque ad decorem potiùs, & ornamentum productos contendant, quàm emolumentum aliud, vel hoc argumento, quod in diem tantum, aut perexiguum temporis ſpatium producantur; adeoque cum vel ſpectatiſsimè vigent, virentque, celerrimè tamen marceſcant: nec inenarrabili foliorum etiam in paucis plantis varietate, florumque quidquam excogitari potuiſſe ſubtiliùs, quando Auctore Plinio lib. 2. præfatione, nulli poteſt eſſe faciliùs loqui, quam rerum naturæ pingere, laſciuienti præſertim, &

in magno fertilitatis gaudio variè ludenti. Foliorum magnitudo diuerſa Muſa, Petaſitide, Anetho, alijſque Ferulaceis in ſtuporum contemplantium mentes extollit, numerus foliorum cum vel unum, vel plures tamquam ordine quodam eius procedentes; vel è contra horum figura rotunda, obtuſa, longa, acuta, anguloſa, ſtellata, laciniata, ſinuata, ſerrata. In floribus non minor varietas, quam aut calycibus, aut thecis includit, quos concauos efformat, aut repandos, tumque folijs in ſtellas, campanas, calathos, digitalia, leonum rictus, papilionum alas digeſtas, in bombyces, apes, araneas, aues; hominem ipſum in Orchidibus exprimit, ut ſtylos taceam. Negant itaque rectè ſtatuiſſe veteres, folia in ſtipite, ramis, floribus, fructibus tegumentorum uſum præbere, his adducti rationibus, quod reuera ſtipitis, aut caulis tegumentum cortex ſit, vel membrana; tum plantæ nonnullæ neque florem edant, neque fructum, cum tamen habeant folia; quaſdam prius florem educere quàm folia, aut amygdalus, quam frigidiſsima anni tempeſtate florere conſpicimus, quæ foliorum tegumentis ad Boreæ noxas maximè indiget. Immo in plantis quamplurimis flores extra folia prominent, atque apicem ramorum armant, quum alioquin ad tutelam aduerſus externos fortuitorum impetus ſub foliorum umbraculis recondi deberent. Sed hæ rationes haud euertunt receptam apud veteres ſententiam; quamuis enim caulium, & ſtipitis tegumentum eſſe conceſſerim corticem, ac membranas, hi tamen ipſi cortices, & membranæ alio denuò indigebant integumento. quemadmodum enim cutem capitis, aliarumque partium pilis natura contexit, atque in animantibus præcipuè pennis, ſquamis, teſtiſque velauit; ſic ſtirpium corticibus, membraniſque externum aliquod, & temporaneum foliorum tegumentum parare debuit; omnium enim inquit Theophraſtus lib. 1. de hiſt. plant. quæ in plantarum genere ſpectantur, ſimilitudo petenda eſt ab ijs, quæ in animantibus inſunt quoad fieri poteſt. Iam quòd foliatis plantis, quibus natura flores, fructumque negauit, folia ad ramorum, ſtipitiſque tutelam comparata ſint, manifeſtiùs eſt quam ut indigeat probatione. quamuis autem dentur plantæ, quæ florem prius emittant, quam folia; in his ipſis tamen flores folioſi ſunt, & breui pedicillo ſubnixi, ut qua parte ventis patuli ſunt, veluti expanſis velis ſubiectum fructum adhuc tenellum defendant. immò ob hoc ipſum florum quamplurimi extra folia emergunt, ut utrimque tutus ſit vegetabilis fœtus, & qua parte flos conſiſtit, & qua pedicillo fulcitur; qui ramis ob hoc ipſum folijſque proximus eſt. Quapropter concludimus, folia ad ſtipitis, florum, fructuumque tutelam à natura tot figuris eſſe diſtincta, quamuis non in omnibus plantis ad partes ſingulas, ſed in quibuſdam ad ſtipitis, & ramorum uſum; in nonnullis ad fructus, in aliquibus ad flores tuendos; in multis tamen ad defendendos omnes. Ad flores verò quod attinet, facilè conceſſerim non eſſe plantis vel ob fructum, vel propter ſemen ſimpliciter ab opifice natura conceſſos, cum ſatis conſtet ficui fructum eſſe ſine flore, iridi item, & iaſmino florem ſine fructu. quamuis fuerit qui & fungis ipſis, abiectiſſima & putrilaginea terræ putamina, ſemen tribuerint. Illud tamen ratum nobis ſit, in fructiferis plantis omnibus ſi florem producant, cum aliqua parte fructum defende-

re. In ſterilibus autem, quemadmodum paucæ ſunt, quæ ad uſum elegantiſſimi florum contextus efformati ſint, obſcuritate plenum eſt. Sunt qui ſterilibus in plantis florem idem quod ſemen eſſe contendant, exemplo adducto thymi, cuius flore ſato, ut nonnullis placet, naſcitur thymus; quamuis huic Theophr. minutiſſimum ſemen adſcripſerit; nec in iridis, & iaſmini floribus, utcumque terræ copioſè commiſſis, irides, aut iaſmini prodiere, forſan alicubi producunt: quemadmodum mammæ virorum alicubi lactificant, quas ornatus tantum cauſa productas fuiſſe opinamur. De ſpermaticis mulierum vaſis dextrè iudicandum, & de talparum oculis. Fatendum itaque cauſam huius rei in ſinu abditiſſimo naturæ etiamnum delitescere, quam certum eſt finem ſuum aſſequi, quamuis eius ratio nobis incognita ſit; aut omninò ſtatuendum, quæ in ipſarum plantarum commodum cedere non videntur, extra plantas, atq; in alijs corporibus uſum aliquem præbere; de quo in ſequenti capite plurima diſſeremus.

De Signis à Plantarum figuris depromptis.

CAPVT. III.

An figuræ plantarum indicent, quibus corporis noſtri partibus utiles eſſe poßint expenditur; ex exemplis ab experimento petitis admittitur; quod tamen cautè faciendum: in primis verò earum interna principia conſideranda admonemur.

VTebantur olim Ægyptij ſacris quibuſdam notis, quas hieroglificæ Græci nominarunt, quibus in operoſis Piramidum atque Obeliſcorum molibus expreſſis, & rerum proprietatem ſignificabant, & ſcientiam prudentiorum augebant. idem feciſſe, atque etiam nunc facere magiſtram rerum omnium naturā quammaximè credi par eſt. quamuis enim, ut fatetur Seneca, ſacra ſua ſimul non tradat, noſque veluti initiati hæreamus in eiuſdem veſtibulo; attamen expreſſis in plantarum, animantiumque partibus figuris, veluti ſacris notis, & ſolertiam ſuam patefacit, & oſtendit pariter potentiam. Ac plantis ipſis nec foliorum quidem, & florum, licet caduca ornamenta, partium ſuarum figuris inutilia omnino exiſtere ſatis fuit expoſitum. Conſiderandum porrò an per eaſdem figuras homini natura ſignificarit, quibus corporis ſui partibus plantæ ſint amicæ, quibus in morbis opem ferant, & ſic veluti mutis characteribus eaſdem loquaces ediderit; id enim & veteres agnouerunt, & recentiores pro ut in Phiſognomonicis Porta, & potiſſimum Chimiæ cultores plurimum contendunt. Capitis figuram exprimunt peoniæ, & nymphææ nondum expanſi flores, quorum inſontibus eius affectibus ſingularis uſus. Scillæ, ſeu Pancratij loboſæ radices, & papaueris capitales fructus, cum figuræ ſimilitudine auxilium quoque capiti promittunt. Capillos capitis cauliū ſubtilitate æmulantur adiantum, ſiue capillus veneris, polytrichum, roſella, muſcus capillaris, & foliorum tenuitate abſinthium vulgare, ponticum, abrotonum, ambroſia, ſtrigoſior, quorum pleroſque veteres ad ca-

capillorum vitia, & defluvium uſurparunt. Oculos æmula figura deſignant flores buphtalmi, chamomeli, euphragiæ, helenij, chelidonij, heliotropij indici, calthæ, quorum vires partim oculorum habetudini corrigendæ, partim doloribus ſubleuandis certa iam experimenta prodiderunt: Aurium ſigna præſeferunt aſari folia, quæ auditum roborant; Myoſotis, ſiue auricula muris, quæ aurium vermes enecat; tum ciclaminis folia, cuius radices, tinnitui, & ſurditati prodeſſe compertum eſt. Linguæ figuram non paucæ oſtendunt plantæ, quibus ob hoc ipſum arnogloſſi, bugloſſi, cynogloſſi, omiogloſſi nomen impoſitum, ſingulari dote linguæ & oris ulcera,& vulnera curantes;quemadmodum animantium lingua ipſa continui ſolutionibus efficaci linctu medetur. Pulmonum faciem obtinent ſpongioſæ rarioriſque ſubſtantiæ, lanuginoſæ, atque in viridi albicantes plantæ, quales ſunt muſcus arboreus, pulmonaria, ſiue ſimphitum maculatum, ſcabioſæ, ſucciſa, tuſſilago, terreſtris hederula, ſimileſque varijs pulmonum virijs, & præſertim phthiſeos periculo feliciter reſiſtentes. Cordi viſcerum principi figuræ conuenientia dicata ſunt mala aurea, citrea, cydonia, meliſſa, nux moſcata, anacardium ad palpitationē cordis à flatibus efficax; tum anthoræ, nardique montani meræ figura compactæ, bulboſæque radices, venena cordi infeſta fortiter propulſantes: tum maturi pendentium uvarum racemi ſuccum præbentes reſtaurandis vitæ ſpiritibus præcipuum. Stomacho figuratæ notæ conuenientes utilitatem coniunctam arguunt zingiber, galanga, angelica, leuiſticum, ſmyrnium. Inteſtinis reptabundæ reſpondent plantæ, varioque flexu diffuſæ, ut lupulus, vitis idæa, conuolvuli, ſolanum ſcandens, ſiue amaradulcis, ſarſa-parilla, cuſcuta, epithymum, aliæque huius ordinis. Iecoris ſanguinis officinæ facie reſpondent lichen, trifolium hepaticum, fumaria radice bulboſa excauata: tum ratione veſicæ felleæ rhabarbarum, hippolapathum, centaurium maius iecori qua roborando, qua obſtructionibus liberandis viribus, & uſu cognitiſſima. Lieni propriè dicatæ videntur quæ habitu corporis externo contortæ in locis uliginoſis, aut putridis arboribus hoſpitantes plantæ, quales ſunt aſplenium, ſiue ſcolopendrium, polypodium, præſertim quernum, phyllitis, aſarum. Renibus & ſpermaticis vaſis aſſignantur orchidum, & ſatyriorum teſticulatæ radices, bulbi eſculenti, lilia alba, narciſſi, tum arum, quod caule, bacciſque virile membrum exprimat, & corrigendæ genitalium frigiditati vires obtineat inſignes. Vteri ſignaturam præſeferunt ariſtolochiæ longæ radices, calamenthum ciendo muliebri profluvio utiles: Flores item ariſtolochiæ, liliorum alborum, ac roſarum primum admiſſo cæleſti calore ſeſe ſeſe explicanteſque, cum facilem fœtus exitum promoueant. Aurea mala aliud malum tamquam fœtum includentes,ad abortus præcautionem eximia prædicantur. Veſicæ verò configuratæ iudicantur, quæ locis humidis gaudent plantæ, diductiſque folliculis, aut ſemen, aut liquorem complexæ ſunt, è quibus acetoſa veſicaria, alkekengi, ſiue ſolanum veſicariū, pilum cordatum, ſtaphylodendrum, coluthæa, aliæque ſimiles. Tandem manibus, & pedibus ceu propria tribuuntur palma Chriſti dicta planta,

quæ doloribus articularibus mitigandis validas obtinet vires; & hermo-dactylos veterum, quoniam humores ex partibus extremis eliciunt, & euacuant. Nec partium ſolum figuris conuenientes humani corporis partibus vires oſtendunt; ſed etiam morbos ipſos exprimunt, quibus opitulantur, in communi quæcumque formoſa partium, elegantique figura plantæ nobis blandiuntur, in valetudinis humanæ commoda quamplurima deduci creditur. Roſæ florum principes non fabuloſo Deorum nectare, ſanguineve, ſed natiua perfuſæ purpura, ut amœnitatum omnium, ſic virtutum compendium habentur ſuauiſſimum, tam purgando, quam alterando morbis reſiſtunt varijs, ac grauiſſimis. In palma dactylifera, atque olea ſingularis figuræ venuſtas pari cum utilitate contendit. Vice autem verſa vix aliquid aconito deformius, cicuta tetrius, mandragora viroſius; quarum noxiam vim obiecto ſenſibus noſtris terriculamento indicare ultrò natura voluit. Spinis armaſſe naturam plantas hominum cauſa ſcribit Plinius, ut tuta magis, ac ſalua forent remedia; utpotè quæ ſine *his vel* auida quadrupes depaſceret, manus procaces raperent, neglecta veſtigia attererent; valere autem contra pungentes acutoſque dolores plantas, ſpinoſas, in carduo benedicto, eringio, iunipero, ſimilibuſque compertum eſt. Plantæ, quæ radices habent nodoſas ad varios tumores, & tuberculos utiles eſſe ſcrophulariæ, ari, & chelidonij minoris, aſphodeli, ac liliorum radicibus oſtenditur. Quæ perforatæ ſunt plantæ, aut oras habent ſerratas, vulneribus conſolidandis ſunt utiles; qualis *hypericum*, betonica, ſanicula ſaracenica, agrimonia, mille folium, verbena; immò glutinoſæ illæ, quæ vulneratis plantarum partibus deſtillant lachrymæ, vulneribus animantium coniungendis aptiſsimæ ſunt; ut balſamum, quæque balſamum æmulantur, laricis, abietis, aut pini liquor, aloe, maſtiche, mirrha, thus, & huius generis lachrymoſa alia. ſunt quæ ſerpentium ora exprimunt plantæ, & noxias ſcorpionum caudas, quorum illud in echio, hoc in heliotropio maiore, doronico, ſiue aconito pardalianche, ſcorpioide leguminoſa, & quæque bupleuri folia obtinet videre eſt, quibus omnibus vis eſt venenatos beſtiarum ictus ſanandi. Ad hernias, & rupturas probatur polygonum, & hippogloſſum. Quercetanus tamen clariſsimus Hermeticus, cui & Libauius ante ipſum, & opinioni adſtipulatur non ab externis figuris, ſed ab internis plantarum principijs notas virium petendas eſſe opinantur. mihi ut hæc ſententia maximè probatur; ſic & aliorum, inter quos eminet Porta, ad figuras pariter reſpicientium non penitùs reijcienda videtur. Agnouerunt rem ſapientiſsimi veteres, quibus longa experientia ſatis cognitum fuit peoniam, & papauer capiti ſimilia, capiti quoque mederi; herbas capillares capillorum vitijs, radicem dentatam filicis, & dentellariæ Rondeletij dentium dolores mitigare; cordi prodeſſe mala citrea, pulmonibus muſcum arboreum, lieni ceruinam linguam, ſiue aſplenium, renibus & calculoſis ſolanum veſicarium, lithoſpermum, & ſaxifragiam albam, utero ariſtolochiam rotundam, teſtibus orchides, & ſatyria. Nec tam veſanus quiſque fuerit, qui fruſtrà inditas his plantis figuras à natura contendat; omnino tamen delectus eſt habendus; nam cum pleræque figuræ, quæ partes exprimunt, ſatis rudes ſint, & ſub ijſdem

dem figuris vires ſæpè admodum difficiles, immò contrariæ latitent, quē admodum de nuce moſcata, & papaueris capitibus notum eſt; certum quoque ſit quaſdam plantas etiam ſi figuras æmulas proferunt partium; ijs tamen minimè prodeſſe, ut anthirini fructus, & napelli flos caluariam adumbrantes euidentiſſimum euadit in externis figuris haud ſatis cognitum eſſe naturæ inſtitutum. Igitur me quoque iudice, cum ad valetudinis humanæ commodum deducendæ plantæ ſunt, non tam ad externas haſce notas animus aduertendus eſt, quàm ad intimas qualitates omnes, & experientia magis conſulenda, quam figurarum ſimplex, rudiſque ſimilitudo.

De Temperamento plantarum Accidentali.

CAPVT IV.

Conſiderari in Plantis duplex temperamentum quatenus miſta accidentale, & ſubſtantiale. De accidentali primo inquiritur, cuius ſubiectum elementa aſſignantur: quod nam elementum prædominetur in plantis diſquiritur, & varium ſtatuitur, & an detur verè temperata planta conſideratur.

INter ſenſibiles qualitates, & tactui ſubiectas eximium præ cæteris eſt plantarum temperamentum, accurataque perueſtigatione inquirere, digniſſimum quippè; ſine cuius notitia nec ciborum pro valetudine conſeruanda, nec medicamentorum in eadem curanda tutus eſſe uſus poſſit à Galen. 7. meth. med. tanti habitum; ut & formam, ſeu animam ipſam in temperamento conſtituerit; & maximam actionum virium cauſam, immo proximam ab eo deriuaret: quod quidem temperamentum dupliciter in plantis conſideratur; primò quatenus ſunt corpora mixta, ſecundò verò quatenus corpora viuentia: de hoc poſtremò, & ſic accepto in priori libro dictum ſatis, dum de animæ inſtrumento præcipuo, calido videlicet innato, ſpirituque inſito verba fecimus. Cæterum prout corpora mixta ſunt eidem plantæ, & in prima iam dicta ſignificatione, duplex utique temperamentum ineſt, accidentale, quod ex qualitatum ſenſibilium varia mixtura producitur; tum ſubſtantiale, quod ſubſtantiæ quidam veluti motus habetur, ac conſiſtentiæ ratio. De utroque itaque temperamento ita accepto in ſtirpibus conſiderato nobis nunc agendum; & primò de accidentali, cuius ſubiectum proprium elementa ſunt, cauſa autem, ut diximus ſenſibilium qualitatum in elementis mixtio. Quamuis difficilè ſit determinare quodnam in vegetabilibus præcipuum elementum dominetur. nam ſi ſtirpium, maiorumque arborum grauitatem, ac ſoliditatem expendimus; haud immeritò cum Peripateticorum principe, in his terram cæteris mole præſtare confitebimur; deinde quoniam inſigniter ſuccoſæ plantæ ſunt, aquam, maximè dum tenella ipſarum ætas; tertiò aerem adeſſe, qui meatibus earum ſeſe inſinuat tam manifeſtis, quam ſenſui occultis; quarto, & poſtremo loco ignem; adeoque ſi temperamentum ab eo denominandum elemento ſit, quod alia ſuperat; ſtirpium omnium haud ſecus ac terreum,

ob

ob id frigidum, & ſiccum temperamentum pronunciabitur. Quotieſcumque tamen ſenſum accuratiorem conſulimus, minimè perpetuum conſtabit in plantis terræ dominium; etenim in lactuca, ſoncho, & alijs oleribus, nymphæa item, ac ſemperuiuo, ſiue ſi harum corpora hermeticè, ſiue rudiore artificio in principia ſua reſoluamus, longè maiorem aquæ deprehendemus, quam terræ molem; tantillum namque cineris ex combuſta vel ampla ſtirpe reſiduum, vix centeſimæ partis rationem habebit, ſi comparetur cum uniuerſa. Sulphur externo contactu atque intuitu terrenum quiddam alicui videatur, cum tamẽ longè maiorem ignis, quam terræ copiam poſſideat; ignem enim celerrimè concipit, & in flammam explicatur totum: ita capſicum, ſinapi, naſturtium externa facie terræ pluſculum præſeferunt, in quibus tamen citra controuerſiæ difficultatem, igneæ partes exuperant: idem in floribus obtinet, qui aqueæ ſubſtantiæ plus poſſidere videntur, quam aliorum elementorum, quum tenui conſtent, & ſuccoſo corpore; attamen ſuauiſsimus, quem plerique exhalant, ſpiritus, & infuſa cælitus aura, facilè perſuadent aerem in illis reliquis elementis dominari. Quapropter licet habito ad molem reſpectu ſuperare ſemper in plantis videatur terra; perpetuum id tamen non eſt, quum grauitatem ſuã ſæpè ex aquæ conſequantur dominio, non verò terræ, ipsa quoque amplitudo ex aqueis, igneis, aereiſque partibus exurgat, potiùs, quam ex terreis; ſæpè mole præpolleat terra, non viribus. non enim in pipere, in quo ignis, non in odoratis ſtirpibus, in quibus aer virtute ſuperior eſt. Excedunt igitur in plantis non terra ſolum, ſed elementa quoque reliqua, eademque non grauia ſemper, ſed nonnunquam leuia. Hinc igitur pro vario ipſorum concurſu varia quoque temperamenta conſurgere neceſſum eſt. etenim ſi paribus inter ſe viribus quidem pugnent, & fractis æquabiliter ſingulorum elementorum potentijs penes nullum victoria conſiſtat; tunc in planta producitur temperamentum, quod temperatum nominant, cuius conditionis cutis in vola manus hominis perhibetur. Quod ſi pari portione non concurrant in plantis; tunc vero vel unum ſuperat elementa reliqua, vel duo ſimul: cum dominatur unum, igne videlicet cætera vincente, calidum, & ſiccum erit temperamentum (aere) calidum & humidum aqua, præpollente frigidum, & humidum (terra) frigidum, & ſiccum. Duo verò elementa præſtare reliquis duplici contingit ratione, cum utriuſque nempè pari dominio, vel impari: ſi duo pari robore præſtent, tunc ſuperante igne, videlicet aere; temperamentum in plantis in actiuis quidem erit calidum, in paſsiuis autem mediocritatem obtinebit, ſi cum eodem igne excedat in ſtirpibus terra; tunc temperamentum utque ſiccum deprehenditur; moderatum autem in qualitatibus actiuis igne, & aqua pari paſſu excedentibus non minus in actiuis, quàm paſsiuis qualitatibus, medium prodit temperamentum. Cum aer pariter, atque aqua dominium obtinent, humidum proculdubio plantæ temperamentum fuerit, in actiuis tamen qualitatibus mediocre. aere cum terra ſuperante, tam in actiuis quam paſsiuis qualitatibus, moderationem poſſidebit; terra verò cũ aqua præcedẽtibus frigidum neceſſe eſt vegetabile obtinere, paſſiuis interim qualitatibus ad mediũ redactis. Quoties autem penes duo elementa

con-

conſiſtit dominium,ſed non pari robore ſuperantia.& ſanè tunc cum igne, & aere dominante ſuperior euadit ignis temperamentum, utique plantæ calidum, & ſiccum fuerit, calidius tamen exiſtet, quam ſiccius; contra verò aere ignem ſuperante calidum erit, idemque ſimul leuiter humidum. Quotieſcumque cum igne præpollet terra, atque hæc quoque igne potentior, ſingularis in planta ſiccitas fuerit, cum leui tamen frigiditate: ſi verò terra cedat igni,cum ſingulari ſiccitate leuis calor coniungitur. Rurſum verò ſi aer cæteris elementis cum aqua dominetur; ſumma equidem in plāta humiditas percipitur; ſed leui cum frigiditate. ſi aqua præualeat, cum leui aut calore,ſi vincit aer. tandem aqua cum terra ſuperantibus cum maxima frigiditate qualiſcumque ſiccitas ſtirpem imbuet; ſiquidem terra validior; humiditas verò mediocris ſi præualet aqua. Sic igitur uno, vel duobus elementorum pari, imparive dominio ſuperantibus, temperamētorum in plantis varietas emergit. Difficultates hic duo tamen ſeſe offerunt, verè ne detur qualem ſuperiùs poſui exactè temperata planta; deindè an tria ſuperare poſſint in unica planta elementa. Dari plantas temperie moderata præditas apud Clariſsimos Medicinæ Scriptores communiter receptum eſt, qui adiantum, aſparagum, glycyrrhizam; dactylos, iuiubas, & ſcbeſtenas in temperatorum ordinem confidenter aſſumunt. alijs tamen ad exactiorem iudicij normam ſingula reuocantibus, vero diſſentaneum videtur. etenim in plantarum, quemadmodum animantium productione inter alia principia neceſſariò dominatur calor, formæ inſtrumentum; atque hic ipſe utcunque virium æquali robore cum alijs elementis ad plantarum productionem accedat, pondere ſanè æquali non poteſt, quippè qui leuiſſimus exiſtit; immo ſi tales ſuppeditantur plantæ, neceſſum eſt, partes omnes eiuſdem exquiſiti temperamenti eſſe. at ingens inter cognitas ſtirpes medullatum à corticibus, & materiæ tum foliorum à floribus, & florum à fructibus differentia obſeruatur; ergò inter cognitas plātas nulla talis. Tandem adijciunt ab æqualibus elementorum qualitatibus actionem fieri non poſſe, quas tamen æquales oportet eſſe, ut temperata dicatur planta; quamuis hoc argumentum ſatis ſit imbecillum. quid enim impedit quominus inter ſe agant, quæ ſunt æqualia? idque cum detrimento pari citrà victoriæ conſecutionem, agentibus æqualiter omnibus, pariterque reſiſtentibus? Mihi ſanè quamuis habito reſpectu ad molem elementorum, vix tales plantæ depræhenſæ fuere hactenus: non recedendum tamen cenſeo à recepta Medicorum ſententia, quibus temperatam adamuſsim plantam nominare lubet, non quæ abſolutè talis, ſed habito reſpectu ad aliud. ita in animantium genere uniuerſo hominem dicimus temperatiſsimum reſpectu actionum, quas præ cæteris edit admirabiles; atque in plantarum claſsibus platanus, & laurus in ſpecie ſua temperatiores pronunciantur, quod horum actiones præſtantiores obſeruentur. verè tamen temperatæ pla ntæ dicentur, vel intemperatæ,obſeruatione effectuum, quos edunt cum ab homine aſſumuntur; itaque intemperatæ ſi calefaciunt, refrigerant, humectant, ſiccentve aliquo cum exceſſu: temperatæ ſi citra ullam mutationem ſeruare corpus humanum, aut purgare poſſunt, quales ex alimentorum ſerie non paucæ, & ex medicamentis pars

longæ

longæ maior. Alterum quod in diſquiſitionem vocatur eſt, an tria elementa in planta unica ſimul dominari queant, & ſuperare quartum; id rationi quidem conſentaneum non eſt, inquit Coſtæus in fine cap. 27. lib. 2. de uniuerſa ſtirpium natura, quod vincente contrariorum uno, alterum vincatur, admittendam tamen eſſe ſententiam contendunt qui ſtirpes reſpiciunt contrarijs qualitatibus euidenter conſtitutas: Et ne abeamus à rebus paſſim notis, roſas tam frigido quam calido temperamento præditas eſſe partim ex ſapore docemur, quem obtinent adſtringentem dulcem, & amarum pariter; partim ex earum uſu, quem in contrarijs affectibus obtinent ſatis opportunum, quum inflammationibus, & per initia conferant, quibus refrigerio opus eſt, & in ſtatu quoque proficiant, cum materiæ impactæ diſcuſſione indigemus. ſic in aceto frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem, & calorem agnoſcit Alexand. Aphrodiſeus: Item, & in maſtiche agnoſcit vim attrahendi, adſtringendi, remolliendi, abſtergendique, quæ facultates ipſi contrariæ videntur. Cæterum ſic ſtatutum ſit, in accidentali plantarum temperamento vel unum ex elementis reliqua tria ſuperare; vel duo dominari duobus alijs, ſiue paria viribus ſint, ſiue imparia; vel denique robore æquato ſic concurrere, & mitigari; ut nullum actionum exceſſum per qualitates exerant, ſic breuibus percurrendum. modò quid cenſendum de his videatur plantis, in quibus videtur elementum triplex obtinere dominium.

CAPVT V.

An in unica planta trium elementorum prædominium in eius accidentali temperamento conſtituendo dari poſsit, inquiritur, & quomodo planta temperata dicenda veniat. Elementa ſecundum formam in mixto permanere aſſeritur.

DAri quidem plantas, in quibus trium ſupra quartum elementum cóſpicuè dominium ſe prodat, Roſæ inter cæteras id inſinuare videntur, quibus frigidum humidum, frigidum ſiccum, calidum item, & ſiccum euidenter contemplamur. inter eos, qui cauſas huius rei indagauerint, princeps eſt Alex. Aphrod. qui plantarum huiuſmodi compoſitionem ex minimis particulis elementorum non mixtura, vel confuſione; ſed ſola, ſimplicique appoſitione factam exiſtimat; adeoque ſingulis in partibus contrarias elementorum vires integras ſeruari; quæ ſententia, ut patet ex Plutar. lib. 1. de Plac. clariſſima veterũ fuit Anaxagoræ, Democriti, Empedoclis, quibus elementorum mixtura κατὰ παράθεσιν. Partium minimarum iuxta ſeſe poſitione fieri determinatum fuit; nec repugnat res ipſa rationi; quia cum in mixtione elementorum calor inſtrumentum naturæ præcipuũ ſit, hic autem non indifferenter omnia miſceat, ac confundat; ſed homogenea congreget; ſegreget autem heterogenea; non aliud utique efficit, quam ſimilium cum ſimilibus coniunctionem, quæ ſit amica quadam παράθεσιν potius quam σύγχυσιν. At Alex. Aphrodiſ. protinus reijcit. Coſtæus lib. 2. de Stirp. Nat. cap. 18, & ſententiam veterum firmis rationibus ab

Ariſt.

Ariſt. dudum explicatam minime reuocandam cenſet: ratio autem Ariſt.
præcipuè illa eſt, quod ſenſui conſtet, corpora mixta non aceerui inſtar fru-
menti partium ſimplici congregatione produci, ſed certo quodam vincu-
lo, & nexu per minima colligari id, quod citra mutuam elementoru n al-
terationem fieri non poteſt, ac veluti tertium quid exiſtere, ab ijs, à qui-
bus conſtituuntur. non exigua tamen Ariſtotelico decreto ſubeſt difficul-
tas; nam cum non qualitates tantum elementorum in mixto variè mutari
contendat, ſed etiam formas ipſas eorumdem imminui; non paucis rem
totam, & aſſertionis fidem ſuſpectam reddit Philoſophus. Auicenna ſanè
formas elementorum in mixto permanere aſſerit, fundamento ſatis vali-
do; nam ſi res per formam ſuam ſunt τόδετι, hoc ipſum quod ſunt; neceſſa-
rium eſt elementa quoque in mixto non per communem naturam, ſed for-
mam propriam eſſe id ipſum, quod ſunt; quibus ſi carent, elementa non
ſunt, nec qualitates amplius proprias poſſident. quod verò mixtio non
ſit cum deſtructione elementorum coniuncta, innuit mixtionis nomen ip-
ſum; aliud ſcilicet eſſe corrumpere, aliud rem miſcere; nec formæ elemē-
torum, aut qualitates imminutionem ullam patiuntur; quia reuera ſubſtā-
tia ſunt, adeòque partes eſſentiales corporis ſimplicis; ſubſtantiæ autem
maius & minus; magis item minuſque non recipiunt, ipſo Philoſopho aſ-
ſertore: & quid dubitemus integra ſecundum formam, & ſubiectum ele-
menta in mixto permanere, cum certiſſimis conſtet experimentis, mixta
in elementa formis, ac ſubiecto denuò integrè reſolui? quod ſi manet ma-
teria eadem, quæ ens magis ignobile eſt, ergo multò magis forma; ſunt *Ex Ariſt. 1. Phyſ. colt.*
enim formæ, Ariſtot. ipſo decernente 2. de Anima cap. 4. ens ſimpliciter
ſecundum ſe immutabile; cum præſertim idem dicat 12. Metaph. cap. 3.
nil prohibere quominus diſſoluto compoſito maneat forma. Excuſant ta-
men Ariſt. interpretum haud pauci, tamquam vero diſſentaneum non ſit,
imperfectiores ſubſtantias, quales ſunt elementorum formæ, recipere ma-
gis, & minus; præterea ſententiam Philoſophi eſſe, formas elementorum
ineſſe mixto, nec potentia nuda, nec actu completo, ſed modo quodam
medio. Ad me quod attinet, in hac intricata lite, Auicennam potius ſe-
quar, atque elementorum qualitates in mixto variè alterari, ac remitti
concedam; formas ipſas, naturamque mutari non concedam. cùm enim
ſubſtantiæ ſint, cumque immateriales ſecundum ſe, & ſimplices, à quo
quæſo poſſunt vel intendi, vel remitti contrario ipſis nullibi dato? cur
imperfectè iudicantur ſubſtantiæ, quæ ſubiecto ſuo tam conſeruando, quā
conſumendo, etiam nobilioribus formis haud inferiores, quæ denique ſo-
luto mixti vinculo iuxta cum ſubiecto ſuo in priſtinam libertatem perfe-
ctè ſeſe vindicant? Itaque licet Empedoclis, ac Democriti opinionem
non amplectendam cenſeam, ſimplicem illam elementorum appoſitionem,
ſed eorum ſecundum qualitates alterationem, variamque refractionem;
ita formarum integritatem omninò cum Auicenna aſſerendam exiſtimo.
Et hæc obiter dicta, ut famoſæ quæſtionis ſenſum ſubterfugere non vide-
remur modo ad quæſiti reſponſionem accedentes. Vt igitur ad ſcopum
nobis propoſitum redeamus, quid igitur cauſæ eſt, quod in roſis ignis æquè
& terræ dominium obſeruetur: ſi Hermeticos recentiores conſulamus,

rem paucis ita expediunt: ineſſe plantis principia alia paſſiua, quæ ſunt terra ſimplex, & aqua ſimilis, ſiue phlegma; alia verò actiua, eaque ſal, ſulphur, & ſpiritus, quem alio nomine Mercurium nominant. At paſſiua illa principia iunguntur actiuis interdum pari pondere, interdum impari; ſi pari, accedatque ijs actiuum principium facultate validum, ſenſus triũ elementorum præſens dominium facilè cognoſcit; ita vt id, quod Hermetici volunt de abſtruſis ſuis, principijs idem Philoſophi de elementis concludere, & clariſſime poſſunt. Ingenioſius tamen alij contrarios plantarum effectus, & contraria in ijſdem temperamenta non in eaſdem, ſed in diuerſas plantarum partes reijciunt. quemadmodum autem in malo citrio temperamenta varia ſunt corticis, carnis, interioris ſucci, & ſeminis; ita in roſa, aliiſque plantis ſimilibus aliud eſt ſuperficiei, aliud intimiorum partium temperamentum; ſiquidem in Roſarum flore, foliola qua parte unguem obtinent, adſtringentem obtinent ſaporem, parte verò reliqua tum dulcem, tum amarum; ſed dulcis ſapor, ubi primum guſtanti ſe ſe prodit, mox exoluitur, atque obliteratur, amarus diutiùs perſeuerat, atque etiam contuſis roſis ſuperſtes; itaque nil mirum in florum ungue refrigerandi, atque adſtringendi vim reſidere, florum verò folijs reliquis tam in ſuperficie, quam receſſu caloris pluſculum ineſſe adeò effectus comprehendi diuerſos. De aceto, & maſtiche, quod affert Alex. facilè diluit Coſtæus: atque acetum quidem omne frigiditatis effectus edere, caloris autem non omne; ſed illud tantum, quod à generoſo vino productum eſt. Quod igitur in aceto calor eſt, id ex accidenti, & ob reſiduas eius, à quo depromptum eſt, igneas partes contingit. cæterum in maſtiche qualitates diuerſæ ſunt non contrariæ. hactenus igitur de accidentali temperamento.

De eſſentiali plantarum temperamento, quatenus mixta corpora ſunt.

CAPVT VI.

Quid in plantis ad ſubſtantiale temperamentum referatur diſquiritur; Cauſæ afferuntur.

QVemadmodum plantæ ratione accidentalis temperamenti temperatæ, calidæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ, idque iterum, vel ſimili, vel diſſimili qualitatum diuerſarum, aut contrariarum exceſſu; ita ob temperamentum ſubſtantiale ſtirpium aliquæ tenaces ſunt, ac lentæ, ut ciſtus ladanifera; aliæ tota materia pingui redundant ſucco; ut olea; alijs craſſa ſubſtantia, ut robori; alijs tenuis, ut nardo; terream obtinet ſubſtantiam hedera, ex qua confecta pocula vinum haud retinent, ſed tranſmittunt; denſam accepit ebenus; alijs pondus ineſt grauius, ut buxo; alijs leuitas, ut ſuberi, quod viride etiamnum aquis innatat; quædam molles ſunt, ut herbaceæ ferè plantæ omnes; quædam duriores, ut ſtirpium, arborumque genus reliquum; quamuis ſingularis utrobique diuerſitas appareat. Ad ſubſtantiæ quoque modum referendum eſt, quod aliquibus plan-

tis maximè durabilis eſt materia, ut thuiæ, alijs promptè corruptibilis, ut ſalici, quædam in aquis incorruptæ perennant, extra vero aquas facilè corrumpuntur, ut alnus; Robur, contra tam in aquis, quam extra aquas valde putredini reſiſtit; atque hic iterum obſeruatum fuit, aliqua in aquis ſalſis magis durare, ut pinus, aliqua potius in dulcibus, ut robur; ſed & quædam igne facile corripiuntur, etiam ſi ob virorem humidiora ſint, ut rubus, & olea; quædam ignem difficulter admittunt, quantumvis arida, ut ebenus: Sunt quæ admoto igne luculentam in flammam explicantur: ſunt quæ combuſta vix flammam edunt, ut caſtanea: aliæ carbones exhibent plurimos, aliæ nullos, ut herbarum in uniuerſum, & cremiorum genus omne. Conſiſtentiæ quoque, ſiue ſubſtantiæ temperamento ſtirpes, quod aliquibus materia flexilis, & harum quidem ita flexilis, ut dimiſsa poſt flexum redeant ad figuram priſtinam, & vigorem, ut rhamnus, ex qua fiunt arcus, aliqua non redeunt, ut ſalix: quibuſdam ſubſtantia ruptilis cōtingit, ob quam in duas partes tranſuerſim amplas facile diuiduntur; quibuſdam verò fiſſilis, quæ in longitudinem promptius diſſipantur. Ad viſciditatem igitur, & lentorem quod attinet in plantis, quamuis mixtorum omnium ex aqua ſit, quæ terram, alioquin pulueris ritu diſſipabilem, ſparſilemque cogit, & compingit; plantæ tamen, quarum partes lentorem habent, non aquæ ſolummodò, ſed aeris quoque plurimum poſſident: etenim aqua ſincera per ſicca facile dilabitur, nec adhæret, adeoque nec ſordes corporis altiùs inhærentes remouet, aut deterget, niſi oleoſi quidquam, atque aerei accedat. hanc ob cauſam in glutinoſis, & lentis bullas, puſtulaſque frequentius obſeruamus, ut in farinaceis paſtis pleriſque: ex ijs ipſis tamen lentis, ac viſcidis aliquæ plus habent aeris, utpotè quæ pinguia, & inflammationi prompta, qualia olea, & picea, alia plus aquæ, ut malua, quæ propterea ignem non fouet, nec nutrit, ſed extinguit.

CAPVT VII.

Quomodo quæ ad temperamentum ſubſtantiale referuntur elementi prædominantis dominium arguant oſtenditur. Cauſæ ijs quorumdam effectuum a temperamento ſubſtantiali prodeuntium mirandorum luculentius ſcrutantur.

IGitur ut dictum eſt ſubſtantiali plantarum temperamento ſubſtantiæ lentor, ac viſciditas tribuitur, tenuitas, craſſities, raritas, denſitas, leuitas, grauitas, mollities, durities, tum perennitas, aut corruptibilitas, ignis concipiendi, fouendique facilitas, vel difficultas, flexibilitas, aut rigor, quodque rumpi, findive materies poſſit. Lentorem in humidi aerei copiam retulimus, terreis partibus accuratè permixtam; ſqualor verò, ſiue friabilitas terrei elementi dominium arguit; aquei verò paucitatem, unde quia nexus partium infirmior exiſtit, friabilitas, qualis in vetuſtiorum lignorum fruſtis obſeruatur, conſequi ſolet. cæterum quæ tenui, rara, aut leui ſubſtantia prædita ſunt, quid aliud, quam tenuiorum, rariorum, leuiorumq; elementorum copiam oſtendunt? aeris nimirum, atque ignis; & vice verſa, quæ craſsa, denſa, ac grauia ſunt, vel aquæ, vel terræ exu-

perantiam produnt, potiſſimum verò terræ. Obſeruabilis tamen plantarum, quibus ſubſtantiæ, conditio tenuior diſtinctio eſt; quod earum aliquæ plus aeris poſsident, aliæ plus aquæ: quibus aquæ pluſculum ineſt, earum flores odore carent, ut in malua deprædhendimus, cucurbita, & ſimilibus; atqui è conuerſo quorum ab aere, & igne tenuitas dependet, corum flores odorum fragrantia commendant, qualis in roſa. duritiei verò, quæ & ipſa ad modum ſubſtantiæ refertur, duplex communiter cauſa adducitur; vel aquoſi elementi paucitas, terreni verò copia, ut in lateribus animaduertimus; vel à frigore concretio, ut glacie, & cryſtallo, quibus addere libet à calore vehementiorem, ac continuatam exiccationem; ac ut Hermeticis ſaltem in aliquo fauere videar, ſalem inſitum fixum copioſiorem partibus terreis exquiſitè ſubactum ſanè quam in ſtirpibus agnoſcimus duritiem, ſi corallum excipiamus, quod ſub aquis molle, ac flexille ad primum aeris frigidi contactum lapideſcit; omnis ex terrenæ ſalſæque materiæ ubertate prouenit, quemadmodum mollities ex aquei elementi copia maiore. Similem in modum, quod plantis alijs durabilis, alijs corruptibilis ineſt materies, in terreni, ſiccique elementi dominium, ita annuente Ariſt. aquæ verò paucitatem referendum videtur; cum aquatiles humidioreſque natura ſtirpes, ut ſalix, facilius putreſcant. quid autem in cauſa ſit, cur aliquarum arborum materies, ut alni ſub aquis minus, quam extra aquas corrumpantur, aliquæ ſub aquis celerrimè putreſcant, ut nux iuglās, chymici principiorum actiuorum ſupra paſſiua dominium prætendunt; quædam in dulcibus aquis melius ſeruentur; ut robur, quædam, in ſalſis, ut pinus, id dignum eſt, quod in præſentia diligentius inquiramus. Sunt autem quibus alnus aqueæ videatur naturæ, adeoque ſicut aqua ſub aqua non putreſcit; ita neque alnus ſub aqua, ob naturæ ſimilitudinem patitur; quemadmodum item res omnes naturales proprio ſeruantur loco; ita alnus hanc ob cauſam in aquis tamquam naturali in loco rectius conſeruabitur. at hæc ratio curioſis animis haud ſatisfacit; etenim tam populus arbor, quam ſalix aquæ naturam obtinent, & gaudent riuis; ſub aquis tamen facile putreſcunt: contra verò robur ſiccioris alioquin temperamenti, atque aridis locis proueniens diutiſſimè perdurat; quin igitur cum duratio ex innati caloris, humidique conſeruatione dependeat, in quibus horum uterque ſub aquis ſeruatur, ea perdurat; cætera putreſcunt; at alnus ſubſtantiæ raræ eſt, cuius humor inſitus in aere præproperè diſſipatur, calor item debilis ab ambiente calore facile ſuperatur, & ob laxitatem corporis euocatur. Vtrumque autem cum in aquis conſeructur, proculdubio conſeruationis cauſa fuerit: nam & humiditas ſimilis humori, in quo viuens alnus degebat, tum aquæ calor exiguus, debilem alni calorem cōſeruat: laxitas quoque ſubſtantiæ, quæ extra aquas calori inſito damno erat, in aquis facta meatuum aliqua condenſatione, ad mediocrem tranſpirationem, adeoque putredinem ad arcendam ſatisfacit. ſecus accidit populo arbori, ſalici, nuci iuglandi, & ſimilium naturarum plantis; è quibus ſalix, & populus celeriter ſub aquis turgeſcunt; undè præcluſis in aqua inſuper denſatis corum meatibus, innati caloris tranſpiratio prohibetur, nec diſſimilis in iuglande cauſa, cur ſub aquis celeriter corrumpatur,

Lib. de Long. vitæ.

tur;nam cum per naturæ propriæ conſtitutionem denſiores,minuſque patentes habeat meatus, & pingui quodam ſucco largiter imbutos; promptè contingit, ut occluſis ab aqua poris, & humiditatis immodica acceſſione putredinem incurrat, calore non perſpirante: adeoque pinguis humoris copia, quæ extra aquas iuglandi conſeruationis cauſa exiſtebat, ex accidenti ſub aquis detrimentum affert. Non ea tamen cauſa eſt, quare diutius tam in aquis, quam extra aquas putredini reſiſtat robur; hoc enim ob materiæ ſuæ denſitatem, & aeris iniurijs facile reſiſtit, & ſub aquis pariter humidi externi penetrationem impedit; undè & calori tranſpiratio non adimitur, & putredinis occaſio demitur. Illud expendendum porrò, quare robur in dulcibus aquis, pinus autem iu ſalſis diuturniores ſint.cauſa autem referenda videtur in acrem ſalis marini vim, quæ non tam promptè in pinguem diffunditur pinum,quam in aridum robur;pinguibus enim rebus aqua non adhæret. Pino autem minor in dulcibus,quam ſalſis aquis perduratio non ad aliam cauſam referendum, quam vim ſalis marini, quæ non tam promptè in pinguem diffunditur pinum, atque in aridum robur; pingue ſiquidem, & reſinoſum acerrimis corroſiuis, & ſpiritibus obluctatur; at pini præterea minor in dulcibus, quam ſalſis aquis perduratio rectius forſan temperamenti diſſimilitudini adſcribenda; præterquamquod pinus arbor calida, aquæ dulcis frigiditatem ferre non poteſt; aqua enim gummi, & reſinoſa ſoluit, laxatque, qua roboris natura quod frigidi temperamenti particeps melius conſeruatur. porrò quod de ſtirpium materia ſequitur cur aliæ incendi aptæ ſint aliæ prorſus ineptæ; id ferè duplicem agnoſcit cauſam, humoris namque, ac meatuum varietatem. humor enim quamuis ignis alimentum; ſit non omnis tamen huic officio aptus, ſed aereus tantum tenuis, atque igni, in quem conuertendus eſt, quoquo pacto ſimilis. ſimpliciſſimus enim aqueus humor ſi datur, quod negamus, valentior eſt, nec ignem alit, ſed extinguit. quibus igitur aerei illius humidi, plurimum ineſt, ea comburi facilè poſſunt; difficile in quibus aqua exuperat. ob id quidē, & quæ pinguia ſunt, & quæ ſpinoſa utpotè,quibus igneę, aereæque ſubſtantiæ plurimum conceſſum eſt, facile ignem concipiunt; atque in uniuerſum arida ligna virentibus facilius comburuntur, quod aquoſi humoris parum poſſideant; quin, & meatuum rectitudo, atque amplitudo ad combuſtionis facilitatem plurimum conducit. nam in quibus rectiores ſunt meatus, ignis tranſpirationem aſſequuntur liberiorem: per ampliores item meatus facilior igni aditus, & exitus pateſcit: contra quæ anguſtiores, difficilius ſubit, atque in obliquis prohibito tranſpiratu ſuffocatur. Cur autem earum, quæ exuruntur aliqua flammam edant, aliqua non edant, & ex illis poſt incendium alia carbones relinquant,aliqua non; hoc potiſſimum in cauſa eſt; quod flammæ ſanè materia aer ſit, carbonum autem terra; quibus igitur elementum terreum aereo humori permixtum eſt; eę & flammam, dum uruntur, explicant, & relinquunt à combuſtione carbones, ut robur. contra quibus aerei humidi plurimum ineſt, terreni verò parum ea licet in urendo flammam explicent; non relinquunt tamen carbones. huius generis ſunt paleæ, herbarumque, & cremiorum genus uniuerſum. Pergamus modò ad eum ſubſtantiæ modum, ob quem flecti

ſtirpes

ſtirpes aliquæ poſſunt, aliquæ flecti renuunt. Senſibus autem euidens eſt, quod ſicciora omnia flexum non ſuſtineant, ut lapides, ac ligna aridiora; quo fit, ut flectendi potentia pendeat ex humiditate; humiditate verò tali, quæ rei flectendæ partes partibus ſic iungat, ut in flectendo non rumpantur, qualis humiditas omnis tenacitate, ac lentore prædita, quam viridia ligna copioſam obtinent, adeoque flecti facilia: arefacta verò iam ſi denuò macerentur, reſtituta humiditate rurſum flectuntur. Quæ verò cauſa, quod aliqua poſt flexum in priſtinum reuertuntur ſtatum, aliqua recurua permanent; inquiſitione dignum eſt. conſtituenda autem videtur in varietate humoris illius lenti, propter quem ſtirpes flecti queunt, cum is quandoque plus, quandoque minus lentus ſit, nonnunquam tenuis, & aereus, nonnunquam craſſus. Igitur quæcunque ſtirpes humorem obtinent, moderatè viſcidum, ac tenuem, ut rhamnus, quando flectuntur humor ab ijs partibus, quæ cauæ redduntur compreſſus, ac loco cedere coactus ſeſe recipit in partes conuexas; qui rurſum re dimiſſa ob ſui tenuitatem reſtituitur in locum priſtinum; adeoque priſtinam ſtirpi figuram protinus reſtituit. quod ſi craſſior ſit humor, ut in ſalice, præſertim amerina, quoniam propter craſſitiem, & lentorem maiorem, tam promptè in priorem locum redire non poteſt, curuitas poſt flexum remanet. quemadmodum ergo plantis flexilitas ineſt ob humorem, & eum quidem lentum; ita quod flecti non poſſunt, quod potius franguntur ob inopiam, aut paucitatem dicti humidi contingit. ſic arida ligna flexum vix ferunt, cuius generis etiam eſt ſtyracis arboris materies, quamuis adhuc virentis. quod autem earum, quæ rumpuntur, aliæ tranſuerſim frangantur, aliæ findantur in longitudinem, non eamdem conſequitur cauſam. Illud itaque conſtet, quemadmodum in animantium, in quibus falsò è venis, & arterijs ſuperflua effundi credimus in oſſibus propter quæ frangantur; ſic plantarum corporibus eſſe meatus quamplurimos, utcumque propter exilitatem ſenſus noſtros ſæpè effugientes, per quos cum alimento ſpiritus diffunditur, caloris, ac humidi comes perpetuus, & per quos tum calor tranſpirat, tum redundantia omnia naturæ opera expelluntur. Sunt autem hi meatus aliquando magni, aliquando parui, multi, pauci, breues, longi, recti, obliqui, tranſuerſi, continuati, interrupti; quibus longi, & recti, eæ facilè finduntur; quibus contra, promptius franguntur; quibus varij ſunt, diſſimili modo ſeparantur. Cur quædam adeò difficulter ſecentur, ut ferri aciem retundant, ut maximè facit tilia; Theophraſtus ad caliditatem eius refert, ſed meo quidem iudicio non ſatis appoſitè; cur enim idem in lauro non fiat calidiore ſtirpe, & cuius aridi bacilli attritu ignem concipiunt; igitur potiùs cauſa duritiei tenacitati coniunctæ aſſignanda fuerit, ſed hactenus de plãtarum temperamentis, earumque cauſis internis.

De Cauſis temperamenti mutationis externis.

CAPVT VIII.

Cauſæ Temperamenti mutationis externæ in plantis ſcrutantur, adducuntur.

TEmperamenti in plantis cauſas tam ſubſtantialis, quam accidentalis perſequuti, iam ea ſubiungemus, quibus naturalis ſtirpium temperies plurimum, ac frequenter mutari ſolet: ſunt inter remotiores a Cælo, inter propiores ab aere ambiente; à tellure, plantis ipſis, ac cultu deriuandæ. In Cælo Sol, luminis, cæleſtiſque caloris fons uberrimus, tum Luna nouiſsimum ſydus, ut loquitur Plinius, terriſque familiariſsimum, varijs omninò modis plantas afficiunt, magis, minuſve calefaciendo, refrigerando, madefaciendo, ſiccando, ipſarum temperamentum immutant; ſiue per ſe effectum producant, ſiue per accidens; & ratione motus addunt ijs priuatas aſtrorum ἀπορρίας; de quibus tamen cum leues habeamus conjecturas, non eſt quod certas promittamus vires. Aer ſanè cum proximè contingat quidquid in plantarum partibus ſupra terram eſt, quotieſcumque magis, minuſve calidus, frigidus, humidus, ſiccus, ſimili temperamento præditas plantas non conſeruat tantum; ſed etiam amplificat earũ vires. contra autem eas quæ diſsimili ſunt temperie, corrigit, atque hebetiores reddit, ac obtundit; adeò, quod de corporis humani mutationibus ſcripſit Hipp. de plantis pariter dixerim. (TEMPESTATVM) anni mutationes potiſsimum variare ipſarum craſes: & in ipſis anni tempeſtatibus magnas mutationes frigoris, & caloris fieri aliaque pro ratione ad hunc modum. Tellus autem ipſa, quæ fouet, educat, & ſucco ſuo vegetabilia nutrit, inter cauſas temperamentum plantarum immutantes longè maxima eſt; immo quæ craſim non tantùm, ſed & qualitates alias, ac ſpeciem propemodum variet. Loci, & victus mutationes quam inſignes afferant animantibus, & naturalium, & præternaturalium diſpoſitionum alterationes notum. Cambaiæ principes cum à teneris veneno nutriantur, tam virulenti euadunt corpore toto, ut obuios quoſque vel ſputo aſperſos, ut ferunt, interimere queant; ita fructus omnis generis pro terrarum varietate varios acquirere ſapores, adeoque temperamenti alios, alioſque gradus. Triticum item humidiore in ſolo in lolium degenerare notiſsimũ eſt, & perſeam arborem terræ mutatione lethalem vim mutaſſe in ſalutarem olim obſeruauit Theophraſtus. Itaque quæ in caliditatis, frigiditatis, humidi, aut ſicci exceſſu conſtituebantur ſtirpes, contrarijs locis diſpoſitæ reuocantur ad temperiem; ſimilibus enim earum temperamenta ſeruari, vires augeri, contrarijs minui, atque etiam maleficas euadere Medicorum obſeruatione ſatis cognitum habetur. nec prætereundum, plantas, quæ prope metallorum fodinas, ac thermales aquas oriuntur, frequentiſsimè non temperamenti modo, ſed totius ſæpè naturæ vitium cõtrahere. Pertinet huc & aliarum plantarum vicinitas, ac ſocietas, ut potè

quæ

quæ non ſecus, ac terra ſimilium ſtirpium temperamenta conſeruat, ſingularemque in modum intendit; diſſimilium verò craſim vel corrigit, vel penitus etiam euertit; ob id ſcamonium ſi iuxta tithymalos, eſulaſve feratur, adeo vis eius, & caliditas accenditur; ut veneni ſibi vim adſciſcat: vice verſa hermodactyli, ſcilla adſita iuxta quercum, & polypodium, quercus ſiccitate ſic temperantur, ut ſuperflui humoris, & propriæ humiditatis plurimum amittant. ita iuxta vitem quidquid vel ſalubrium, vel inſalubrium plantarum ubertim ſuccreſuerit, diffundere noxam, aut virtutem ſolet in uvarum ſuccum. ut iam non miremur animos, bonorum, malorumve conſortio ad virtutem, & vitia diſponi; ſi corporum, ac temperamentorum tam faciles è proximo mutationes. Affert etiam diuerſitatem ſtirpibus mediocritas non minus in magnitudine, quam numero. dudum enim obſeruatum eſt, plantas quæcunque calidi ſunt, & ſicci temperamenti, fructus eo calidiores, atque acriores tuliſſe; quo minores ipſæ fuerint, ac pauciores, utpotè alimento, & viribus in anguſtum coactis. Ita colocynthidem, quæ unica, unoque in loco nata eſt, damnarunt periti Medici, tamquam nimia præditam violentia. Contra quæ frigida ſunt, atque humida quo maiora eo etiam frigidiora ſunt, atque humidiora inſita ipſarum caliditate à multa frigidi alimenti atque humidi acceſſione ſuffocata; quare lactucæ, cucumeres, cucurbitæ, ſimileſque plantæ quo grandiores ſunt, eo humiditatis, ac frigiditatis plus retinere agnoſcuntur. atque hæc quidem de temperamenti tum interioribus, tum exterioribus in plantarum genere cauſis proponendum, diſquirendumque fuit.

De Gradibus temperamenti plantarum.

CAPVT IX.

Gradus in plantarum temperamento inquiruntur, & quomodo eorum diſtinctio percipi poſsit adducitur.

CVm autem tot ſint plantarum temperamenta, quot elementa, & vel ſola, vel cum ſocio dominari in mixto queant; illud ſanè, quod εὔκρατον, ſeu temperatum eſt unicum fuerit, ac ſimplex, cum id, quod in omni rerum genere æquale, perfectumque conſtituitur, unicum ſit, ac diuiſionis expers. At quę cum exceſſu qualitatum coniuncta depræhenduntur, multa ſunt, atque in ſtirpium genere propemodum infinita. quamobrem cum infinita certa compræhendi lege non poſſint; in immenſum abire hanc de ſtirpium temperamento contemplationem, adeoque inutilem fieri uniuerſam neceſſum eſt; niſi certo modo compræhendatur: Adhibitum igitur à Clariſſimis Auctoribus etiam huic rei ſtudium, effectumque ſedulo; ut immenſa plantarum in temperamentis amplitudo intra certos veluti terminos uniuerſa contraheretur. hoc ipſum tamen à Philoſophis, Mediciſque non una via tentatum fuit. at Philoſophi quidem ſummam qualitatis cuiuſcumque latitudinem octo poſſe veluti gradibus, aut ordinibus compræhendi exiſtimarunt; & quæcumque temperata ſunt quaternos al-

terutrius contrarietatis obtinere gradus: quæ verò à temperato recedunt, quantùm ab eo ſecundùm unam qualitatum deficiunt, tantum ſibi acquirere qualitatis alterius: Sic igitur fieri, ut quod unum caloris gradum ultra temperatum occupat, id quinque caloris gradus obtineat, tres verò tantùm frigiditatis: rurſum in eo, quod ſecundo caliditatis gradu intemperatum eſt, ſex fuerint gradus caloris, bini verò ſuperſunt frigiditatis; quod intemperatum eſt in tertio caloris ordine, illi ſeptem inerunt caloris, unus autem ſolummodo gradus frigiditatis. Tandem quod eſt quarto ordine calidum, id octo habebit partes caloris, frigiditatis autem nullam. Sed hæc nec ſenſuum fide, nec rationis patrocinio ſatis confirmata ſunt; non ſenſu, quomodo enim cum quinque caloris partibus tres frigoris partes mixto ineſſe ſtatuant, quod tamen nullum frigiditatis indicium præbeat: non item rationi conſentanea produnt, qui ſingulas qualitatum cõtrarietates ſic mixto tribuunt, tamquam integra forent, atque agere ſeorſim poſſent, quamuis dum in quarto gradu calidis, nullum frigiditatis veſtigium, relinquunt; ſed aduerſantur proprijs legibus, quibus ſingulis mixtis omnia elementa, eorumque contrarietates aſſignant; longè itaque conſultiùs fuerit, atque ad uſum medicamentorum conducibiliùs cum Medicis qualitates in temperamento, non in defectu, metiri, per quem non agunt, ſed inueſtigare penes exceſſum, quo per certas actiones ſenſui ſe manifeſtant. & cùm in planta, temperamento medio prædita, caliditas, frigiditas, tum humiditas, & ſiccitas ſeorſum in ſenſum non incurrat, totam qualitatum intenſionem in differentia illa conſtituemus, qua per varios actionum exceſſus diſcrepant ab eo, quod eſt temperatum. Quidquid autem in corpus agit temperatum actione ſenſui manifeſta, id vel ita agit, ut ipſum corrumpat, vel nullam prorſus inducit corruptionem. quod agit citra corruptionem, vel ſic agit, ut effectum, quem in corpus temperatum imprimit, non ſtatim, ſed poſt diuturnum uſum imprimat, quæcumque verò planta talis eſt, eam primo gradu dicimus excedere. ſi ſtatim, ſed citra offenſam, noxamve vim ſuam exſerit, illud in ſecundi gradus exceſſu conſtituemus. Quod ſi dum in corpus temperatum agit planta idipſum corrumpit, tum id vel non ſtatim fuerit, ſed poſt uſum aliquandiu continuatum; atque hanc in tertio exceſſus ordine collocamus: ſi breui, ſiue ſtatim, ac celeriter corrumpit, tum verò quartum ſummumque exceſſus gradum occupabit. atque has exceſſuum differentias ſi in uniuerſum iuxta qualitates elementares inquirere libet, primò quidem caloris opera ſunt calefacere, concoquere, attenuare, aperire, laxare, attrahere; igitur quæ primo gradu calidæ ſunt plantæ, hæc omnia nonniſi leuiter, & tardè præſtabunt, euidentiùs, & celeriùs quæ calidæ ſunt gradu ſecundo, longè violentiùs, & promptiùs quæ ſunt in gradu tertio, utpote quæ admotæ cuti calore ſuo ruborem inducunt attractione immoderata ignea vi mordicabunt, liquefacient, partelque vehementiùs diſcuſſis humoribus attenuabunt, ſiccabunt, aſſumpta per os excitabunt ſitim. Validiſſimè hæc eadem, & celerrimè præſtabunt quæcumque in quarto gradu calida ſunt, etenim inflammationes excitabunt in partibus, quibus admouentur, dolores, morſuſque acres, ignilque inſtar urent, veſicaſque excitabunt, & cruſtas, quæ ve-

rò frigidæ ſunt plantæ caloris temperati corporis vim communiter obtundent, humoreſque craſſos, & crudos relinquent, & quę in primo gradu hoc præſtant; debiliter, & lentè id præſtant; in ſecundo, ſi adiuncta ſiccitas ſit, adſtringunt, & cohibent fluxiones, atque obſtruunt; in tertio vehementiùs calorem natiuum debilitant, inducuntque ſtuporem; in quarto temerè uſurpata calorem natiuum extinguunt. Humidis plantis commune eſt madefacere, lenire, aſperitatem tollere, mollire, flatus producere; id faciunt in primo gradu leniter, & lentè; in ſecundo euidentiùs laxant; in tertio fluidas reddunt partes, & calidum natiuum torpidum efficiunt; aſſumpta ventriculo nauſeam, vomitumque afferunt, ventriſque fluxum; in quarto natiuum calorem ſuffocant, quemadmodum aqua ignem. Siccarum plantarum vis communiter eſt humorem abſumendi, ſed ut quæ primo ordine ſicca ſunt ea neque valdè, neque celeriter ſiccant, partes tamen robuſtas reddunt, confirmata retentrice facultate, ita quæ ſecundo ordine ſiccant, adeò celeriter, validèque id perficiunt, ut cutem exaſperent, ac meatus eiuſdem reddant denſiores. his rurſum validiùs, promptiùſque operantur quæ tertio ordine ſiccant, ut partes, quibus admouentur, abſumpta potentiùs ipſarum humiditate, reddant graciliores: celerrimè verò, atque efficaciſſimè quæ quarto in ordine ſunt ſiccorum; ut præter ſuperiores effectus omnes, quos inſigniter alterant, partes etiam exulcerant, humido ipſarum nimia violentia diſſipato. His igitur de temperamento plantarum prælibatis, ad temperamenti affectiones explicandas modò tranſitum faciamus.

De Saporum cauſis in plantis, eorumque ſpeciebus.

CAPVT X.

In ſtirpibus præſertim ſapores ſpectari, ut animalia ad cibum capeſcendum alliciantur. eorum ſententia reijcitur, qui inter ſapores, dulcem tantùm neceſſarium autumant. Aquam cùm nullius odoris ſit, ad alendum minimè aptam eſſe exiſtimatur. Hippocratis ſententia explicata; à quo ſapor fiat definitur. Efficiens ſaporum adducitur, excluſa omnino frigiditate. Oppoſitio ſoluitur de acido, deque acerbo. Saporis afferuntur differentiæ. de ſaporibus Academicorum ſententia adducitur. Democritus explicatur. affertur ſaporis deffinitio. ſoluuntur inſtantiæ. Sennerti de primo ſapido ſententia conuellitur.

AVctorem illum rerum optimum plantas in alimentum humani generis, & reliquorum animantium produxiſſe, adeo recepta fuit ab antiquiſſimis ſæculis ſententia, ut inter Priſcos illos Syros, Ægyptios, Perſas, Indos, quotquot aut religioſo Deorum cultu, aut ſapientiæ laude cæteris præſtabant, à carnium eſu penitus abſtinerent; ſiue animantibus tamquam rebus ſacris parcerent, animæque nobilioris indolem venerarentur, ſiue partium nobiſcum ſimilitudinem habentium ſuſpicerent, ſpeciemque ſanguinis communem. His igitur ut verè cecinit Homerus

Καρπὸν ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα αὐτομάτη.

fructum tulit vltima tellus ſponte ſua: & arboribus primum gentibus cibum fuiſſe refert Plinius, ſic inductas Cælum ſpectare, ſic paſci tandem, cùm glandes non ſufficerent creſcenti multitudini, & ut cum Marone loquar, arbuta ſacræ deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret cibi cauſa frumentis labor adhibitus fuit, & inuentione frugis, blandioris ſucci, homines mitigarunt; ex ijs inquit Plinius eſt membra recreans olei liquor, viresque reſtaurans vini potus, tot denique ſapores annui, ſpontè prouenientes, & menſæ etiamnum ſecundæ, quamuis ciborum gratia cum feris depugnetur, & paſti naufragorum corporibus piſces expectantur. Immo nullis alijs immixtis corporibus maior apparet saporum, quàm in ſtirpibus varietas, teſte Ariſt. quod humidum contineant coctioni aptiſſimum: nec aliam ob causam, quàm ut saporum vel suauitate ad capeſſendum alimentum inuitarentur animātia, aut insuauitate tanquam à noxijs & mortiferis abſterrerentur. quamuis impugnent aliqui hunc rerum naturæ finē, & saporum illam in plantis varietatem minimè cibi causa productam esse contendant. Etenim ſi auctore (inquiunt) Gal. dulcia tantùm nutriũt, neceſſum eſt, ſapores reliquos ſuperfluos eſſe, aut aliam ſanè ob cauſam. At ne dulces quidem plantarum ſapores hunc finem respiciunt; cur enim venenatis quibusdam inditus fuit, papaueri, ſolano, hyoſcyamo, ſed hæ oppoſitiones parum cautæ ſunt; etenim ad Galenum quod attinet, is dulcium nomine non quod abſolutè tale innuit, ſed quidquid alicui familiare, ſuaue, iucundumque guſtibus ducimus. ingens autem eſt horum diſcrepantia, cùm ſint quibus acida, ſalſa, auſtera, acria magis, quàm dulcia placeant, magiſque conferant; unde prudenter diuinus Senex, cibum conſuetum quamuis paulò deteriorem melioribus, ſed non aſſuetis præferendum eſſe. Venenatis autem quibuſdam dulcem ineſſe ſaporem infitias ire non poſſumus. At illa non quia dulcia, ſunt venenata; nam quatenus ſapida ſunt, humidi, ſiccique mixturam præſeferunt; quatenus venenata vim, & facultatem habent à natura ipſa, totaque ſubſtantia fluentem: atque hæc ipſa, quæ homini noxia ſunt, animantibus alijs maximè tum ſuauia, tum ſalutaria experimur, quippè videre licet inquit Lucretius,

pingueſcere ſæpe cicuta

Barbigeras pecudes, homini, ſed id acre venenum.

Nec cibi cauſa ſapores tantùm inditi in plantis, ſed etiam remediorum; cùm nihil certius manifeſtam illam vim agendi primis, ſecundiſque qualitatibus, nobis inſinuet, quàm ſapor. Iam verò cùm nullum corporum ſimplicium alere animalia poſſunt, nullum quoque elementorum ſaporum vllum per naturam obtinuit. quamuis enim aquarum nonnullæ ſalſæ ſint, aliæ acido, aliove ſapore præditæ, id omne non aquæ, ſed terræ permixtioni acceptum ferendum eſt; quæ ſimplicior eſt aqua, & inſipida eſt, & ad alendum omninò inutilis, utpotè quæ ſolidas in partes conuerti non queat: quamuis ad potum aptior perhibeatur, ob id non ad ſimplicem aquam, reſpexiſſe Hip. autumandum, dum 2. de Diæta, quod alibi etiam innuebamus, aquam omnia per omnia nutrire aſſerit, ſed acſi permixtā; ſed & terræ rurſum ſi qui inſunt ſapores, adſcribendi illi ſunt non aquæ ſimplici, quæ

nuſquã (me Iudice) reperitur ſed terræ cum aqua permixtæ. Rectè igitur materiam communem in plantis ſaporum agnoſcemus, nec ſolum humidum, nec ſolum ſiccum; ſed ſiccum humore diſſolutum, ſiue humorem per ſiccum percolatum; quam ſententiam Ariſt. Theoph. alijque è præcipuis Sapientiæ Profeſſoribus amplectuntur, quamquam id, in quo, tamquam in materia, præcipuè conſiſtit ſapor ipſe, eſt humor. Fit igitur ex humidi, & ſicci commixtione ſapor; ſicci quidem, non ignei ſimpliciter, ſed terrei, ac ſolidi, & ad ſolida corpora alenda idonei; humidi item, non abſolutè aerei, ſed aquæ naturam ſeruantis, quæ diluere res ſiccas queat, dilutaſque, ac diſſolutas guſtui offerre. Atque humor is partim intimiùs eſt plantæ, quæ ſapore prædita eſt; partim etiam extimus, atque in animalis palato, ac lingua, quo ſanè adminiculante earum quoque ſtirpium, fructuumque ſapor, his, qui ſicciſſimi ſunt, guſtandi facultati offertur, prout diſertiſſimi ex Coſtæo elicimus. Efficiens cauſa ſaporum calor eſt, iſque iterum partim internus, partim externus; internum appello vitalem aliàs dictum calorem, qui veluti vitam plantarum conſeruat, ita coctionum, & percolationum humidi per ſiccum, ſimiliumque functionum vel auctor eſt, vel certè adminiſter. Hic vel frigidiſſimis quibuſque ſtirpibus ineſt, acidis nempè, auſteris, acerbis: externus calor interno cooperatur, eſtque cœleſtis à Sole, cuiuſcumque conditionis tandem is ſit, ut alibi diſcuſſimus; vel elementaris arte directus, à quorum utroque, tamquam eiuſdem conditionis, ſaporum materia variè miſcetur: addo faucium, oriſque calorem, à quo rei deguſtatæ ſapores à potentia ad actum deducuntur. Excludimus igitur à ſaporum cauſis frigus; hoc enim cruditatum, non coctionum auctor exiſtit; adeoque per ſe vim ſaporum omnem retundit, idque manifeſtum in ijs, quæ frigore congelantur, cùm ſapore proprio ſic ſpolientur, ut nunquam eum deinceps recipiant. Obijcere tamen quis poteſt, acidos, acerboſque ſapores à frigido eſſe, ut docet Gal. 1. de ſimpl. medic. fac. adeoque inter cauſas locum ſibi vendicare. Sciendum tamen, frigidi nomine Veteres non infrequenter calorem ſignificare vel debilem, vel alterius comparatione magis remiſſum; ſic pinguedinem, adipem, membranas, cutem à frigido fieri contendunt, acetum è vino per æſtatem fieri notum eſt, etenim ab ambientis feruore diſcuſſo, atque imminuto vini inſito calore, neceſſum eſt hoc ipſum corruptionem ſubire, in qua dum relictus, ſuperſteſque debilis calor, diminutè, atq; imperfectè ſiccum humido iungit, emergit ſapor acidus.

Saporem itaque definiemus eſſe qualitatem guſtui perceptibilem ortã ex ſicci terreſtris in varia humidi paſſione à calore. Non abeunt hæc à ſententia Ariſt. qui lib. de Senect. cap. 4. hoc idem aſſerere videtur quod tradit; ſimiliter Theoph. lib. 6. de cauſis, dum ait, ſaporem eſſe terrenæ partis in humore mixtionem. Quid autem ipſos Veteres hic docuerint, apud Theophr. alioſque videre licet; Democritus ſanè Clariſſimus inter antiquiores, naturas ſaporum per figuras declarabat; dulci enim atque amaro rotundam aſſignabat, auſtero paruam, acuto, acri, ſalſo angularem. Academici ſapores acres diuidere partes, ac diuidendo mordicare tradebant, atque exaſperare, dulces verò ſiſtere, coniungere, denſare; acidos, auſteroſque

roſque, ut ex Platone commemorat Theoph. liquefacere, urere; acidum citrij mali ſuccum ex putredine fieri; ſed hæc parum omninò ad rem pertinere conſtat; quid enim aliud per figuras innuit Democritus, quàm effectus quoſdam ſaporum, quibus vel mordacitate, vel contraria qua iam qualitate palatum hominis, atque animalium afficiunt? immò non tam guſtu, quàm tactu dijudicandam qualitatem; quin & viſu pariter, atque auditu diſcernendam; saccharum enim, quo vix aliquod dulcius, non minùs, quàm acerrima ſalia, alumina, chalcanthum anguloſis, & inæqualibus figuris concreſcit, ut mirari non deſinam quorumdam, qui cortice tantummodo verborum inſpecto medullam negligunt, & ſenſum illum, quem abſtruſum eſſe voluit tantus vir, quemadmodum & cæteri eius ævi Philoſophi, literali tantummodo adſcribant, & mordicus tueantur; recondita m verò eius miram doctrinam vel non obſeruent, vel deſpiciant; figuratas ſiquidem atomos pro rerum principia conſtituere eſt potiùs principiata, quam principia adſtruere; nam quod figuratum eſt, corpus eſt. Nec ad aliud utique reſpexerunt Academici, quàm actiones, quæ ſapores conſequuntur, quamquam in eos manifeſtè lapſos eos pateat, dum acerbum, & auſterum liquefacere, atque urere, citrij mali ſuccum ex putredine naſci tradidere, quorum utrumque neque ratio firmat, neque obſeruatio detexit. Inter Recentiores Laurentius Grillus docto, atque eleganti libro ſapores non ex mixtura humidi cum ſicco per calorem facti, ſed ex ſe minijs reſultare peculiaribus, acribus, ſalſis, acidis nobis propter exilitatem quidem incognitis, quæ proinde ac varia ſunt, varios quoque, diuerſoſque ſapores producant; quæ ſententia parum abit à mente Democriti, qui ex corpuſculis, ut dixi, indiuiſibilibus, naturæque conditione diuerſis omnia conſlari contendebat. hanc protinus refellit Coſtæus, & ſeminaria illa vel corpora eſſe demonſtrat, vel accidentia. ſi corpora, ſenſibilia utique fuerint, alioquin guſtum minimè mouerent, ſi inſenſibilia; Senſibilia verò ex elementis conſtant, adeoque ſaporum cauſas alias non obtinebunt, quàm ex Gal. allatas. Si accidentia verò ſunt propoſita ſeminaria erunt utique qualitates, atque illæ iterum vel occultæ dictæ, quæ fluunt à forma mixti, nec poſſunt mouere ſenſum guſtus; vel manifeſtæ, quas deriuamus ab elementis: Itaque vel primæ fuerint, vel ſecundæ, ſic eòdem redit opinio, quò digreſſa fuit; Eſt enim reuera ſapor qualitas ſecunda guſtum efficiens à calore producta, dum is ſiccum terreum per humidum trajicit, ac percolat. Hermetici recentiores, ut patet ex Sennerti lib. de conſenſu, & diſſenſu Chimicorum, & Galeni, inquiunt, ſalem primum ſapidum, & guſtabilem conſtitui, omniaque saporem habentia, eum propter ſalem obtinere volunt. Opponit ſeſe Sennerto commentario ſatis accurato Gregorius Martinus, atque hæc ait à Sennerto Clariſſimo quidem viro ſcripta eſſe citra rationum fidem, ac fundamentum; Nam ſi ſal primum ſapidum foret, ſal eſſet ante omnia ſapida, ſalſus ſapor eſſet ſaporum omnium primus, omnium principium, & habitus, reliqui verò ſapores priuationes; omnia ſalem poſſidere deberent: ſal non eſt omnis ſaporis ſubiectum; non dulcis, auſteri, acidi. Chimici ipſi ſaporem dulcem à ſulphure, acidum à *ſpiritu* Mercuriali deriuant; Verùm Martinus haud obſeruat quid

pro-

propriè ſalis nomine Chimici velint, quibus illius totidem ſunt differentiæ, quot ſaporum, cùm fucatis tantùm verbis diſcrepantiam ſono, non re inferant: meliùs tamen (meo iudicio) aquam, & terram commune ſubiectum ſaporum agnoſcere; cauſam efficientem calorem, quàm pro adæquato magis ſubiecto rem hanc tanti momenti in ſale, ſulphure, & ſpiritu cõſtituere, cùm in ſale, & ſulphure non aliundè quàm à dictis cauſis ſapor oriatur. quæ ſententia ab Ariſt. & Gal. ſenſu calorem ſaporum opificem declarantium non recedit, cuius proximum ſubiectum plùs, minùſve terreum, aqueum, & aereum exiſtit.

De Speciebus ſaporum in plantis.

CAPVT XI.

Saporũm differentiæ afferuntur, eorumque cauſæ examinantur; Solis officia traduntur in natura, quemadmodum & ſingulorum ſaporum, qui ad ſeptem præcipua genera referuntur.

PRouidam rerum magiſtram Naturam non minùs producendis, quàm ſeruandis animantibus intentam, varios plantis ſapores indidiſſe, ut naturæ ſuæ conuenientia appeterent, infeſta verò declinarent; proximè nobis propoſitum fuit, tumque communes ſaporum cauſæ; ſupereſt, ut ſaporum ſpecies in plantis cum Galeno perueſtigemus: quamvis enim varios modos, quibus natura elementa miſcet, & pondus, proportionemque humanæ mentis coniectura non aſſequatur, licebit tamen ex efficientis cauſæ ad effectum varia habitudine de ſaporibus particulariter aliquid proferre. Diuidemus ſapores in calidos, & frigidos: calidi vel excedentem obtinent calorem, vel mediocrem; cum excedit calor, idque non multum in materia, quæ plùs aquæ obtinet, quàm terræ, exoritur ſapor ſalſus; quæ plùs terræ continet, quàm aquæ exoritur ſapor amarus; cùm autem calor excedit inſigniter, fit ſapor acer: ſi moderatè omnia habent, fit dulcis. Frigidi ſapores ſunt, in quibus calor ob debilitatem ſenſum guſtus non mouet. Calor itaque debilis cùm verſatur in materia, cuius terrena, ſiccaque pars humiditatem ſuperat, producitur ſapor adſtringens; & ſi paulò plus humidi adſit, fit ſapor acerbus. ſi in materiam ſimilem debilis agat calor, ſed qui paulò ſit fortior, generatur ſapor auſterus; cùm adhuc vegetior calor eſt, utcumque tamen debilis in materia tenui humiditate magis abundante, quàm portione terrea, gignitur ſapor acidus. Quod attinet itaque ad ſaporem plantarum, ſalſum eum definio ſaporem calidũ, citra magnum tamen caloris exceſsum acriter ſiccantem, & detergentem ortum, dum ſiccum terreum in humido diutiùs, ſed paulatim, ac per vices à calore attenuatur, atque torretur; ita ſalſedinem in mari produci tradũt Phyſici, cùm in ſublatis à Sole vaporibus terreſtres partes diutiùs aduruntur, quibus occumbente Sole in mare reciduis, paulatim iiſdem ſalſedo communicatur; idem contingit cùm à refluxu maris denudato litore, partes humido priùs aſperſæ à diurno Solis calore torrentur. Effectus ſal-

ſedinis

ſedinis ſunt; moderata attenuatio, inciſio, penetratio, ſuperfluæ humiditatis abſumptio, mixti à putredine vindicatio, tū rebus inſipidis,& aquoſis. in condiendis defunctorum corporibus olim uſus, & ſalis proprium priuilegium. Penetrationem ſubſtantiæ humidæ ſuæ tenuitati debet, quamuis ob partium terreſtrium mediocrem prouentum etiam adſtringat, ac denſet, quod ipſum, tamen, præcipuè ſali foſſili tribuunt Auctores. Amaritudo eſt ſapor calidus, qui linguam penetrans triſti, atque ingrato ſenſu imbuit, atque etiam ex parte aliqua adſtringit; talis eſt in Abſinthio, Tanaceto, Centaurio Minori, Aloe, Myrrha, & ſimilibus: ſcitè Virgil. lib. 2. Georg.

triſti ſenſu diſtorquet amaror.

& Lucretius lib. 2. habent cum Abſinthio tetra Abrotonique graues, & triſtis Centaurea, quemadmodum ſalſus in tali genere, in Crithmo, Fœniculo, & Paſtinaca marina, & huius generis ſimilibus. A calore fieri amaritudinem probat cum Gal. Auic. quod dulcis ſapor ſi diutiùs coctionem ſuſtineat, fit amarus: itaque cum dulcis ſapor nonnihil ſit calidus, ſanè calidior erit amarus, qui caloris urentis, & extorrentis vi ex dulci emerſit: Effectus eius ſunt deterſio, crudorumque ſuccorum abſorptio, meatuum obſtructorum reſeratio, ſed & penetrando eorumdem aliqua adſtrictio, quod tenuem quidem humiditatem terreæ partes non paucæ comitentur. Acrimonia eſt ſapor inſigniter calidus, qui in tenui reſidens ſubſtantia linguam morſu quodam ferit, ac veluti compungit, calore ſimul fauces infeſtante. Saporis tamen huius dantur differentiæ in plantis non paucis; ſunt enim quædam mediocriter acria, ſunt vehementiora: Inter mediocriter talia ſunt Calamenthum, Hyſſopus, Origanum, Serpillum, Thimus; hinc Poeta

Serpillum, & grauiter ſpirantis copia Thymbræ,

& alia huius generis, quorum effectus ſunt extenuare, incidere, reſerare obſtructa, adeòque menſes, & urinam ducere, calculos exturbare, viſcidos in pulmonibus humores ad expectorationem præparare. Vehementer acres ſunt Lepidium, Ranunculi, Clematides urentes, Eſulæ, Tithymali, quarum vi partes corroduntur, inflammantur, puſtulæ, & veſicæ immoderata attractione excitantur. Hoc tamen animaduerſione dignum eſt, quod licet ſalſa horum ſint temperatiora, impenſiùs tamen ſiccant, quia calor in materia denſiore, quàm acria & ſpirituoſa omnia illa in centrum rectiùs, hæc in circumferentiam agunt. Sequitur dulcedo, quam definio ſaporem mediocriter calidum, qui iucundo quodam ſenſu linguam afficit, atque aſperitatem eius demulcet; hanc in maturis fructibus quamplurimis guſtus deprehendit in radice glycyrrizæ, & potiſſimùm in arundine ſacchari. Virg. Georg. 2.

Et durum Bachi domitura ſaporem mella.

Quamuis autem ſapor hic tam humidi, ſiccique, quàm caloris mediocritatem præſeferat; ad calorem tamen, & humiditatem nonnihil inclinat, hinc eſt, quod homini dulcia plerumque grata ſint, quandoquidem temperamento eiuſdem ſatis conſentanea; nec mirum ſi gratum adeo, benignumque ſuppeditent alimentum, quod humidum cordis radicale æmulatur.

latur. Effectus dulcium ſunt blandè attenuare, laxare, abſtergere, lenire aſpera omnia, æquare, demulcere ſitim. Illud hic non immeritò quęritur an verum ſit, dulcia per calorem fieri amata. id ſanè demonſtrat Gal. exemplo mellis, & confirmat experientia in calidis naturis, & morbis acutis, in quibus exhibita dulcia bilem, ideſt humorem amarum plurimum augent: contrarium tamen fieri animaduertimus in vino dulci; quod per ſummum ęſtatis feruorem tantum abeſt, ut amarum fiat, ut potiùs euadat acidum; contingit idem in mulſo, in cereuiſia, & ſimilibus; immò quia acetum acerrimum conficere volunt, ficus aſſatos, & etiamnum calidos aceto inijciunt; quamuis aliàs ex ficubus dulciſſimis acerrimũ fiat acetum, & ſpiritus ex melle deſtillatus acerrimus ſit. Vt nodum hunc ſoluamus ſupponendum eſt, calorem externum agere in dulcia nunc vehementer, nunc modo quodam remiſſiore; ſi vehementer, & ſic ut feruorem, atque ebullitionem excitet, calore interno violentiùs incenso, & materia exuſta, dulcia omnia fiunt amara; ſi remiſſiùs agat calor, & calorem internum auocet, ac paulatim imminuat, reſoluatque, neceſſum eſt ſic affecta putreſcere; quod cum factum eſt, ob caloris inſiti debilitatem, impedita coctione, creſcunt. Dulcedini iungunt Auctores ſaporem pinguem, utpotè cuius Ariſt. & Theophraſtus meminerint, definitur pinguedo ſapor mediocriter calidus, linguam, oriſque partes grato quodam lentore oblinens; ſaporem hunc pauciſſimæ exhibent plantæ, nec in alijs quam in Muſę fructibus, & in mucilaginibus adumbratur. Quamuis autem temperatus habeatur ſapor, calidioribus tamen potiùs acceſendus videtur, quia quidquid pingue eſt, dulcibus ſupernatat, tum etiam longè promptiùs inflammatur. Reſidet dulcium calor in materia claſſiore, & conſequenter euidentior: pinguium verò in rariore; item pinguia calidiora videatur dulcibus non per ſe, ſed ratione facilioris inflammationis. Præcipua pinguedinis vis eſt remollire, laxare, humectare: Vtrum autem hæc propriè ſaporibus annumeranda ſit, diſquiremus inferiùs. Frigidi ſapores vel in craſſiore reſident materia, ut aſtringens, acerbus, & auſterus, vel in tenuiore, ut acidus. Adſtringens, ſiuè acerbitas eſt ſapor frigidus in craſſiore conſiſtens materia, linguam fortiter adſtringens, & exaſperans, humidumque eius extorquens: hæc reſidet in Acacia, Cydonio, Meſpilis Prunis ſyluestribus, Sorbis, Cort. Granatorum, Gallis, ſimilibuſque non maturis. Effectus eius ſunt refrigerare, ſiccare, repellere, denſare, & fluxum ſiſtere, cicatricem inducere. Auſteritas eſt ſapor frigidus, & ipsè in craſſiore ſubſtantia adhærens; differens tamen ab acerbo, quod calorem obtineat magis vegetum, & qui cum tempore vincere materiam, & mitificare poteſt: quòd humiditatis pluſculum adſit. In acerbo calor debilior, & portio terrea longè maior. Effectus auſteri ſunt linguam faciliùs penetrare, moderatiùs adſtringere, & cum aſperitate excitare, adeoque eadem agere, quæ acerbum, ſed remiſſiùs ob mixturam humidi cum ſicco exquiſitiorem. Ineſt fructibus mitioribus nondum maturis, adeoque uvis, pyris, pomis, perſicis, Myrto, & cæteris huius conditionis. Aciditas eſt ſapor frigidus in tenui habitans ſubſtantia, adeoque linguã facilè, & cum mordacitate penetrans citrà ſenſum caloris ullum: ſapor

hic duplici emergit modo; nam ſi in re putredinem ſubeunte, ſuperſtes calor debilis coctioni denuò ſe accingat, acetum oritur, ut in vino, cereuiſia, & ſimilibus; Deindè ſi tenuem materiam languidus aliquis calor percocturus in eadem ſuccumbat, obrepit cum intemperie frigida aciditas, idque ab ortu quibuſdam contingit, ut Acetoſæ, Oxytriphyllo Citri, & Limonum intimæ carni. Acida communiter penetrant, incidunt, immò tam foris illita, quàm hauſtu abſorpta fluxiones cohibent, omnemque ſanguinis eruptionem reprimunt, quamdiù tamen terreis partibus priuatæ non ſunt, quibus deſtillatione ſeparatis, potentiſſimè aperiunt, ac ſoluunt, prout in aceto deſtillato comperimus, & alijs ſpiritibus acidis, ſed modò occurrentes controuerſias circa dicta ſoluamus.

CAPVT XII.

An præter ſeptem ſaporum genera relata, alia reperiantur inquiritur; perpenduntur Ariſt. Gal. Auicennæ & Auerrhois opiniones; & circa eas dubia ſoluuntur. An opium calidi, frigidiùè temperamenti ſtatuendum ſit, & quomodo diſtinctio ſaporum à Gal. allata intelligi poſſit.

QVa ratione Methodi Præceptor Gal. dum caloris gradus ab imbecilli ad ſummum, & materiæ varietatem intuitus, ſeptem ſaporum ſpecies in plantis triplici caloris diſtinctione comprehenderit, proximè propoſitum mihi fuit, nempè à calore validiore ſalſum, amarum, acre; à moderato dulcem; ab imbecillo acerbum, auſterum, atque acidum deriuandum: quod ſi qui pinguem cum dulci combinent, & ſub moderato calore ponant, octavus quoque ſapor emergit, atque hæc quamuis accuratè ſatis à rei natura deprompta videantur, non carent tamen controuerſijs, quas, ut propoſita methodi vis magis pateat, paucis, & breuiter expendemus. Ac primùm quidem cùm varietas ſaporum alimenti gratia cognoſcendi à natura producta ſit, ratio ſpecierum ſaporis inueniendarum non ex eorum caliditate, frigiditate, vel moderatione cum Gal. ducenda foret, ſed cum Ariſt. potiùs: ab eo quod alere poteſt, aut non poteſt, adeòque propoſito dulci, atque amaro, tamquam extremis, quorum alterum alit, alterum ad alendum ineptum, atque ex illis reliquæ ſpecies intermediæ perquirendæ forent; immò rectiùs de ſaporum numero conſtituit Auic. dum materiæ, caloriſque varietatem conſpexit; etenim ſi materia craſſa ſit, & calida, producitur ſapor amarus; ſi craſſa, & frigida, producitur acerbus; ſi mediocris, prodit dulcis; quod ſi tenuis ſit materia, eaque calida, ſapor fiet acris; ſi tenuis, & frigida, fiet acidus; ſi mediocris, fiet pinguis; quotieſcunque verò materia inter craſſitiem, & tenuitatem ſubſtantiæ mediocris ſit, eſtque coniuncta caliditati, oritur ſapor ſalſus; ſi frigiditati, oritur auſterus; ſi caloris quoque, frigoriſque mediocritatem obtineat, oritur ſapor, quem inſipidum appellant, atque ita non ſeptem in plantis, ſed nouem potiùs ſaporum ſpecies conſtituendæ forēt. Sunt qui vinoſum, ac pinguem ſaporem haud omittendum cenſent, cuius cum Ariſt. meminit Theoph. Aceti quoque ſapor, ſi quidem guſtum con-

ſulamus, à reliquis diſtinctum quid habet; porrò ſapor amarus non tantùm cum calore iungitur, ut malè ſuppoſitum videtur cum Gal., ſed etiam cum frigiditate, ut rerum multarum argumento depræhendimus: etenim glandes, & cucurbitæ per initia amaræ ſunt, cùm tamen frigidæ ſint, ita ſorbæ primùm valdè ſunt amaræ, cùm tamen omninò frigidæ. Quid? Opium an non admodum amarum, in quo tamen refrigerandi vires maximæ? atque hæc præcipuè ſunt, quæ Auerrhoes Gal. & Auicennæ obijcit: nec ſanè dulcem ſaporem temperatus ſemper obijcit calor, non ille, qui eſt in cucumeribus, cucurbitis, multò minùs qui eſt in ſeminibus papaueris, & mandragoræ. tandem ſalſus quoque ſapor cùm ad alendum ineptus ſit, Theoph. ac Plutarcho iudice, è plantarum ſaporibus relegandus foret. Hæc ſunt quæ conſtitutam à nobis ſaporum methodum partim oppugnare, partim euertere videntur. Quibus tamen eodem, quo allata ſunt ordine ſatisfaciendum. Atque ad primum quod attinet, quamuis *Ariſtotelicis* libenter concedamus ſapores ad alimenti familiaris inuentionem eſſe productos, errare tamen eum, qui dulcibus tantùm animalia nutriri dixerit; ſenſuum profectò fide conuincimur; equidem tantum abeſt, ut homo dulcibus tantùm alatur, ut ſint qui dulcia penitùs non admittant; ſanguis utique totus dulcis non eſt, nam & pituitam inſipidam, & amaram bilem, & acidam pariter melancholiam poſſidet; conſtat que Medicorum conſenſu, varias humani corporis partes varijs pariter humoribus ali, quamuis ſanguinem ſolum alere exiſtimarit Ariſt.; neque animantia reliqua dulcibus tantùm ali, vero conſentaneum eſt, quando ouium, & caprarum genus amara ſalice libentiſſimè veſcatur; turdis oliuæ atque hæderæ amaræ baccæ, iuniperi item, & myrthi auſteræ cibi ſunt ſuauiſſimi; coturnicibus quoque acer helleborus gratiſſimus; atque in pratis ex multiplici herbarum genere, quo iumenta aluntur, admodum paucas reperiri eſſe dulcis ſaporis. Rurſum non omnia dulcia cibo apta ſunt, non Aconiti illius radix, quod Doronicum vocant, non Hiuccæ Indicæ ſuccus, quamlibet ſit dulcis; homini enim perniciem accelerat; immo & dulcia ſe inbilem vertunt, & ſtomacho ſunt parum apta. Addo, quòd prouidentiæ repugnaret naturæ, tot præter dulcem produxiſſe ſapores, quorum tamen ad alendum uſus haud eſſet: ex quibus effloreſcit; ſi quis ad dulcis tantùm ſaporis normam extendere velit uniuerſum ſaporum genus, eum *erroris* ſuſpicione minimè vacare. Quis porrò, quod ſcribit Ariſt. ex *dulci*, & amaro reliquos produci ſapores experimento unquam verum eſſe didicit? etenim ſi quid ad naturæ exemplum rebus res permiſceat, nunquam acidum, acerbum, auſterum, ſalſum, acrem ex dulci, atque amaro ſapore conficiet. Neque (herculè) Auic. methodus, qua genera perſequitur ſaporum, carere errorum notis videtur; nam quod à materia craſſa, calidaque dulcem ſaporem; à materia tenui, & frigida acidum eſſe ſcribit, confutatur exemplo mali perſici, aliorumque pomorum; hæc enim dum craſſiora ſunt, atque immatura, acida depræhenduntur; dum verò fructus hi molliores, ac maturi, dulces ſunt. Non item acris ſapor ſemper in tenui materia conſiſtit; etenim in allio, & cæpa qui reperitur, cum materia eſt craſſiore. Pinguis verò ſapor licèt ab Ariſt. & Theoph. nominatus, non

ſpeciem

ſpeciem utique ſaporis ſingularis conſtituit, ſed differentiam ſaporibus propemodum omnibus communem: reperitur enim in acido, vetuſtoque lacte, in amygdala tam dulci, quàm amara, in aeri item tithymalo. Inſipidum tandem fruſtrà inter ſapores reponit; quamuis enim ad eumdem guſtus pertineat ſenſum, ad quem ſaporem quæſo? priuatio nanque ſaporum eſt. neque in ſaporum proprio cenſu collocandus; neque inſipiditas eum ſubſtantia ſemper mediocri eſt, & cum mediocri, ut aiunt, calore: ineſt enim aquæ, cum ſubſtantia tenuiſſima, & frigidiſſima: in cucumere item cum calore debili, & ſubſtantia planè aquea. Vinoſus prætereà ſapor non ſpeciem, ſed differentiam tantùm communem, ut pinguis, conſtituit; etenim in Moro coniungitur cum ſapore dulci; in ipſo vino dulcedinem acrimoniam, amaritudinem, & auſteritatem interdùm ſociam admittit: aciditatem in punico malo, & berberi: de aceto autem ſecus omninò ſtatuendũ; nam cum acetum in vino haud generetur ſine vi putredinoſi caloris, acrimoniæ multum unà ſibi acquirit; igitur acetum mixtum habet acidum, atque acrem ſaporem, non ſimplicem, aut ab alijs ſaporibus diſtinctum. De amaro ſapore dubiatio eſt maioris momenti, cùm argumentis à Clariſsimis viris, atque ab euidenti ſenſu petitis demonſtretur, amara non calido tantùm, ſed & frigido temperamento prædita eſſe. An igitur amarus ſapor à frigido quoque oriri poteſt, ut cenſet Auer.? quamuis plerumque ut ſcribit Gal. ſequatur caliditatem, atqui non poteſt à cauſis contrarijs idẽ prodire per ſe effectus. an ergo ſapor verè amarus ex calore ſemper exoritur, ac ſi cum frigidis quoque rebus reperitur, ex contrarijs earum rerũ partibus conſtare dicendum eſt id quod de roſa, cichoreoque, & ſimilibus; non igitur impedit quo minus in glande & cucurbita; cum plurima ſubſtantiæ frigidioris copia per interiores partes diffuſa, partes aliquot calidas, exuſtaſque coniungi, quæ vice illarum occupent ſuperficiem: Eſt *in glande adſtrictio amarore manifeſtior: in cucurbita etiam vis refrigerandi ſtrenua:* exoluitur autem horum amaritudo, tum vi Solis, tum elixatione, quod indicio eſt, neque magnum eſſe huius ſaporis fundamentum, neque hunc intimam obtinere ſubſtantiam, ſed ſuperficiem potiùs externam. Sed & lactucæ ſeneſcentis amaror eiuſdem eſt modi, & ſuperficiem ſolùm occupat, facilèque tollitur lixatione; contra quæ in abſinthio, abrotono, ſimilibuſque, quibus amarus cum calore ſapor adeſt; Itaque de earum rerum genere, quarum amaritudo, vel maturatione, vel elixatione corrigitur, ſic forſan cum Gal. reſpondendum fuerat. De opio verò, cujus ingratus ſapor nulla unquam coctione tollitur, adeòque amaritudine intimam occupat ſubſtantiam, haud immeritò dubitari poteſt, calidum ſit, an frigidum, ut à Veteribus traditum eſt; unde enim acrimonia illa, & faucium ex eo vel epoto, vel commanſo ardor; ſi non à calore? fumus ille, quem exhalat, cùm uritur craſſus, ac copioſus, tum flamma, quam diffundit, nullius rei magis, quàm aereæ ſubſtantiæ argumentum præbent: amẽtia quoque, & furor, quem ante ſtuporem excitat, cui potiùs, quàm à feruida exhalatione immodicè calefacto capite, acceptum ferendum? ſed neq; ſtupor, qui ſuperuenit, proprius videri poteſt frigidi effectus, ut ea ratione quibus epotum cũ Poeta æterna claudantur lumina noctæ id fateor ſa-

 nè:

nè: atramen iam ſatis cognitum eſt etiam à calidiſſimis idem fieri; nam à ſpirituoſo liquore, qui ex vino, frumento, baccis iuniperi, ſimilibuſque, qui arte elicitur, ſapor inducitur, & ſi rectificatus ſupra cineres liquor ſit, & copioſiùs aſſumptus, inuehit etiam ſtuporem. Quamuis concedam frigida, & calida non eodem modo effectum, ſiue ſtuporem inferre, nam frigida id faciunt calorem extinguendo, vel repellendo; calida verò vel copioſo, craſſoque fumo immodicè caput replendo, & meatus occludendo, vel exuberante calore cerebri calorem, ſpirituſque diſſipando. atque ijs omnibus facilè inducor, ut exiſtimem opium effectiuè quidem, ut alia frigida, ſtuporem inducere; per ſe tamen, & per temperamenti conſtitutionem calidum exiſtere. Porrò dulcem ſaporem moderatum conſequi calorem non eſt, quod ambigamus, quamuis in dulcium genere, ut in alijs ſint, quæ à medio ad alterum extremorum plùs, minùſve recedunt; equidem papaueris ſemina non exactè dulcem, ſed ſubdulcem potiùs obtinent ſaporem, qui ad inſipidum, frigidumque vergit: igitur quod tenues, & acres catarrhos ſiſtant; id faciunt exhalatione partim frigida, partim ſubſtantiæ craſſioris, qua de cauſa & ſomnum conciliant, niſi proprietate formali id fieri contendamus: quamuis autem ſomnus frigidam, & humidam præcipuè ſequatur intemperiem, fit tamen qui ſecundùm naturam eſt ſomnus, ex utili, temperatoque vapore in cerebrum ſublimato, qualis ex papaueris ſemine ſubdulci excitari poteſt. Mandragoræ ſanè fructus inſipidi potiùs, quàm dulces pronunciandi fuerint, quo nomine mirum nullum ſit, quòd effectus pariant frigidos. Si igitur idem ſapor ex contrarijs cauſis non emergit; rectè quæ Gal. in calidos, & frigidos tum moderatos uniuerſum genus diſtinguit, atque adeo rationibus in contrarium allatis non ſuccumbit Gal. Methodus, quem de ſaporum ſpeciebus ſequuti ſumus, ſupereſt modò, ut rationes indagemus Theophraſti, & Plutarchi Clariſſimorum Auctorum, quibus inducti ſalſedinem à plantarum ſaporibus ſejunxerunt, tum quæ cauſæ ſapores immutare queant.

De Sapore Plantarum ſalſo, & cauſis mutationum ſaporum.

CAPVT XIII.

Salſum ſaporem oppugnatum à Theophraſto, & Plutarcho defenditur. oſtenditur ſalis utilitas in natura. Cur ſalſus ſapor minùs frequens obſeruetur in plantis, & magis peruius dulcis. cauſa mutationis ſaporum inquiruntur, ſtatuuntur.

PLantis omne ſaporum genus inditum eſſe tam caloris, qui opifex, & Auctor varij gradus, quàm materiæ, ut fatetur Ariſt. aptitudo ſatis, ſuperque demonſtrare poteſt: obſtant tamen ſententiæ Scriptorum alioquin Clariſſimorum Theophraſti, & Plutarchi, qui ſaporem ſalſum in uniuerſo plantarum genere non reperiri contendunt; & ſi reperiatur, eſſe ad nutritionem, & generationem prorſus ineptum: rationes, quibus adducantur, has potiſsimùm habent, quæ doctiſsimè à Coſtæo perpenduntur,

tur, nè gloria ſua tantus vir defraudetur, quòd ſal erodendi vim excellentem obtineat, adeòque humorem inſitum, in quo vitalis facultas, abſumat; cui rei argumentum exiſtimant, quod ſalſis in locis nihil penè gignitur. Quamuis autem obijciatur, piſces maritimos in ſalſo humore degere, qui tamen ipſorum humido, cutæque non officiat; reſpondent, in ſalſo quidem piſces degere, minimè tamen ex ſalſo, ſed dulci, quod aquæ maritimæ coniunctum eſt, viuere, ut arguit in carne ipſorum ſapor. Præterea, ſal eſt corpus immutabile, & incorruptibile, quorum illud oſtendunt operationes Chymicorum; hoc condimenta corporum; quidquid autem in nutrimentum, & generationem cedere debet, id neceſſum eſt immutari: addunt ſalſum omne eſſe graue, & terreſtre, adeòque ſicut à ſole non attrahitur, ità nec ab inſito plantis calore per tenuiſſimos poros diffundi poſſe. Cùm itaque alimenti gratia attrahi nequeat, ſi reperiretur, haberèt tantùm rationem excrementi; atque hoc ipſum tamen cùm meatus ad huius excluſionem plantis tributus non ſit, neque hoc nomine hoc ipſum coaceruari in ijſdem poſſe. Virgilius quoque tellurem ſalſam infrugiferam vocat; quod habet etiam de amara, dum inquit. Georg. 2.

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat.

Ac Theophraſto quidem cùm obijcitur, ſenſum agnoſcere, inficere ſaporem ſalſum; reſpondet, eum ineſſe ſummo cortice, non ineſſe intimæ ſubſtantiæ, tamquam ad fructus conſeruationem, veluti inutilem foras à natura propulſum ſit, ſimilem in modum in cucumere, & glande amarum ſuccum in cortice illarum, tamquam inutile recrementum, deponi. Hæc quãuis in Magnorum Auctorum monumentis obuia, minimè verò conſentanea ſunt, ſiue ſenſuum perſpicuitate, ſiue rationum momentis, omnia perpendamus; nam præter Cicer. in kali genere, ex quo Sal copioſum in vitrorum uſum elicitur, in Halimo in Crithmo maritimo ſalſum ſaporem teſte etiam Dioſcoride euidenter percipimus: obſcurior eſt in beta, & braſſica, tum petroſelini, & fœniculi radicibus, in quarum percoctarum iure non parum ſalſi percipitur; immò nulla ferè planta eſt, ex cuius exuſtæ cinere ſal non eliciatur: manifeſto ſatis indicio communem conſeruationis cauſam ijſdem ineſſe, quo vèl ſolo queant refutari illi, quibus id excrementi rationem haberi videtur. Iam ad allatas in contrarium rationes quod attinet, ſalem, quamuis erodat, & abſumat humiditates, non eſſe tamen ſimpliciter ad nutritionem, & generationem inutilem, plantarum allata conuincunt exempla. Quomodo enim hæ viuant ſi non aluntur ſalſis? cur verò tantoperè vereamur erodere ſalem, atque humidum radicale abſumere? fortè quia lanas, ſimileſque res molliores erodit? at non erodit carnes, quas potiùs denſiores efficit, & diutiſsimè conſeruat; immò etiam quædam in ſtirpium genere, licèt ſalis expertes, ſale tamen delectari, aut nutriri, vel certè non ſine ſale proficere obſeruantur. exemplum clariſſimũ in dactyliferis palmis, notum aliàs plantarum cultoribus, lætiùs eaſdem creſcere, & vernare, ſi cineres ſui generis cum terra nutrice miſceantur. Hinc Poeta ait.

Georg. 2. *Cinerem immundum iactare per agros, profuit.*

Sale item ſanguine pecudum, ac terra permixtis bulbus numeroſos in partus extuberare: nec aliundè manauit eximium arcanum è combuſtæ plantæ ſale ſpiritu proprio imprægnato eandem rediuiuam denuò ſuſcitandi. quinetiam ſale ſtirpium fructus radices, aliæque partes; & qui quæ corruptioni maximè obnoxij ſunt fungi incorrupti ſeruantur. naues etiam alicubi in mari ad ducentos annos incorruptas perduraſſe literis mandauit Theoph. quarum materies extra mare, vitæ tam diuturnæ non eſſet. Eſto ſalem rebus quibuſdam noxium eſſe, non ijs tamen obeſſe poteſt, quibus id per naturam, & à generationis principijs inſedit. Sic acris admodum ſapor piperis, & zingiberis, ranunculive licèt partibus humani corporis admoti erodere, atque exulcerare poſſint, ſuarum tamen plantarum vitæ nullum afferunt detrimentum. Quod verò ſequitur negantes ſalſis in locis aliquid produci, id apertè redarguunt kali, Crithmum, Papauer, Ceratoides, Eryngium, Soldanella, aliaque in maritimis paſſim litoribus frequentiſſima. ipſe verò etiam Theophr. maritima rum in Perſide arborum hiſtoriam alibi confirmat; Piſces autem in mari, qui humore ſalſo non ali arbitrantur, eos refellit ſapor, qui in maritimis diuerſus, quàm in fluuiatilibus piſcibus. Ineptitudo verò ſalis ad nutriendum, quia mutationis, aut corruptionis expers, ea ſanè nulla; quamuis enim ſal maximè perennet, conditio tamen in eo ineſt ad alendum, mediante coctione; hæc verò cùm ſit elixatio quædam, per calorem in humido facta, nil impedit, quò minùs ex rebus calidis fiat, & humidis, tale autem ſal eſt, quod & calidum eſt, & ſiccum, terreum in humido copioſiore quem poſſidet, ergo cōcoqui poteſt. Ex hoc fundamento deſtruitur etiam ratio proxima, qua ſal ad diſtributionem haud idoneum iudicatur; quoniàm terreſtre, ac ponderoſum, nec meatus ſubire tenues queat, nec à calore vel interno, vel externo attrahi: nam cùm nominatæ plantæ ſuperiùs ſalſæ ſint viuæ, neceſſum eſt, ut nutriantur, & conſequenter calore proprio ſalſum alimentum attrahant, & digerant. Quod ſi alimentum amaro, auſtero, vel acerbo ſapore perfuſum ſit longè craſſioris, quàm ſal, ſubſtantiæ, ac magis terreæ, habile tamen eſt, quòd per anguſtos plantarum meatus, nutritionis gratia, diſtribuatur. Quid ſalſum trahi quæſo dubitemus, quod ſubſtantiæ longè tenuioris? Sed maioris roboris eſt poſtremum, quod obijciebatur, ſalſum ne excrementi quidem rationem obtinere poſſe, quia deſint *plantis* viæ per quas id expellatur; illud enim iam conſtitutum eſt, plantas ſalſas alio alimento non poſſe nutriri, quàm ſalſo, adeòque ſuccum elicitum non excrementi, ſed nutritionis uſum habere. Non habent quidem plantæ euidentes poros, & certos, è quibus excrementitia materia expurgetur, quandoquidem ſimpliciores, & in terra iam antè, quàm digeſtos, ſuccos attrahant; quotieſcumque tamen ijs opus eſt, non eſt naturæ magis difficile alimentum longis itineribus in plantam uniuerſam diſtribuere, partes quotidiè nouas efformare quàm pro uſu, meatus aperire nouos, apertoſque denuò claudere, ut in reſinoſis obſeruamus plantis; ſed hæc de ſalſo plantarum ſapore ſatis, ut dubium ampliùs nullum ſit omne ſaporum genus ijſdem ineſſe. Illud reſtat perquirendum, cùm ſapores alij in *plantis*

fre-

frequentiſſimi ſint, cur ſalſedo in tam paucis? Si Theoph. conſulimus, in promptu ſunt reſponſa; quoniam ſali vis ineſt erodendi, & inſitum humidum, ex quo rerum ortus fieri debet abſumendi, atque hanc cauſam eſſe, cur loca ſalſa ſterilia, cur plantæ ſalſo affuſo radicibus liquore contabeſcant, & areſcant; ſed harum rationum debilitas iam antè patefacta. An igitur, ut pretioſæ gemmæ rariores ſunt, ità & ſalſæ plantæ, & fructus; eſt enim ſalſus ſapor, ſi dulcem excipiamus, ſupra reliquos ſapores in humana vita accommodatiſſimus uſui; ſale enim, & Sole, inquit Plinius, nihil utilius. Si quis tamen admittens rariora eſſe, quæ pretioſiora, quærat, cur igitur dulcium, quæ ſalſis pretioſiora ſunt, tanta paſſim occurrat copia? reſponderi tamen poteſt, maiorem debuiſſe dulcium eſſe prouentum, quia alimento nobis magis ſunt, quàm ſalſorum, quia præſtant ſolummodò cōdimentum: quamuis hùc facilè inclinet animus, rem hanc non materiæ, aut finis neceſſitatem ſequi, ſed occultum quid nobis, ignotumque prouidæ naturæ conſilium. Porrò quam ob cauſam plantarum alias in totum inſipidas, alias partibus omnibus ſapidas natura produxerit, in humidi, ſiccique variam mixtionem referendum erit; nam cùm ſapor ex humidi, & ſicci moderata commixtione prodeat, neceſſum eſt, quæ inſipida ſunt immoderatam vel humiditatem obtinere, vel ſiccitatem nimis excedentem, adeòque terrei, craſſique dominium inſigne: quem autem finem hîc ſpectaret prudentiſſimus rerum Opifex, penès ipſius bonitatem diſpoſitū eſt; nam ut in animantibus ad ornatum huius Orbis, varioſque hominum uſus alia alijs diſſimilia eſſe placuit; ita plantas cùm alijs qualitatibus, tùm ſaporibus diuerſas eſſe præſtare iudicauit. Quæ ſententia in communi intellectus humani imbecillitate moderatis ingenijs ſatisfecerit. At quarum plantarum aliæ ſeruent saporem, aliæ mutent, conſideratione quoque dignum eſt. Harum autem illud facit conſiſtentiæ denſitas, uniformitas, & ἀκρίβεια mixturæ in allio, & cæpis, hoc partim natura efficit, partim ars: natura, mutatione ætatis calorem per gradus varios intendens, ad coctionis officium conſummandum: hinc arborum multarum fructus initio acerbi, ſenſim & acidi, & dulces fiunt; attenuato, mitigatoque plùs, minùsvè ipſorum ſucco vi caloris. Per eandem cauſam & glandis, & ſorbi amaritudo remittit magis concoctarum. Colchici radix Vere amariſſima, in Autumno demum dulcis euadit, dum poſt hyemem multo perfuſa ſucco, per æſtum concoquitur. hùc conſpirat regionum varietas, calorem, alimentumque diuerſum exhibendo; tum locus; nam qui rectiùs, & diutiùs à Sole illuſtratur, fructus ſuppeditat meliores, & tenacioris ſaporis. Ars quoque mutat ſapores, calorem, additis fomentis, & incitamentis externis augendo, vel coctione, aut maceratione minuendo; ita ſuillo fimo adiecto, malus punica fructus edit dulces; acrimonia item cæparum miteſcit. Maceratione minuitur ſapor in Lupinis, quippè qui neque de intima ſucci ſubſtantia eſt, ſed ſuperficiei quaſi inhærens, nec tantoperè intenſus, quin à contrario ſuperari queat. Contrarium ineſt ſcillæ, aloe, colocynthidi, quorum ſapor idcircò nulla coctione, vel maturatione perditur.

De

De Plantarum odore.

CAPVT XIV.

Odorem nullibi ſuauiorem, quàm in plantis aſſeritur, eadem de cauſa, qua ſapor, animalibus conceſſum à natura. eo ab antiquiſsimis ſeculis Deos prolectari conſuetum. hominem excellentiùs odoribus affici, eſſe non ſimplicium, ſed mixtorum Corporum ſubiectum, materialemque cauſam odoris eſſe; corpus ſicci, humidique permixtione conflatum ſtatuitur, definitur tandem.

SApori Plantarum cognata, ne dicam innata qualitas, odor eſt, nullis alijs in corporibus mixtis, quàm ſtirpibus excellentior viribus, aut varietate iucundior; adeòque iucundiſſimi halitus ex ætheree veluti auræ prodiga expiratione diuinum quid Veteribus, & Dijs immortalibus dignũ poſſidere videbantur. Quod ex antiquiſſimi Poetæ Orphei hymnis conſpicuum euadit, dum ſingulis Dijs tum hymnum concinit, tum ſuffitum ex odoribus proportionatum pro ijſdem auocandis ſubnectit: Vtebantur inter ſacras ceremonias odoribus frequentiſſimè Antiqui, ſiue Deos placare, ſiue rebus humanis aduocare ſtudebant; atque etiamnum inter Chriſtianos ritus conſuetudo perſeuerat: Quamuis autem ex odoribus non ſecùs atque ſaporibus animantium generi uniuerſo hæc redundet utilitas, ut alimentum utile ab inutili protinùs ſeligere queant, undè egregiè Lucret. *Eſt alius alijs nidor datus, ad ſua quemque pabula ducit, & à tetro reſilire veneno cogit, eoque modo ſeruantur ſæcla ferarum.* Homini tamen præcipuè rerum natura tot odores produxit, utpotè qui ſolus ex eorum ſuauitate ingenua, atque innoxia voluptate perfunditur, cuius ſpiritus tam vitales, quàm animales harum tenui ſubſtantia reſtaurantur; cor ipſum adeò, & cerebrum, nobiliſſimarum functionum membra, confirmantur, & recreantur. Eſſe autem odorem nullius ſimplicis corporis, ſenſu conſtat in aere, igne, aquis, & terra: quamuis enim marinæ, ac thermales aquæ; terra lemnia; concluſus intra cauernas aer, & ignis, aromatum ſuffitu excitatus, odoris aliquid obtineant, non ſimplicium tamen id elementorum, ſed mutuo ſibi coniugio deuinctorum; adeoque, ut ſaporum, ſic odorum quoque ſubiectum, corpora ſunt mixta. Non tamen quodcumque mixtum id exhibet; non quod ſicciſſimum eſt, ut lapis, atque aurum; non quod frigidiſſimum eſt, cùm experimento conſtet, à frigido odores non obtundi tantùm, ſed etiam extingui; neque etiam quod humidiſſimum, adeòque aquę puriori cognatum eſt; aut calidiſſimum ut ferrum, aurumque candens. Sed odorum ſubiectum, & materia eſt corpus ſicci, humidique permixtione compoſitum; ſicci verò non craſſi, & terreni, quale ſaporibus ſubſterni debet, ſed longè tenuioris, cuius ſubtilitate etiam in longiùs diſsitum olfactus organum odor pertingat: contra quam prædita ſapore corpora faciunt, quæ niſi proxima, nullum ſui ſenſum præbent. humidum item, quod odoris ſubiectum eſt, non aqueum ſimpliciter eſt, cuius ſuperfluitate odora qualitas obtunditur; ſed humidum halituoſum, atque aereum. *habet*

itaque

itaque ab aerea portione, ut procul, & celeriter olfactus ſenſum afficere queat, ab aquea verò, ne ſtatim diſſipetur; obſtare tamen huic ſententiæ videtur, quòd dentur odorata ſubſtantiæ aqueæ limpidæ; quales ſunt ex plantis odoratis arte elicitæ aquæ. Terreæ item, & humido penitus deſtitutæ; quales ſunt in thure, myrrha, aromaticiſque herbis, diutiùs ſiccatis; ergo malè ſubiectum, ſiue materiam odorum in humidi, ſiccique mixtura collocamus. Chymici, ut ſui moris eſt, abſtruſis terminis, & vocibus rem ipſam confundentes, odorum adæquatum ſubiectum ſulphur rebus inſitum arbitrantur & eſſe primum in natura odorabile, reliqua verò omnia talia eſſe propter ſulphur: in exemplum adducunt olea, ſpirituſque rectificatos Roſæ, Vini, & ſimilium fragrantiſsimos; ſed hæc utcumque ſint, non euertunt poſitum à nobis fundamentum; etenim aquæ plantarum odoratæ utcumque actu tales ſint, & κατὰ δόξαν, minimè tamen puræ ſunt, ſimpliceſque potentia; ſed quandiù odoræ qualitatis veſtigium obtinent, ſicci terrei tenuiſsimi, atque aereæ portionis reſiduum poſsident; iuxta cum calore; ſic quoque terrea illa apparenter quidem admodum ſicca, licèt admodum humiditate deſtituta videantur, reuera tamen in potentia eam cōtinent, cuius interuentu partes terreæ cohærent, & quæ artificiosè admotæ calore facilè ab ijs ſeparare licet; quamuis ad aeream magis quàm aqueam naturam accedant. idem quoque de Sulphure Hermeticorum, ac ſpiritu cenſendum eſt; utrumque enim non ſimplex, ſed reuera compoſitum corpus conſtituit: aereæ namque ſubſtantiæ plurimum poſsident, deindè igneæ minùs aqueæ, minimum terreæ. Aerea, & ignea in ſpiritu Vini, ac Roſarum dominatur. Aerea, & aquea cum portione terrea in ſpiritu nitri, ſalis, vitrioli; immòque hi nil aliud Peritioribus videntur, quàm ſalia vocant volatilia, tenuiſsimo in humore reſoluta, vel liqnata: ſalia autem omnia humidi pluſculum, deindè terreum quid, & calidum obtinent. At Sennerto Viro quidem Clariſsimo ſulphur odorum primam conſtituēte reſpondet Gregorius Martinus, ſi ſulphur odorum principium foret, quidquid ſulphure copioſo conſtat, multum odoris ſpirabit; ſecus tamen fieri obſeruamus in oleis multis, & pinguedinibus, quibus tamen Chymici dominium ſulphuris aſsignant, atque è contrario plurimum odoris ſpirat polium marinum, quod oleo ferè nullo præditum eſt. Perſeuero itaque in opinione ſtatuta, & ſubiectum, materiamque odorum ſiccum pronuncio terreum, tenue, humido aereo, halituoſoque permixtum; ſic tamen, ut ſiccæ partes humido præualeant. Sicci autem huius, ac humidi contemperatio caloris, tanquam opificis, effectus eſt, commune operantis naturæ inſtrumentum, quo maturat coctionis gratiâ, & cætera perficit: non externi tamen, ſed interni. Quamuis enim externus calor dum odorata corpora laxat, efficit, ut odor exhalet, & in ambientem diffundatur, attamen ut aliquid odoratum ſit, ex intimi caloris actione obtinet, benè, vel malè ſubiectam materiam digerentis. Excluſum igitur hic quoque volumus frigidum: hoc enim cùm non ſegreget heterogenea, vel homogenea congreget; ſed omnia confundat, exhalationem etiam, quantò vehementius eſt, tantò potentiùs prohibeat; odorum tam generationi, quàm communicationi cum ſenſu penitùs ineptum eſt. Obijci tamen poteſt, ſi à frigido nec

gignitur odor, nec diffunditur, undè in tot frigidis plantis vehemens, & ſuauis odor, ut in Roſis, Violis, Cydonijs, Camphora quoque, Santaloque, & ſimilibus. Solutio tamen huius difficultatis ex ijs, quæ de ſaporibus propoſuimus ſuprà, facilis emergit; quemadmodum enim ſapores quidam frigidi nominantur, non quòd à frigido fiant, ſed à calore debili; ſic etiam cenſendum eſt de odoribus; ac roſarum quidem odora ſuauitas non circa foliorum in floris ungue conſiſtit, qui frigidi, & ſicci dominium præſefert, ſed in parte reliqua, in qua cum amaritudine caloris pluſculum reſidet. violarum odor in tenui, & ſuperficiali ſubſtantia ſupernatat; Cydonia diuerſum obtinent corticis, ac carnis temperamentum, quemadmodum citrea, vel aurea Poma: de Camphora maxima controuerſia eſt, frigida ea ſit, ut Arabum communis ſententia eſt, an calida; verùm ut omittam quæ ſuſiùs aliàs declarauimus, dubium non eſt, cùm Camphora tota ſit aereæ, tenuiſſimæque ſubſtantiæ, maximè ſpiritoſæ, frigidæ propriè naturæ non eſſe, atque effectum adeò refrigerandi non per ſe, ſed ex accidenti producere, nitri inſtar, prout nobis iam definitum eſt in diſſertatione noſtra de Aere, & Aqua. De Santalo quoque ſciendum, quamuis recens, & aquea humiditate copioſiùs perfuſum, euidentiùs refrigeret, ſiccum tamẽ quamdiù odorum eſt temperati potiùs caloris, humidum aereum attenuantis indicia præbere. Ex propoſitis itaque communibus cauſis odorem definio qualitatem olfactus, propriam originem trahentem ex ſicco terreo, tenui, humido aereo, & halituoſo perfuſo, cùm à calore attenuatur, & reſoluitur. ex eo etiam conſtat, quoniam ſapor, & odor materiam agnoſcunt humidum, & ſiccum, efficientem item calorem, finem quoque vel alimenti, vel medicamenti conuenientis electionem: mirum non eſt, quod ſapore deſtituta corpora, deſtituantur etiam odore; tùm quæ carent odore, carere pariter ſapore. Differentiam tamen obſeruamus inter hos in materia proxima, quę in odoribus ſiccum tenue facilè, diſſipabile, atque, ut Chymicis utcumque faueam, ſalem maximè volatilem, humidum item aereum obtinet, atque adeò halituoſum; differunt deinde ſenſuum organis proprijs, quod in ſapore lingua eſt, in odore verò non meatus anteriorum cerebri ventriculorum membrana propria obductus, ut contra experientiæ fidem ſcribit Coſtæus, ſed oſſi Ethmoidi incumbentes nerui, quorum extremum ob protuberantiam, quam obtinet in animantibus, Proceſſum mammillarem Anatomici vocant. cæterùm ſic ſubiecto odorum, cauſiſque in uniuerſum conſtitutis, modò ad eorum ſpecies procedendum eſt.

De Speciebus Odorum in Plantis.

CAPVT XV.

Odorum ſpecies referre difficilimum eſſe oſtenditur, & cur; non ex ſaporum diſtinctione facilè emergere odorum differentias, & ob quam cauſam; cur debilius odor, aut validiùs exhalet, cauſa inquiritur.

ODorum ſpecies indagare laborioſum quippe eſt, earum enim inueſtigatio non parum continet difficultatis; etenim cùm modos, & pro-

proportiones varias, quibus opifex natūra rerum elementa miſcet ignoremus, neceſſum eſt, ignotam pariter eſſe exactam odoratatum ſpecierum definitionem: accedit, hominem ſenſum odoratus obtuſum admodum habere, atque ab animantibus quamplurimis longè ſuperari, id, quod cognitionis difficultatem auget; hinc Lucretius non omnibus eadem æquè ſuauia dicebat. Quamuis autem in ſaporibus ſpecies manifeſtiùs determinare liceat, atque ob affinitatem naturæ ſapores quoque in dulces, amaros, acres, acidos Philoſophi olim diſtinxerint, tamen dum odorem dulcem pro ſuaui, acrem, acidumvè pro inſuaui dixerunt potiùs ſimilitudinem aliquam ſequuti ſunt, & differentiam, quàm diſtinctas ſpecies odorum. Vt gradus tamen aliquot metiamur, ſtatuendum eſt, neque caloris eandem ſemper in odorato ſubiecto vim eſſe, neque humidi, ſiccique eamdem eſſe habitudinem, ac proportionem; ſed calorem nunc validiorem eſſe, nunc minùs efficacem; ſiccum, item humidumque modò copioſiùs eſſe, modò parciùs; quandoque tenuiùs, quandoque craſſiùs. Sanè ubi hæc omnia in certa quadam moderatione poſita ſunt, iucundum prodire odorem neceſſum eſt; ubi immoderatè ſe habent, vel iniucundum, vel nullum. In quibus igitur corporibus humiditas exuperat aquea, quia ſiccum nimia humidi copia diluitur, nec calor debilis perfectiorem coctionem moliri poteſt, talia inodora depræhendimus; & in exemplo ſunt Cucumeres, Lactuca, plantaque ſimiles. ſi verò corpus terreo elemento, craſſoque abūdet, quodque exiguo diluitur humore, utrumque à debili calore exactè miſceri, & concoqui nequeat, in eo quoque nullus excitari poteſt odor, ut conſtat in lapidoſis quorumdam fructuum corticibus, & induratis: quotieſcumque verò cum aqueo humore copioſiore in mixto calor habitat, validus, qui concoquere omnia, & inutilia, impura, craſſa ab utilibus puris, tenuibus ſeparare poteſt; odor exurgit tenuis, gratus, & celeriter ad olfactum pertingens, qualis odor vini, quod tantò magis odore præſtat, quò calor vegetior, & defæcatio exactior peracta eſt. Rurſus quando cum exuberante humiditate aquea corporis mixti calor non naturalis, ſed qui præter naturam eius eſt, accedit, adeòque non digeſtio, ſed corruptio fiat; neceſſum eſt, odorem produci tetrum, ut contingit in vino, alijſque liquoribus putrefactis: ſi cum humido copioſiore, ſed aereo, calor præſto ſit, mediocris odor excitatur, ſuauis quidem, ſed debilis, ut in Nymphęæ floribus. quod ſi parcius humidum ſit, aereum tamen; ſiccum autem tenue, & calor pluſculum ſeſe proferat, odor ſuauior, & vegetior, & latiùs ſparſum producitur, ut in viola, & hiacyntho; immò pertinacior, ſi plus ſicci attenuati accedat, ut in Roſa; atque ita in odore omnia euidentiora fiunt humore aqueo imminuto, ſicco autem tenui, & inſito calore à debili ad igneū ferè producto, & ſicco terreo maximè attenuato, veluti per gradus adauctis. Hinc in amaris multis, ut Abſinthio, Abrotono, Aromatibuſque viget odor, & in acribus plurimis Cinnamomo, mace, moſcho: conſtetque igitur ſic de odorum ſpeciebus cauſas ſe habere, quemadmodum ſeſe exhibent in ſaporibus. deſunt tamen exprimendis odoribus ſpecierum nomina, quod obſcuriorem quidem rem facit, inuentioni verò eorumdem non officit.

De Plantarum odoribus cum ſapore in eadem planta diſcrepantibus.

CAPVT XVI.

Cauſa diſcrepantiæ inquiritur ſi ſapor non bonus cum odore bono coniungatur; quæ differentia inter odores, & ſapores conſtituenda ſit dum ad ſenſorium proprium deferantur. An ſit ſententia non recepta argumenta ſoluta.

RECTÈ Sophocles in fabula Cretenſi, Venerem Deam, qua voluptas ſignificatur, unguento perfuſam effingit, & in ſpeculo ſeſe intuentem, innuens ſenſus in capite poſitos odoribus permulceri, ſiuè leni quodam motu ſpiritus excitent, ſiuè qualitatum pariter ſymmetria delectet. notum enim, ſpiritum quidem animalem ex ætherea quadam aura forinſecus hauſta, ſpirituque vitali inter Choroidem cerebri Plexum elaborari: ſic communi Medicorum dogmate receptum eſt. Itaque ſi odor benignus, purus, ſuauis, qualem Belzoinum, Styrax, Olibanum, atque Aromata gratiora præbent, dum aere ſubeunte caput, ſeſe miſceat, neceſſum eſt & reſtaurari ſpiritus citiùs, & copioſiores produci, adeòque verè apud Athenæum Alexis dum ὑγιείας μέρος, inquit, μέγιστον ὀδμὰς ἐγκεφάλῳ χρηστὰς ποιεῖν. E contrario ſi teter ſit odor, qualem Aſa fœtida, Galbanum, Caſtoreum, ſimiliaque ſpirant, ob temperamenti diſſimilitudinem, neceſſum eſt, animalem ſpiritum labem, vitiumque contrahere. Declarauimus autem odorum, ſaporumque ſingularem eſſe familiaritatem, quandoquidem & efficiente conueniunt cauſa, nempè calore, & communi materiæ conditione, humido ſcil. & ſicco. Obſtare tamen videtur, quòd in una, eademque planta interdum ſaporem depræhendamus ingratum, odorem autem gratum, ut in Maiorana, Roſmarino, Roſis, ſimilibuſque; ergo ſapores, & odores, nec mutuò ſe conſequuntur, nec ab eadem cauſa dependent. Sciendum tamen eſt, grati, & ingrati non eamdem eſſe poſſe cauſam, ratione unius eiuſdemque ſenſus, ſed ratione ſenſuum diuerſorum; etenim unus, idemque calor dum ſubiectas partes terreas intenſiùs attenuat, & ſaporem ſubindè prodocit amarum, halitus in eodem ſubiecto in aerem diffundit tenues, & olfactui maximè gratos; quamuis craſſior, magiſque fixa pars inſuaui ſapore linguam afficiat. Itaque cùm ſubiectum, in quo agit calor, nec eiuſdem habitudinis ſit; ſenſus item, cui obiectum offertur, diuerſum eſt, nil refert, effectus eſſe varios, quamuis cauſa eadem permaneat. ſed & diſcrepantia odorum, & ſaporum maxima videtur, quòd odores, aſſertore Ariſt. nuda tantùm ſpecie ad olfactum ferantur, ſecùs quàm ab Hipp., Platone, Galeno, alijſque conſtitutum eſt; ſapores ſcilicet non ſimplici ſpecie, ſed ſubſtantialiter, ſiuè cum ſubiecto, cui inhærent, linguam afficere; deterri autem ad olfactum odores ſub nuda tantùm ſpecie, tribus argumentis à Peripateticis adſtruitur, quia vultures è locis remotiſſimis odore alliciuntur, quo halitus odoris vehiculum non pertingit, ergò odor neceſſariò ſimplici ſui qualitate exporrigitur; refert enim Ariſt. commiſſo bello Peloponneſiaco vultures cadauerum odore excitatos per 500 milliaria aduolaſſe

uolaſſe ad eſcam: tum quia piſces in profundo maris perſentiſcunt odores, illuc autem cùm halitus vaporoſus non pertingat, ſequitur eò deduci qualitatem eius, aut ſpeciem. addunt, quòd ſi cum ſubiecto, hoc eſt halitu, diffundatur odor, conſequens fuerit odoratam rem ob effluxum humidi continuò contabeſcere, at non exareſcit, ergo ſpecies tantùm ad organum ſenſus appellit. Mihi ſanè Medicorum partes hìc deferendæ minimè ſunt, utpotè ſenſuum fideli teſtimonio confirmatæ; nam cùm experimentis cognoſcamus odores calefacere, refrigerare, atque cum Hipp. καρηβαρίας, ſiue grauedinem capitis afferre, ſiccareque, ſequitur, non ſimplicem ſpeciē, ſed unà cum ſpecie ſubiectum ad cerebrum deferri: probat idem ſpirituū refectio, ſiue refocillatio, quam præbent odores. Ad allata argumenta reſpondentes dicamus, hiſtoriam adductam ab Ariſt. omninò ſuſpectam eſſe; nam quod ex Vmbricij Aruſpicis teſtimonio refert Plinius, vultures triduò anteà perſentiri ubi cadauera futura ſint, id ab omni ratione alienum eſt, quamuis fieri poſſit, ut ventus partem vaporum in loca procul diſſita deportet, quod verum eſſe demonſtrat venatio; etenim cùm animalia odoratu excellentia cum canibus venatores præſentiant, nec cubilibus ſuis erumpunt, & aliò etiam effugiunt, neceſſarium eſt venatores, & canes quantùm licet aduerſo vento progredi, non auerſo, quòd ſi nuda itaque ſpecie per aerem odor diffunderetur nullus, aeris motus à vento obſtaret, quo minùs ad olfactus organum idem perferretur, ut lumen à corpore ſolari. Sed obijcitur his, ſonum, qui ſecundùm ſpeciem, etiam Medicorum ſuffragio, ad aures fertur, organum deſtruere, ſi immoderatus ſit, rumpere membranam, diſplodere inſitum ſpiritum: item ventis è contrario flantibus penitùs ab organo auditus auerti vulgò cognitum eſt, ſimile fieri poteſt in odore, neque adeò opus eſt ſubſtantiam ipſam, ſubiectumque cum eo propagari. cæterùm diſpar omninò ſoni, atque odoris natura; nam ſonus, ut porrigatur ad auditum, neceſſarium eſt aerem intermedium frangi, adeòque ſimul cum ſonora ſpecie moueri; hoc verò in odorum propagatione minimè requiritur, quæ non impeditur quantùm aer tranquilliſſimus ſit. Argumentum alterum, quòd piſces in maris profundo percipiunt odores, pluſculum ſumit, quàm concedi poteſt; non enim è profundo erumpūt ad alimentum capiendum piſces, cùm id plerumque venentur parum ſub undis, aut circa ſuperficiem, in qua fluitant iniecta, & forſan viſus in ijs magis operatur, quàm olfactus: igitur non mouentur tantùm quoniam odorem perſentiant, ſed etiam quia percipiunt ſonum, immò quia res iniectas vident, quamuis doctis viris abſurdum haud videatur, odores cū ſubiecto ſuo diffundi aliquatenus ſub aquis, cùm halitus quoque diffundatur circulariter. Tertiò; quod obijciebatur, halitu cum odore diducto corpora odorata manifeſtè debere contabeſcere, id facilè refellitur; nam quòd odorata quædam, etiam poſt amiſſos odores, molem priſtinam, figuramque adhùc retineant, id contingit, quoniam humidum obtinent lentum, partibus terreis accuratè permixtum, quæ ipſa tamen compages obſtat, quò minùs aereum illud humidum, in quo ſubiectum odoris conſiſtit, cum partibus terreis eidem remixtis exhalet; idque omninò contingere argumento ſunt ariditas, ſiccitaſque maior poſt amiſſum odorem, & ponderis

ueris etiam imminutio, atque hæc in radicibus, partibuſque ſolidioribus plantarum euidentiora ſunt: ſed pergamus modò ad odorum differentias.

De Differentijs odorum.

CAPVT XVII.

Odorum differentiæ ſcrutantur, explicantur; cur ligna quædam odorata ſint, flores verò earum arborum minimè. Theophraſti ſententia non admiſſa.

SI differentias odorum ſpectemus, præmittendum horum alias uniuerſam occupare plãtam, alias determinatas ſaltem partes; ſunt magni, parui, ſuaues, tetri, acres, obtuſi, euanidi, pertinaces. magnos dico odores, qui copia ſui plurimum olfactum mouent, quales in Lauendulæ floribus, & Roſis: paruos, qui parcè, & debiliter, ut Heſperidis, ſiue Violæ marronalis, & herbæ Paralyticæ: ſuaues appellamus, qui familiares naturæ, & grati: inſuaues, qui inimici, & ingrati; illi in Roſis, hi in Kyride, & Aſa fœrida, Anagyri fœtida, lurea, Atriplice Olida, Scrophularia fœtida; & huius generis; quamuis enim obſeruati fuerint quibus Roſarum odor ingratus fuerit, prout referunt de Viro Clariſsimo Emilio Campilongio Patauino Medico, cui ſummo cum tædio etiam de longè conſpectæ Roſæ ſternutamentum excitabant diutiſſimè perſeuerantem; atque ipſe noui Virum doctum, cui Epilepſiæ vehiculum inuehebant; alijſque ſulphuris fœtor, & ſimilium, iucundiſſimus acciderit: non hæc tamen ad ea referenda ſunt, quæ non frequenter, ſed raro omninò contingunt, atque ad Idioſincraſias, ſiue ſingularium naturarum proprietates reducenda ſunt. Acrem odorem appello, qui inſigniter, nec ſine moleſtia olfactus organum ferit, qualis in aceto aceriimo percipitur, atque inter plantas in Euphorbio; denique euanidos odores, qui breuiter, & facilè reſoluuntur, quales Violarum, Iaſminorum. pertinaces, qui diutiùs corpori ſuo inſident, ut Lauendulæ, Cinnamomi, atque etiam per annos aliquot perſeuerant, quales in Belzoino, Myrrha, Olibano. Quamuis hæ ſimplices odorum differentiæ frequenter in plantis complicentur, & ſuauis cum magno iungatur in Roſa, cum paruo in Hiacyntho; ſuauis cum acri in *Moſcho*, cum obtuſiore in Ambra; ſuauis cum euanido in Violis, cum pertinace in Thure percipiatur; iterumque magnus cum acri in Iaſmino *Hiſpanico*, & Hiacyntho Indico vocato; cum obtuſo in Viola; magnus cum euanido in Lilio conuallium; magnus cum pertinace in myrrha: Iam verò quaſdam plantas omnibus partibus odoratas, quaſdam aliquibus, quaſdam nullis, cur inſtituerit Auctor ille ſummus cunctarum, rerum in Sapientiæ eiuſdem ſinu abſconditum eſt; quamuis, ut de ſaporibus dixi, aut Vniuerſi perfectionem, aut uſus hominis varios reſpicere potuerit. Si cauſas reſpicimus alias, conſtabit deeſſe partibus omnibus, aut determinatis odores, quibus humidum aereum, ſicco attenuato, permixtum deeſt: deeſſe autem nullis plantis odorẽ patet, ſi vera eſt aſſertio noſtra, Oriri odores ab humido aereo, quod cum ſicco terreo tenuià calore digeſtum ſit; nam cum in

par-

partibus omnibus opera natiui caloris digeſtiones fiant, aut omnibus iiſdem inerunt odores, aut odores ab alijs dependebunt cauſis. Sed reſponderi poteſt, nec omnes eadem ratione digeſtionem perficere plantas, nec humidum, ſiecumque obtinere odori producendo neceſſarium, immò non omnes eiuſdem plantæ partes ſimili modo digerunt: hinc eſt quòd nunc in flore, nunc in cortice odor ſeſe manifeſtat; elucent verò odores potiſſimùm in floribus in ijs ἡ πρώτη ἡ ἐλαφρυτάτη πέψις, ut lib. primo cap. 20. inquit Theophraſtus, immò Cœli influxum ultrò admittunt, dum ſemihiantibus labellis Solem principem, & protectorem ſalutant, quoniam calor in tenui ſubſtantia faciliùs miſcet, & concoquit, quàm craſſiore. At cur Ligna interdum odorata ſint, ut lignum Aloes, Santalum, Guaiacum, cũ tamen flores ipſorum neutiquam odores ſpirent, reſpondet Theoph. id fieri, quòd in floribus iam antè in ſtirpe præparata materia recoquatur, in qua coctione cùm ulteriùs perfici nequeat, vergit in deterius, nec priſtinam ſeruat indolem. Verùm ſi id verum eſſet, nullam plantam odoratam ſequeretur fructus odoratus; planiùs ergò eſt adſeuerare, humidum illud odorum vehiculum nunc his, nunc illis partibus à natura tributum fuiſſe, cumque nunc in materia ſolidiore conſiſtere, adeòque ab iniurijs caloris externi tutiorem eſſe; nunc in rara admodum, qualis florum, & ab externo, vel languido calore facilè reſolubile, ſic quidem, ut quaſi ineſſe haud videatur. Sed clarioris doctrinæ gratia modò exactiùs perpendenda cauſa ſuauitatis, & inſuauitatis odoris, & difficultates emergentes, ſi quæ erunt, enodandæ.

De Cauſis ſuauitatis & varietatis odoris in plantis.

CAPVT XVIII.

A quo ſuauitas, fœtor, aut odoris priuatio emergat inquiritur; ſtatuitur: oppoſitiones diluuntur. Cur in ſtirpibus odores mutentur, & quomodo arte odoratiores plantæ reddantur.

INter odorum differentias præcipuè conſiderabilis ſuauitas, ac fœtor; ſuauitatis autem cauſa alia nulla eſt, quàm accurata humidi aerei, ſiccique tertei attenuati concoctio; fructus enim omnes melioris ſunt odoris, qui peruenerunt ad maturitatem, contraria verò cauſa fuerit ſiquæ planta vel tetri fuerit odoris, vel nullius, mala nempè coctio. Hæc verò iterum mala eſt, vel ob inſiti caloris unicè debilitatem, vel ob adiunctam ipſi vim caloris extranei, qua exacta materiei permixtio fruſtratur. Propter inſiti caloris debilitatem fit odorum priuatio quædam, idque in fructibus immaturis omnibus comperitur, qualis Lactucæ, Portulacæ, & ſimilium: poſteriorem ob cauſam teter emergit odor, iſque rerum putridarum proprius. Verùm hæc ſententia non paucis obnoxia redditur difficultatibus; etenim ſi bonitas odoris temperati caloris, & perfectæ coctionis effectus eſt, quid eſt, quod Violarum, Nymphęæ, Roſarum flores ſuauem ſpirant odorem, quibus tamen frigidum obtigit temperamentum?

deindè

deindè quod ex calidioribus quoque, atque intemperatis mixtis ſæpè iucundiſſimus diffunditur odor, qualem in Cariophyllis, Calamo Aromatico, Mace, & huiuſmodi alijs depræhendimus. Immò ſi fœtidi odoris plãtæ ob natiui caloris debilitatem tales ſunt, conſequens fuerit fœtida omnia cruda præ reliquis exiſtere, immò cruda ſemper eſſe, neque coctione mitigari, ut Allium, Marubium, Hyoſciamus, Aſa fętida, Sagapenum. Hoc ipſum autem rerum Auctori Deo enormem infigit iniuriam, utpotè qui unicuique in ſuo genere perfectionem ſuppeditet. Et quæ nam quæſo poteſt eſſe in plantis, v. g. in kyride, ſiue Spatula fętida minùs exquiſita concoctio? cum tamen & viuant plantæ, & alantur, fructus item pariant, quorum ſingula non putredinis, ſed exquiſitæ concoctionis opera ſunt; immò notum eſt oriri Moſchum ex putredine, cuius tamen odor fragrantiam exhibet ſingularem; neque etiam malè olet acetum, quamuis & ipſum de putredine profectum. Quibus omnibus licèt conuelli poſſe videatur propoſitum dogma, reſpondendum tamen eſt, quòd frigidæ aliquot plantæ ſuaue olentes non in totum, & abſolutè unquam tales ſunt; ſic enim nec viuerent, nec alia animi opera exequerentur, ſed tantùm ſecundum certas partes, aut etiam facta comparatione cum alijs calidioribus. Habent itaque Roſæ, Violæ, & alia huiuſmodi iuxta cum frigidis partes aliquot calidas, quarum beneficio attenuatum humidum, & ſiccum ſuauem halitum diffundit, ſiue inſenſibiliter diſtinctum temperamentum ſit, ut in Cydoniorum pulpa, & cortice, ſiue ſenſum noſtrum lateat, ut in Violis, & Nymphęa, ſiue modo ſe habeat medio, ut in Roſarum flore, ungue, & foliorum reliquo. Hunc in modum etiam de calidioribus pronunciandum, in quarum partibus non pari gradu verſatur calor; intenſior enim eſt in craſſioribus, minor in rarioribus, & aerei odoris ſubiecto, quarum attenuatione, & accurata digeſtione fragrantiã percipi, ac produci conſtituimus. Præterea quamvis odoris fædi cauſam in cruditatem, & imperfectam caloris actionem retulerimus, ex eo tamen non conficitur, quæ odore fædo ſunt plantæ, eſſe in uniuerſum crudas, & in naturalium functionum executione mutilas. Quemadmodum enim, quæ in animantium corporibus colliguntur, atque etiam ſecundùm naturam poſſunt eſſe cruda; putrida item, & excrementitia, ſaluo tamen & temperamento, & facultatum naturalium vigore, immò ſimul, atque eodem tempore cruda concocta, alibilia, & excrementitia continent; ita nil repugnat etiam plantis eſſe partes, quas propter ineptitudinem ad exquiſitæ concoctionis integritatem perducere nequit, aut ſeparatas iam à purioribus fæcis deſtituit; undè neceſſum eſt, ut inſuaui odore olfactum hominis afficiant, quamuis planta reliquis corporis ſui partibus optimè conſtituta ſit. Quapropter viuit quidem kyris, nutritur, fructus quoque producit perfectos, habet tamen humidi, ſiccique adiunctam eam portionem, quam exacta magis coctione ſubigere, ac domare calor nequit. Ad Moſchum quod attinet, in eo partium quoque diuerſitatem reſidere certum eſt: etenim ſi magna eius portio proximè naribus admoueatur, ingratus potiùs adeò percipitur, ac teter; ſi parum eius ſit, quod olfactui adhibemus, & à longinquo naribus odor ſeſe inſinuet, ſuauem percipimus, & gratum,

longiore per aerem via aliquid magis rarefacto, in quo à temperatiore agente reſiduæ particulæ fragrantiam ſuam manifeſtant. Acetum ex corrupto vino productum, quod non fœteat, calori debetur inſito, qui licèt debilitatus, coctionem tamen iterum aggreditur, & contractum à putredine vitium aliquatenùs corrigit. Magnum in quibuſdam plantis, aut exiguũ odorem eſſe, efficit humidi aerei, ſiccique terrei attenuati vel copia, vel inopia; nam cùm ad odoris productionẽ neceſſariũ ſit humidum nonnihil à ſicco ſeparari, quotieſcumque humiditas nimia eſt, odora vis protinus obtunditur. Hinc eſt, quòd à pluvijs immoderatis odor florum euidenter imminuitur. Caltha item quamuis calidi, & ſicci temperamenti planta, quia tamen paulò ſuccoſior eſt, parum olet; contrà ſicco tenui humidum ſuperante, odor magis intenditur, ut in thymo, & aromatibus, ad quod tamen plurimum facit partim robur caloris inſiti, coctionem urgentis in rebus benè olentibus, partim impetus caloris alieni, & corrumpentis in rebus fœtido odore abominandis. Aeris quoque, & obtuſi odoris cauſa ad earumdem cauſarum varietatem referenda; ſicci enim terrei, & à valido calore plurimùm attenuati copia, olfactus organum aeri veluti morſu corripit: vice verſa copioſius humidum, ſiccum verò tenue paucum & inſiti caloris inopia, obtuſum quid, nec niſi languidum ad nares diffundit. Perſeuerationem odoris, ſeu durationem efficit ſubiecti, cui ineſt ſoliditas, vel lentor, quorum beneficio non tam præceps fit vaporum exhalatio; quapropter radicum quidem, & denſiorum in plantis partium, & arborum reſinoſarum odores diutiùs ſeruantur. Florum autem, quià tenuiore, & rariore conſtant corpore generatim, facilè odor reſoluitur, qui alioquin ſi oleo, aut unguento ab unguentarijs excipiatur, diutiſſimè ob horum lentorem conſeruatur. Cæterùm quòd ſtirpium quædam odoratiores ſint recentes, quædam aridæ, cauſam agnoſcimus partim humidi, aut ſicci copiam; Crocus enim, & Melilotus, dum recentia ſunt, minùs olent quia humidiora, quàm cùm arida, partim ſubſtantiæ caliditatem; nam quibus infirmius, & rarius corpus eſt, quandoquidem facilè areſcunt, intra breue temporis interuallum odore ſuo ſpoliantur, quo non ſpoliatur Roſa, quæ ſitum habet odorem ſuum in ſubiecto ſolidiore: atque hæc obſeruatione digna ſunt in lectione Theophr. grauiſſimi aliàs & clariſsimi Scriptoris; is ſcribit, myrtum quidem in Ægypto odore mirabili eſſe, reliquas verò plantas ἀόσμους καὶ ἀνάνθους πως, odore, immo & flore. Mihi tamen ingenuè retulit Clariſs. Veslingius, qui ultra quinquennium in Ægypti moram fecit, compertiſſimum eidem fuiſſe myrtum & odoratum, & odoris quidem ſuauitate eximia, immò nec reliquas plantas odore carere; quod vero conſentaneum eſt, cùm Prouincia illa tota odoratiſſimis hortis referta nihil Tantali, nihil Heſperidum delicijs inuideat. Equidem flores omnes quotquot his regionibus fragrantia cõmendat, etiam Ægypto odorata ſunt. Exiſtimo itaque Clariſsimum Philoſophum reſpexiſſe non ad maiores, & compage ſolidiore præditas plantas, quales Roſæ, Iaſmini, Liguſtri, Caſsiæ, Limonum, aut Citri flores, Balſamum, & huiuſmodi aliæ, ſed ad minores, atque, ut ipſe ſcribit ἰγρότερα τὴν φύσιν ὄντα, & bulboſis radicibus ſubnixas, e quibus Violæ, Nymphæa, Hiacynthi, Narciſſi, *Lib. de cau. plant. c. 26.*

Bbb quo-

quorum odores vel immoderatior humiditas obtundit, vel calor Solis inclementior paulò poſt ortum reſoluit. Iam verò aliquas plantarum latè odorem ſpargere, aliquas nõniſi proximum aerem afficere, efficit materiei tum denſitas, tum raritas; etenim ex corpore raro, cùm ſuaue olentes halitus copioſi diffundantur in aerem, facilè contingit, ut latiùs ad motum eiuſdem ſpargantur: Vice verſa ex denſo corpore quum pauci halitus effluant, antè aeris agitatione diſſipantur, quàm in diſſitas partes deferantur. Non diſſimilis ratio eſt, cur aliqua nonniſi trita, contuſa, tractata, calefactaque reddant odorem, ut myrrha; nam cùm hæc ipſa denſa conſtet ſubſtantia, odoremque in profundo deliteſcentem obtineat, niſi fractura, vel calefactione eius meatus aperiantur, pauca fit odorati halitus efflatio. Aliter res habet in floribus; quorum odor externam ferè partem inhabitat: itaque cùm in receſſu aqueæ humiditatis plurimum poſſideant, dum contuſione, tritura, tactuque ſuperfluus eorum humor veluti foras protrahitur, eorum quoque odorem obſcurari depræhendimus. Iam verò inter cauſas, per quas ſtirpium odor immutatur, aerem annumero, locum, ætatem, & artem, quoniam horum interuentu & alimentum, adeòque materia odoris immutatur, & calor, ad quem illius materiæ digeſtio pertinet. Hinc fructus per initia nondum ſatis concocta odoris materia, minùs ſunt odorati: flores item Vere, & aere temperato, quo fouetur, augeturque imbecillis eorum caloris robur, odoratiores ſunt, quàm hyeme, qua infirmus eorum calor ferè extinguitur, aut ſaltem conſtipatis poris, effluxus ſpiritus odorati prohibetur. Heſperis, ſiue Matronalis *Viola* horis nocturnis ſuauiùs olet, & fortiùs, ob humidi, ſiccique paucitatem ſumma cum tenuitate coniunctam: hinc aere diurno paulò calidiore promptè reſoluitur, nocturno verò nouo accedente iterum alimento reſtauratur, nec reſoluitur. Hoc magis regionum manifeſtat diuerſitas; etenim quæ frigidæ ſunt, & humidæ regiones immoderatis pluvijs alimentum plantis crudiùs ſuppeditant, unde ſuperato ſicco ipſarum tenui, earum item calore uberiùs humidum ægrè concoquente, planum eſt odorem imminui. Contrarium obtinet in regionibus calidis, & ſiccis, in quibus aer ab halitu ſtirpium odoratarum ſemper odorus eſt. Flores tamen omnes ferè tum herbæ tenellæ circa Solis ortum maximè olent, minùs circa meridiem, minimè omnium à meridie, quoniam à calidiore Sole odoratus halitus *facilè* tum exhauritur, tùm etiam diſſipatur in ſubiecto rariore. Tandem *per* artem mutantur plantarum odores inducta quadam vel caloris, *vel* alimenti mutatione. Roſas quiſquis ſingulis annis purgat, & abſciſis aliquot ramis veluti onere, ſubleuat calore magis arctato, humidumque adeò perfectiùs elaborante, odoram vim euidenter intendit. Inſitione minùs odoratarum ſtirpium odoratis ex parum olentibus gratia acquiritur maior, idque in Roſa centifolia languida odora compertum eſt, ſi Roſę, vulgò moſcatæ dictæ ſæpiùs inſeratur. Radicibus ſtylo perforatis ſi odore ſuauitate Aromata deſigantur, flores, fructuſque producunt ſimili halitus iucunditate gratos; ita Betonicæ coronariæ flos, aliàs Cariophylli nomen adeptus, demiſſis in radicibus eius Cariophyllis indicis, ex inodore factus eſt & nomine, & virtute peregrinæ fragrantiæ particeps. Sed effi-

cacior

cacior odorum fit permutatio, cùm ſemina uniuerſæ plantæ compendio odoratis liquoribus Zibeto, Moſcho, Ambravè imbutis macerentur. Id cùm in Calthę, ſiue Cariophylli Africani ſeminibus aliquoties factum fuiſſet, pro inſuauis & nauſeabundi odoris utcumque lepidè florem tam ſpecie, quàm odore gratiſſimum tulit. Nonnulli aggeſtis circa Radices parum olentium Roſarum, ſuauioribus Roſis fragrantiam ijs adiunxerunt maiorem. Immò quod vix credibile arbitremur, fœdi odoris plantæ ſuauibus adſitæ, ſuauitatem auxerunt, auctoribus Theoph. & Didimo, & hoc contingit iuxta coronarias herbas, & præcipuè ſi iuxta Roſas Cępę, vel Allium inhumetur; nam cùm ſimili omnia nutriantur, & ab Allio ſi quid terræ fœtidum ineſt, in ſui trahatur alimentum, quod reliquum eſt manet purius; id verò cedens in Roſæ, alimentum ſuauioris in ea & ſucci, & odoris cauſa exiſtit. quamuis hoc etiam addendum videatur incaleſcere vi Allij terram, adeòque calidius exiſtere, atque elaboratius quidquid in Roſam perfertur; ſed de cauſis odorum tantum dixiſſe ſufficiat. *Lib. 6. cau. cap. 38.*

De Colore Plantarum.

CAPVT XIX.

Cauſa colorum in plantis inueſtigantur, à mixtione elementorum deriuare ſtatuitur. Elementa colorata eſſe quomodo accipiendum, argumenta variarum opinionum utrinque afferuntur, perpenduntur, & qui elementorum mixtione diuerſi colores emergant.

SI oculorum ſenſum ad vitæ uſum iucundiſſimum pronunciat rerum naturæ Scriptor Plinius, non aliundè petendum eſt, quam à mira tum varietate, tum pulchritudine obiecti, quod oculorum proprium eſt: color nempè, quem præcipuè diuerſum plantis indidit Natura, ut quemadmodũ Cœlum ornare voluit varia, atque iucunda luce ſcintillantium ſtellarum, ita orbi huic terrarum potiſſimum ornamentum quæſiuit ab illa ſparſa tot vegetabilium, ſtirpiumque colorata ſerie, quarum pompam cùm verno iterum tempore explicat, tunc ridere omnia videntur, & lætitia quadam geſtire; tunc enim pulcherrimus annus pompam ſuam explicat, & ſanè id non tantùm neceſſitati generis humani proſpexit, ſed voluptati quoque ijſdem delicias parando, quod ſatis oſtendit ingenua hilaritas illa, quam ex odoribus, coloribuſque plantis inditis haurimus. Coloris autem in plantis cauſas inueſtigaturi, illud præcipiendum eſt, cùm reliquarum omnium qualitatum ſenſibilium diuerſitas ob variam communium elementorum mixturam ſtirpibus adueniat, colorum quoque differentias non aliundè deriuari poſſe; at cùm incertum ſit, verè ne ſimplicia elementa colorata ſint, quique proprius ſingulorum color, incertæ quoque, & obſcuræ fuerint in plantis colorum cauſæ; niſi priùs ſeriò nobis conſtet, habeantne elementa colores, ſique habent, quis ſingulorum proprius; non eſſe autem elementis colores aliquis arbitrari queat, quandoquidem color eſt affectio, quæ perſpicui, & opaci mixtionem conſequitur, adeòque non eſt ſim-

plicium corporum, qualia ſunt elementa, ſed mixtorum. Præterea quia color, ut determinauit Ariſt. eſt extremum, ſiue ſuperficies corporis perſpicui terminati, neque ignis, neque aeris, nec etiam aquæ poteſt eſſe color, utpotè quæ non proprio, ſed alieno termino compræhenduntur. Contrà tamen ſi deſunt elementis colores, undè habent eos corpora ex iiſdem mixta? quin potiùs cum ſenſus conuincat ignem flavum eſſe, aquam albã, ſenſum hic fide ſiſtamus, quàm momentis rationum. Omninò tamen exiſtimo, elementa duplici modo ſpectari poſſe, qualia ſunt per ſe, & qualia ſenſibus obuerſantur noſtris: elementa per ſe ſpectata ſi aliter, quàm gratia doctrinæ ex ſuppoſitione utilia ſunt in natura, danturque realiter, facilè conceſſerim non habere colores; nec tamen ex eo inferri poteſt, mixta ex elementorum confuſione, colorem non obtinere; nam quemadmodum elementa ſimplicia ſaporem odoremque non habent, hunc utrumque tamen ex humidi, & ſicci permixtione mixta corpora conſequuntur: ita de colore quoque cenſendum; qualia verò ſenſibus noſtris elementa obuerſantur, non exquiſitè ſimplicia ſunt, ſed mixta, maximè terra, adeòq; coloribus prædita. Accedit, elementa quatenus perſpicua ſunt, eſſe luminis ſuſceptiua; itaque cùm lumen color quidam ſit, nihil impedit quò minùs colorum ſuſceptiua dicantur elementa, licèt proprio termino ſint deſtituta. Hoc ſenſu ſpectata elementa, quem proprium poſſideant colorem porrò conſiderandum. Sanè Auctor libri de Coloribus, qui Ariſt. nomine circumfertur, ignem, ſicut & Solem flavum eſſe prodidit, aerem autem aquam, & terram albam. Quamuis autem terra varijs coloribus infecta ſit, albam tamen eſſe ex eo colligitur, quòd, aſſumpto per exuſtionem humore, qui variæ infectionis cauſa eſt, cinis remanet albus. Idem eſt terra ſimplex proprio colori reſtituta. Sic duos igitur apparet eſſe ſimplices colores, flavum, & album, ex quorum permixtione reliqui fiant. Porrò nigri coloris generationem fieri tradit ex aere, & aqua igne peruſtis, unde carbones nigri, tum & ſicceſcente in humentibus locis aqua; hinc lapides in aqua muſcho obtecti primò vireſcunt, areſcentes verò atrum contrahere colorem: ex nigro autem, & albo commixtis fuſcum produci; ex nigro luci permixto puniceum, ſiue rubrum; cùmque debilior etiam lux eſt, purpureum, idque oriente, & occidente Sole frequens. Addit & hoc, præcipuas colorum cauſas eſſe lucem Solis, lucem ignis, aquam, & aerem, ex quibus plùs, minùſve temperatis reliqui colores oriantur. Hæc ab auctore veteri propoſita à recentioribus Philoſophis non admittuntur, objiciuntque, ſi verum foret colores ſimplicium elementorum naturam ſequi, cùm quatuor illa ſint, quatuor etiam ſimplices erunt colores. Malè etiam Solem in productione colorum elementis miſcet, cum illa materiam afferant, hic verò communis tantùm cauſæ efficientis rationem obtineat; nec rationi conſentaneum, aerem & aquam, immò aerem, & terram, quoniam contraria ſunt elementa, eumdem habere colorem, ſcil. album, ineptè etiam ex cineris generatione de terræ albedine argumentum afferre, cùm id perpetuum non ſit, & mellis exuſti, Abrotoni item cinis non albus, ſed ater fiat; neque mutationem obſeruat naturalem rerum, nam quæ naturaliter corrumpuntur, in fimum potiùs, & cinerem atrum vertuntur

quàm album; & exuſtio tamquam violenta mutatio non naturalem rebus, ſed aduentitium colorem affert. Quis item credat ex albo, & flauo reliquos colores produci, cùm tot colores obſcuriores ex ijs fieri nequeant; nigri autem, & viridis coloris generatio per aduſtionem aeris, & aquæ, item humidi deſiccationem, utcumque in alijs concedi queat, in plantarum ſanè generatione locum obtinere non poteſt, ob caloris blanditiem; Vnde in embrione urticæ, tunicæque nigredo? quam fruſtrà excrementitiam volunt, & ex albicante Chylo purpureus ſanguis, maximè ex albumine in pullis? Quod purpureum & puniceum, ſiue rubrum etiam ex nigri, & lucis mixtura deducit, de apparentibus in aere momentaneis coloribus admitti poteſt, non item de permanentibus, nec in ſuperficie tantùm, ſed in dimenſione corporum tota conſiſtentibus, quam lux non penetrat, & quorum exiſtentia etiam in tenebris perſeuerat. Tandem à colorum cauſis cur excludit terram? quæ ut ſenſibilium qualitatum aliarum, ſic colorum neceſſaria operi interpoſitione cauſa exiſtit. Sed quoniam aliorum ſententiã euertere, non eſt rerum ſcientiam adſtruere, niſi rationi conſentaneum aliquid proponatur, deinceps igitur hoc nobis moliendũ.

De Colorum in Plantis varietate.

CAPVT XX.

Recentiorum opiniones pro colorum in plantis diuerſitate adducuntur, Scaligeri ſcil. & Coſtæi examinantur, & quæ potior videtur amplectitur.

IRidem inter Meteora ſuſpiciebant Veteres, & Thaumantidis, ſiue admirationis filiam prædicabant, quod diuerſa lucis refractione, ut canit Virg.

Mille traheret varios aduerſo Sole colores.

Quantò verò melius, ac rectiùs hanc colorum diuerſitatem in Cloride, quàm in Iride contemplabimur, & amœna plantarum congerie? in quibus non ſimplicem colorum ſpeciem, ſed ſtabilem, ac mille modis varium apparatum præ cæteris omnibus Opifex rerum Natura oſtentat. Itaque cùm inter manifeſtas ſenſibus qualitates, quas obtinent plantæ, ſapores, & odores conſiderauerimus, ordine ducimur ad colorum examen accuratiùs enucleandum, rerum quidem euidentiſſimarum, ſed in quarum contemplatione intellectus imbecillitas humani clariſſimè fatiſcit; cùmque colorum fundamentum certum, præterquam in elementis, ſtatui poſſit nullum, rimandum, an, & qui colores elementis propriè inſint Veterum ſententijs iam ſtatutis, modò Recentiorum exagitandæ mentes accedant. Iulius Cæſ. Scalig. Philoſophorum huius ætatis facilè princeps, quatuor elementorum, primoſque colores tradit, album terræ competere, idque ſaxa, cineres, arenas, ſimiliaque ſole, & igne exuſta palam facere, viridem aquæ aſſignandum eſſe, quia craſſeſcens viridis fiat, cæruleum colorem aeri cõpetere, atque igni flavum, tales enim aſpectui noſtro paſsim ſe offerunt: ex viridi, & cæruleo aquæ, aeriſque colore fieri nigrum, ſi utrumque ele-

mentum

mentum ſpiſſius euadat, idque in nubibus,& ſtagnantium aquarum ſuperficie manifeſtum eſt, hæc ipſa tamen cùm accuratiùs expendimus vix firmiora ſunt ijs, quæ Veteres tradidere; nam terræ colorem album per naturam haud conuenire oſtendunt corrupta pleraque corpora, quæ in atrā abire terram cernuntur, & conſentit in hoc Ariſt. eùm oleum ideò flaueſcere ſcribit, quia calore ſolis portio terrea, quæ nigredinis cauſa eſt, diſcutiatur; immò Scaliger ipſe obſeruat terram ab atro nomen trahere, & nigrum dictum quaſi νεκρὸν mortuum, aquam verò cur non albi potiùs, quā viridis coloris principium ducamus, album utique colorem puriſsimi oſtentant fontes, flumina, lacus, maria, nix, & quæcumque ab aqua concreta producuntur. Quod ſi quis veram his albedinem ineſſe negat, candorem tamen potiùs referre fatebitur: viridem autem colorem contrahere aquam, dum in opacis parietibus, ac ſtagnis craſſeſcit, argumento magis eſt alienum eſſe colorem, & à terreis dependere partibus, ob quarum admixtionem craſſeſcit primum, ac tandem etiam in limum ſolidatur, herbiſque naſcentibus induitur: nec ſatis cauſæ eſt, cur aerem cærulei coloris ſubiectum habeamus, nam quæcumque ab oculis longè diſſita ſunt, cærulea, atque obſcura nobis apparent, at qui nos propiùs ambit aer, nullius coloris particeps videtur, quoniam ob raritatem ſpeciem viſibilem haud terminat; immò candidi magis coloris fontem eſſe aerem mel oſtendit, & aqua omnia ſi concutiantur, & agitentur; hæc enim candida fiunt ob aerem, ſpiritumque conceptum: ſic animantium ſemen ob ſpiritum incluſum, & aerem albeſcere: ijſdem verò cum calore euaneſcentibus atrum fieri: ſpumam item incluſi aeris calorem exhibere optimè ab Ariſt. obſeruatum eſt. Principium verò nigri coloris, quod ex cæruleo, viridique condenſatis deducit Vir ſummus, de momentanei cuiuſdam, & apparentis in nubibus coloris productione concedi poſſit, non de ſtabilis, & permanentis ex viridibus multa fieri nigra citrà concurſum cærulei dubium non eſt, cùm & aquæ id conuincant ſtagnantes, & parietum humectatorum ſuperficies, nam initio cùm plus aeris admitteret, candidior eſt; poſtquam ob craſſitiem adeptam eadem potiùs includit, nigrior euadit. Accedere ad veritatem magis videtur Ioannes Coſtæus, qui elementa ad colorum productionem concurrere ſtatuit, prout plùs, minùſue perſpicua ſunt; ignem ſumma cum tenuitate, & puritate conſpicuum eſſe; cum craſſitie autem, lentore, & impuritate aquam; medio modo aerem ſe ſe habere: terram autem quamvis ob ſuperficiem, qua prædita eſt, quaque aſpectabilis perſpicua dicatur, impropriè tamen ſic appellari cùm ſuaptè natura tenebrarum cauſa ſit, & elatus in aerem terræ puluis, cæli nobis conſpectum adimat. Quemadmodum autem inter colores opaciſſimus eſt, & minùs ſenſum oculorum mouet niger, quo in vniuerſum terram præditam eſſe ſatis notum eſt, ità maximè omnium perſpicuus, & aſpectabilis eſt flauus, quem obſeruamus in igne, tùm color albus, quem poſt flauum maximè in tenebris conſpicimus, & generatim aquæ, & aeri ineſſe videtur. tres itaque primos eſſe colores, qui vel elementis ipſis inſunt, vel elementorum peculiares naturas ſequuntur, flauum nempè, album, & nigrum; flauum ignis naturam conſequi, album aeris, & aquæ, nigrum autem terræ, ex quibus varia

De Stir. nat. lib. 2.

ria deinceps confuſione reliqui colores proficiſcantur. At hæc quamvis ſatis diligenter, & ex rei natura deprompta videantur, non paucas tamen ſecum trahunt difficultates; quid enim eſt, cùm quatuor omninò elementa ſint, tres tantùm conſtituat primos colores, aer, & aqua, cùm ſint elementa intima ſua natura diſcrepantia, quonam pacto erunt unius coloris principia? quod ſi aeris, & aquæ albus color proprius eſt, utrumque autem hoc elementum ſit medium viſus, neceſſum utique foret quæcumque per ea videntur, ſimilem pariter colorem trahere, non ſecùs atque illa, quæ per vitrum intuemur; viridi enim, vel rubro colore infectum, viridia, aut rubra conſpiciuntur. Quemadmodum igitur natura purum eſſe voluit humorem oculi cryſtallinum, ne inſitus unus color, & internus externi objecti proprium colorem permutet, ſic aerem etiam, & aquam inter media inter rem viſibilem, oculoſque corpora, omnis eſſe coloris expertia voluiſſe, vero magis conſentaneum eſt. Accedit colorem flavum in igne obſeruabilem, ex communi Philoſophorum teſtimonio aduentitium eſſe, & ex fumi nigri permixtione productum, proprium autem, ſi ullus eſt, album exiſtere. At neque ignis ſemper viſui albus apparet, cum ſulphur, & vini ſpiritus flammam ſuppeditent cæruleam, metalla verò quædam, atram; neque aqua ſemper eſt alba, quia flumina quædam flaua, fulua, viridia, cærulea nigra colore ſpectantur. Terram ipſam fruſtrà quiſpiam nigri coloris eſſe contendat, cùm ea ad omne colorum genus Pictores utantur. Iis ipſis tamen non admodum difficulter reſponderi poteſt, ſi dicamus aerem, & aquam, cùm intermedia ſint, viſus elementa vnico tantùm, eoque albo colore prædita eſſe debere, adeòque tres tantùm eſſe ſimplices colores, licèt quatuor ſint elementa, immò aeri, & aquæ, cùm diuerſa ſint elementa, non eiuſdem conditionis, ac modi albedinem conuenire; nam quæ aquæ ineſt, ſplendorem, craſſitiem, ac lentorem coniunctum habet. Secùs ſe habet albedo, quæ propria eſt aeris. Addamus, aerem, & aquam, cùm media ſint ad videndum corpora, ſi alio, quàm albo colore prædita fuiſſent, res utique veris ſuis coloribus cerni non potuiſſent; quod enim album eſt quaſi coloribus careat uniuerſis, ſuſcipere quemcumque colorem poteſt. Itaque nil impedit ad rectè videndum, eſſe aeris, & aquei elementi albedo. Quod objiciunt igni, aquæ, & terræ aduentitium eſſe colorem, non proprium enarratorum aliquem; id manifeſtam infert euidenti ſenſui obſcuritatem, quamque nullo in his mixtis exemplo probent, flauum ex nigri, vel albi commixtione fieri, vel ſine fumo ignem album; concedendum quidem eſt, ignem, aquam, & terram varijs ſeſe offerre coloribus, ſed & illud veritati dandum eſt, nunquam apparere ignem ſine admixto flauo, aquam depoſitis ætherogeneis, ſemper albeſcere, terram generatim apparere nigram. In rerum autem natura non id ſpectandum eſt ad ſcientiæ conſtitutionem, quod rarò fit, ſed quod frequentiſſimè: colores autem alios deduxit à mixtura albi, & lutei maiore, vel minore alios à mixtura lutei, & nigri, albi item, & nigri. Sed hæc Viri utcumque doctiſſimi placita, eius ſunt roboris cum præcedentibus, nam nec terræ propria nigredo eſt, nec igni flauedo, ut tandem mihi in communi intellectus fragilitate tutiùs videatur μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν: & ſimplicia elementa rectiùs

ἄχζοα

ἄχροα exiſtimentur, aut omnia ad albedinem conſpirare, quæ in igne, & luce ſumma infima in terra, in aqua & aere media videtur. Quemadmodum itaque elementa ſimplicia verè ἄγευστα καὶ ἄοδμα: ἄγευστα καὶ ἄοδμα, ſic ἄχροα habenda; ex his tamen mixtis ſapores, odoreſque conſurgunt, adeòque ſimili naturæ artificio colores, quamuis artificium hoc ignoremus, modo mixtionis ignorato, & elementorum proportione nobis incognita, ut hic verè initiatos cum Seneca, & in veſtibulo eius hærere nos credamus.

De mutationum colorum cauſis.

CAPVT XX.

In plantis à quo pendeat color definitur. mutari in ſtirpibus colorem & à natura, & ab arte aſſeritur, & à colore plantarum non rectè earum naturam argui.

QVæ ſub intellectum hominis cadunt, alia per cauſas cognoſcuntur, alia per effectus; quæ per cauſas cognoſcimus, vel adæquatas, proximaſque eas deprehendimus, vel inadæquatas, ac remotas, ex ijs utique plantarum color eſt, cuius cauſa princeps in ijs natura eſt, inſtrumentalis per ſe calidum internum, & externum, ex accidenti verò frigidum, materia elementum eſt tum aqueum, tum terreum, quorum illud perſpicuum, hoc opacum: in ſingulorum verò colorum productione quo gradu caloris, frigidique natura utatur, qua portione humidum ſiccumque miſceat, ignotum homini eſt. Colores quarumdam plantarum ſplendor comitatur, iſque in ranunculorum, liliorum alborum, ac tulipanũ floribus, in folijs teucri, chamœdrij montani, oluſatri, alijſque euidens. Is quonam principio dependeat incertum: non eſſe ab aere, & terra conuincit horum natura; an ab igne, aquave, aut ſolis vi, ſiccique effectus ſit, dubitatur. Meo quidem iudicio, potiùs ab aqua viſcida, ſed aereis partibus permixta; In animantibus verò à ſpiritu, & calore. Mutantur plantarum colores vel à natura, vel ab arte, cùm per gradus ætatis è folijs dilutè virentibus, aut flaueſcentibus viridia fiunt vel è contra; conuincit flaua eſſe germina ob caloris potiùs debilitatem, quod etiam dum è viridibus rubra. Ab ætate per gradus colorum mutationes fieri euidens eſt in floribus, in fructibus; quidam fructus ſemper virides, quidam ex flauis iterum virides, quidam in frigido aere coloratiores, quidam calido. Anni tempus mutat, & regio, patriumque ſolum mutatum in perſicis, & hiacyntho byzantino corallino varietatem induiſſe notum: ab arte quoque, & inertia: ab arte fumigatio ſulphuris in Roſis, fimo medicato alni fructu; cyani floribus ſiccis; rutæ ſucco ſimpliciter, vel mixtim. Irrigatione colorata, aqua fuſa ex ligno braſilio, ſpinæ infectoriæ baccis maturis, immaturis; galla cum vitriolo tinctis radicibus; in ſquamas bulborum cinabaris inſperſio; tuliparum bulbis maceratis, inciſis, ſi cum ſpiritu vini præparato tincturæ indantur: in caulem, iuxta radicem, fixum ſubtiliſſimum puluerem ex indico croco, lazulo conſtipatis; aut ſemina diuerſorum colorum infuſa, fimo colligata lacinijs indita ſint. Inſeruntur roſæ geniſtæ, bugloſ-

ſo,

ſo, cyano, caryophyllo, intybo, paſtinacæ rubræ, & anchuſæ radicibus. Fixæ radices caryophyllorum diuerſorum iterum coagmentatæ. Adde radiorum ſolis immiſſionem in humationem intybi, ſcolymi, braſſicæ, vt ex Coſtæi citato loco. Ex inertia tandem, & neglectu roſas, & violas è purpureis intra triennium decolores, pallidasque fieri notum eſt ex Theophr. Porta. An autem colores plantarum earum naturam arguant, negarunt Veteres, quia color diuerſæ naturæ rebus idem ineſt, & quia ſuperficiale quid Porta.

Ferrar. lib. 4. de cult. flor. c. 4.

In Mag. nat. lib. 3. c. 20. Lib. 3. Pythogn. c. 3.

De ſignis colorum in plantis.

CAPVT XXI.

In dubium reuocatur, an à ſtirpium coloribus eorum intimè proprietates cognoſci poſsint; Galeni, & Auerrhois ſententia à Porta non recepta explicatur.

QVi rerum naturam nihil fruſtrà produxiſſe cum Philoſopho contendunt, non ſapores tantùm, odoreſque utiles, certis notis homini cõmendaſſe, ſed coloribus etiam ipſis inſinuare voluiſſe proprietates plantarum, ac vires, quibus aut prodeſſe valetudini queant, aut obeſſe. Finem hunc non agnouerunt maiores noſtri, atque inter eos Gal. qui de ſimpl. fac. lib. 2. infida pronuntiat, quæ à coloribus petuntur ſigna, quoniam inſunt unius generis colores rebus temperamento planè contrarijs, ut albedo in niue, arſenico, camphora, ſale, & ut in Collig. tradit Auer. quia colores ſuperficiei tantùm corporis colorati inhærent, adeoque intimam eius naturam haud attingere. hos verò non ſatis acriter, & ſeriò verum inquiſiuiſſe contendit in Pythogn. Io. Bapt. Porta, quod coloris non in diuerſi, ſed uniuſcuiuſque generis corporibus ſpectandi ſint; nec de colore ſuperficiali tantùm iudicia petenda, ſed eo etiam, qui profundiùs partes imbuit. Quod autem naturaliter internarum rerum proprietates per colores venari poſsimus, experimentis contendit quamplurimis, cùm diuerſimodè colorata diuerſis modis & bruta afficiant animantia, & hominem ipſum. Ex animalibus Taurus, & Miluium rubrum, Suem, urſum album, Ceruum, Penna rubra, Leonem, Lupum, & Elephantem, ut ex eodem Porta. in homine flaua ſumpta augent bilem, ut atriplicis genera cuminum, melonum carnes, crocum, vel vinum flavum: Purgant item bilem Aloe, Myrobalani citrini, Caſſia, Cuſcuta, Rhabarbarum, & Ponticum, Cucumis ſylueſtris, frangulæ cortices. Tollunt iterum atriplex flore luteo, & erytrodanum, ſiue rubia minor, abſinthij quoque genera ſcil. ponticum, ſantonicum, ſeriphium, Oxyris flore luteo, & Lapati radix lutea. Ex crocei coloris floribus raros, vel nullos eſſe, qui non ſint calidi. Atros plantarum colores melancholiam generare, & denunciare mortem, ex ijs fabæ flos & lentis, & viciæ flores, floſapij, folià hyoſciami nigri, ſemina papaueris nigri, marrubij nigri, braſſica ſemper foliata, & eius caulis, mala inſana, datura, tubera nigra. Obſcurioris coloris flores prout purpurei, vel cærulei ab atro humore morbis mederi, ut violæ, bugloſſi, thymi

Lib. 3. c. 7.

capitula purpuraſcentia, fumaria, Scorzonera; Radices nigræ, Hellebori nigri radices, meliſsophylum. Cutem emaculat ciceris, & ſciriæ flos cæruleus, item betonicæ; dæmoniacis opitulantur herba paris floris lutei, folio obſcuro, betonica flore nigricante, flore purpureo, verbena, Orchis, aliſſum, ruta. Alba quinimmò tradūt augere pituitā, fructuſq; tales cucurbitas, fungos, lactucas, intybum, braſſicam ſub aqua dealbatam. Pituitā purgare Ebulos, Brioniam, Cyclaminis radicem, Sambuci, Ptarmicæq; flores. Albos item flores ob id frigidos eſſe. E rubris ſanguinem generant lactuca cypria, vinum rubrum: mundificant eumdem roſæ purpureæ, centaurij minoris flores purpurei, fumariæ, Rhabarbarum. Ad vulnera cruenta flores Hiperici, Aſſyrij, Androſemi, digitis terentia eos cruentantia: ad ſanguineum fluxum, malum punicum, Lyſimachia purpurea, Amarantus, Pœoniæ baccæ, anchuſæ radix, & conſimilium. In miſtis coloribus mixta ſigna ſunt, quin & ſubitaneæ mutationes coloris *in noxijs* fungis notabiles extant. His aliqua ex parte accedere viſus eſt Coſtæus, dum album colorem aquæ, & aeri, flavum igni, nigrum terræ proprium facit: utriuſque tamen dogma non euertit Galeni fundamentum, nam utetque omninò fatetur ex flauis, nigris, rubris in eadem ſpecie diuerſas arguere tum naturas, tum agendi potentias. Albedinem obtinent Papaueris, Iaſmini, Anemonum, Ranunculorum quorumdam, hyoſcyami, Nymphææ quædam ſpecies, Citri, Limonum, & aurantiorum flores, qui ut in calida regione inodores fiunt circa meridiem, ſaluo tamen colore; quod & in alijs obtinet natura contrarijs, ſic Intybum, Braſſica, Cichor*eum*, flaui ſunt Ranunculi, Nymphææ alterius, Papaueris corniculati, Lyſimachiæ luteæ, Iaſminique odorati, & inodori, Rubię, Roſæ, Balauſtij, Bellides, Pœonię, Ranunculorum, Anemonum, Caryophyllorum. Cærul*ei*, Cichorei, Boraginis, Cyani, Roris marini, Hyſſopi, & conſimilium; obſcuri Hellebori nigri, & folia, Ocymi maioris, Hydropiperis, Braſſicæ, Menthæ fuſcæ, Vuæ flores ſcabioſarum, nigrum piper, & Ebenus, quæ frigida, & ſicca. Concludendum itaque cum ipſo ſic in his contemplandis moderatum animum eſſe, ut ex colore ſolo de nulla re quidquam certi audeat conſtituere. Ad exactum enim iudicium aduocandi effectus ſunt, & ſigna alia: ſic & rectè habet etiam Coſtæus loco citato: at ſi colores, ſapores, odores quoquomodo certitudinem temperamenti in plantis neceſſariò non coarguunt, quomodo quæſo id ipſum cognitu tam neceſſariū deprehendemus? quod tamen in poſterum rimandum erit.

Lib. 2. c. 47.

Quomodo temperamentum plantarum cognoſcendum ſit.

CAPVT XXII.

A cauſis, & ab effectibus temperamentum plantarum explorandum affirmatur; & quemadmodum ab internis cauſis difficillimum; ſic ab externis & ab effectibus cognitio expectanda uberior: non omninò tamen certa.

Vſus me genuit, inquit apud Afranium Sapientia, mater me peperit Memoria; quod de re quoque medica iure dicendum, uſum eam genuiſſe, matrem eamdem peperiſſe memoriam; nam cùm morborum *tyrannide*

nide grauiſſimè ſæpè mortales premerentur, laudatiſſimi illi priſci nihil intentatum, inexpertumque reliquerunt, quo bonam valetudinem vigori ſuo reſtituerent, ex rebus frequenter expertis obſeruationes in memoriæ ſubſidium natæ ſunt; atque ipſa tandem ſalutaris ſcientiæ præcepta omnia. Cæterùm quia ſimplex experientia parum tuta eſt, nec uſum ullius rei ſuadet ratio, cuius antè natura cognita non eſt; poſtquam igitur plantarum temperamentum inquiſiuerimus, & conſequentes temperamentum ſenſibiles qualitates; optimum fuerit modum pariter inueſtigare, quo téperamenta plantarum cognoſcamus: Itaque cùm in rerum cognitionem vel per cauſas penetremus, vel per effectus ab hiſce perueſtigationis initium deducemus. Sunt autem in plantis cauſæ temperamentorum aliæ internæ, ut iamdudum propoſitum nobis fuit, aliæ externæ. Intimæ cauſæ elementa ſunt, quorum immixtis corporibus proportio, quemadmodum ſoli rerum naturæ Opifici cognita eſt, ſic humanæ mentis capacitatem, coniecturamque excedit. Externæ verò cauſæ temperamentorum utcumque non ignotæ nobis ſint, non ſemper tamen inſitum ſtirpium temperamentum mutant, neque ex calida regione, vel aeris conſtitutione ſimili calidam temperiem colligere par eſt, cùm in calidis locis ſæpè frigidę proficiant plantæ, ut in Aegypto Papauer, ex quo Opium conficiunt; & frigidis ſæpè calidæ, ut apud Tanaim Ponti, Acorum, & ad Rhà flumen Rhabarbarum, tum etiam Cyperus calida, & ſicca planta in aquis lætiſſima proueniat, & Naſturtium; Lactuca verò frigida, atq; humida extra aquas. Supereſt igitur, ut ab effectis, & ſignis temperamentorum conditionem veneremur; Effectuum verò alij per ſe tales ſunt, qui ex ipſomet temperamento verè prodeunt, alij per accidens, & propriam ſubiecti naturam haud agnoſcunt. ſunt autem effectus ex ſe calefactio, refrigeratio, humectatio, exiccatio à calido, humido, frigido, ſiccove temperamento profecta; ſimile enim fit à ſimili; atque hi effectus vel actiones ſunt, quæ in ſubiectum aliud diffunduntur, quo nomine abſinthium, & alia huius temperamenti calida dicuntur, quia caloris vim parti imprimunt, cui apponuntur; Lactuca verò, papauer, Cicuta, frigida, quia frigiditatis relinquunt veſtigia; vel paſſiones habentur, per quas planta facilè, aut difficulter calorem, vel frigus ſuſtinet: eas itaque plantas calidas cenſent Medici, quæ promptè ignem concipiunt frigidas, quæ difficulter, quo argumento, quæ pinguia ſunt, calido agnoſcunt eſſe temperamento, quod facilè inflammentur, ut Butyrum, & è plantis reſinæ, thus, myrrha, aliaque lacrymarum genera; ſic igitur notæ ſumuntur ſemper ab effectibus. Ad ſigna quod attinet, à ſaporibus, odoribus, coloribuſq; depromuntur; dulcia enim caliditatem, & humiditatem poſſident; acria caliditatem, & ſiccitatem; acerba caliditatem & humiditatem, acida humiditatem, & frigiditatem. item ſalſa calorem, inſipida frigus redolent, nec opus hic euoluere denuò cauſas iam propoſitas; ſic etiam quæ odore deſtitutæ, frigiditatem pleræque obtinent, quæ odoratæ, calorem: addit Coſtæus, quæ rubra ſunt, caliditatis, quæ alba, frigiditatis magna indicia præbere; de quo quid ſentiendum, in præcedentibus explicaui. Conſiderari etiam poteſt ſubſtantiæ modus in plantis ad temperamenti inquiſitionem

tionem conducibilis, cum liquidiora, molliorаque aquæ, ſicciora, ac duriora terream ſubſtantiam præſeferant. Verumtamen ut certiſſimè temperamentum cognoſcamus ex effectis per ſe productis, atque inter notas è proprijs ſaporibus, & odoribus, incertè autem ex coloribus, ità parum firma ſunt, quæ à conſiſtentia ducuntur ſigna; quamuis enim liquida omnia humida actu ſint, non omnia tamen poteſtate talia; nam & vinum, & acetum, & reſinæ ſicca ſunt, quamuis id actu non obtineant. Hæc quamquam ità ſint, non pauca tamen in effectis plantarum expendenda ſunt, ut verum de temperamentis iudicium proferamus; in ijs enim conuenienter diſpoſitum eſſe debet tùm id, quod cauſæ rationem habet, tùm id, quod ſubiectum conſtituit. Itaque in planta expendenda ſubſtantia, qualitas, quantitas, ætas, atque inter externa Cœlum, ac ſolum. In ſubſtantia, ut integra ſit non corrupta, aut flaccida, aliovè modo ab aere, aut ſitu vitiata, ut ſit contuſa, trita, aliavè ratione in partes minutas ducta. *In qualitate*, ut non eam ęſtimemus, quæ ad primum contactum percipitur; hæc enim externa plerumque eſt, ſed quæ poſt aliquam moram ſe ſenſui prodit, non quæ percipitur ex accidenti, ut cùm frigida calefacta ſit, aut è contra, ſed quæ ſui natura propria ſit, & vi. Cùmque rebus diuerſæ inſunt partes, adeòque facultates diuerſæ, ut frigoris, ac caloris in Roſa, ne temperamenti ſimplicis notione fallamur, & in quantitate decens ſeruetur obſeruatio; aliud enim contingit ſi Cicuta, ſiliquæ pondere, aliud ſi pleno ciatho propinetur; Aetas plantę tenera, Abſinthium quidem minus calidum, & ſiccum præbet, Lactuca autem è contra in refrigerando, & humectando ſatis validum. Cœlum item, ac ſolum, aliarumque plantarum vicinia diuerſitatem infert mutatione calidi, & nutrimenti, ſic quæ planta calidiore, & ſicciore naſcitur loco, & ut propè cępas lactuca minùs refrigerat, & humectat, contrà cępa frigido, humidoque ſolo educata minùs eſt acris, calido verò, & ſicco acrimoniam concipit omninò maiorem.

De Temperamenti Plantarum cognitione, & differentijs à cultu depromptis.

CAPVT XXIII.

A cauſis temperamenti in ſtirpibus cognitionem rimari non tutum; ab effectibus verò certam deriuare: Conferre etiam ad id in plantis ſubiecti modum, & alia quoque diuerſa concurrere, & quæ.

QVi Medicinam artem coniecturalem cum Celſo profitentur, experiuntur ſanè magnam difficultatem cognoſcendi propriam hominis naturam, indagandi proximas morborum cauſas; motus itè criticos à ſymptomaticis diſtinguendi; Sed etiam parum tuta, minùs fidaque via, qua plantarum naturas nos, ac temperamenta rimamur, exiſtimant. At quemadmodum in Theoria Medica corporis humani diſſectio, & cauſarum exactior exploratio plurimas nobis difficultates diſcutit; ità maiorum ſtudio quamplurimis remedijs experientia cognitis, & neceſſitas ablata eſt in humano corpore temerè plantarum naturas experimentandi, &

& Methodus tradita certior, qua iam uſu cognitis plura, atque utiliora, addere queamus. Itaque ne falleremur dùm ad temperamentorum indagationem plantarum, effectus, ſignaque à ſapore, odore, atque habitu petita expendimus, quædam in plantis conſideranda admonere, quædam in utriſque: In plantis ipſis ſubſtantia, qualitas, quantitas, ætas, Cœlum, etiam & Solum, quo ſpectat recenter collecta planta à multo antè tempore, quò adhibetur. Licèt enim pleræque vetuſtate deteriores euadant, atque eæ potiſſimùm, quæ raræ ſunt, tenuiſque ſubſtantiæ, ut Aſari radices, quæ vix ultra annum temperamentum, ac reliquas naturæ ſuæ proprietates ſeruant; contra tamen quædam meliores euadunt vetuſtate, ut Glans Vnguentaria, quæ ſuperfluo humore per ætatem ſpoliata benignior redditur. Scammonium caloris, atque acrimoniæ vi per decurſum aliquot annorum amiſſa clementiùs operatur. minimè omnium ætatem ferunt, quę frigida ſunt, & humida; Sic ad rem fecerit, ut contundatur antè, vel teratur, quàm corpori adhibeatur. In corpore ipſo requirimus, ut ſit animatum, ſenſitivum, & ſit humanum: at experiri in eo periculoſum, ſi intùs exhibeantur; quia ſi non manifeſta qualitate valdè excedant, imperceptibilem habere poſſunt δύναμιν aduerſum eius naturæ; nec tamen, ſi in homine haud experimur, certi eſſe poſſumus de noxa, aut uſu, quia Sturnis Cicuta cibus eſt, & Coturnici Helleborus, quorum illa homini venenum, hic medicamentum exhibet validum. Exiſtimo conſultius eſſe in homine quidē experiri, ſed innoxiè; ita cùm incognitum penitùs medicamentum eſt, malim tactu, guſtu, odoratu omnia diligenter expendere, & in externo uſu perſiſtere, donec aliarum qualitatum ſecuritatem caſus aliquis oſtendat. ità ex imprudenti uſurpatione venena detecta quamplurima ab aſſumentibus ægris, & cum domeſticis animantibus exhiberentur. quamuis enim venenata multa manifeſtæ qualitates præcipuè caloris vehementis exceſſus comitentur, ſenſu tamen adeò innoxiè cognoſci nequeunt. Sit corpus temperatiſſimum, at in omni humano temperamento calor actuatus eſt, & viſcerum inæqualis ſemper diſpoſitio ſecundùm naturam, ergò ſatis eſt ſi φαινομένως temperatius alijs videatur, admoueatur parti temperatius alijs videatur, admoueatur parti temperatiſſimæ, qualis vola manuum: dubium tamen eſt, an ea talis ſit. Andreas Laurentius ſuæ Anatomiæ lib. 6. qu. 1. & 2. dubia aliquot affert, nec videtur talis, quia cum reliqua cute & ſeminis, & ſanguinis æqua portione producitur, Hippocrati adeò νεῦρον ὕφαιμον dici, immò quia plures habet neruos, quàm caro, eſt extimum corporis velamentum ad tactilium qualitatum perceptionem apta: Sed hæc à præclaro alioquin Viro vix admittenda, quia cutis integræ ex ſpermate in embrione producitur, & ab Hipp. κάτ' ὁμοίωσιν definitur, minimè plures habet neruos in muſculis, quibus & moueri, & ſentire debebat, ſi accuratior diſſectio fiat. Longè remiſſiorem habet ſenſum lingua, adeòque Gemmarum Mangones non tantùm tactu, quàm lingua qualitates earum explorant; eſt debilior ob externas iniurias, & Galeno reſte in com. 2. progn. alitur ſanguine pituitoſo. Ego volæ cutim non temperatiſſimam ſimpliciter affirmo, ſed in comparatione cum reliqua cute; nec ad eam præcipuè explorandam eſſe plantarum craſim, quia reuerà præ-

pollet

pollet lingua, utpotè quæ & qualitates primas, ſecundas atque percipit, & ſapores. hinc & odoratus conſulendus. Sed quia intemperata corpora ſunt, in quibus experiri licet, ne iudicium oberret, iterum proſpiciendum, ne id inſigni viſcerum diſcraſia laboret, nec contrariò ullo morbo; experiaturque non in uno ſolo, ſed pluribus, ſimilibus tamen, parique temperamenti exceſſu, & affectu, habitu item; nam quæ rara ſunt, & tenella corpora, quibus venæ latæ, parteſque exquiſiti ſenſus, faciliùs magiſque afficiuntur. vice verſa quæ denſa, & dictis contraria, difficiliùs. Sit & ſimilitudo ætatis; cùm pueri promptiùs omnes iniurias ſentiant; & ratione ſexus obnoxiæ iiſdem, mulieres. Reſpicienda quoque ſunt externa, & an in calido, frigidoque aere fiat actio, ſumaturque v. g. Lactuca ante, vel poſt cibum, ſequente ſomno, aut vigilijs, ab homine otioſo, vel exercitijs, laboribuſque dedito, qui ſit animo tranquillo, vel ira feruido, qui integrè valet, aut euacuationem perpeſſus. iam ſi tam agens, quàm ſubiectum ipſum iunctim ſpectemus, & cùm refrigeratio, calefactioque ſint actiones, requirunt mutuum inter ſe contactum, & certum, in quo agant, tempus. Non eſt, quod quis neget ventriculum calefacere Piper, & ſi exteriùs tamen admotum ſtatim interiores, exterioreſque partes non afficiat; nam ut aquæ ſtillicidium non quouis aut ſpatio, aut tempore cauat lapidem: ita hìc rem ſe habere docet uſus.

De More Plantarum in cultu obſeruabili.

CAPVT XXIV.

Quæ in plantarum cultu obſeruanda veniant circa morum mutationem, ſingula ſummatim recenſentur, prout reſpiciunt ſationem, translationem, partium, reſectionem, inſitionem ſimi uſum, irrigationemque.

AFfectiones, proprietateſque plantarum ab ipſarum tum natura, ſiue formis inſitis, tum materia profectas cùm hactenus contemplati fuerimus; reliquum modò eſt, ut & mores earumdem varios expendamus, quos oſtendunt in cultu, adeoque ſatione, translatione, partium variarum reſectione, inſitione, ſimi uſu, atque irrigatione. In ſatione *aliæ* difficilè, niſi macerato priùs ſemine proueniunt; ut cucumeres, melones, cucurbitæ, alias nihil refert macerare, ut fruges omnes, excepta *oryzâ*, & olera; quædam toto cum fructu ſeruntur, ut caſtaneæ, & iuglandes; aliæ detracto fructu, ut Perſicus, & Ceraſus; quædam rurſum è ſeminibus recentibus faciliùs naſcuntur, ut Citrij mali, alia promptiùs arida, ut Allium, & Cępa: quædam celeriùs proueniunt ſi ſerantur recentia, ut cucumis, & Cucurbita, alia ſi vetuſta, ut Apium, Naſturtium. Sed rurſum plantarum quædam ex ſemine propagatæ degenerant, ut Pira, Poma, aliæque inſitarum arborum pleræque; aliæ non degenerant, ut Cupreſſus, Laurus, Palma. Iam & quædam Hyeme, aut Vere maximè ſeri poſtulant, ut Braſſica, Lactuca, Cinara, & ſimilia; aliæ Autumno, ut Cępa, & Allium; aliæ æſtate, ut Atriplex; aliæ à toto Veris ad Autumnum uſque tractu, ut Apiū.

In

In tranſlatione plurimæ ſtirpes pulchriores, ac meliores euadunt, maximè ſyluestres, quas repetita tranſlatione manſueſcere obſeruatum eſt; quædam tamen ex grandiorum, atque humilium plantarum ordine ſi transferantur inuitè hoſpitantur, ut Pinus, Cupreſſus, Beta, Papauer. Porrò ſtirpium pleræque ſurculo terram aperiri, & à vicinis omnibus purgari plantis poſtulant, quædam tamen circumſitarum vicinia herbularum gaudere, meliùſque degere obſeruantur vt Cucumis; aliæ non niſi conculcata terra proficiunt, vt Rapa. Sunt quibus partium redundantium ablatione proſpicitur, quæ ſi Radicum ſit, ablaqueatio dicitur, ſi frondium, & ramorum, vt in Vite, putatio; atque in eadem ſi cum frondibus folia diſtringantur, pampinatio appellatur. Radicum inutilium reſectionem exigit malus Medica, & Ficus, ramorum luxuriantium putationem mites, & frugiferæ plantæ omnes, maximè Vitis; immò & Roſa, cuius florum tùm pulchritudo imminuitur, tùm fragrantia, niſi intra quinquennium recidatur. Pampinationem vitis requirit, & ſimiles fructus non facilè matureſcentes detractionem primi germinis ſuſtinent. Lactuca, Braſſica, Napi, Rapæ, oleraque plurima, quoniam ob hoc ipſum diutiùs durant, ampliora, ſaporeque grationa fiunt. Quod attinet ad ſationem, ſeminum maturationem requiiunt, quibus eiuſdem durior cortex, præcipuè cùm ſiccitas accedit, & ſubſtantiæ ſoliditas; tùm enim non ſimplex aqua ſatisfacit, ſed nitroſæ, & ſalſæ requiruntur. Dactylorum nuclei ſpiritui vini infunduntur: cauſa vulgò affertur, quia difficulter alioquin in partes interiores humores admittunt, quo innatus ſeruari, augerique humor debet ad inſiti caloris pabulum, & plantæ adeò conformationem, quodque interea dum lentè conſulitur rei, marceſcit inſitus ſemini humor, vnàque tabeſcit inſtrumentum opificis, naturæ videlicet calor. Macerari igitur huiuſmodi ſemina, emollirique priùſquam terræ commendentur oportet, ne quid inſiti caloris actionem retardet, & diuturna illa ſub terra mora germinis eductionem putredo anteuertat. Hæc utcumque ſatis probabilia ſint, in accuratiore tamen rei examine ſecùs ſentiendum eſt; ac primò conſtituendum, ſemina quæcumque fæcunda, & à ſtirpe, quæ produxit abdicata, reſpondere fæcundis animantium ouis; quemadmodum enim his iam embrio, quamuis obſcuriſſimæ exilitatis eſſentialiter, & rudi conformatione conſtitutus ineſt, quodque incluſo communibus integumentis liquore albugineo nutritur, donec ſibi ſufficiens, adeòque alimenti indigus copioſioris erumpat in lucem; ita ſub inuolucris fæcundi ſeminis & embrio eſt, & nutrimentum, quo primum poſt ſeminalem ſyſtaſim idem conſeruatur, vt patet in Scilla, & Colchici, Tuliparum que fæcundis bulbis, tùm leguminum majorum ſeminibus. Fœtu conſtituto radiculas quaſi umbilicales demittit natura in terram, quibus nutrimentum eliciat vberius. Itaque indurato ſeminum cortice primum naturæ impedimentum occurrit, quod alimenti eliciendi gratia, veluti manus per condenſatas membranas protendere non poteſt: hinc germinatio prohibetur, & conceptus embrio contabeſcit; hoc præcipuè impedimentum remouet maceratiò, quamuis etiam & ratione vitioſæ terræ impediri queat germinatio; nam quod Hipp. ſcribit, quæ frigidos, & denſos habent uteros, non concipiunt, nec quæ præ- 5. Aph. 62.

humidos;

humidos; ſiquidem in ipſis genitura extinguitur, & quæ plùs iuſto ſiccos, & urentes tamquam alimenti inopia ſemen corrumpatur, at quæ ex utriſque moderatam nactæ ſunt temperiem, hæ fecundæ euadunt. idem de conceptrice ſeminum terra dicendum fuerit. Quod aut aliqua ſemina toto humi recondito fructu, alia verò detracto fructu, ſolo ſemine ſerantur, id efficit diuerſa ſeminis conditio. nam quibus id exile, & imbecillum eſt, ea terræ ſeorſum mandata celeriùs, priùſque putreſcere neceſſum eſt, quā generatrix facultas per radiculas gremio alumnæ affigere queat. Sic Caſtaneæ, & iuglandis exile, molleque germen, quod in medio fructus durioris carnis munimento defenſum, cùm terræ committitur, à putredine, externiſque iniurijs defenditur, à quo extra terram etiam pabuli particula conſeruationis gratia delibabat. Contra ſolo ſine fructu ſemine humi traditur Perſicus, quod à circumdatis proximè inuolucris ſatis ipſi præſidij accedat. Recentia quædam, ac noua potiùs terræ committi, fit ob certiùs validi calidi, humidique temperiem, quam non omni obtinent ætate plantæ; quare quibus imbecillus calor eſt, cùm is progreſſu ætatis languidior fiat, infæcundę redduntur. adde & membranarum in ſeneſcentibus duritiem, & paucitatem humidi, ob quam ſicceſcentiam per vetuſtatem ſterileſcunt ſata. Quæ verò ſemina per naturam ſupefluo turgent ſucco, vt cæpæ, ea ne protinus terræ commiſſa putreſcant, deſiccare ante ſationem præſtat, donec in qualitatibus ſecundis medioeritatem conſequantur. Cęterùm ſtirpes quaſdam ſemine ſatas degenerare aperta ratio eſt: ſunt autem illæ, quæ ex rudiore, ac ſylueſtris vitæ ſtatu in alienum, & lautiorem, vel inſitione, vel translatione tranſiuerunt, cuius etiam gratia ob alimenti ubertatem, puritatemq; maiorem fructus edebant pulchriores, & meliores. Nil mirum itaque ſi ſemine iterum translatæ amiſſo artis fuco, in ſtatum priſtinum reuertantur; equidem ars cùm externum tantum ſit rerum principium, inconſtans eſt; natura verò, quę intimum eſt, ſemper eadem eſt, atque inuariabilis. Quod alia alijs anni temporibus ſerenda ſemina ſint, id olitorum potiùs, quàm naturę pręceptum eſt; nam ut ad frugem, humanumque uſum meliora ſint, quędam Hyeme, aut Vere ſerere pręſtat; quamuis ex naturæ inſtituto, Verno omnia ferè potiùs, quàm alio anni tempore proueniunt. Sed & varietatis, de qua proximè agebatur, ex translatione ſtirpium ortæ, non admodùm diſſimilis poteſt eſſe cauſa. ſylueſtres plantæ ſi transferantur, in melius ferè proficiunt, vel quod ferinum quoddam virus ſuum exuant, vel ob partium inutilium ablationem uberiùs alantur: at quarum tenues ſunt Radices, ut Papaueris, vel fragiles, ut Betæ, dum translatione affertur aliquid damni, tùm nutriri, tùm creſcere prohibentur. Sed & ſoli, & Cęli proprietates pręcipuam prabent cauſam cur Cinnamomum, Auctore Plinio, Cupreſſus, quę in Creta copioſior, in Italia rarior, in Germania vix unquam, aut quacumque ſub cura hoſpitatur; quamuis magna reliquarum pars opportunè, & ſine vi translata viuat, ac vigeat.

De

De Moribus Plantarum in cultu.

CAPVT XXV.

Cur de inſitione non loquamur plantarum, hic redditur ratio. proſequuntur alia circa morum plantarum mutationes propoſita.

NEmo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſsit,
Si modò culturæ patientem præbeat aurem.

Lyrici Romani ſententiam ab humanis ingenijs ad plantarum indolem haud immeritò deduxerim, nam ut in illo ſeueriore diſciplina tàm ingenij, quàm morum imperfectiones corrigere licet; ſic etiam vario, ſeduloque cultu à plantis impetramus, ut fœcundiores euadant, & fructus cùm magnitudine, tùm bonitate gratiores ſint. Impulit hominem ad has curas partim egeſtas cùm parciùs natura fruges produceret, quàm magno cœtui alendo ſatis erat; partim prouidentia, adeòque optime Virg.

Pater ipſe (Iupiter ſcilicet inquit) colendi
Aut facilem eſſe viam voluit, primuſque per artem
Aut facilem mouit agros viris acuens mortalia corda;
Nec ſqualere graui paſſus ſua regna veterno.

Quamobrem quemadmodum in ſatu ſeminum, quæ ſeſe proferat varietas, proximè expendimus; conſequens eſſet eùm ſationis quædam ſpecies ſit inſitio, etiam hic de inſitione agere. At quid ea ſit, & quibus cauſis abſoluatur, & inſitum miteſcat, fructuſque ſui diuerſitatem induat, in primo libro declarauimus. Quæ verò plantæ expurgari terram propinquam amant, id alimenti gratia poſtulant, quo à vicinis alioquin abrepto, inopia ipſas laborare contingit; ſed prætereà aperta, dimotaque ad radicem terra non ſolùm tranſpiratio ipſis melior confertur, ſed etiam dùm viuifici Solis radij altiùs terram ſubeuntis inſitum radicibus calorem excitant, & ſucci pariter auidiùs attracti coctionem adiuvant, quo nutrienda planta uniuerſa eſt; unde & lætiora omnia, & meliora fieri certum eſt. Ab hoc communi plantarum commodo ſiquæ diſcrepant, dum plantarum propinquarum conſortio gaudent; id earum forſan frigidior natura, humidiorque facit, qualis cucumeris, quæ eum foueri, deſſiccarique poſtulet, vicinarum quidem beneficio ſtirpium, dum tamquam omento à fimo ambitur, nocturna frigora minus ſentit, iſque ad ſe alimenti portionem allicientibus inutilis humoris luxuries colligitur. Rurſum etiam ſi Rapum præter communem morem denſiore videatur egere ſolo; id tamen haud cedit in ſtirpis ipſius emolumentum, quæ in terra ſarrita, ſcil. ſarculo dimota longè feliciùs ad flores, & ſemina properat, quàm in denſa, atque inculta. Itaque res tota in humanum potiùs cedit uſum; nam prohibita liberiore ſucci diſpoſitione in germen radices uberiore enutritæ alimento grandiores fiunt, magna cum utilitate pauperum tabernarum. At radicum, ramorumque inutilium abſciſſionem vulgò fieri arbitrantur, ut alimentum ad præcipuas tantùm radices reuocetur; alioquin in plures inutiliter profundendum

dendum venit, & vt radicum adeò robur conſeruetur; ità ijs tantùm conducit plantis, quæ multiplici radicum, ac ramorum productione luxuriantes aliàs celeriter conſeneſcunt; talis maximè omnium Vitis, quæ putari ſolemniter poſtulat, Myrtus, & Malus Punica, & Olea alternis annis expurgantur; nec de Roſa mirum, reſectam flores odore, & colore parere præſtantiores alimento, quod iam pluribus partibus vberiùs ſuppeditandum erat, in pauciores confluente. probabile autem non eſt poſt abſciſſionem ramorum exuberantium, alimentum, vt admonet Coſtæus, ad radicem reuocari, fæliciùs concoqui, & dehinc largiùs diffundi; nam cum alioquin ſana planta ſit, nec in alimento virium, nihil obſtat, quominùs in reſiduis ramis perficiatur. Pampinatio vitis fructuum gratia inſtituitur, qui detractis folijs, ramiſque inutilibus, illuſtrati à Sole citiùs matureſcunt, fiuntque meliores: ſucci autem affluxus ad partes læſas, & vulneris iniuriam lenientis nil afferre plantæ damni; diſſimili earum plantarum conditione, quæ aridiores ſunt, & ſucci inopes. Bulborum, radicumque gratia fit primi germinis detractio, ob quam nutrimenti à radice in partes ſuperiores diſtributio prohibetur, adeòque & alimentum à radice meliùs concoquitur, ipſaque craſſior redditur, & ſapore gratior; in reliquis verò plantis celerem ſeminum procreationem impedit, vitamque producit, quam ſeminis immoderatior prouentus carpit, τὰ πολύσπερμα ζῶα Ariſtot. μικρόβια rectè pronuntiauit. Simile huic eſt, & ob cauſam ſimilem in irrigatione, ac fimi uſu, & quæ circa hæc differentiæ occurrant optimè pronuntur à Coſtæo. Ad cauſas verò quod attinet, licèt quibus plantis,
Lib. 2. c. 39. quæ ſunt aridioris naturæ, parciùs aqua affundenda eſſet; eædem tamen commodi noſtri gratia frequentiùs irrigantur, vt mollius præbeant alimentum; ſic Braſſicam, Erucam, aliaſque huiuſmodi teneriores, palatoque gratiores efficit ſæpiùs facta aſperſio, quarum tamen natura pauciore irrigatione meliùs ſeruaretur. Cùm autem aqua per riuos inducta, quoniam adducta ſecum tellure, ſparſas in ſuperficie radices detegat, in cauſa eſt, quòd ſtirpes, quæ altiùs radices non agunt, irrigatione læduntur, quòd ſumma terra decurſu riui abducta, nudæ relinquantur radices; externis deindè aeris iniurijs expoſitæ, quæ è conuerſo non denudantur pluvia, ſed magis confirmantur: hinc Triticum, Miliumque pluvijs magis proficiunt, quam irrigatione, contra quam Linum, aut olera, quæ quia radicibus altioribus hærent, deducta è riuis aqua non læduntur, immo adjuvat eas, quòd riui pinguius alimentum affluant, idque non faciant pluuiæ. Cur aliæ noctu, aliæ interdiu irrigari ament, res ità forſan habet. irrigationis tempus generatim aptiſſimum eſt nocturnum, quia tunc affuſus humor non ita promptè abſumitur à Sole, quodque compulſo ob circumſtans frigus ad intimas partes calore, alimentum meliùs concoquatur: contrà ex diurni irrigatione metus eſt, ne incaleſcens à Sole humor tenuiores, imbecillioreſque radices adurat. At Ocimum, cùm ob corporis ſui laxitatem confertim reſoluatur, ad diſſipari humoris inſtaurationem, etiam ſub æſtuante Sole irrigationem exoptar, quamuis cum uniuerſo plantarũ genere ſub noctem irrigatæ plantæ utilitatem percipiant maiorem.

De

De Fimi, cineriſque uſu.

CAPVT XXVI.

Quæ à fimi uſu iuuentur plantæ, & quæ eum reſpuant, & cur, oſtenditur.

HOminem ad plantarum cultum partim alimoniæ ſumendæ neceſſitas excitauit, partim naturale rem honeſtè parandi deſiderium,

Cùm iam Glandes atque arbuta ſacræ
Deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret.

Immò & Prouidentia ipſa in Fimi uſu, ut ſubſtantia ſua, & calore ſolum illud, quod frigidum exiſtit tepefaciat, & ſoluens, & attenuans quod denſum eſt facilius ad radices paret aditum nutrimento; Igitur quæ tenuiori præditæ ſunt conditione, & exiles plantæ, raraque, & tenui præditæ ſubſtantia, cùm conuenienti nutriri debeant alimonia, & ob id puro, tenuique alimento indigeant, & pauco, illæ potiùs à fimi uſu lædi ſolent, ſiue immoderato calore ſubſtantiam eorum plus æquo diſſipet, ſiue uberiùs, quàm neceſſitas requirat, & copioſiùs affundat nutrimentum pariter, ac ſordidius. Tales ſunt Adianthum, Polytrichum, Ruta muralis, ac ferè quæcumque ſaxoſis in locis naſcuntur. cùm autem quæ fimo delectantur aliæ acriorem, & craſſiorem ferant, aliæ mitiore tantùm proficiant, in cauſa eſt robur, aut imbecillitas earum naturæ. Sic tenellæ arbores, ac oleraceæ plantæ pingui, & puro fimo ſatæ, exuſtione ut plurimum læduntur; non læduntur autem eo, cui à vetuſtate putredo, & exindè tenuitas acceſſit, aliiſque permixto tenuioribus terris. Contrà verò arboribus vegeto robore præditis quò vegetior, & ſincerior eſt fimus, eò præſtantius, & magis utile euadit; ſub qua ratione aruis ſegetibus deſtinatis, ac pratis equinus fimus prodeſſe ſolet; ſecùs de ſuillo habendum, qui acriori præditus qualitate ſegetibus ipſis, & pratorum tenellis herbis exitioſus euadit, dum exurit facillimè; non officit tamen cępis, & alliis denſiore ſubſtantia præditis, & quæ humore prægnantia craſſo conſtituta ſunt. Chymici accuratiùs de fimo philoſophari credunt, dum ipſi ineſſe ſulphur tradunt, hoc eſt ſubſtantiam pinguem, oleoſam mirè feminum, radicumque inſitum radicale humidum, calidumque reficientem; quæ tamen eo modo, quo debent intellecta non improbabilia habentur. Porrò cùm cinis eumdem præſtet ſtirpibus uſum, quem fimus calefaciendi præbet, ſoluendiq; denſius ſolum, cinerem pariter omnem plantis omnibus, quæ fimo vegetantur utilem eſſe diù iam obſeruatum eſt; at quemadmodum Olea robuſtioris naturæ plancta cinere gaudet è calcariis fornacibus deprompto; item Vitem propriorum ſarmentorum cinere proficere ob ſimilitudinem iudicatur; in quo tamen conſiſtat hæc ſimilitudo, & quomodo in cinere delitescat ſal, ex Hermeticorum Scolis doctrinis cautè elicitis diſcere poſſumus. *Coſt. lib. 1. cap. 39.*

De Morbis Plantarum.

CAPVT XXVII.

In plantis morborum genera eadem reperiri, quæ in hominum genere aſſeritur, in intemperie ſcil. aucta magnitudine & ſoluta vnitate oſtenditur, & quomodo à Theophraſto in ſtirpibus appellantur.

HOminem plantis ſimilem eſſe, & homini plantas non externarum ſolummodò partium conuenientia quædam arguit, ſed internorum tàm vitæ, quàm valetudinis principiorum communio pariter oſtendit: viuit homo quamdiù calor inſitus in humido radicali benè conſtituto perſeuerat; valet item quamdiu potentiam obtinet, & actiones ſecundum eius naturam ſunt, rectèque eas exercendi munus obtinet; morbis implicatur cùm contrariam dictorum diſpoſitionem nanciſcitur. Idem ſanè in plantis obtinet; in homine tamen actiones & plures, & nobiliores, in plantis ad nutritionem, & generationem omnia referuntur, atque ad ortum, alimentum, incrementum, fęcunditatem; quarum ſi quæ vel impedita prorſus, vel imbecilla, vel deprauata fuerit, iam morbum adeſſe; eiuſque vel adeſſe, vel præceſſiſſe cauſam conſtat. ità profectò quæ ſtirpium ſemina opportunè humo commiſſa vel germen penitùs non proferunt, vel ſeriùs, vitiatumque proferunt. Quæque plantæ partes habent præter naturæ *modum* exiles, anguſtas, malè coloratas, fructus vel nullos, vel paucos, aut vitioſos edunt, has morbis affectas eſſe palàm eſt. Redigi autem poſſunt plantarum morbi ad communiter in humano corpore recepta genera, intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutionem continui. Intemperie laborant plantæ calida per æſtatis ardores, frigida per hyemem, ſic, ut utriuſque exceſſu ferè pereant; ſiccitate item præter ſpeciei morem graciles euadunt, humiditate verò per copioſos, inutileſque ſuccos earum calor ſuffocatur. Morbos malæ compoſitionis obtinent cùm ſolita magnitudine minores numero partium, mutilæ præter morem, aſperæ, curuæ, cauæ fiunt, parteſque vel alieno loco poſitas habent, vel præter naturæ inſtitutum diſtinctas. Continui ſolutionem patiuntur, cùm finduntur, rimaſque contrahunt, cùm radices, rami, cortices, aliæve partes abſcedunt: ex his morbis non omnium, ſed frequentiorum, grauiorumque præ cæteris cauſas inueſtigabimus; quamuis his non æquè pateant omnes. Sunt autem apud Theoph. Sphacelus, Syderatio, Vermiculatio, Rubigo foliorum, & Fructuum Lapſus, Hirculatio, Scabies, & in Vite Crambus, in Oliua autem Aragnium. Sphacelus eſt natiui caloris in planta extinctio, adeòque vera mortificatio; ea Fici arbos, radices, & ramos frequenter corripit. Syderatio, quam ἀςροβολίαν appellat Theophr. eſt plantæ totius, aut partium aiiditas, quæ Vitem præ cæteris affligit. Vermiculatio vitium eſt plantarum, per quod vermium generationi fiunt obnoxiæ, ut Pirus inter alias arbores, & malus præſertim nouella; hoc verò non laborant Laurus, & malus punica acida. Rurſum inter fructus mala, pira, pruna, Auellanæ,

Lib. 5. de cau. plant. c. 9. & ſeq.

lanæ, Caſtaneæque afficiuntur; & quod mirum videtur, quia amara eſt Oli-
ua: gignuntur etiam culices in Robore, in Oleribus erucæ, quorum tamen
nullum accidit Caprifico, ſcilicet Ficui ſylueſtri. Naſcuntur etiam vermes
in Roſarum ſpongijs exigui; tum in Vlmi veſiculis culices, ſed hi noxam
non inferunt. quid Rubigo notum. Crambus in Vite eſt fructuum, & alio-
rum exuſtio. Airculatio in eadem eſt foliorum luxuries cum fructuum pau-
citate inter germinum, & acinorum lapſus. Arachnium in Oliua eſt pelli-
cula folijs, ramiſque eius veluti ſitu obducta. Vulnera alta fert Abies, Pi-
cea, & Terebinthus. Cacuminis abſciſſionem frugiferæ arbores mites ab-
nuit Cupreſſus, Palma, & conſimiles: corticis detractionem fert Suber,
aliæ verò minimè: Fixio caudicis ad medullam uſque Viti, & malo Punicę
non eſt lethalis, alijs utique necem afferre ſolet. Cauſæ ut in animantibus Coſt.lib.1.
internæ ſunt τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ καὶ ὑγρότητος mutationes. Intemperiem ergò cap.41.
calidam incurret planta, ſiquæ temperatæ naturæ eſt, & è loco, ſoloque
mediocri transferatur in calidius, ſalſo, nitroſoque ſucco prægnans; ex
umbris in apricum, aut ſoli perpetuo expoſitio, ingens, & immoderatus,
nec non diutinus æſtus, venti ſqualidi, & aliàs inconſueti. Intemperiem
frigidam cum ſicca inducent cauſæ contrariæ. Curuitatem incurrunt plan-
tæ, quæ intemperiem acquirunt ſiccam ex alimenti paucitate. Hinc ali-
quæ vel unica die non irrigatæ ſole æſtuante, & immoderatiùs earum hu-
midum diſcutiente, folia, comaſque inclinant; Taceo & externas iniurias,
& pondus ex multitudine inutilium ramorum debili trunco. Perſeuerans
incuruatio vix corrigitur, vt notum, in contractione diuturna hominibus
contingenti. Exilitas ſtaturæ nutrimenti inopiam, vel paucitatem agno-
ſcit, vt in catulis canum, & ex accidenti radicum impedimentum in vaſis
anguſtis, vt in cultu mali Citrij. Solutiones continui tùm externas agno-
ſcunt cauſas in rimis, fiſſuriſque ſiccitatem: grauia ferunt vulnera quæ ſuc-
co pingui balſamico, atque copioſo prædita, cuius repentino affluxu, &
condenſatione circa vulneris oras externæ arcentur iniuriæ, & reparatur
id, quod ex inflictu deperditum eſt. Affluxu verò cùm ad temperiem re-
ducatur planta ex accidenti fœcundior efficitur, ſecus ſe habent quibus
ſucci conditio talis non eſt, prout optimè Coſt. Quod autem cupreſſus, & Lib.2.c.57.
palma cacuminum ablationem, aut vulnus haud ferant, non tam meatuum
rectitudo, ad quam reſpicit Coſtæus, quàm quod ἐγκέφαλον, ſeu partem prin-
cipem, quæ vel primaria radix eſt, vel medulla eius in cacumine obtinet;
Quò remotiora ſunt ab his partibus vulnera, eò minùs noxia. De Palma
conformi modo dicendum; hominibus enim quibuſdam contingit gra-
uiſſimè etiam vulneratis, ut ob ſuccorum, quibus abundant, balſamicam
proprietatem, citò reparentur, & citra operoſa medicamenta, quæ deper-
dita ſunt ſibi reſtituant, alijs verò contrarium accidit.

De cauſis morborum Plantarum.

CAPVT XXVIII.

Ex plantarum cauitatibus morbos ſtirpibus accidere oſtenditur, & qui, eorumque cauſæ adducuntur; à quo Vermes in plantis generentur, & quæ ſtirpes magis obnoxiæ, & quæ minùs putredini conſideratur.

OPtimè Homerus, *Οἵη περὶ φύλλων γενεὴ τοίηδε καὶ ἀνδρῶν*, quale genus foliorum, tale quoque virorum eſt, id ſanè in vitæ ratione compertum eſt, ac valetudinis communibus cauſis, hiſque tàm internis, quàm externis; morbi enim plantis etiam, & homini communes ſunt. Morbos plantarum, quos Veteres nobis præſcripſerint, ſuprà poſuimus: ex ijs, quæ cauitatum accidant cauſa, modò quærendum, quæ nulla alia eſt, quàm putredo, atque adeò humidi abundantia; nam in Robore, Vlmo, vel Iuglande, quibus cacumen abſciſum eſt, dum ſcilicet frequentibus pluvijs ſummi caudicis medulla ſuperfluo humore diluitur, putreſcere illa ad imum uſque caudicem ſpectare licuit. Cauitatis vitium ſequitur interdum tumor; dum enim alimentum, quod ex magnis radicibus ſurſum trahitur copioſius, neque in ſuperiores partes ob cacumen abſciſum abſumi poteſt, neque in caudicis medullam, quæ iam computruit in ipſius trunci orbe tectum eum altiùs, quàm natura fert, vel totum, vel partibus diſtinctis craſſiorem efficit. Sic ex abundantibus humiditatibus in humano corpore fiūt *ἀποςάσεις* & criticè, & ſymptomaticè. Sphacelum Veterum aliqui ex ictu in plantis, ut in animantibus, ex vulnere ſemper fieri putarunt; reuera tamen extinctionis innati caloris plures cauſæ ſunt tùm per ſe tales, tùm per accidens: per ſe quidem contrariæ qualitatis, frigiditatis inquam victoria, ob cuius violentiam idem nativus calor extinguitur; per accidens verò inſiti humoris inopia, vel ſuccorum inutilium copia, quam cùm ſuperare nequeat calor. Inopia ingruit inſiti caloris, cum deficit alimentum, idque vel quòd per obſoletas, vitiataſque radices non attrahitur; vel attractum non concoquitur, vel concoctum non diſtribuitur, obſtructis, *aut* conſtipatis vijs per tumores, aut callos, ut ex suborto tumore circa *diui-*

Lib. de Gangrena c. 4. ſuras venarum in embrione, & arteriarum umbilicalium demonſtrat Fabius Hildanus, & cauſas apud eum plures. Copia inutilium ſuccorum inſitum calorem ſuffocat, cùm à vehementi dolore, & valida inflammatione eidem confertim attracti ingruunt: adde natiui caloris vehementem diſcuſſionem, & inflammationes; item corruptionem per venenata, & deleteria medicamenta, humores malignos, ac peſtilentes, animalium venenatorum morſus, aut puncturas; quamuis hæc poſtrema, excitata valida inflammatione, obeſſe pariter queat, & à tota ſubſtantiæ proprietate toti ſubſtantiæ nocere. Quòd verò Ficus, aliæque ſtirpes faciliùs Sphacelo corripiantur, in cauſa eſſe poteſt, quòd Ficus, vt notauit Theoph. ſit humidiſſima, atque humidi peregrini acceſſione calor eius facilè obruitur. Sydetatio eſt repentina exareſcentia, quam inuehere poſſunt ictus, & vul-

nera,

nera, præcipuè verò ſolus æſtus, fulgur, vel etiam terræ, & aquarum corruptio. corripiuntur autem ſyderatione arbores nouellæ, non quòd adultis ſicciores fiant, ſed quòd radices habeant breuiores, adeòque iniurijs magis obnoxias, tùm humidum tenuius, diſſlatuque facilius. Ficus præ cæteris ob ſubſtantiæ laxitatem facilè gelu perſtringitur, adeòque ſyderatur. Vermiculationem Theoph. ad ulcera refert inducta δίψωσιν, ſiuè ſitim, vtraque tamen cauſa tantùm accidentalis videtur: fieri enim poteſt, vt ulceri ſuperueniat putredo, & contabeſcentia, debilitatiſque plantæ peregrini humoris, calidique putredinoſi acceſſio contingat. Coſtæus generatim cum Philoſophis, & Medicis vermium generationem ex putredine fieri aſſerit, adeòque ex calore & humore, ſed inutili, & redundante, ac proptereà Cupreſſum, Laurumvè affici, ſed Ficum, & Malum infeſtari, quæ humidioris naturæ, ſimiliaque, præcipuè ſi dulcia; quoniam hæc calida, & humida, ac proptereà gratum alimentum vermibus ſunt: acida, acria, amara difficulter patiuntur; & quamuis in Oliuis alioquin amaris deprehendantur, ineſſe tamen ijs quaſdam non amaras partes, vero conſentaneum eſt. ſic de muſcarum pariter, & erucarum generatione diſſerit, ſed hæc curioſis animis parum ſatisfaciunt, etenim calor, ſiue putrefaciens, ſiue concoquens, non poteſt eſſe cauſa princeps in productione vermis, qui eſt ſubſtantia, corpuſve animatum; itaque præter calorem inſtrumentum naturæ commune, neceſſe eſt ineſſe ſubiecto, ex quo producitur, principium ipſum formale, per inductam, à calore diſpoſitionem è potentia in actum productum. Materia non ſimpliciter pituita dulcis, cùm ex Abſinthio producantur vermes, ſed materia quælibet, cui vitale vermis principium ineſt: fatendum interim in tenellis plantis, & animantibus quoque faciliùs gigni, quia calorem obtinent ſuauiorem, & alimentum ijs aptum cum materia ſimili, prout optimè Sennertus. Quid autem Rubigo, Aragnium, Crambus, & eorum cauſæ ex Coſtæo breuitatis gratia petendæ: Corticum verò abſceſſus, fructuum, germinumque lapſus in priuationem glutinoſi humidi, quo iungebantur, referendum; aut eiuſdem vitium, cum fluidius euadit, & aquoſius. Suber, quia corticem habet duriorem, quæque incrementum eius prohibet, & ſubſtantiam, ſiue materiam craſſam, denſamque, iniurijſque adeò non obnoxiam, corticis detractionem perferre poteſt, ſecus aliæ, maximè eius, quæ in orbem fit, & circa radicē principem. Vitis denique, & Ficus vulnera ferunt ad medullam penetrantia, quia ſingulari naturæ priuilegio ſeparatæ in illis partes facilè in ſe ipſas redeunt, tùm alimento abundant multo, & lento. Sed hactenus de his, quæ ad vitia plantarum attinebant, nunc ſingularum temperamentum in ſpecie perpendendum: vt quibus viribus temperamenti ratione polleant, palam fiat.

Lib. 2. c. 17.

Inſt. part. 2. lib. 2. c. 9.

Lib. 1.

De Temperatis Plantis.

CAPVT XXVIIII.

Temperamentum per varios gradus diſtinctum in ſtirpium ſingulis generibus inquiritur, non eſſe ſubſtantiam aſſeritur, & à temperatis plantis exordium ſumendum eſſe ſtatuitur.

POſt cognitam humani corporis, morborumque naturam, nihil magis incumbit Medico, quàm medicamentorum vires cognoſcere, & legitimum earumdem uſum: quorum ſelectiora, & præſtantiora exhibent plãtæ. Harum vires vel à forma ipſa, totavè ſubſtantia fluunt, vel conſequuntur temperamenti conditionem: itaque cùm hactenùs affectiones communes plantarum expenderimus, eaſque tàm ſecundùm, quàm præter naturam exiſtentes; ordine ducimur ad contemplationem particularium. Cæterùm cùm ex qualitatibus refractis temperamentum in compoſito reſultet, quod ex ſenſibili motu acquiritur, & alteratur ex qualitatibus, nec ſubſtantia eſt, ut opinatus eſt Fuchſius, nec forma mixti dici poteſt, cùm ex Auic. ſenſatis placitis temperamentum ſit qualitas ex primarum mutua actione, & refractione, coituque reſultans; quamuis id non arrideat Fernelio, qui temperamentum ex qualitatibus non refractis oriri putat: quod ſi ità eſſet non ſequeretur mixtio, quæ eſt miſcibilium alteratorum unio, quæ omninò reſultare nequiret niſi eædem qualitates refractæ ad concordiam deuenirent; & ſic qualitates non perire in compoſito inferendum, cùm præſertim hoc ipſum ſenſus neget, qui diſtinguit pallidum ab atro, & albo. Cæterùm compoſitum ab ea qualitate denominatur, quæ exuberat in eodem. Cùm igitur ex æquis concurſibus eædem qualitates conſpirare poſſint, dum ſic ſit temperamentum ad pondus conſtituitur; quamuis hoc in homine nunquam reperiatur, ac ſubinde neque in plantis, quæ cum homine varijs partibus præditæ ſunt, ac propterea inſtrumentis diuerſis temperiem diuerſam requirentibus. quod quidem temperamentum forſan non implicat reperiri in homogeneis, cùm tamen ratione variarum partium in heterogeneis varium etiam requiri conſtet. vtcumque tamen, etiam pro norma id accipiendum eſt; quare ſi altera qualitas viribus excedat, certo, ſed leui quodam naturali exceſſu, temperamentum ad iuſtitiam dicitur, quale in homine perquirendum, & in reliquis heterogeneis; varium tamen pro actionum varietate, idque vel ſimplex, ubi una tantùm qualitas ſuperet, vel compoſita, ubi duplex; quod tamen latum eſt, & magis, & minùs ſuſcipit, cùm & alias alterantes excedentes qualitates obtinere poſſit; atque cùm calidum per ſe ex proprio naturæ inſtinctu tantummodo agat in frigidum, & frigidum in calidum, tàm frigidum, quàm calidum humiditatem, vel ſiccitatem compatiuntur, ſaltem ad tempus, & non ſolùm excedentes, ſed & mediocres reſpectu vel plantarum, vel cæterorum animalium, cùm nihil prohibeat coniungi poſſe unam qualitatem actiuam excedentem cum reliquis moderatis; ut & excellentem paſſiuam cum

Lib. 1. ſect. 3. c. 1.

cum reliquis, ut dictum eſt, moderatis tamen iſtud quidem excellens dici poteſt vel in genere, & abſolutè, facta collatione cum altero reſpectu exterorum animantium, unde ſolus homo exindè temperatus conſtituitur, cùm puer calidus, ſenex frigidus; oleum recens temperatum, ſeneſcens calidum. Verùm ſi in plantis conceſſum ad iuſtitiam temperamentum conſideremus, licèt ab Auctoribus in ſenſu calidarum, vel frigidarum reponantur, ſi attingant debilem caloris, vel frigoris conditionem, nec integrũ primum harum qualitatum gradum expleant; immò niſi leuiſſimam, & imperceptibilem quaſi actiuarũ exuberantiam, & potiùs ad rationem, quàm ad ſenſum collatam agnoſcant, quamuis primum gradum humiditatis, aut ſiccitatis ſibi aſciſcant; communi tamen conſenſu temperata dicuntur; quia quæ tale temperamentum poſſident, vix ullam ſenſibilem alterationem parere valent, & ob id temperata vocata, quia harum quæcumque admota humano corpori nullum caloris, frigoriſve ſenſibilem effectum inducunt. Ab illis igitur exordiemur, quæ modo dicto temperatæ dicuntur, pergentes inde per gradus ad ea, quæ primarum qualitatum, ſed præſertim actiuarum uno, vel altero gradu, aut plurium, intra tamen medicam latitudinem definitorum conſiſtunt in plantarum ſenſu, ſelectiores afferentes in unaquaque temperamenti ſerie, & quas paſſim opportuniore ſelegit quotidianus, & magis probatus uſus; eſſet namque nimis operoſum, & forſan ſuperuacaneum omnes, quæ exceſſu aliquo pollent explicare, cùm præſertim hæc omnia peti poſſint ab eruditiſſimis Botanicis, qui hãc prouinciam ex profeſſo ſuſcepere, exordium ab oleo ſumentes, tamquam ſucco ex temperatis plantis ſelectiſſimo, utiliſsimoque.

De Oleo, eiuſque viribus.

CAPVT XXX.

Olea, oleoque priſcis honor tributus magnus aſſeritur, temperamentum diſquiritur, & quo modo temperatum pronunciandum, calidum vè; vſus & vires examinantur.

OLeæ honorem Romana maieſtas magnum habuit, inquit Plinius, turmas equitum Idibus Iulij ex ea coronando, minoribus item triũphis ouantes, ideſt, qui ſine maiore ornatu læto clamore militum urbem ingrediebantur, Athenis quoq; Victores Olea coronabantur, & in Olympijs Græci Oleaſtro. Succi ſiue Olei ex Oliuis uſus apud veteres maximus fuit, immò & abuſus, cùm idem ad luxuriam verterent. Græci, ut loquitur idem Plinius, vitiorum omnium genitores, in publicis gymnaſijs publicando. Anacarſis Scytha idem inſaniæ Pharmacum pronuntiabat, quoniam eo athletæ ad inſaniam ſeſe exercentes inungerentur: nos verò commodiùs agentes, ex Dioſcoride vires eius expendere pergemus, varijs in morbis minimè aſpernandus; ſic ex temperatis hoc ipſum Oliuarum oleũ tamquam uſitatiſſimum medicamentum accuratiùs expendit Galenus, ſed probè maturum, verùm Oleum ita ſumptum etiam non ſine controuerſia *Lib. 15. c. 4.* *Lib. 2. fac. ſim. cap. 5.*

in temperatorum genere à Gal. repoſitum pacificè ſtat, ideò ut ſuam opinionem tueatur, opportunè ſeſe Archidamo opponit, quia omninò calidum validis rationibus pronunciabat, quia ſit natura aereum, & ob id calidum quemadmodum aer, quia frictione adhibitum corpori, euidenter calefaciet, quia oleo inunctæ carnes & aſſatæ induunt duriorem, quàm ſi non fuiſſent inunctæ, cruſtam. Sic quæ in eodem friguntur denſiora, durioraque fiunt circa ſuperficiem: poſtremò oculis admotum, cuiuſcumque conditionis ſit, eoſdem mordicat, inflammatque. Conſentire videtur Archidamo Ariſtoteles, qui Problemate 39. ſect. 1. ex Oleo inunctionem ad κόπους, ſeù laſſitudinem contractam hyberno tempore fieri debere; quia Oleum eſt calidum: item ſect. 3. probl. 35. Oleum affirmat eſſe οὐρητικόν, ſiuè urinæ prouocatorium, huiuſmodi autem medicamentum calidum eſſe, ut ſanguinem attenuare, ſegregare, ac ſerum ad renes deducere valeat. Taceo Dioſcoridem ipſum, qui communiter Oleum omne θερμαντικόν, ſiuè calefactivum nominat. Altiùs de Oleo philoſophantur Hermetici, quibus principium ſui generis è proximis actiuis habetur, aſſignantque has proprietates: primùm, quod ſit ignis aptiſſimum pabulum, qui abſque oleoſa mixti ſubſtantia nuſquam perennet, quod deindè ſit meræ æquabilitatis, & denſitatis, hinc profuſum ſtrepitum nullum edit, adeòque partium diuerſarum diſiunctionem nullam fieri perſuadentur: inſuper quòd tranſpirationem ſpirituum, ac caloris impediat, in quo refertur potiùs effectus ad naturæ familiaritatem, quàm ipſi contingat cum ſpiritu, & calore, quàm ad ſubſtantiæ denſitatem; idcircò cur Pharmacopæi id liquoribus exhalabilibus affundant notum eſt. Quod neque calorem, neque frigiditatem per ſe obtinet, ſed horum vires aliundè mutuetur mixtura, & adhæſione ſalium, & ſpirituum calidorum, aut frigidorum. Nec profectò ab hoc diſſentire videtur Gal. quamuis enim Oleum ex Oliuis maturiſſimum, de quo ſermo eſt, & ætate medium ita vocet temperatum, quemadmodum anni vernum tempus, quod licèt nobis qualitatum exceſſum non inferat, communiter tamen tale eſt ad alia anni tempora collatum, nobis obtinentibus calidum, & humidum temperamentum, ob id & ipſum magis ad calorem vergere: attamen fatetur Oleum ſe habere, vel agere in nos ut indumentum, & medicamentum; ut indumentum, arcere penetrationem frigoris externi, & impedire quò minùs ſubſtantia corporis noſtri tenuior abundantiùs reſoluatur, adeoque talem in ſe recipit calorem, qualem ipſi corpus imprimere poteſt; ut medicamentum verò neque calefacere, neque refrigerare, atque ita temperatum dici: item lib. 6. fac. ſimpl. cap. de Oleo concludit, Oleum pro iniectorum natura variare, Archidamum autem partim ad Phyſicos reijcit, partim ad Empyricos, oleique variam eſſe conditionem per ſe ratione ætatis, & maturitatis; immaturum enim, quod Omphacinum dicitur, aſtringit, & eſt frigidius; vetuſtum omne redditur calidius. Reſponderi interim poteſt pro Gal. ad rationes Archidami, primò, quòd utcumque in acie bona Philoſophorum pars calorem admittat, temperatum tamen adſtruitur, ſi de proprio ſermo ſit: ſecundò incaleſcit Oleum in frictione, quia frictione excitatur calor corporis, quem Oleum in ſe recipit: tertiò qui frigunt, Oleo, cruſtæ maioris productionem impediunt,

Lib. 3. de Temp.

pediunt, aut ſaltem durioris, quàm Oleum remolliente ſua facultate impedit, niſi cauſam ad vaporum ſub Oleo interceptionē referre velis: quarto in Oleis etiam temperatiſſimis eſſe denſitatem, quæ ſtatim effluxum caloris, & ſpiritum in oculo impedit, hinc ſymptomatum facilis acceſſio. Exiſtimo ſi de Oleo puriſſimo, & optimè maturo ex Oliuis ſermo ſit, quamuis eius natura, vt ſubſtantia aeris in manifeſtis qualitatibus actiuis obſcura ſit, ob ſingularem tamen, quem habet cum calore conſenſum, vtpote quem alit, ſeruatque, veriſimilius videtur, non eſſe eidem penitùs diſſimile. Iam quod attinet ad eius vires aſſerit Dioſcorides, omne Oleum eſſe calidum, videlicet quod ex maturis Oleæ fructibus expreſſum eſt, quod ſic accipiendum, calefacere, ut indumentum, & ex accidenti, ſecundarioque, dum corporis calorem admittit, quò enim magis ſeneſcit, calidius fieri poteſt ſi proprij caloris penitùs expers eſt. Eſt δυσριγόψυκτον à frigore tuetur, quia denſatis poris & calorem coercet, & frigus excludit. Corpus reddit ad actiones εὐκινητότερον à laſſitudine adhibitum, in qua maximus eius apud veteres uſus; at ſumpta ex hoc occaſione non inconueniens ſit obiter aliqua de laſſitudine innuere: triplex autem laſſitudo Gal. ulceroſa, tenſiua, phlegmonoſa: Vlceroſa veluti ulceris, & punctionis ſenſum exhibet ab acribus, & tenuibus excrementis per exercitationem haud dum diſcuſſis. Tenſiua fit, cùm ab immoderata muſculoſarum partium tenſione affectio relinquitur ſimilis ei, quæ in exercitatione aderat. Phlegmonodes, laſſitudo ſcil. inflammationi ſimilis contingit, cùm à motu nimium excalfacti muſculi attraxerunt, atque tumidiores etiam ad leuem contactum dolent. His omnibus diſtincta quidem ratione conuenit vſus Olei; nam in Vlceroſa laſſitudine cùm laxandus ſit corporis habitus, vt fuliginoſa excrementa expelli, & excerni à natura poſſint, ſimulque humorum acrimonia mitiganda, vtrique intentioni optimum erit Oleum, & quàm dulciſſimum relaxans, & temperans. In laſsitudine tenſiua plurimum eſt in Oleo præſidij, dum immoderatè diſtracta laxat, tendineſque ſiccatos lento iterum humido priſtinæ habitudini reſtituit. Inflammatoriæ quippè laſsitudini aliquid confert quamuis minùs, nam & calorem lenit, & laxando tranſpirationem promouet, pauculo præſertim ſale remixto: at in omni laſsitudine curanda frequenter Oleum veteres aqua miſcebant, prout ex Gal. notum fit: utebantur autem lauacro ex aqua dulci, utpotè quæ humiditate ſua inſtrumentorum corrigebat ſiccitatem, & adſcititia caliditate tenuem, atque acrem homorem digerebat. at ſi corporibus inhærere aqua poſſet, nec facilè difflueret, ipſa utique per ſe ſufficeret; id verò cùm non faciat, ſed poros ingreſſa, quia corporis anſam nullam habet, promptè effluat, ob hoc ipſum admiſcuerunt Oleum, adeòque maximè iuvat ſi ex utroque aliquis diutiùs fricetur, idque veteres χυτλοῦται nominabant, cui oppoſitum induxerunt vocabulum ξηραλοιφεῖν, quod ſicca uti frictione ſignificat, & eſt ſanè hoc ſanare laſsitudinem potens; multum tamen ab eo relinquitur, quod aquæ, oleiq; mixturam obtinet; addit porrò Dioſcorides, Oleum in communi ſic acceptum laxare alvum, adeòque ſi ventriculi humidior intemperies non obſtat, etiam aſſumptum hoc nomine prodeſt. Illud pluris eſt, quod tradit idem Dioſcorides, quod iſtud

Lib. 2. ſimp. fac. c. 15.

ἑλκοῦν τῶν φαρμάκων δυνάμεις, venenorum exulcerantium vires permixtum hebetat, ità qui cauterijs vulgatis pinguedinem humanam miſcent, ſic ea mitigant, ut videantur indolenter penitùs agere. Exhiberi quoque contra venena notum, ſic ut ſubindè bibatur, & reuomatur; hinc ad Hydrargyrum ſublimatum Oleum Amygd. dulc. in auripigmento verò Ol. ex nucleis Pini tantoperè commendatum, Oleo acrimoniam veneni diluente, atque acres eius partes in ſe recipiente, ac minuente, ſalubri in ſimilibus caſibus euentu. Varijs interim alijs morbis opitulari Oleum ex Dioſcoride manifeſtum; ad tormina enim inſuper commendat, & dari utiliter ſcribit decocta inſimul Ruta tribus ſextarijs in potu: intelligit autem per tormina alui dolores, è quibus præcipuè nomen id obtinent atrociores choli inteſtini cruciatus. Oritur malum vel à flatu in anguſtias arctato, vel ab humore pituitoſo, præſertim vitreo, ut in ſeipſo experiebatur Gal. terebelli inſtar inteſtino ſeſe defigentis, vel, quod rariùs, ab acri, & bilioſo ſucco inteſtinum ipſum rodente. Prodeſt in his Oleum varijs modis; nam in flatu remollitis fecibus, impedimentum remouet, & acquiſito à Ruta calore flatus diſcutit; Vitream quoque pituitam laxando, atque extergẽdo loco mouet, adeòque ſingulari cum ſucceſſu Practici utraque cauſa præſente adhibent Ol. dulce Oliuarum, vel Amygd. cum ſpec. Zingiberis, vel Galangæ, vel Aromatico ſimplici: cum ab acri humore, & erodente fit, pax ſit ab Aromatis; tunc verò ſimplici, & optimè maturo, ac recenti uti neceſſarium eſt, adeòque cauſæ quàm diligentiſſimè diſtinguendæ. ſed hoc apud Dioſcoridem eſt prodeſſe ἐροφούμενος adiungit idem ἕλμινθας ἐκβάλλει .ſ. lumbricos. id verò obſcurum eſt; nam cùm Oleum bene maturum temperatum ſit, adeòque exceſſus qualitatum nullos habeat humidius eam calore, adeòque ad putredinem, ac vermium productionem haud ineptum, immò & dulce, atque idcireò gratum lumbricis pabulũ ſuppeditare queat, non poſſint ab Oleo ſuperari: ſequendum tamen hic, quod multiplex obſeruatio confirmauit. Itaque in hoc caſu proderit Oleum dum laxatis, ac lubricioribus redditis inteſtinis motu excrementorum facto & ipſi vermes propelluntur, quod innuere videtur Dioſcorides, vel quia hoc animantium genus ex Oleo copioſiùs hauſto ob denſitatem eius prohibito tranſpiratu facilè ſuffocentur. Datur maximè iniectione, πρὸς τοὺς εἰλεώδεις ad Ilei inteſtini morbos, inquit Dioſcorides, quod opere eſt diligentiùs expendere: eſt affectus ipſe dictus Ileus, Chordapſus, Phlegmon, Miſerere mei rationibus abundè à Sennerto conſideratis. Cauſa ipſi vulgò deſignatur inflammatio, per quam inteſtinum anguſtatur. Exulceratio autem etiam eius fit ab humore corrodente, aut venenato. Tumor omnis generis eſſe poteſt conſtipans, maximè ſi diſrupto Peritonæo eum indurato ſtercore procidens intorqueatur; item obſtructio ab excrementis diu certo loco detentis, atque induratis; & quamuis excrementa non in tenuibus, ſed craſſis coaceruentur, fieri tamen poteſt, ut ſubſiſtentibus excrementis circa Choli principium, etiam in ipſo proximo Ileo inteſtino colligantur. Cæterùm proxima affectus cauſa non iniuria Petro Salio, & Sennerto videtur præpoſterus inteſtinorum motus, quo non à ſupernis deorſum, ſed ab infernis ſurſum contenta repellunt, idque tanta vi, vt iniecti

(Lib. 3. Prax. part. 2. ſect. 3. cap. 1.)

clyſteres, & ſuppoſitoria, ruptis quibus detinebantur funiculis, per vomitum reiecta fuerint, vt huius miri euentus paſſim apud prædictos, & alios Auctores prodantur hiſtoriæ. Cauſam motus præbere poſſunt inflammatio, irritatio ab erodentibus, & à venenatis exulceratio: Hernia quoque valet, ſed quæ inflammationem accerſiuit. Addit Sennertus ἀναῤῥοπίαν humorum, idque memorabili loco citato adducto exemplo: In omnibus his cauſis mirè, & ſummoperè prodeſt Oleum; nam quemadmodum in externarum partium convulſione unicè opitulatur, ità in hoc convulſioni ſimili motu inteſtinorum, idque tam iniectum, quàm per os aſſumptum; ſed de his plura apud Sennertum loc. cit. In doloribus Pleuriticis magnum quoque doloris demulcens ab Oleis temperatis remedium experimur; prodeſſe autem videtur tam quia ardorem, & ſiccitatem affecti loci temperant, quam quod etiam materiei laxatis poris facilem expectorationem promouent. Tandem conſiderandum eſt Ariſt. Problema 35. ſect. 3. cur ebrietati conferat Oleum, an quia diureticum, inquit Philoſophus, & potui προοδοποιεῖ viam facit; hìc fatendum quidem eſt, vrinā mouentia ebrietatem impedire, ſubducta materia ad renes. Oleum tamen propriè diureticum non eſt: Reſpondet Septalius inter diuretica dari impropriè talia, ſicut ſemina Melonum, Anguriæ, Cucurbitæ, quæ ſerum copioſum renibus ſubminiſtrant, & Oleum partes aereas habere multas, quibus ad renes penetret, viaſque urinarias laxet, horum poſtremum forſan aptius euadit pro ſolutione, vias laxando, prout dum opus eſt calculis tranſitum, etiam ſternendo ſua lubricitate calculorum excretionem ſępè promouet, adeòque aliorum humorum deſcenſum; ſed hoc præcipuè reſponderi pro meo iudicio poteſt, & ſic ſolutionem Problematis innuere, quia innatans potui, vaporum aſcenſum prohibet; ut vinum novum, quia minùs euaporat, minùs inebriat, cum nondum eius ſpirituoſa portio humido aqueo præpolleat.

De Glycyrrhiza.

CAPVT XXXI.

Glycyrrhizam eſſe Scythicam radicem antiquorum affirmatur; Plinij error circa hypacem notatus; an ſit Nicandri, & Heſychij Thapſus inquiritur; ſtatuitur. nunquid noſtræ glycyrrhizæ vires veterum Scythicæ radici correſpondeant diſquiritur; temperamentum deſignatur, circa quod occurrentes difficultates colluntur; vires examinantur.

IAm cùm ſtatutum ſit temperamentum ad pondus in Heterogeneis potiùs deſiderari, quàm reperiri, ad iuſtitiam verò non difficulter etiam in plantis dari, ac ſubindè non implicare, ſic plantas aliquas temperatas pronuntiare, quamuis ad calorem, vel ad frigiditatem paululum vergere videantur, dummodò horum alterutrius primum exceſſum non conſtituat, ac proindè nullam ſenſibilem humano corpori alterationem, cui in primis ſubordinantur plantæ, indere valeant; quod tamen latiuſculè de paſſiuis qua-

qualitatibus pronuntiandum, idcirco meritò tractationi de Oleo quidem temperato, quamuis parum ad calidum vergat, citrà tamen ullum actiuitatis ſenſum ſub eiuſdem temperamenti norma ſubnectimus Glycyrrhizã vulgò Liquiritiam, quæ & ipſa quemadmodum de Oleo dictum ad calorẽ vergens humiditatem leuem, & quę exceſſum primum vir complet ſibi annectit. Temperatam igitur plantam eſſe Glycyrrhizam, ſiuè eiuſdem radicem, cuius uſus eſt, nulloque exceſſu humanum corpus alterare, cui ſanè vtilem præbet uſum nulli ferè Botanicorum ignotum eſt, eſſeque hanc ipſam Scythicam illam radicem tantoperè celebratam à Theoph. Plinioque lib. 2. c. 9. ubi radicis eiuſdem vires cumulatiſſimè afferunt, naſcique iuxta Meotim tradunt, quod etiam Dioſcorides affirmat, & qua in ore detenta per quindecim, & ampliùs dies arceri famem, ſitimque aſſerunt, Scytiſque ipſis eſſe cum Hypace, hoc eſt caſeo equino familiarem, quod etiã expreſsit Hipp. lib. de Aer. Aq. & Loc. à quo forſan, & Herodotus accepit: Sub hac etiam ratione à Scytharum Regibus Legatis ſuis iter facturis conceſſam. Sed hìc obiter redarguendus venit Plinij error qui lib. 25. cap. 8. Hypacem genus plantæ facit, cuius uſu equi diutiùs famem, ſitimque perferant, quamuis alibi dixerit Hippacem caſeum equinum eſſe non herbam, & Scythicæ ſolummodò radici fami, ſitique ſedandæ vim tribuerit, quod ante ipſum aſſeruit Collumela, qui γλυκύρριζαι vocatam ait, eò quia famem ſitimque ſedet. Sunt qui hanc ipſam radicem non leuioribus quidem coniecturis ſuaſi exiſtiment, eſſe Heſychij Thapſum, & Nicandri, hoc enim quemadmodum & noſtris vocatur dulce lignum, quod & Scythicum antiquioribus vocabatur, immò eo modo, quò noſtrum, intus quidem fuluo colore præditum eſſe, talique colorato ſucco inficere, Thapſum credidere: ego quidem facilè aſſentior opinioni doctiſsimi viri Claudij Salmaſij, qui idem opinatus eſt, immò facilè crediderim cum eodem hallucinatum fuiſſe Aetium, qui lib. 3. cap. 20. Rubiam accipit pro Thapſo Heſychij, & Nicandri. Cæterùm numquid glycyrrhiza noſtra eas, quas Theoph. & cæteri antiquiores vires Scythicæ ſuæ radici aſsignant modo ferat, dubitari meritò poteſt; & licèt ex omnium ferè conſenſu diuerſæ non ſint plantæ, noſtram tamen viribus ita validis præditam non inuenimus, vt fidem noſtram ſuſpectam reddere cogamur. Verùm cùm oſtenta, quæ ſupra miracula gentium à Veteribus indigitata de Baharas, Echmenide, Æthyopide & ſimilibus fabuloſa potiùs, quàm vera exiſtimauerint viri docti; non eſt cur hoc ipſum à ſtatuta opinione nos dimoueat, niſi vt veterum aſſerta ſeruemus, æuo iam ſeneſcente, & ad Epyroſim vergente, eas plantas ſenſim, ac ſenſim illas portentoſas amiſiſſe vires tantoperè à Priſcis celebratas, nuncque operari iuxtà ſuarum virium imbecillitatem, vel diuerſum agendi modum attendi poſſe è Solis inualidiori energia, climatis varietate, terræque infirmitate. Interim conſtat ex Galeni monitis, huius plantæ temperamentum ad ſitim ſedandam ſummoperè conducere. Verùm ſi de eius facultatibus ſermo ſit habendus, temperata à Gal. vocatur, ſine ullo qualitatum exceſsu; quod etiam ab Arabibus receptum video; ſic & Auerrhoes inter cæteros in eadem planta ſtypticitatem leuem notat, quæ caloris, & humiditatis moderationem arguit, ac proindè aliarum

Lib. 9. de hiſt. plant. cap. 13.
Lib. 3. c. 5.
Lib. 1. c. 35.
6. Simpl.

rum qualitatum, vt commodè temperatam pronunciet. Cæterùm hoc non ſine controuerſia ſtat; ſumma etenim dulcedo cum leuiſsimo quodam amarore; quòd in glycyrrhizæ radice, & ſucco percipitur calorem alterantem, non ſine ſiccitate arguit; vt alicuius exceſſum pronunciandum innuant, & licèt ex Theophraſt. ſymmetra qualitatum proportio ad dulcedinem in aliquo conſtituendam requiratur; attamen cùm caloris officium ſit materiam probè ſubigere, & concoquere, vt emergat dulcedo, hoc opus ſanè erit viſcidi ſatis caloris: ſic pari ratione amaror, qui percipitur in eadem, terreſtreitatem aliquam exuſtam arguit, ac ſubindè ſiccitati non leui calorem copulari. Præterea effectus, quos dulcis edit radix, decantatam eiuſdem temperiem non indicant; nam facultas, quæ eidem tribuitur ſitis extinguendæ, contrarium potiùs à ſtatuto temperamentum deſignant; ſitis enim eſt appetitus frigidi, & humidi, & potulenta illa, quæ pro ſiti ſedanda vſurpanda veniunt congruè, ſi propriè talia eligantur, neque calorem vllum, neque ullam ſiccitatem obtinere debent; numquam enim ſitis calidis, & ſiccis extingui poteſt, cuius conditionis ex modò allatis Scythicam radicem ſtatui poſſe videtur; immò Gal. ipſe in glycyrrhizæ radice aliquem qualitatum exceſsum notat, dum inquit, eſse naturæ humanæ paulò frigidiorem, & ſub hac formalitate ſitim ſedare: ſic & Dioſcorides dicebat, Scythicam radicem ſtomacho æſtuanti conducere, quaſi in ea aliquam frigiditatem cognoſceret, dum opportunè contrarij vices in huiuſmodi affectu gerere inſinuabat: immò vt in hac ipſa planta temperamenti incertitudinem ſtatuamus, eadem radix non ſinè odoris leui aromaticitate, & ſapore ſimili ſtat; nihilominùs hæc obiecta tolli facilè poſſunt, dum exactè perpenſis ſingularum qualitatum viribus, harum omniũ leuiſsimum eſse exceſsum ſtatuamus, cùm nulla quidem ad primum integrum gradum accedat; præponderat quidem actiua illa puſilla caliditas, necnon paſſiua leuis humiditas ſiccitatem ſuperat, vt proindè naturæ humanæ apprimè conſona reddatur, & ad multos vſus vtiliſſima. Cæterùm cùm huius plantæ forma notiſſima ſit, ſuperuacaneum eſt eamdem deſcribere: interim à pluribus carpitur Plinius, ſed præſertim à Iano Saraceno in Scholijs ad Dioſcoridem, vt qui reponat Liquiritiam inter aculeatas plantas: excuſari tamen facilè poteſt Vir ſummus, ſi dicamus, eumdem glycyrrhizæ Syriacæ fructum aculeatum conſideraſſe, quæ quidem excuſatio affertur à Pæna. Verùm in viribus huic plantæ aſſignandis non diſsident Auctores, atque Theoph. & Dioſcor. ad arteriæ aſperæ ſcabritiem emendandam vtiliſsimam pronunciant, ſi radicis præſertim ſuccus detineatur ſub lingua, donec liqueſcat; ſic enim ſenſim in arteriam aſperam delabitur: is quidem affectus indigitatur à Theoph. nomine tuſsis ſiccæ; aiunt indè, & Aſthmati conducere, & alijs thoracis morboſis affectionibus; ſed præterea Iecoris etiam vitijs opitulari, & ſtomacho exæſtuanti opem ferre, ſitimque ipſam commodè extinguere: immò addunt illitum ſuccum vlceribus, & in oris affectibus comeſtum prodeſſe, ſic & renum vitijs, & veſicæ ſcabiei ex Paſſo vtiliter bibi, radiciſque puluerem Pterigijs inſperſam commendari, atque etiam omnia recentis radicis decocta valere autumant.

De

De Siliquis Dulcibus:

CAPVT XXXII.

Siliquam dulcem ad plures vſus vſurpatam apud veteres aſſeritur; Temperamentum, & vires aſsignantur.

ARbor illa, quæ Græcis κερατωνία dicitur, Latinis dulcis ſiliqua, cuius fructus ſub ſiliquæ forma ad maturitatem perductus ſolum à Medicis vſurpatur, & inter bellaria recipitur, κεράτιον fructus à Dioſcoride appellatur, Italis *Carobe*: ab omnibus ferè Botanicis inter temperatas plantas collocatur, Plinio, & Columellæ ſiliqua Græca dicitur; Alpinus ex hac planta vtiliſsimum emolumentum Ægyptijs prouenire aſſerit, cùm ex eodem colligant Mel, ſiue Melleum quemdam liquorem, quem inter Membranas cauitatem ſiliquæ ambientes, & quæ ſemen inutile ad vſum medicum ſeruant includunt, & præter quam ad alia multa, ad quæ Mel conducit, etiam ad alvum lubricam reddendam, inſtar Caſsiæ Fiſtulæ, apud ipſos vſurpatur, ſic & in pectoris affectibus à pituita tenui eodem Alpino aſſertore; Diacodij etenim vſum obtinet, is à Græcis vocari Ceratium exiſtimat, cò quia ſiliquæ illæ duriſsimę in acumen deſinentes, nigricanteſque, formam veluti cornu repræſentent, quod à Nicandro deſumpſiſſe videtur, qui in Alexipharmacis dum hyoſcyami antidota refert ſic fatur.

Aut Veſcæ ſiliquæ ſolitæ proferre recuruos
Sub lenibus folijs referentes cornua fructus.

Quæ quidem ſiliquæ dum recentes ſunt guſtui ingratæ exiſtunt, ſi verò exiccatæ comedantur ſaporem gratum præbent, ſi diſrumpantur Melleũ illum liquorem effundunt, qui in his ſeneſcentibus in duritiem ſacchari concreſcit; quod tamen poſtremum de Orientalibus accipiendum, quæ ſemper cæteris præferendæ, quamuis in Apulia, & in Liguria Ceratij arbores & ſpontè naſcantur, & fructum ad maturitatem perducant. Ambigitur ab Eruditis numquid hæ ſiliquæ ſint illæ, quæ, prout apparet in ſacra illa Parabula Prodigi Filij, porcis in pabulum objiciebantur, quarum reliquijs ille miſellus neceſsitate coactus alebatur; hinc enim *variæ* opiniones exagitantur; at utcumque tandem res ſit, noſtrum non eſt id decernere; ſufficiet dixiſsé eas facilè cedere in humanum cibum, & à Medicis quoque pro aluo mollienda recentes uſurpari, quamuis hæ ex Dioſcor. ſtomacho aduerſentur, exiccatæ tamen contrario modo ſe gerunt, reſoluta illa pingui humiditate, quæ & ſtomachum ſubuertebat, & alvum lubricam reddebat, qua qualitate exiccatione conſumpta tunc ſtomachũ nauſeantem conciliant, & alvum ſtypticam reddunt, ut ſic facilè Galeni ſententia verificetur de exiccatis ſiliquis. Cæterùm quod ex Dioſcor. elicitur de earum facultate diuretica, dummodò vinaceis condiantur, controuerſum eſt: at quorſum hæc, & quod magis eſt, quo quæſo modo hæ vinaceis condiri debent? adeòque quomodo ex hac conditura utiliores euadant, diureticamque qualitatem acquirant, ambiguum ſanè eſt; hoc

enim omnes ferè torſit Botanicos. Saracenus in Scholijs opinatus eſt, immò potiùs diuinari nititur, ſubintelligi ſiliquarum harum expreſsione ſimul cum ſemine hoc idem effici; quod vix admiſsibile crediderim, ſed potiùs mendum opinandum eſt in textu; quale autem ſit, & quomodo reſtituendus, omninò ignotum eſt, immò circa hoc fatigari tempus eſset inutiliter conterere.

De Iuiubis.

CAPVT XXXIII.

Zizyphum Veteribus cognitam, & ſub quo nomine; inutile alimentum præbere, medicum verò uſum proficuum; Temperamentum aſsignatur vires afferuntur.

QVamuis Iuiubæ ad victus neceſſitatem, voluptatemque parum, aut nihil conferre videantur, cùm nec innocuum alimentum præbeant, nec tam iucundo ſapore præditæ ſint, ut hoc ſaltem nomine ſint expetendæ; verùm cùm ex Scriptorum animaduerſione utiliter ad varios morbos compeſcendos olim uſurpatæ fuerint, obtineantque in actiuis qualitatibus temperiem minimè excedentem, & paſſiuarum gradum primum vix expleant, aliqua etiam de earum natura afferre non erit omninò inofficioſum. Habet Plinius, hanc plantam Syris accolam, tantùm nobis cognitam modò extitiſſe, Italis namque, cæteriſque alijs Orbis regionibus haud notam; hanc primò Romanis patefeciſſe ferunt Sextum Papirium Conſulem, qui vixit extremis Auguſti temporibus, quæ indè Italici Soli plurimùm delectata ſe ipſam propagando mirum incrementum accepit; eſt quidem non admodum procera arbor, olimque Zizyphum vocata, quamuis Theoph., & Dioſcor. ſub hoc nomine eiuſdem non meminerint; cognouiſſe tamen Veteres hanc ipſam incerta ſanè coniectura Recentiores opinati ſunt, eò quia Galenum, licèt ſatis obſcurè, tamen eam ipſam ſub ſerici nomine delineaſſe videatur, & à grauiſſimis Scriptoribus ſic poſt Galeni tempora uſurpatam. Fuchſius tamen ſcriptor utiliſſimus, de nomine nihil ſollicitus, damnat Arabum, & poſteriorum Græcorum ſententiam, ut qui inter utilia medicamenta Iuiubum, vel ſericum, aut zizyphum collocent plantam uſui medico parum aptam, immò potiùs noxiã; nihilominùs præter inſignes Auctores, qui eam admiſere, uſus ab experimento deductus obtinuit, ut à medica facultate, & à cenſu medicamentorum Iuiubæ non expungerentur, dummodò affectibus illis aptentur, quibus conuenire cautum eſt, & à cenſu alimentorum deleantur, quod etiam ex Braſauolæ animaduerſione manifeſtum. Maior difficultas eſt de eius temperamento, quia quamuis ferè omnes temperatam zizyphum aſſerant, Auicennas tamen ait, manifeſtè ad frigidum vergere, & ob id & ſanguinem incraſſare, & feruorem eius, acrimoniamque compeſcere, ſub qua etiam ratione aſſeruit affectibus inflammatorijs pulmonum prodeſſe, quod & ab Arabibus cæteris, & nonnullis Græcorum poſteriorum rece-

ptum video. Igitur ſi relatis affectionibus conducit zizyphum, taleſque effectus edit, frigidam potiùs videtur eſſe pronuntiandum, quàm calidã, vel temperatam. verùm cùm Galenus eam temperatam dicat, & hoc in reſpectu noſtri corporis, & Simeon Sethi talem eſſe in calido, & humido proponat, Auicenna verò in ſicco humidoque temperiem habere dicat, non implicat etiam inflammationibus ſedandis utiliter adhiberi; in eo etenim caſu induit frigidi naturam, & opportunè inflammationibus pulmonum opponitur; immò cùm zizyphi conſpicua ſit proprietas ſanguinem incraſſare, etiam eiuſdem tenuitatem, quæ in ſimilibus affectibus ſanguini copulatur, corrigere valebit, & in reſpectu horum affectuum frigidi rationem induet, & proinde non erit inconueniens, quandoque reſpectiuè zizyphum frigidam aſſerere, ſic facilè diſcoridis ſententias conciliabimus, in ſe enim, & ſecundùm propriam ſuam naturam conſiderata, temperata dicenda eſt, quamuis ad calidum leuiſſimum, & humidum *quoque* eiuſdem conditionis propendeat, dum præſertim ad corpus noſtrum in ſua ſalubri conſtitutione conſideratum referatur; ſecùs verò dum idem corpus diſcraſia calida laborat; tunc enim zizyphum frigidi medicamenti conditionem repræſentat, & vices gerendo frigidi, & humidi remedij, ſanguinem refrigerat, & incraſſat, adeòque incraſſando tenuioribus deſtillationibus cohibendis ſalubriter occurrit. Sic ea, qua pollet, qualitate paſſiua, quæ ad humidum vergit, quadamque ſua viſcida glutinoſitate, quæ perſpicuè inter mandendum guſtanti ſeſe prodit, ad Aſthmaticos, cæteroſque ſuſpirioſos ſummoperè conducit, quà fluxiones ſiſtendo, quà materiem acrem, ſalſamvè dulcorando. Actuarius commendat zizyphum ad febres ardentes, quoniam earum ardorem compeſcat, & utiliter uſurpari in tuſſi aſſerit, à calida deſtillatione ſuborta, immò addit ſyrupo ex ſericis, zizyphis videlicet confecto ſanguinem expurgari, depurarique totum; quod tamen poſtremum ab Auicenna non admittitur, qui ait nedum abſterſoria facultate pollere. Citra tamen controuerſiam ullam ex Arabum omnium conſenſu ſtatui poteſt, pulmonum vitijs à ſanguine feruidiore, & deſtillationibus ab acri materia excitatis, ſpirandique difficultate, à tenui fluxione ortum ducente, ſummoperè conducere. ſic ex aduerſo ſincerè ſtatui poteſt thoracis illis vitijs, quæ à frigida, & craſſiori materia eidem, aut alijs partibus contingunt, minimè conferre: Addit etiam *Renum*, & Veſicæ noxijs opitulari, & vomitionem ab humore calido *excitatam* reprimere, conſtare item Iuiubarum decoctum ſalubrius, quàm ſi eæ in ſubſtantia ſumantur; vtrumque tamen lieni officere, ut concludendum ſit cùm temperata ſit planta, potiùs conuenire in prædictis calidis affectibus, quàm in frigidis; temperatarum namque ſtirpium proprium eſt, ut ad intemperies calidas collatæ frigidarum rationem induant, ut ex Galeno manifeſtum.

De

De Rapis.

CAPVT XXXIV.

Notatur Empedoclis, Theophraſtique ſententia de ſexus diuerſitate in rapis. prodigioſa earum magnitudo, Vires & temperamentum adducuntur.

RApi ſi eſculentas conditiones conſideremus, non benè de eodem ominabimur; Galenus enim ab alimentorum ſenſu vel omninò excludit, vel ſi recipit, ultimum locum inter alimenta concedit; flatus enim multiplicitatem parit, & alimentum apprimè crudum generat. Rapi genera numquid plura ſint, indeciſum apud Plinium video, cùm quod diſperiri genera valeret potiùs ex eodem diuerſitatem ſexus conſtituat, ut forſan arrideret Empedoclis opinioni, qui in plantis maſculinum, & fęmininum genus admittebat, ductus potiùs exiſtimo quadam conuenientia, quàm quod in iſtis inſtrumentorum diuerſitatem obſeruaſſet, quæ ad varietatem inducendam talem neceſſariò requirebatur. Mirum eſt, quod ex Athenæo relatum video, Theoph. hanc ſexus diuerſitatem in Rapis aſſeruiſſe, dum lib. 7. de hiſt. plant. cap. 4. hoc idem faſſus eſt, & ex modo ſerendi dicat contra ſententiam Ariſt. marem in fęminam mutari, qui ſtirpibus hanc prærogatiuam denegauit. Dioſcor. duo genera facit, ſatiui unũ, alterum agreſtis. Gongyllum Græci appellauere, quod à figuræ rotunditate deriuarunt. ſatiuum igitur diſtinguunt in marem, & fęminam, marem quidem latum volunt, fęminam rotundam; horum genus plantæ ſi ſolum lętum inueniant, teſte Plinio, ad prodigioſam excreſcunt magnitudinem, ut excedere quandoque idem Plinius aſſeruerit quadraginta libras pondo, immò è Recentioribus ſint qui dicant alicubi tam faſtigiatas admiſiſſe figuras, ut centum libras pondere ſuperarint. Inter temperatas plantas reponitur Rapum, cui gradum primum humiditatis adiudicant, & ad calidum vergit, ſed exceſſum primum non implet; hinc eſt, ut inter anodyna medicamenta reponatur. Sunt qui Rapunculum Rapum ſylueſtre faciant, errore tamen manifeſto, tùm ad formam quod ſpectat, tùm etiam vires. Podagricis doloribus, & pernionibus conducit, præſertim decoctione; urinæ etiam ciendæ accommodatum, ut ſic in genere improprio-rum diureticorum reponi poſſit: habet quoque Dioſcor. ſemen inter antidota recipi, præſertim ea, quæ ſomno conciliando venenorum dolores demulcent, quibus etiam & in potu opitulatur.

6. Simpl. & lib. de atten. vict. cap. 9.

Lib. 18. c. 3.

Lib. 19. c. 5.

Lib. 9. de Inoph...

Lib. 2. cap. 104.

De Sebeſtenis.

CAPVT XXXV.

Sebeſtenorum naturam alibi declaratam, inter lenientia leuiter aluum in primo libro.

SEbeſtena cum Prunis annectenda veniunt, quia pari ſunt prædita temperamento, & repoſita intra ſenſum temperatarum plantarum; ſed

quia donata ſunt facultate benigna cathartica, de ijs egimus in primo lib. dum catharticorum medicamentorum tractationem inſtituebamus; earum igitur notitiam cò loci rimandam Lectorem ablegamus.

De Malua.

CAPVT XXXVI.

A quo Malua nomen deductum fuerit, & cur maluæ folium ſanctiſsimum à Pithagora appellatum, inquiritur, ſtatuitur contra Brodei opinionem; & vires maluæ ex Diphylo, & Dioſcoride afferuntur; maluæ prodigioſa proceritas, ubi.

TEmperiem nonnullæ plantæ in actiuis qualitatibus ſeruantes *ſæpiſſimè* in qualitatibus paſſiuis etiam primum gradum excedunt vel humiditatis, vel ſiccitatis. Inter eas dictæ conditionis conſideratur malua, quæ cùm inter temperatas in actiuis ſit repoſita; ex leui ſua illa propenſione, qua præditæ ſunt ſuperiùs allatæ plantæ, ad calorem vergat, ſecundum tamen humiditatis gradum ſibi adnectit. Cæterum ſi qualitatum paſſiuarum in plantis ſecundum exceſſum reſpiciamus, tales ſanè, dummodò rigorosè loqui velimus, temperatæ non ſunt ſtatuendæ, quoniam qualitas hæc quemadmodum & ſiccitas, licèt paſſiua ſit, dùm primum gradum excedit, immò ſecundum complet, valet corpus noſtrum, iuxtà paſſiuæ conditionis effectum, corpus noſtrum ſenſibiliter alterare. Libeat tamen nobis plantas huiuſmodi ſuprà relatis ſubnectere temperiem in actiuis, quam obtinent reſpicientes, exordientes à Malua notiſſima, & vtiliſſima planta, quæ in obſequium humani corporis directa plurima munia explet, & vſus præſtantiſſimos exequitur, vt non immeritò inter primas ſaluti noſtræ reparandæ plantas connumeretur. Conſtat eius vtilitatem etiam Veteribus cognitam, dum Ermippus Callimachus ex Athenæo Maluam ſimul cum Aſphodelo vſurpatam fuiſſe in illo celebri Alimon pharmaco conficiendo; Alimon quidem vocatum ad famem, ſitimque ſuperandam, ad quod alluſiſſe videtur Heſiodus illo verſiculo, quem refert idem Athenæus

Lib. 2. de Inopbiſt.

Nec quantum in Malua Aſphodeloque eſt vtilitas.

Cuius ſanè plantæ ſeminis lepidam ſtructuram conſiderans Fanias lib. de Plant. ex citato Auctore, eam aſſimilabat dulciariæ placentæ, *in qua centrum* umbilicatum tumet, cincinnàtus verò ambitus denticulato lymbo concluditur. Græci μαλάχη ab emolliendo aluo deducto nomine Maluam vocant, quod glutinoſo ſuo lentore non impigrè facere valet; ſic eadem ratione, Varrone teſte, Latini Maluam denominatam voluere, quod quidem facetè ſatis expreſſit Martialis dum inquit

Vtere Lactucis, & mollibus vtere Maluis,
Nam faciem durè Fœbe cacantis habes.

Variar. Lec. cap. 17.

Pythagoras, Æliano teſte, ſanctiſſimum vocauit folium maluæ; dictum hoc plurima torſit ingenia, cur videlicet tantus Philoſophus denominatione ità Hyperbolica maluæ folium inſignierit. Sunt qui dicant ità à Pythagora-

thagora denominatã, quia in ijs ſacra miſteria ſcriberentur; conſtat enim ex pluribus, ſed præſertim ex Iſidoro, Antiquiores illos maluæ folio ad ſcribendum pro carta uſos, quod citato cuiuſdam Poetæ verſiculo probat idem, dum inquit Orig. Lib. 6. cap. 12.

Leues in aridulo Maluæ deſcripta libello;

Quod forſan accidit ante papyri notitiam, quo tempore utebantur etiam palmarum folijs, membranis, & animalium quoque inteſtinis, quamuis Guillandinus doctiſſimus contrarium probare nitatur. Opinio ſanè hæc mihi commendatur, quamuis Brodæo non arrideat, quia, inquit, non magis ſacra, quàm profana, immò etiam ludicra in maluæ folio ſcribi potuerint, & ob id non eo nomine Sanctiſſima à Pythagora vocata; exiſtimat potiùs ſanctiſſimum folium dictum, quia frugalibus hominibus, & minimè gulæ indulgentibus in cibum malua veniret. at quæſo cur tantummodò maluæ folium, non alias huius plantæ partes, non flores, non turiones ſanctiſſimos vocat Pythagoras? præterquamquòd pari ratione etiam de alijs quibuſdam oleraceis plantis, frugalem victum parantibus, eamdem aptitudinem cum Maluæ folijs habentibus, hoc idem dici poſſet; & Horatij locus, quem idem Brodæus ſibi fauere putat, potiùs ſuadet non de malua ſola, ſed de alijs conſimilibus ſimplicioribus cibis Lyricum loquutum fuiſſe dum inquit Lib. 2. de Papyro. Com. in Theoph. de Papyr.

Impunè me paſcunt Oliuæ,
Me Cichorea, leueſque Maluæ.

Quæ quidem plantæ, ſi ſenſum Viri doctiſsimi Brodæi reſpicimus, & ipſæ ſanctiſsimæ, & eius folia dici debuiſſent; nam oleraceæ cùm ſint, non Helluonibus, ſed ſobrijs Viris ſatisfaciunt. Suſpicor igitur, nec ſine ratione, longè grauiorem fuiſſe cauſam, qua motus Pythagoras folium maluæ ſanctiſsimi epitheto inſignierit, reſpexeritque ad ſcribendi originem, cartæque primæuum uſum, qui ex maluarum folijs glutino firmis redditis obuius Priſcis fuit; & in quibus Ægyptij, & Chaldæi, à quibus Pythagoras naturalem Magiam edoctus eſt, myſteria ſacra ſua ſcripſerint, & quæ ipſe deinde Græcis communicauit, primi enim mortalium Chaldæi, & Ægyptij ſacris myſterijs incubuere, licèt à pluribus, Etruſcis honos tribuatur; quod ſi fas eſt, diuinari, à Chaldæis, & Ægyptijs didiciſſe fatendum, ſiue ab Hebræis, quod etiam nunc ab eorum inter loquendum aſpiratione, maximè vehementi, coniectari poteſt, & forſan Orpheus Vates antiquiſsimus Deorum Hymnos ſacros, & Argonautica, & ritus peragendos erga Deos Maluæ folijs inſcripſit: ſed quæſo cur Verbena Græcis Hyerobotane vocatur, herba ſcil. ſacra, niſi quia ſuſcitandis ſacris ignibus in ſacrificijs Deorum, & coronandis ſacrificulis, Myſtagogiſque olim deſtinata fuerit, ſed de his pluſquam ſatis. Theoph. maluam inter oleraceas plantas reponit, quam cultu arboreſcere aſſerit ſex tantummodò menſium ſpatio; idem confirmat Plinius, cuius caulem baculi vſum commodè præbere poſſe ait; Exemplum affert de malua in Mauritania, quæ altitudine viginti pedum menſuram æquabat, tantaque erat craſsitie, vt nemo eam circumplecti poſſet. Diffilus Syphinius ex Athenæo vtilitates maluæ non fabricauit, quamuis contra Dioſcor. aſſertum ſylueſtrem ſatiuæ præfecerit, Lib. 1. de hiſt. plant. c. 1. & 4. Lib. 19. c. 4.

2. De Himnoſophiſt. rit, eſſeque boni ſucci aſſerit, arteriam lenire, ſuccos acres in corporis noſtri ſuperficie exiſtentes educere, renum, veſicæque vitijs opitulari, ſtranguriis, & Dyſurijs mederi, ingeſtamque cibi, & ſuperfluam molem facilè per ſeceſſum extrudere, ſecumque ducendo ſternere, mediocriter tandem alere. Addit præter hæc Dioſcor. Aegylopas ſanare, immò ipſius ſuccum efficaciſſimum remedium perhibet contra apum, & veſparum ictus, immò ait eo peruncta corpora à ſimilibus ictibus immunia ſeruari, caput purgare, & menſes ducere, eryſipelatibus conducere, & ambuſtis, dolorem articulorum demulcere, vlcera manantia capitis cohibere, & decoctum ex ea ſummoperè valere ad venena omnia, ſi cum radice decocta ius ſæpiùs aſſumptum euomatur, eroſionibus Vuluæ, ſedis, & inteſtinorum remedium eſſe efficaciſſimum, lac euocare in mammillis, phalangiorumque tandem morſibus occurrere.

De Vua.

CAPVT XXXVII.

Cui Vini inuentio tribuatur diſquiritur. quæ ſit ex Athenæo nobilis Vua. penſiles vuæ recentibus magis vtiles. Dioſcoridis opinio defenſa contra Plinij aſſertum. vuæ vires examinantur.

Vitim Viniferam ab æterno rerum Opifice à primo illo ſæculo creatã cùm ad hominum vtilem vſum, tùm ad mundi cum cæteris ornatum, præter Epicuræos nemo eſt, qui ambigat, aut in dubium reuocare valeat. Vinum ex vitis viniferæ fructu expreſſum nobis innotuit ex omnium ferè conſenſu Noha inuentore, quem Priſci Bachum appellauere. Huius conſtantiſſimæ Veritatis teſtis ſit Pauſanias, qui lib. 6. hoc eſt in Elyacis poſterioribus aſſerit apud Andrios per dies feſtos liberi Patris quot annis ſponte ſua vinum è templo manare, & quaſi expreſſo à manibus inuentoris è vitis fructu præterfluere non illepida Allegoria ſub miraculi ſpecie velata. Et quamvis opinandum ſit, Parenti illi primo, Adamo videlicet, id non latuiſſe, vt qui rerum omnigena ſcientia in mundum prodierit, attamen vini vſum non habuit, quia forſan peccati labes ob diuini præcepti tranſgreſſionem obliuionem rerum maximam eidem induxit, vel quoniam inutile forſan exiſtimauerit, aut vitæ perennationi noxium. Vtcumque tamen ſit, Noè, ſiuè Baccho huius rei tota gloria debetur, vt ſic homines cum Dijs ipſis de Nectaris præſtantia certare valeant. Sed miſſa Vini tractatione, vitiſque cenſura, quæ ſub temperatorum cenſum non cadunt, de fructu tantummodò, videlicet de Vua, quæ ſub norma temperatarum ſtat, nonnihil tamen ad calidum vergente, & quæ gradum ſecundum complet humiditatis, deque eius viribus nobis pauca dicenda veniunt. Vua inter fructus ſi probè matura ſit, & valdè dulcis, & potiùs carnoſa, quàm ſuccoſa, optimè nutrit, eſtque naturæ humanæ & propriè eius temperamẽto conſona, minimum enim praui ſucci habet; cuius conditionis forſan

12. de Himnoſophiſt. cap. 19. conſiderabatur vua illa è Democrito vno ex Gymnoſophiſtis ex Athe-

næo

næo, quæ nobilis vocabatur, dum indagabat quæ tandem hæc eſſet nobilis Vua. Recentes tamen Vuæ alvum ex Dioſcoride turbant, & ſtomachum inflant, quapropter ex eodem, quæ penſiles dicuntur, decerptæ ſcilicet, & aliqaandiù ſuſpenſæ, & ſic ventilationi aeris expoſitæ, ſic enim humiditatem ſuperfluam amittunt, ſunt innocentiores, ſtomachoque vtilitatem afferunt: hinc eſt quod Vuas ſic paratas ægris, & à morbo languentibus idem commendat, eò quia appetentiam ciborum reſtituant. In vinaceis, inquit, ſeruantur Vuæ, & in Ollis, & ori, & ſtomacho ſic gratæ magis ſunt; Plinius verò huiuſmodi Vuas ſtomachum infeſtare ſcribit: verùm & Galenus, & experiẽtia pro Dioſcoride ſunt, immò & ratio ſuadet, ſic enim paratæ Vuæ ſubaſtringentis conditionem recipiunt, caput tamen ſic acceptas tentare idem tradit Dioſcor. & veſicam, ſiſtereque alvum, & ſub dicta ratione ſanguinem excreantibus conuenire: ſic & vtiles eas vocat in febribus diuturnis, & etiam ardentibus ad ſiticuloſos, ſi priùs ſolem paſſæ fuerint, & in aqua pluvia ſeruatæ, tunc enim parùm vinoſæ euadunt. Cæterùm non Vuæ tantùm morbis depellendis opportunæ videntur, ſed etiã vinacei; commendat enim hos ad præduras mammas lacteque turgentes, inflammataſq; curandas, eos apponendo cum ſale, iuuareq; aſſerit dyſentericas fluxiones, & Cæliacas, necnon vteri profluvia ſiſtere fotu, & inſeſſione: immò etiam ad plura alia è Recẽtiorum experimento commendantur, prout videre eſt ex Donati Antonij ab Altom. Medici Clariſs. Neapolitani obſeruatione, qui in calce ſui magni libri opuſculum habet, cui titulus de Vinaceorum facultate, ac vſu. Tandem etiam nuclei, qui Græcis γίγαρτα vocantur, & Vitis ſemen ſunt non inutiles, ſed uſum optimum ex eodem Dioſcor. præbere valent, qui cùm aſtringendi vi præditi ſint, ſtomacho nauſeanti conciliando opportunè aptantur, & importunè vomentibus torrefacti proſunt, & Cęliacis quoque, dyſentericiſque: & hæc de temperatis, in calore, quæ humiditatem in primo gradu ſibi aſciſcunt; modò ad ea temperata explicanda tranſitum faciamus, quæ primum gradum ſiccitatis ſibi adiungunt.

Lib. 23. c. 1.

De Adyantho.

CAPVT XXXVIII.

A quo adyanthum nomen, aut polytrichi deduxerit affertur. an ſit temperata in controuerſiam vertitur, ſtatuitur, & quomodo, vires examinantur, à quo generentur pili, à fuliginibus non generari calore opifice, ſed à facultate formatrice, & à materia magis firma ſtatuitur.

IN medicamentorum temperatorum ordine Adyantum, cùm Gal. Medicorum Scholæ dudum adoptauerunt, notam in officinis herbam, quam dictam volunt, quoniam ἀδιαίνεται, non madeſcit in aquis, ſeu ut Nicander in Theriacis ſcribit, quod deſcendentis imbris ſtillicidia folijs eius non inſideant; qui, πολύθριχον nominarunt, quaſi multicomam, eò reſpexerunt, quòd copioſos capillos, multoſque faciat, & eorum defluvia expleat, vul-

gò Capillum Veneris appellatur, quia ſpecioſos reddat capillos, adiectaque Veneris vox, cùm hæc præ cæteris pulcherrima fingatur, cui per conſequens etiam ſpecioſiores capilli competant; hinc appoſitè ſatis Apuleius, neque Venus, inquit, ipſa abſque capillitio placeret. Cæterùm de

8. ſimp. fac. facultatibus ipſius non leuis eſt inter Auctores diſſenſus. Gal. in calore, & frigiditate ſymmetram pronuntiat, ſiccare item, extenuare, digerere. Meſue Clariſs. inter Arabes Scriptor, & partes intimas aqueas, tenues calorem obtinentes, & ſuperficiales item calidas, utcumque tamen facilè ſolubiles, ab utroque verò, ſi textus mendoſus non eſt, multum caloris obtinere aſſerit. Faciunt item difficultatem effectus inſignes, & inter ſe contrarij: quis enim facilè credat temperatum medicamentum, adeoque nec ſecundis qualitatibus, utpotè quæ à primis ijs dependeant validum poſſe? θρύπτειν λίθους frangere calculos ἄγειν τὰ ἔμμηνα καὶ λόχια menſes ciere, atque, ut vertit Ruelius, ſecundas, ſtrumas diſſipare; contrarij utique effectus ſunt Lienoſis, Ictericis, & Vrinæ difficili prodeſſe, & ſiſtere tamen alvum, ciere menſes & ſanguinis reiectiones inhibere. Accedit, quod Meſue Adyantho purgandi vim tribuat, licèt benignam. Meſue ſanè contextum haud immeritò interpolandum cenſet in Comment. Coſtæus, diuerſitatem autem effectuũ diuerſè Meſue aſſignat Adyanthi ętati, atque Adyanthum recenter collectum partes obtinet calidas, & tenues, à quibus attenuandi, adeòque menſtrua, calculoſque propellendi vires, areſactum verò, cũ priores euanuerint, adſtringendi facultate præpollere: Idem in tormentilla, Quinquefol. Pimpinella, Sanguiſorba, ſimilibuſque, quarum actio in Dyſenterijs non recentibus ijs tribuenda, tunc enim attenuando, venaſque aperiendo potiùs affectũ augebunt. Sed exiecati purgandi Adyanthi vis in dubium reuocatur à Manardo, quia Græcis ſcriptoribus eſt indicta; nolim tamen Clariſs. Arabum ſtatuta in dubium reuocare, nam Adianto Arabum, cui pro regionis, climatiſque diuerſitate, diuerſam quoque agendi vim ineſſe credibile, & nemo noſtrum his locis expertus ſit. Iam vires Adyanthi proponamus, quas tradit Dioſcor. alias quidē harum multis plantis communes obtinet; priuatim autem excellere videtur proprietate pilos augendi, detinendi, ornandi. Generari autem pilos vulgò traditur à calore corporis noſtri, dum craſſum, fuliginoſumque vaporem in poros cutis diffundit, improbabile tamen id non immeritò Viris Clariſſimis viſum eſt, cùm hoc ſtante cauſam afferre nequeamus, quòd in omnibus partibus corporis pili haud oriantur, calore, & fuligine paſſim obuia. Quòd in determinatis locis plùs, minùſvè copioſi ſint, alij increſcant, aut prolongentur, alij verò eamdem ſeruent lõgitudinem, & ſemper recti permaneant, aut cincinnati. Cur viri tantùm barbam ſubmittant, non fœminæ? immò alij Ariſt. teſtimonio congeniti, alij poſtgeniti. Nemo vtique

3. De hiſt. anim. c. 12. facilè dixerit Pauonis caudam, Pſitacorum, & Meleagridum varias, variéque coloratas pennas in eadem ſpecie volucrum, eadem magnitudine, figura, coloribuſque redditas excrementitium quid eſſe; quapropter quamvis ad pilorum productionem calor concurrat, is tamen, vt in alijs omnibus ad ſubſtantiam tendentibus rerum mutationibus inſtrumenti ſolùmrationem obtinet, non cauſæ principalis; ea enim eſt facultas formatrix

pili-

pilifica, quæ ob cauſas enumeratas materiam pilis ſuppeditet; non fuligo, ſed materia longè firmior: hinc eſt, quòd non facilè corrumpuntur, ſed etiam poſt mortem diù, multumque perſeuerant, immò creſcunt, & quamvis ſæpè decidant, renaſcuntur: ſciendum tamen, quoties hoc fit, relinqui vt plurimum ipſorum radices, quarum beneficio denuò creſcunt, quemadmodum in graminibus obtinet illis prolapſis, aut abſumptis fruſtrà παλιγγένεσιν eorum præſtolamur. Materia, ex qua proximè fiunt non eſt ſanguis, vt Spigelio opponit Sennertus, ſed humor lentus, pingui tamen, & aerea ſubſtantia præditus, qui in brutis animalibus in ungula, pinas, cornua, pennaſque faceſſit, hanc ſeminalem eſſe, vel ſaltem cum ſemine habere magnam cognationem oſtendit, quod piloſi ſalaces ſint, & è contra qui frequenter Veneri indulgent, calui fiant. Nutrimentum proximum non eſt ignobilior ſanguis, ut viſum eſt Sennerto, ſed ſuccus à cute iam ulteriore alteratione probatus pilorum ſubſtantię ſimilis. Adyanthum ergò cum radicibus collapſos capillos, aut radicibus exeſis prodeſt maniſeſta qualitate, dum ſuperfluos humores abſumit, diſcutit, poros aſtringit; Tota item ſubſtantia ut Apum, Veſparumque cineres, & ſimilium: forſan conducit etiam Alopecia deturpatis. Vſu Adianti rurſum comari ſcribit Galen. quomodo verò proſit, & cum quo, ex Sennerto notum. ſed modò ad vires aliarum plantarum temperatarum explicandas deſcendamus.

De Seſamo.

CAPVT XXXIX.

Seſami uſus varius adducitur, ſtatuitur temperamentum, vires examinantur.

CVm quilibet leuis exceſſus qualitatum primarum in plantis non impediat, quò minùs ea planta temperata diei non queat, dummodò primum exceſſum non attingat in actiuis, aut non excedat primum in paſſiuis, ſub hac ratione de Seſamo aliqua nobis inſtituenda, quæ licèt paululum ad calidum vergat, nihilominus temperata in actiuis cenſetur, in paſſiuis tamen ſiccitatis gradum primum explet. Igitur non arcenda à cęſu plantarum temperatarum. Seſamum igitur è cerealibus vna, & à Veteribus in maximo vſu habita, quippè quæ præter cæteras cibis condiendis etiam cùm deſtinata fuerit, ijſdem gratiam largiebatur. quod facilè ex Petronio elicimus, dum ait Mellitos verborum globulos quorumdam dicta, factaque quaſi Papauere, & Seſamo conſperſa. Ægyptia tellus huius plantæ, ſi Alpino fides habenda, qui eam pariter exactè deſcribit, feraciſſima eſt, dum Niloticis alluvionibus perfuſa priùs, deindè liberata, herbis ſalutaribus progignendis ſedulò incumbit, ſub qua ratione Seſamum in Ægypto luxuriat; & quamuis huius ſtirpis ea ſit conditio, ut pinguedinem omnem terræ, cui incumbit, abſumat, ſterilemque deinceps reddere valeat; etenim Seſamum craſſiori canna, veluti milium fulcitur; attamen illius regionis terra, fluminis pinguitudine apprimè fæcundata, vel iactu- *Lib. de plāt. Ægypt.*

ram nullam à Seſamo, vel ſaltem leuem ſentit. Putant quidam non frumentis, ſed leguminibus annectendam eſſe. vtcumque tamen ſit, ſemen in cibum vſurpatur loco frumenti, & ſub hac eadem ratione Plinij temporibus ex Indijs deferebatur. Ægyptijs Oleum ex Seſami ſeminibus expreſſum etiamnum in maiori uſu eſt, quàm quòd ſit Oliuarum Oleum, cùm in ciborum conditura, tùm in Medicina vſurpatum, & ob id maiori pretio venditur, quòd eaſdem, immò efficaciores pro Medico vſu, quàm folia, & ſemina obtineat facultates. Calidum eſſe Seſamum ſtatuit Alpinus, temperamentum tamen noſtrum non alterare, ſed humidum in ſecundo gradu pronunciat; quibuſdam, & rectiùs forſan videtur non excedere primum humiditatis gradum; Verùm Præuotius eidem primum ſiccitatis exceſſum aſſignat; ſed utcumque ſit, planta meretur inter temperatas reponi. Gal.[f] emplaſticum vocat, & viſcoſum, emolliendi ſubindè facultatem obtinere: Dioſcor. verò modicè calidum, eidemque aſſignat facultatem diſcutientem, & commendat ad neruorum craſſitiem; auribus quinimmò dolentibus, contuſionibus, inflammationibuſque, ambuſtis, artubuſque dolentibus conducere, & ceraſtæ morſibus aduerſari, quod occultæ proprietati tribuendum; habet inſuper ex roſaceo oleo capitis, & oculorum doloribus opitulari, ſtomacho tamen aduerſari, quod pinguium omnium eſt. Seſami Oleum varijs uſibus Aegyptijs ex Alpino ad ſalutem corporis attinentibus obuium eſt: foliorum, vel ſeminum decoctum in fotu Ophtalmiam reſoluit, ſic Aſthmaticis, tuſſiſque incommodis, deſperatæ pleuritidi, & peripneumoniæ, Oleũ ex ſeminibus expreſſum ſuccurrit, ſcyrrhoſos tumores præſertim uteri emollit, aliaſque durities in ſeſſione ſolo Oleo uſi catis vitia emendant, & liuidas partes ex contuſione fædatas priſtino colori reſtituunt, foliorum tamen decoctum eodem vſu aptantes, quod ſępiùs repetunt; adhibent vtiliter ad cholicos dolores in decoctione pro clyſtere, qua ſiquidem decoctione utuntur pro menſibus excitandis in fotu, quod eodem modo præſtant eiuſdem Olei illitione: mulieres Aegyptiæ, referente Alpino, ex Oleis eiuſdem uſu, ſeminumque in cibo pingueſcere traditur; quod tamen vix credibile euadit, cùm vtrumque ſit pauci, & craſſi nutrimenti. Tollunt tandem huius Olei vſu & ſcabritiem, & pruritum cutis, tum eiuſdem pruritum, & puſtulas ex atra bile, vel melancholia erumpentes emendant.

[f] Lib. de Med. fac.

De Cicere.

CAPVT XL.

Cicerum Temperamentum ſtatuitur; Genera adducuntur, vires examinantur.

SEmini Seſami inter legumina collocato à plurimis; annectamus genuinum citra controuerſiam legumen, quod quidem etiam inter plantas temperatas recenſetur, & ſub prædictarum ordine, ſi de ſatiuo ſermo ſit, cùm ſylueſtre habeat nonnihil maioris caloris, & maiorem ſiccitatem;

quam-

quamvis Auer. & Serapio humi dum pronuntient; effectus tamen contrariam conditionem oſtendit. Habent enim Cicera partes ſalſas in ſuperficie, cum quadam dulcedine, in profundo verò leuem amarorem, cuius beneficio abſtergere valeant, partium enim heterogenearum ſunt prædita, prout notum eſt ex monitis Hippoc. 2. de Diæta 8, & Theoph. 6. de hiſt. plant. 8. Nota planta eſt, & inter cibos recepta, nō ingrati quidem guſtus, ſed exilis nutrimenti, nec vtilis quidem, cùm craſſum, & flatuoſum alimentum præbeat, vires tamen non ſpernendas Medicas poſſidet, quo nomine etiam hìc recipitur. Sativum igitur Cicer & album, & nigrum faciunt, utrumque Arietinum vocant, ſed ut notabat Ophmanus hoc nomen nigro ciceri magis aptatur ob colorem cornu arietis ſimilem, à qua quidem forma plures idem nomen deducunt. Stimulos non leues ignauæ Veneri præbet, non ſolùm quia flatuoſum, ſed quia ſemen generare creditur, quemadmodum & lac quibuſdam equis admiſſarijs, ut proditur hoc nomine exuberanti menſura conceditur, ut validiùs Veneri indulgeant. Recentia alvum mouent, urinam verò exiccata in decoctione ſumpta, calculos frangunt, & expellunt, menſeſque ducunt, ad inflammationes teſtium ex Dioſcor. eorū farina utiliter adhibetur, cacoethis ulceribus utiliſſimū uſum præbet, necnon & ſimplicioribus ſic, & vitiliginibus, & impetiginibus tollendis apta, quemadmodum etiam hydropicis, & regio morbo, urinam ciendo, reſerandoque obſtructiones, ſerpentum morſibus etiam mederi fatetur Mathiolus, & tandem ciceris farina tumores iecoris emollit.

De Faba.

CAPVT XLI.

Quo nomine faba Antiquioribus ſit inſignita indagatur, Temperamentum ſtatuitur.

CVm Faba nec temperamento à ſupradictis ſit diuerſa, nec in Leguminum cenſu minorem vtilitatem afferat, quàm quod Cicer faciat, ſiuè eam pro alimento recipiamus, quod quidem præſtat, ſed flatuoſum, & craſſum, ſiuè ad medicas qualitates reſpiciamus: eam igitur non immeritò Ciceribus ſubnectimus; forſan ſub alio nomine Antiquioribus cognita, & recenſita, Græcis enim antiquioribus Habe nomine, ſeù Bone inſignita quod fatetur Dodonæus, & diuerſa omninò ab Aegyptia Faba, Bonam tamen eſſe negant plures: vtcumque tamen ſit, eſſe Freſſam Athenæi vix dubium relinquitur. De Temperamenti conditione dubitatum video. Plerique temperatam Fabam aſſerunt, ſed in deſignanda ad quam magis vergat ex activis qualitatem, non omnes idem ſentiunt, & diſcordi ſenſu ſuum proprium experimentum proferunt; ſi enim diſcutit Faba, inquit Auer. ſi abſtergit, ergò potiùs ad calidum, quàm ad frigidum vergere ſtatuendum. Gal. tamen eam ſiccare ſine calore aſſerit; ſtatuit Rhaſes ad frigidum vergere ſub ea ratione, quia flatulenta; hoc quidem, inquit, defectum caloris arguit: at Auic. expreſsè ad frigidum declinare fatetur, immò Iſaac & fri-

gidam pronuntiat, & reponit inter frigidas plantas, ac ſubindè eam temperatam eſſe negat. Nec in paſſiuis qualitatibus eidem aſſignandis minor difficultas eſt; Gal. enim cit. loc. dum eam ſarcoticam pronuntiat, ſiccam in primo rationabiliter ſtatuit. Reclamat Auerrh. quia valdè flatuoſa ſit, ob id nihil ſicci poſſideat, imbecillis nanque calor, inquit, dum agit in humidum flatus excitat. Dirimit litem Auicen. dum humidas virides Fabas pronuntiat, exiccatas verò ſiccas. Sed vtcumque ſit, ſemper flatuoſas eſſe Fabas, concoctuque difficiles experimentum manifeſtat, ut non iniuria inter leguminum genera reponatur κύαμος Græci vocant, id quod vix ab igne domabile eſt; nihilominus ex Theophr. potiùs probum alimentum præberi coniectandum, dum aſſerit, boues, porcoſque, quorum præſertim poſtremi humanam temperiem æmulantur, Fabarum eſu pingueſcere; ſed forſitan iſtorum calor humano vegetior erit, qui à varijs actionibus non diſtrahitur, quibus ſubijcitur homo; ſub qua ratione ab harum comeſtione moleſtis affligitur flatibus, quod forſan in cauſa fuit, vt à Fabis abſtinendum eſſe Pythagoras præceperit, quòd mentis tranquillitas, quam illæſam ſeruare Philoſophis neceſſarium eſt, à craſſis illis vaporibus perturbaretur, quod quidem & à Cicerone prolatum video: immò Dioſcor. noſter aſſerit ſomnos turbulentos inducere, ac proindè cùm facilè caput teneat, etiam vigilantibus mentem turbare valebit; quod quidam tamen dictum tanti Philoſophi metaphoricè prolatum autumant, vt à iudicijs abſtinendum ſit, Priſci enim illi in iudicio ferendo Fabis pro calculis vtebantur. Cæterùm relata è Fabis nocumenta longè ab vtilitatibus, quas in Medicina exhibet, ſuperantur; Fabam enim cum ſuo cortice decoctam in quo ſolo vis aſtringens ſita eſt, ventri, & ſtomacho appoſitam dyſentericis, cæliacis, & vomentibus cum Oxycrato validè opitulari compertum. Fabæ Lomentum, quod etiam & Freſſa Faba vocabatur, fieri ſolebat ex Fabæ farina ſine cortice, in pultis formam redacta, ſiuè ex eadem fracta, & ſine cortice ad pultis conſiſtentiam decocta, quod etiam noſtris temporibus in vſu receptum. Fabaceum Lomentum ex Dioſcor. inflammationes, vulnerumque dolores demulcet, præſertim remixtum cum Polenta, cicatricum exuberantias, & maculas delet, tumores ex concreto lacte in mammis diſſoluit, earumque inflammationes ex eadem cauſa mitigat, diſcutit Parotidas, & furunculos ſanat, cum fænu græci farina, & melle; oculorum tumores, & prominentias vueæ cum thure, & oui albumine, roſaque reprimit; in vino ſubacta Fabæ farina ſuffuſionibus utilis, & ictibus oculorum: cortices ſtrumas diſcutiunt cum Polenta, Alumine, & vetere Oleo. Dempto cortice fabæ granis, & diuiſa, ſiuè diducta parte à parte, ubi una pars alteri naturaliter coaleſcit, ſanguinem hęmorrhoidum vehementi nixu hirudinibus excitatum cohibet: fracta faba, & feruida in aceto acri impoſita, ex Plinio, torminibus auxilio eſt, liuoribus tollendis, cõbuſtiſque opitulatur. Freſſa in cibo quotidiano uſurpata, & cum Allio cocta contra tuſſes deploratas, & pectoris vitia, eiuſque ſuppurationes vtiliter vſurpatur. Siliquarum cinis ad coxendicum, ac neruorum dolores ſummoperè conducit. Gal. ex Fabæ farina cum Oxymel. cataplaſma ad ictus contuſos componit, cortices decocti cum ſuillo adipe veteri ad

8. *De hiſt. plant. c. 7. & 21.*

De Diuinat.

16. *Meth. 3.*

tertiæ partis aquæ conſumptionem ſiſtunt alvum adeò, vt aſtringentis facultatis vim in Faba tantummodò cortici, quemadmodum etiam Ciceribus tribuamus; vocem collutione frequenti, ſi Varoni fides, reſtituit. Habet Gal. 1. de Alim. mulieres in balneo farina Fabacea vſas ad abſtergendas validè cutis ſordes loco Nitri, Aphronitrivè. Sic igitur ad plura etiã à varijs Auctoribus commendatur Faba, ut inter medicamenta ex dictis non infimum locum ſibi vindicet.

De Fraxino ligno.

CAPVT XLII.

Fraxini, Ornique vires contra ſerpentes, & inter hos antipathia adducitur, temperamentum, & Vires examinantur.

NOn inutile omninò Medicis euadit Fraxini lignum, quod inter temperatas plantas recenſetur; in actiuis namque qualitatibus ad calidum vergit, ſiccitatem tamen obtinet primum gradum non excedentem, quod plerique Botanicorum ſtatuunt. Huius præſtantiſſimi ligni vires declarare viſi ſunt ſatis abundè præter Gal. Hip. Theoph. Dioſcorideſque, adeò ut non ab re fuerit, aliqua etiam de huiuſce plantæ, eiuſque facultatibus à nobis proferri, ut hanc ipſam miris facultatibus præditam plantã temperatam, & ſiccitati combinatam ſuprarecenſitis ſubnectamus. Eſt igitur Fraxinus notiſſima Italis arbor, cuius deſcriptioni incumbere ſuperuacaneum duxi, quemadmodum de proximè ſuprà deſcriptis cùm abundè, & ſatis exactè à pluribus Botanicis fuerit delineata: Huius quoque generis Ornus eſt, quæ quidem ſtirps, licèt facie diſſimilis, viribus tamẽ, & temperamento omninò par eſt, de quo lepidè Virg. Georg. 2.

Ornuſque incanuit albo flore Piri,

& Egl. 6. canit,

Cantando rigidas deducere montibus ornos,

Nobilis etiam arbor, quia Homeri præconio concelebrata, dum aſſerit Achillis haſtam ex Orno dedolatam; ſed longè magis nobilitatam video à natura mira ſua facultate reſiſtendi viperarum morſibus, ſuperandique noxam indè contractam, quæ quidem benigna parens, ut amorem eximiũ euidentiùs erga genus humanum patefaceret Orno, Fraxinoque non ante folia decidere voluit, quàm priùs intra terrarum latebras ſerpentes iam reconditos videret, ſubque eadem ratione nec ſerpẽtum genus è proprijs latibulis exire permiſit, antequam arbores prædictæ noua è gemmis folia produxerint, tanta ſiquidem harum eſt cum viperis, & cæteris colubrorum generibus inimicitia, vt ſi locus, vbi vipera degit, quod mirum eſſe videtur, Fraxini, aut Orni folijs circumſepiatur, & ab una verò parte ignis, tantum intercludat iter luculentiſſimus, & vi cogatur ſerpens è latibulis proſilire, eligit potiùs per medium ignem ſibi viam ſternere, quàm per inimici Orni, aut Fraxini folia, quod ſe expertum fuiſſe fatetur Plinius. Interim ad varios morbos pellendos Ornum, & Fraxinum vtiliſſimas eſſe

arbo-

arbores Quinti Sereni teſtimonio etiam notum euadit, dum verſiculis lepidiſſimis nobis hoc indigitat, dum ait.

Cùm ſæuus teneras dolor altè ſauciat aures
Fraxinea in flammis fundit, quem talea, ſuccum
Inſtilles.

Aquam videlicet illam quam dum torretur Fraxinus ex titione inſudat auribus inſtillatam doloribus demendis eius partis eſſe remedium: immò & ſemen eſſe valdè vtile Lienis obſtructionibus reſerandis, quod tali indigitat verſiculo.

Fraxineum ſemen cum Bachi rore bibendum.

Quod faucibus tuſſi exaſperatis ſummopetè etiam prodeſſe comperimus: ſemen tamen non idem cum ligno, aut folijs temperamentum obtinet; Botanicorum namque plerique, nec malè, exiſtimant, calidum eſſe, & ſiccum in ſecundo gradu, cui ſanè ſemini ex occulta ſui proprietate ſurditati prodeſſe tribuit Lobellius; ſed per mendenti à temperamento vires clarū etiam euadet à manifeſta qualitate ſeminis cōditioni impertita, hoc ipſum prouenire poſſe. Paulus cremati corticis puluerem, quod & ante ipſum aſſeruit Dioſcor. corpus à lepra mundare ſcribit, innuens validam in eodem abſterſoriam vim, & tantam quidem, ut potentialem etiam vigorem obtineat cauſtici medicamenti; hinc arguendum huius corticis naturam non eſſe, vt lignum, temperatam, ſed ſummè calidam, niſi dicamus in cortice calorem augeri ratione exuſtionis, quod rationabile eſt, adaucta videlicet Fraxini illa ad calidum, & ſiccum diſpoſitione, quam à natura propria antè, quamuis moderatam, obtinebat. Sic & ex eodem Paulo ſemina numero decem trita, & cum Vino pota vrinam non ignauiter ducunt, ſub qua etiam ratione hydropicis auxilio eſſe poteſt, quod etiam à Sereno prolatum video. Traditur inſuper vuluarum doloribus prodeſſe. Cæterùm Columella vires Fraxini ad Veterinariam traduxit; aſſeruit enim Beſtias à Vipera commorſas folijs contuſis, & circa partem obſeſſam appoſitis, & cum Vino etiam potis, à veneno liberari; addunt multi obæſa corpora, ſi folia trita, vel ſemina cum vino ſumantur, ab immoderata ſarcina ſenſim leuari, eorumque quinque numero pro ſingula vice pueris ſufficere, ſeptem verò in adulta ætate conſtitutis: aſſerunt tandem iecoris, lateriſque doloribus opitulari. nec prætereundum eſt, quod Lobellius de Sale Fraxini habet, diureticis videlicet copulatum ſudores mouere: purgantibus verò remixtum ſeroſitates per ſeceſſum ducere; ſed hoc non ita facilè obſeruari poteſt, cùm id valetiori attribui poſſit; ſed ligni Scobs ex Dioſcor. ſi bibatur, perniciem affert.

De

De Poligula.

CAPVT XLIII.

An noſtra Poligula ſit eadem cum priſcorum poligula ambigitur; perpenduntur vires, temperamentum definitur.

POligulum, ſeù Poligula, quam plantam fruticem parvum Lentis folio deſcribit Dioſcor. numquid ea ſit, quæ pro tali à Botanicis nunc circumfertur iure ambigitur, & in incerta adhùc latitat cognitione; eamdem enim Dioſcor. ſatis obſcurè deſcribit, vt difficulter quicquam certi ſtatui poſſit. Matthiolus cuiuſdam Poligulæ iuxta proprium ſenſum iconem profert, ingenuè tamen fatetur, non eſſe veram Dioſcoridis Poligulam, ſed ab effectu lactis augendi, à quo nomen adepta eſt, & ad alia etiam, ad quæ ab eodem Dioſcor. commendatur, tum à Lenticulæ folio, nec non ab adſtringenti guſtu, quem obtinet, & quem Botanicorum princeps ſubacerbum vocat eam eſſe diuinari profitetur. Cæterùm alij Auctores diuerſas à Matthiolo propoſitas plantas pro Poligula producunt, adeòque magis ambiguam eiuſdem reddunt cognitionem; quomodocumque tamen res ſe habeat, inter eas plantas reponitur, quæ temperatæ creduntur, & quæ in calorem leuiter propendentes, gradum tamen primum non conſtituunt, ſed tamen primum ſiccitatis exceſſum obtinent puſillo illo calori copulatum, verùm ſi occaſio accurata, & neceſſaria vſurpandi veniat Poligulam ad ea, ad quæ valere aſſeruit Dioſcor. quæ à Matthiolo deſcribitur, adhiberi poterit. Cæterùm de temperatis in calore plantis, gradum primum tamen ſiccitatis non excedentibus, congruum faſciculum concinnauimus, nunc ſubnectenda temperata ad calorem vergentia, quæ ſiccitatis ſecundum exceſſum explent.

De Scabioſa.

CAPVT XLIV.

Scabioſarum ſpecies quam plurimæ cum ſint non deſcribuntur; nec quo nomine ab Antiquis appellatæ. ſignum quo dignoſcantur à cæteris plantis forma ſimilibus adducitur; Temperamentum, vireſque produntur.

SCabioſas tam varia facie productas, tamque diuerſo aſpectu paſſim è terra proſilientes, an ornatus cauſa, vel ludentis naturæ conatus fuerit, incertum eſt; ſed in valde ſerijs luſiſſe non opinandum, immò potiùs cum Plinio fatendum, diù excogitaſſe priùs tantum opus, quàm feciſſe, cũ procul dubio miræ facultates, quibus inſignitur planta, ex delectu, & induſtria factam fuiſſe prænunciant: Quo autem nomine appellata, & ſub qua facie delineata, aut genere concluſa antiquioribus Græcis illis adhùc apud nos ambiguum eſt, niſi eam ad Dioſcoridis Stæbem reducamus, de

qua

qua ambigitur, & an ſit Phloes Theophraſti controuertitur.

Cæterùm uniuerſali figura Scabioſam delineare impoſſibile eſt, ſingulas verò eiuſdem ſpecies adducere, compendioſè, nobis eiuſdem naturam afferentibus, inutile omninò, & eò magis, cùm à pluribus diligentiſſimè hæc prouincia abſoluta fuerit; hæc enim plures plantas genere differentes in ſuæ ſpeciei diuerſitate ità æmulatur, vt facilè in ea ſeligenda intuenti hallucinari contingeret, niſi in eiuſdem cuiuſque ſpeciei folijs natura ſignum infallibile induxiſſet, quo à cæteris forma ſimilibus plantis diſcerni poſſet; diſcerpta namque Scabioſæ folia, dum pars à parte ſenſim ſeparatur, ex folijs, & eorum neruulis veluti exiliſſimum filum tomentoſum diducitur. Hæc igitur, licèt ad calidum vergat, in actiuis tamen temperata cenſetur; eidem tamen ſecundum gradum ſiccitatis aſſignant, quo fit, vt, cùm tenuium partium ſic euadat, miras facultates etiam obtineat, eius abſterſoriam, & extenuantem vim ſecutas. Medendis cutaneis *affectibus* vtiliſſima, & præcipuè ſcabiei, ut indè nomen Scabioſæ, quemadmodum quibuſdam etiam Pſoræ obtinuerit; ſimplex enim ex folijs decoctum, quadraginta diebus vſurpatum, virulentiam gallicam recentem ſanare traditur. Affectibus pulmonum conducit, vel exhibitus foliorum puluis, vel ex ijs decoctum, aut ſuccus cum melle remixtus: à materiæ viſcidæ infarctu pulmones liberat, ideò tuſſi antiquæ, & Aſthmaticis utiliſſima; cõtuſa peſtilentibus carbunculis mirificè prodeſt, febribuſque malignis: immò eiuſdem ſuccus quatuor unciarum pondere cum Theriacæ dragma peſte correptis ſtatim à primo inſultu propinata, & ſudore excitato, utiliſſimam ſe præbet; repetito tamen non ſemel cæteris diebus medicamenti uſu. ſerpentum tandem morſibus medetur, tàm in potu ſumpta, quàm contuſa, & morſui applicita. ſed hactenus de temperatis plantis, quæ ad calidum vergunt; modò pergamus ad eas explicandas, quæ licèt temperatæ in actiuis cenſeantur, ſed tamen ad frigidum propendunt, ſiccitatem tamen ſibi combinant.

De Coriandro.

CAPVT XLV.

Diſsidentes Auctorum ſententiæ circa coriandri naturam, temperamentum ſcilicet, & qualitates perpenduntur. vires traduntur, & an venenum ſit, & quomodo definitur.

QVoniam inter plantarum, & ex his ſeminum genera, quæ Medicum obtinent uſum nullum, aliud forſan ſit, quod maiores difficultates patiatur, ac ſit Coriandri ſemen tàm pro conſtituendo eiuſdem temperamento, ſi inſudemus, quàm pro ſtatuendis eius ſalubribus, vel inſalubribus, aut deleterijs actionibus. Opere pretium duxi, ne videat medicamenti alioquin ſatis utilis, conditiones prætermittere, difficultatum nodos priùs, quoad poſsibile fuerit, ſoluere, quæ ex veterum Scriptorum diſcordibus ſententijs, & Recentiorum diſſenſioni originem traxere; ac

ſub-

ſubindè vtilitates, quas ex planta elicere poſſumus explicare, & eò magis quia ſemen iſtud ſaccharo incruſtatum inter bellaria in conuivijs locum obtineat. Eſt igitur planta hæc inter temperatas recenſita, vergens tamen, quemadmodum à pluribus creditur, ad frigidum; à pluribus tamen creditur gradum primum non explere, ſed excedere primum ſiccitatis exceſſum, quod etiam tamen controuerſum eſt. Dioſcor. Coriandrum frigidæ naturæ pronũtiat, quod ab effectibus probat, dùm ipsũ opponit pluribus calidis morboſis affectionibus, & quod magis videtur, connumerat etiam inter frigida venena. Sententiæ Dioſc. ſubſcribit Plinius, de viribus tamen venenatis eiuſdem nihil habet. Gal. verò & calidum Coriandrum pronuntiat, & nihil de venenata eius natura loquitur, immò idem loc. cit. ſententiam Dioſcor. quod attinet ad temperamentum, quamuis experimentis innixam, euertere conatur, & eumdem non ſibi ipſi conſtare oſtendit, ut qui ſtrumis diſcutiendis Coriandrum aptet, quæ ex eiuſdem Dioſcor. ſententia calidis remedijs opus habent. Auic. tamen cum Dioſcor. eſt, & venenum eſſe ſtatuit, & vires ab eodem Coriandro attributas confirmat. Cæterùm Auer. mens eſt, ut venenum quidem ſit Coriandrum, attamen non frigidæ, ſed calidæ naturæ, quia planta effectus caliditatis edat. Simeon Sethi lib. de Alim. refrigerare Coriandrum habet, idemque ſentit Celſus: quòd ſi ijs frigidum eſſe fatentibus obijciatur Hippocrates, qui lib. de Diæta calidum pronuntiat, ad ſemen reſpexiſſe reſpondent, non ad plantam, aut ſuccum qui ex ea elicitur; ego verò, qui vires plantarum à qualitatibus manifeſtis promanare utplurimum admitto, dummodò ratio id ſuadeat non ſine ſenſus adminiculo, exiſtimo temperatam cum Gal. plantam in leuiſsimo calore vel frigiditate videlicet conſtitutam: ſic igitur ad effectus calidos adhibitam frigidi rationem obtinere, & ſic Eryſipelati calidiſſimo affectui, & à bile ſuborto, vel manantibus visceribus opportunè opponi; ſub qua ratione Coriandrum in principio applicitum prodeſſe crediderim, penetrare namque ratione ſiccitatis facilè poteſt, à qua attenuandi vim adipiſcitur; hanc enim ipſam facultatem exiccantem cognouit etiam Auic. qui Coriandrum ſperma exiccare aſſeruit; ſed quid quæſo dicendum ad Dioſcor. aſſertum, dum habet Coriandri ſuccum, de quo ſugillatur à Gal. ſtrumas diſſoluere? Crediderim tanti Auctoris aſſertum ſeruari poſſe, ſi dixerimus ſtrumas conſiderari ex melancholico humore exuſto factas à ſucco Coriandri, quamuis leuiter ad frigidum vergat, quà demulcendo, quà moderando materiam, eamdem ad reſolutionem minùs rebellem reddere poſſe, cùm Coriandri attenuata ſiccitas penetrans excrementitiam humiditatem plantæ ſecum deducens, id præſtare poſſe exiſtimandum. ſed Gal. idem litem à ſe excitatam dirimere videtur, qui cit. loco Coriandrum heterogeneas partes habere tradit, & contrarias facultates, vireſque inter ſe pugnantes poſſidere, dum terreſtri ſua ſiccitate attenuata penetrantem vim obtinet, quam liquidò ineſſe ingrato Cimicum odore, ob quem tale nomen adipiſcitur oſtendit, & ex amarore, quem percipimus, cuius ratione eo magis utiliter utimur ad iuvandam ventriculi coctionem, quo indigitatur ſubaſtringens eius facultas; immò operatur tepente aqueo humore adminiculante à ſiccitate ad- *Lib. 2. c. 27.*

Hhh inti-

intimiora deducto, qui ſtrumas indurare non ſinit, ſed emollitione introducta, reſolutionem faciliorem parat; immò ex eo emollitionem quamdam eædem adipiſcuntur, cùm calor Coriandri exilis ſit, nec indurandi facultatem obtineat; hac igitur ratione diſſolui poſſe ſtrumas ex Dioſcor. ſententia opinamur: Quod ex facultate etiam, quæ eidem tribuitur venenata manifeſtè colligitur, dum vapor ille humidus, qui cerebrum tentare valet, & homines fatuos teddere, & ebriorum inſtar dementare, excremētitiam humiditatem non mediocrem, minimèque ob caloris exilitatem ſubactam poſſidere oſtendit, quod non ſemini, ſed plantæ ſucco tribuitur. hoc ipſum ab Auic. inſinuatum video dum tantummodò eius ſucci menſuram excedentem noxiam aſſerit, & qui quidem ſuccus in exigua doſi ſumptus vires veneni non exerit, ſub qua ratione à Dioſcor. inter venena Coriandrum recenſetur, quod Hiſpani ſuo magno periculo teſtimonium perhibent, & Amatus Luſit. non ſemel obſeruauit: Igitur neque in hoc Dioſcor. redarguendus venit. Nicander vetus Scholiaſtes duo Coriandrorum genera cognouit, ſylueſtre, & ſativum. Plinius, & cum eo Columella ſolum ſativum dari credidere: nihilominus Gal. ſylueſtre coriandrum agnouit, quod à Matthiolo, & Amato Luſitano deſcribitur, & à Bauhino Inquinace receptum eſt, quod fœtidiſſimum nominat, & Cimices olere.

Lib. de Theriac. ad Piſ. vlt.

De Lentiſco.

CAPVT XLVI.

Lentiſcus à quo ita appellata, deſcribitur. Temperamentum aſsignatur, vires produntur.

Orig. lib. 17.

NOn vulgare ad medicum vſum, aut obſoletum medicamentum præbet Lentiſcus, Latinis ità appellatus, Iſidoro teſte, deducto nomine à Lenteo frequentatiuo ob facilem ex eius lentore ramulorum flexilitatem, Piſtacij folijs, ſiue Sorbi, ſed minoribus perpetua coma vireſcentibus, folia ab vno petiolo hinc indè cohærent Octona, imparia tamen Glycyrrhizæ folijs firmiora ſaturo viridi perennantia, non nihil tamen in ambitu rubentia, ſapore ad acidum vergente, flores quodammodò grauis, ſed iucundi odoris herbidi, muſcoſi ad pallorem inclinantes, è quibus baccæ emergunt principio virides, matureſcentes verò nigræ, pingues erui magnitudine: è Lentiſci caudice præſertim emanat Reſina quædam Maſtiche appellata, quæ vulnerato trunco faciliùs exudat. Lentiſci notitia etiam Hippoc. temporibus obuia fuit, qui in uterinis affectibus maſtiches fruſtum, ſcil. Lentiſci exhibet. Theophr. Maſtichem Reſinæ genus meminit, è Lentiſco colligi ad vſum medicum, quem etiamnum exhibet. Vocat Dioſcor. Lentiſcum arborem notam, quia etiam alibi naſcebatur, quam in Chio inſula, ſuiſque partibus omnibus aſtrictoriam eſſe fatetur. Veteres vtebantur folijs, radice, trunco, floribus, ramis, fructuque, necnon ſucco, ex folijs, ex floribus, & baccis, ſicque in his omnibus agnoſcebant æqualem adſtringendi vim: Cæterùm docet Dioſcor. parari deco-

Lib. de nat. mul.

9. De hiſt. plant. c. 1.

ctionem ex folijs, & radice duplici coctura, adhiberique ad ſanguineas omnes reiectiones, alui profluvia, lienterias, dyſenterias, immoderataſque fluxiones ex utero quaſcumque, & ſedis procidentias, imò tradit & oſſa feruminare, & caua vlcera explere, & dentes mobiles collutione firmare, virideſque ramulos dentiſcalpij vices miro effectu gerere, quod lepidè expreſſit Martialis dum inquit

Foditque tonſis ora laxa Lentiſcis

& in apophoretis

Lentiſcum melius; ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes, penna leuare poteſt.

Dum ſcilicet vnà & dentes extergit, & tumidas gingiuas inanit, dolores item demit, dentes firmat, gratiamque ori inducit; aſſerit inſuper idem Dioſcor. validum urinæ etiam ciendæ eſſe remedium, folia tenella contuſa inflammationibus oculorum conducunt appoſita. Planta tota ad actiuas qualitates quod attinet, temperata eſt, quamuis potiùs ad calidum, quàm ad frigidum propendeat, ſiccitatis tamen ſecundum obtinet gradum, vt mirum ſit (ſi tamen in textu mendum non ſubeſt) qua ratione Auicen. ſtatuerit Lentiſcum calidum, & ſiccum in tertio gradu. Ex Lentiſco fit Oleum aſtringenti, & roboranti facultate præditum, quo vti ſolemus in Cæliacis paſſionibus, & ſtomachi languore: illud tamen Oleum, quod ex Maſtiche fieri ſolet calidius eſt, licèt non ſine calore reperiatur illud, quod ex baccis fieri ſolet, quo vtimur etiam ad denigrandos capillos. Reſina verò Lentiſci, ſiuè Maſtiche ex Gal. calida, & ſicca cenſetur in ſecundo gradu, eamque commendat ex Chio inſula Egei maris collectam, prout etiam Dioſcorides admonet, & albam ſic appellatam ſeligit, ſecundo loco Ægyptiam, quam nigram aſſerit; video tamen ab Arato nigram Lentiſcum omnem appellatam; conſtat ſiquidem, Aegyptiam ipſam Lentiſcum maſtichem copioſam fundere tradunt. Hæc ſanè arbor cognita fuit ſupra tempora Danielis Prophetæ, quod patet in hiſtoria iudicij Suſannæ, quæ profectò licèt ab Hebræis inter Apocryphas connumerata ſit, ob id non recepta, & à ſeptuaginta Interpretibus omiſſa, vt ex D. Hieronymi in eam prefatione manifeſtum, qui eam ex Chaldaico in Latinum ſermonem tranſtulit, genuinam tamen eſſe ex omnium conſenſu non dubitamus, nec mirum Aegyptiam tellurem Lentiſcorum etiam feracem eſſe, cum ibi ſingulares plantas gigni, & cuiuſque conditionis, Homerus teſtatus fuerit, dum perſonam Helenæ induens ait

Proſperaque quondam Thonis dulciſsima coniux
Aegypti Polidamna dedit; quæ plurima gignit
Noxia terra ferax, & multa probata venena.

Hinc colligi in Aegypto Maſtichen etiam probatiſſimam autumandum. Cæterùm illæ Lentiſci arbores, quæ in Europa naſcuntur, non ſunt Reſinæ feraces; aſtringit quoque ipſa Maſtiche, & emollit Ammoniaci inſtar, contra tuſſim, & exercatus ſanguineos utiliter bibitur, & ad ea omnia efficax, ad quæ Lentiſcus.

De Radicibus Chinarum.

CAPVT XLVII.

China radix Veteribus incognita deſcribitur, eius temperamentum aſsignatur, vires expenduntur.

REgionum differentiſſima conditio, etiam varia medicamentorum genera producit, quæ non facit tantùm, ſed virium præſtantia differre ſolent: in exemplum cedat China Veteribus incognita planta, ſic vulgò appellata, quia à regione Chinarum, ſiue Sinarum orientali nomen obtinuit; quamuis & ipſa etiam ex Indijs occidentalibus deferatur, & Chriſtophorus à Coſta aſſerit hanc eamdem reperiri in Malabar, Cochin, Crangor, Caulum, Tanarque, & pluribus alijs in locis; cuius aſſertioni ſubſcripſere etiam Nicolaus Monardes, & Garzias ab Horta. Verùm ab ijs deſcribitur ſarmentoſa planta ſpinis tenuioribus prædita Smilacis aſperæ inſtar, quæ modò reptilium Conuolvulorum vicinas plantas amplexatur folijs Plantaginis latifolij, cuius radices ex Acoſta nodoſæ ſunt modòque craſſiores, modò verò graciliores, arundinum radicibus ſimiles exteriùs nigricantes, interiùs verò ruffeſcentes, ſolidæ, graues, & quæ tantum modò in vſum medicum vſurpantur. Has in actiuis qualitatibus temperatas dicunt, leniter tamen protendentes ad calidum, ſiccæ tamen in ſecundo gradu. Radix hæc, quæ ſicca affertur dum in uſum medicum reuocatur in taleolas inciditur, infunditurque in communi aqua per horas 24. & ad dimidium ebullitio permittitur. Cæterùm Monardes doſim affert, & modum conficiendi decoctum docet, ſed ſanè ex eodem nimis Chinarum anguſta doſis, nimiſque ampla ſuperaffuſæ aquæ, quod forſan in recenti radice verificatur, cùm ea quæ ad nos affertur vetuſta, & carie obſita inſpectetur. Sumitur huius radicis decoctio more decocti Guaiaci ſummo manè, ſudorque in Hypocauſto, aut alio quodammodò excitatus elicitur, & aptatur utiliter ad plures morbos ſuperandos; immò ad morbum Gallicum ipſum, quem oppugnare vigoroſè creditur; dum hoc vtimur decocto victu etiam exiccanti, & tenui opus eſt, & abſtinentia à vino: verùm huius radicis decoctum ſuaue ſatis eſt, & ius carnium æmulatur ſapore, citràque calorem operatur. Conducit ſummopere morbis ab obſtructionibus ortum ducentibus, febribuſque longis, & erraticis, doloribus articularibus occurrit, immò commendatur etiam in tophaceis tumoribus, & nodoſis; vtiliter adhibetur ſordidis vlceribus etiam Gallicis impoſita decocti ſpuma; paralyticis prodeſt, Iſchiadiciſque, & tumoribus Scyrrhoſis reſoluendis opportuna; deſtillationibus à capite ad pulmones ſiſtendis etiam ſalſis vtiliſſima, vt etiam tabi conferat, & renutritioni conducat; obſtructionibus cunctis viſcerum reſerandis, Ictericis, & Hydropicis ob id vtiliſſima, Cachoetis confert, & Renum vitijs, & neruoſis affectibus occurrit, Stomachi doloribus, capitiſque dempta cauſa prodeſt, flatuſque tandem feliciſſimo ſucceſſu diſcutit, ac proindè ipſis etiam Hypochondriacis non inutilis, aut noxia.

De Liguſtro.

CAPVT XLVIII.

An Liguſticum noſtrum ſit Cyperus Dioſcoridis, aut idem cum liguſtro Plinij perpenditur, negatur, temperamentum definitur, vires explicantur.

Liguſtrum planta, quæ licèt ad frigidum vergat nihilominùs non inter frigidas, ſed inter temperatas connumeranda venit, cùm leuiſſima illa frigiditas, ad quam inclinat, tanta non ſit, ut ad humanum corpus collata hoc ipſum alterare valeat; nec enim tanti roboris eſt, ut primum gradum in Liguſtro conſtituere poſſit, quapropter temperata appellatur; verùm tamen ſiccitas illa, quam ſibi adſciſcit ſociam, ex Botanicorum conſenſu, primum gradum explet. Numquid Liguſtrum Cyperum Dioſcór. ſit ambigunt Botanici, annuunt multi, negant alij, res quidem ſummopere controuerſa eſt, quia reuera valdè dubia; Cyperus enim procul dubio Hellane eſt Auicennæ, nec Plinij Liguſtrum correſpondet notis Cyperi Dioſcor. Igitur Italorum Liguſtrum eſt ne Liguſtrum Plinij, aut Cyperus Dioſcor.? vix hoc mihi perſuadeo, nam collata noſtri Liguſtri facie, cum Cyperi Dioſcor. eiuſque deſcriptione longè abſimiles videantur; Suum enim Cyperum. Dioſcor. arborem facit, at Liguſtrum noſtrum numquam, licèt leuiſſimo, & pingui ſolo ſatum, ſtolonibuſve diligenter amputatis fruticis menſuram excedit, ſic & Liguſtrum Plinij Coriandri ſemina ferat, ſecùs verò noſtrum; Cyperum odoratum florem gerat, ex quo Dioſcor. ſpiſſamentum ſuum odoratiſſimum conficit; immò ſub hac præſertim ratione veteribus expetitum fuerit, noſtrum verò ferè inodorum ſit, præterquamquòd Ægyptium Cyperum infectoriam plãtam eſſe, quod & Alpinus aſſeruit, apparet; hoc quidem de Liguſtro noſtro non verificatur, vt iure fatendum videatur Recentiorum Liguſtrum omninò à Liguſtro Plinij, & à Cypero Dioſcor. plantam eſſe differentiſſimam, immò forſan Liguſtrum Plinij erit Cyperus Galeni. Partes utcumque habet calidas, eſtque digerentis facultatis, quamuis Auic. eum frigidi temperamenti aſſerat, ſed Orientale Liguſtrum potiùs ad calidum inclinare cenſendum, non verò noſtrum, quod ad frigidum propendere ſtatuebamus; nec dicendúm cum aliquibus Liguſtrum noſtrum differre tantummodò ab antiquorum Cypero, ſola Climatis diuerſitate, quia hac ratione ſi concedatur ad arborum faſtigium hic non aſſurgere, & ſic ſtrictiora habere folia, & flores odoris carentiam exhibere; eadem tamen florum forma longè differt, quemadmodum ex Alpini deſcriptione, & foliorum, & ſeminum figura, & ſubindè ex ſenſata eiuſdem animaduerſione, dum in horto noſtro publico à quocumque conſiderari poſſit, immò & noſtrum nullatenùs carnes, & capillos inficere valeat, quod de Aegyptio fatetur Alpinus, & quòd licèt facultates habere poſſit noſtro Liguſtro ſimiles, non arguitur per hoc neceſſariò eſſe idem. Cæterùm Liguſtrum noſtrum non eſt Philerea, quæ cùm forma, tùm figura differentiſſima eſt, præterquàmquod Dioſcor. à Cypero diuer-

diuerſam facit Philerèam, & nos quoque obſeruamus, qui colimus Philercam in horto Publico Dioſc. deſcriptioni apprimè conſentaneam, & omninò à Liguſtro diuerſam: Non erit igitur Græcorum Cyperum Recentiorum Liguſtrum, ſed in qualitatibus quadantenus Cypero ſimile, nec omninò forma diſſimile, cuius interim vires afferre modò inopportunum non erit. Huic aſtrictoriam vim tribuunt, quam ex Gal. potiùs à ſiccitate obtinet, quo nomine laudantur folia ad oris vlcera illita, & carbunculis emendandis: ſic Dioſcor. aſſerit inflammationibus ſummoperè prodeſſe, vt indè pateat Cyperi plantam & temperatam aſſeruiſſe, & ad frigidum potiùs vergere, cùm etiam ad ambuſta vtiliter adhiberi profiteatur. Addit ex florum decoctione capillos reddi ruffos cum Struthij miſcella, quod tamen per ſe etiam facere poſſe ſine alterius miſcellanea notabat Alpinus, qui Aegyptias mulieres huius plantæ ſucco ſola ornatus gratia & manus, & pedes, cæteraſq; corporis partes inficere conſueuiſſe aſſerit, & ſic eiuſdem plantæ ſucco capillos & ruffos, & pulcherrimos reddi: ex maceratis in aceto floribus dolenti capiti impoſitis dolorem ſedari tum ex Dioſcor. ſententia, tum experimento ab Alphino ipſo in Aegyptiorum corporibus comprobatum, non ſubigunt tamen Aegyptij more Dioſcor. aceto flores, quod forſan magis opportunum foret ad penetrationem, ac ſubindè magis utile: addit Dioſcor. ſpiſſamentum ex floribus paratum neruos remollire, nimiùmque refrigeratos calefacere, quam quidem poſtremam facultatem de ſe Liguſtrum non obtinere credendum, ſed ratione Aromatum miſcellaneæ, quæ ipſum ingrediuntur ſpiſſamentum.

De Lupulis.

CAPVT XLIX.

Ex floribus Lupulorum Cereuiſiam componi, quæ Zito antiquorum ſimilis eſt: affirmatur.

NObiliſsima, & vtiliſsima planta extat Lupulus, nimia tamen ſui copia vileſcit, quamuis in regionibus ſeptentrionalibus diligentiſsimè feratur, adminiculiſque ſumma cum animaduerſione fulciatur, vt faciliùs ſe eleuet, extendatque, quod ibi obtinet ex Vitis viniferæ inopia, gratiam enim aquis largitur, dum cum Hordeo, aut alio ſemine frumentaceo toſto decoctis floribus Cereuiſia fit, quæ veterum zitum æmulatur; quò fit vt tales aquæ ſint in potu magis deſiderabiles, ijſque illarum regionum Incolæ contenti vini carentiam faciliùs ferant. Cæterùm quoniam Lupulus, qui etiam Lupus ſalictarius appellatur, cathartica licèt leui facultate præditus eſt, inter conditionis eiuſdem medicamenta eam plantam repoſuimus, explicauimuſque, quapropter notitiam exactiorem deſiderantibus eò loci haurienda.

De Meliloto.

CAPVT L.

Melilotum noſtrum idem eſſe cum Theophraſti, & Dioſcoridis Meliloto affirmatur: non eſſe Athenæi lotum, quæ nymphæa eſt, & eſſe coronariam plantam; Temperamentum aſsignatur, vires afferuntur.

TEmperatam eſſe Melilotum non difficulter ex eo ſuaderi poteſt, quia Dioſcor. eam ipſam plantam ad inflammationes cohibendas adhibet; hæc quidem ad frigidum potiùs quàm ad calidum vergit, quamuis obtineat ex paſsiuis qualitatibus primum ſiccitatis gradum. Cæterùm dubitatum video, an noſtra Melilotus ſit eadem Dioſcor. quod ſanè eſt quærere nodum in ſcirpo. quòd ſi is dicat eam eſſe leuiter odoratam, hoc etiam de Meliloto noſtra facilè verificatur, quæ vix quidquam olet, niſi confricetur, quo in caſu non malè olet. Cæterùm ſimilitudo, quam habere aſſeritur cum Croco, non ad colorem cum Serapione, ſed potiùs, me iudice, cum Plinio, ad plantæ odorem referendum autumo, ſub qua conſideratione & à foliorum ſtructura à Dodonæo, & alijs vocatur trifolium odoratum. Planta hæc à radice ſua ſubiecta, ſatis quidem longa plures ſurculos bicubitales promit, folia in viridi palleſcentia per ambitum leuiter crenata, floribus in ſummo luteis, vel etiam albis odoratis, quibus euaneſcentibus repanda ſuccreſcit ſiliqua, in qua ſemen pallido colore recluditur: exiccata planta odoratior fit, vt etiam in hoc noſtra Melilotus Melilotum Theoph. repræſentet, quæ eadem eſt cum Dioſcor. Meliloto; à quibuſdam vocatur trifolium equinum, quia equis in pabulo expetatur: cæterùm non eſt Lotus illa, quam Naucratites Athenæus à ſuis conterraneis Melilotum appellari dicebat; nam ea procul dubio eſt Lotus Ægyptia, quę Nymphæa eſt, & ſic notum valdè diſtare noſtram, & Græcorum Melilotum à Meliloto Ægyptiorum, & Naucratitarum; nihilominùs Cratini Poetæ ex eodem Athenæo Melilotum, ex qua ſerta facta fuiſſe aſſerit Græcorum Melilotum eſt, ad quod reſpiciens Plinius ſertulam appellauit campanam, & ante ipſum Cato, & Celſus, quia ſertis ſtruendis adhibebatur, quo nomine etiam commendatam video ab Alexi Medico in ſuo Medicamentario ex eodem Athenæo, qui ex Meliloto tali verſiculo coronas factas prodidit.

Lib.21.c.9.

6. De hiſtor. plant. 22, & 23.

Coronas ex Meliloto plurimas deſideras.

Conſtat tamen illud ex Salmaſio viro doctiſsimo haud recipiendum eſſe. Gręcos illos antiquiores videlicet Loti nomen importare quemcumque florem Coronarium, ex quo Coronæ conflari poterant; diſtinctiſſimè enim manifeſtum eſt appellatas fuiſſe Coronas ex Florum diuerſitate proprio eorum florum nomine, prout ex Athenęo eodem, pluribuſque alijs euidentiſſimè colligi poteſt. Ad vires Medicas quod attinet eas recenſet tùm Dioſcor. tum Gal. qui poſtremus tamen ad calidum potiùs inclinare ait, eſſeque facultatis compoſitæ, prout concoquere valeat, digerere, & modicè

Lib.3.c.43. 7. Simpl.

dicè

dicè aſtringere. Dioſcor. tamen abſolutè aſtringere habet, & inflammationes emollire, quibus præſertim opitulatur, quæ in oculis, ſede, pudendo muliebri, teſtibuſvè occurrunt, vel Paſſo cocta, vel Ouo aſſato farina Fœnugræci, Lini ſemine, aut capitibus Papaueris remixta cum intybi decoctione, Meliccrides recentes ſanare, & ulcera capitis manantia cum Galla, & vino, vel cum Argilla Chia, compeſcere Stomachi dolores cum vino pota, auriumque doloribus inſtillata prodeſse, & cum Aceto Roſaceo capiti dolenti appoſita, ſicque Carcinomatoſis affectibus. Verùm præcipui Meliloti uſus ſeminum, & ſiliquarum eſt, & farinæ, quæ ex ſemine elicitur.

De Santalis.

CAPVT LI.

Santalorum Temperamentum conſideratur, diſtinguitur. Salmaſij opinio adducta circa antiquam Santalorum cognitionem ex Ariano: malè confundi Santalum cum Aſpalatho aſſeritur. Santalorum genera, & deſcriptio adducitur, vires produntur.

SAntalorum Citrinorum natura ad humanum corpus collata temperata cenſetur, licèt refragante Auic. & Arabum familia, qui Santalorum quamcumque differentiam valdè frigidam credidere, quamuis Citrinum Santalum temperatum eſſe in calore, & frigiditate, licèt ad frigidum paululùm vergat, temperatum cenſendum veniat, minimè obſtante, quòd valdè odoratum ſit, ſub qua ratione inficias non ibimus, ſi in eo etiã quidquam caloris agnouerimus. Altera tamen qualitas, paſſiua ſcilicet, quemadmodum & in alijs duabus Santalorum differentijs, albo videlicet, & rubro, quæ non ſolùm primum gradum excedit, ſed ſecundum etiam explet, & quibus poſtremis Santalorum differentijs tertius frigiditatis gradus copulatur, in Citrino etiam eadem menſura reperitur; verùm licèt tantam ſiccitatem in ſe comprehendat, cùm tamen temperatum in actiuis cenſeatur, vt ſupra dictum eſt, non inopportunum nobis euadit ſuperiùs relatis plantis primum gradum ſiccitatis non excedentibus ſubnectere: quo igitur iure, quamuis de hac ſola differentia ſermo inſtruendus videretur, aliqua etiam de reliquarum in medium afferemus, ne id repetere alibi cogamur; actiua enim illorum qualitas, frigiditas ſcilicet, ad hunc locum haud pertinere conſtat. Santalorum igitur peregrina Planta quodcumque ſolum præter nativum, Indicum ſcilicet, reſpuit: hæc ab arboris viui figura ex aliorum relatione, ſed præſertim Garziæ ab Horta nobis innotuit, cuius exactior tamen notitia inquiri quidem poteſt, ſed haberi haudquaquam: verùm Vir Eruditiſs. Claudius Salmaſius diuinatur nomen Santali non eſſe Arabum, apud quos cognitio manifeſta fuit, ſed Græcum, quod probat ex Arriano in Erythræi Periplo, qui ait à Barigazis in Omanam Perſidis Emporium Sagalinas trabes deferri, Phalangaſq; Seſaminas, atque Ebeninas. Guilielmus Stuchius eiuſdem Auctoris interpre-

do-

doctiſs. ingenuè fatetur, ſe neſcire quid ſit Sagalinum Lignum: at Salmaſius, qui quidquam inacceſſum haud ab ingenio ſuo acutiſſimo intentatum relinquere valuit, Santali Lignum paucis mutatis innuere voluiſſe Arianũ fatetur, quod ex arboris conditione elicit; proceris nanque ſtaturæ Santala ſunt, vt ex his trabes facilè confici potuerint: immò ex regionis ſitu & ſic non inani forſan coniectura id veriſimile opinatur, vt indè arguat Santali nomen non ab Arabibus ad Græcos poſteriores, ſed à Priſcis Græcis potiùs ad Arabes tranſijſſe; floruit namque Arrianus Adriani Imperatoris temporibus, & ſic ſupra tempora Galeni, qui Antonini Pij æuo floruit, quamuis nec Theoph. qui Alex. Mag. temporibus vixit, nec Dioſcorides, qui Marci Ant. Triumu. coæuus fuit, de Santalis ullam mentionem fecerint. Cæterùm malè quidem confundunt aliqui Santalum cum Aſpalato, quod feciſſe Cardanum videtur, qui meritò carpitur in hoc à Scaligero, dum amborum collata deſcriptione è temperamento vanitatem opinionis ſugillat. Verùm nulla maior notitia Santalorum nobis emergit, quàm quòd eliciamus à Garzia ab Horta in ſua Hiſt. de Arom. Simpl. ex Orient. Ind. delatis; naſci videlicet has arbores & in Tamor Inſula, & pluribus alijs in Locis Malacæ conterminis. Ab Incolis vocari Chandama, & Santalorum tres eſſe ſpecies, Albi, Pallidi, quam vocant Citrini, & quæ quidem ſpecies odorata eſt, & poſtremò Rubri: has tamen arbores non æquè omnes in eodem loco generari cum in Tamor Albi, & Pallidi differentiæ obuiæ emergant, ſecùs verò Rubri, qui citra Gangem naſcitur, in Tamaſari videlicet, in Maritimis locis Charamandel, & alibi quoque, ſed præcipuè in Tamor, non tamen in quocumque loco eiuſdem inſulæ ſimilis præſtantiæ; nam gratiſſimo odore redolet pallidum, ſiuè citrinum, forſan quia, Auct. eodem Garzia, in locis Soli magis expoſitis creſcit. Aſſerit idem Auctor eſſe Santalos arbores proceriſſimæ ſtaturæ, nucem regiam æmulantes, viridibus folijs, & Lentiſci æmulis, flore cæruleo saturo colorato; fructus, inquit, ceraſi fructum repræſentat forma viridis primùm, qui nigreſcit dum ad maturitatem perducitur, nullius ſaporis, & facilè deciduus: aitque hanc ipſam arborem dum vireſcit inodoram eſſe, ſed exiccata, & exempto cortice odorem acquirere. Auic. Pallidum, ſiuè Citrinum Santalum ſummum præſidium Cordi afferre aſſerit, capitis doloribus à cauſa calida ſuperandis, delirioq; ſedando opportunum remedium euadere: Rubri ſcobs cum plantaginis ſucco inflammationibus ſiſtendis, & deſtillationibus intercipiendis vtiliſſima, ſanguinem expuentibus, ſalſiſque catarrhis pulmonem petentibus in decocto proficuè exhiberi ait.

Exerc. 104. num. 13. *Exerc. 150.* *De Vir. cord.*

De Parietaria.

CAPVT LII.

Nominis ratio aſsignatur, & an ſit Alxine Dioſcoridis ambigitur; Temperamentum & vires adducuntur.

Enemata, quorum frequentia vſum medicum complet, immò quorum vtilitas euidentiſſima ab omnibus percipitur, ſæpè enim ſæpiùs,

ægrorum ſtatum pari leuamine cum catharricis cum iucunditate in meliùs vertere ſolent, & ab omni periculo incolumes ſeruare, nobis vtiliſſimam repræſentant plantam, temperatam, leuiter tamen ſubfrigidam, quæ humiditatis primum obtinet gradum, in ipſiſque Clyſteribus componendis ſæpè ſæpiùs vtiliter vſurpatur, vt quæ ſua valida abſterſione inteſtina ipſa munda reddat. verùm numquid etiam facultas aliqua ſolutiua ex proprio delectu prodeat, iuvetque ſub hac ratione deiectionem, inter res dubio plenas reponitur. Cæterùm Parietaria in regionibus noſtris nota eſt cuique, vt præ nimia eius copia vileſcat, cùm præſertim paſſim parietibus, & murorum ſciſſuris innaſcatur, vt indè Parietariæ nomen traxerit; ſingulari namque facilitate vbique ſibi naſcendi, & creſcendi locum ſternit; verùm viribus non ſpernendis Medicis à natura donata eſt. Exiſtimant Botanicorum plurimi, nec inualida coniectura diducti, Parietariam eſſe *Alxinem* Dioſcor. non quidem Ciſſampellos, de qua lib. 4. cap. 39, ſed quam eodem lib. cap. 86. Perditium appellat; Plinio enim teſte, eò quia eius ſemen à Perdicibus libentiſſimè pro eſca quæratur; ſic etiam Vitraria herba, & Vrceolaria denominabatur, quia Vaſa, & vitra egregiè à ſordibus mundet, ſub qua ratione herbarijs, & fæminis Vitrioli nomen obtinet. Interim Dioſcor. Parietariam temperamento potiùs frigidam deſignat; vtiliſſimam namque aſſerit illinitam Eryſipelatibus, & Condylomatibus: verùm ſi humida eſt in paſſiuis? quomodo ex Gal. leuiter adſtringit, habet ſa- *6. Simpl.* rè in ſuperficie nitroſam quamdam, & terreſtrem conditionem, cuius ratione abſtergit, & ſubadſtringit, ob id affectibus vrinæ ex vaſorum obſtructione pendentibus ſummoperè prodeſt; calculoſis ſuccurrit; ſuccus trium vnciarum pondere exhibitus vrinam ſuppreſſam efficaciter mouet; vlceribus ſanandis non inueteratis apta, vulneribuſque mox inflictis, ſi contuſa folia apponantur, ſalutem affert, dummodò ad tertium vſque diē parti vulneratæ adhæreant.

De Spinachia.

CAPVT LIII.

Priſcis ſpinachia vel non cognita, vel neglecta, temperamentum aſsignatur, vires explicantur.

SPinachia Veteribus olus fuit incognitum, vel neglectui habitum, tamquam nihil ſaluti humanæ conferre exiſtimauerint. Multi ex Recentioribus eſſe Atriplicis ſpeciem volunt, alij Lapathi differentiam: Poſteriores Græci Betarum, & Maluarum conditiones obtinere credidere, ob id compoſitas habere vires: ſed reuera nihil cum Lapatho Spinachia habet, à Spiculis mucronatis, quibus ſemina veluti aculeis referta abundant, notatam credunt; ſed quoniam nobis notiſſima planta eſt, ideò mores ſequuti Dioſcor. qui ob hoc ipſum plurimas plantas non deſcripſit, conſultò deſcriptionem prætermittimus. hanc credunt plures ſuperare primum gradum frigiditatis, quod tamen vix credibile eſt, quod nullum frigiditatis

tis

tis ſenſum præſeferat,& licèt ad frigidum vergat, primum gradum tamen non explet;iure igitur in cenſu temperatarum plantarum reponitur, quãuis humiditatis primum obtineat gradum ; alimentum etiam præbet Olerum more, exile tamen, & fluxile, ut facilè excernatur, alvum enim ipſam emollit; occurrit contuſa ſcorpionum ictui, ſuccuſque arancarum,& ſcorpionum veneno non inutiliter aduerſatur, & fauces tandem acri deſtillatione exaſperatas lenit.

De Abſinthio.

CAPVT LIV.

De Calidis in primo gradu Plantis, cum ſiccitate. Temperamentum, & vires abſinthij deſignantur.

INter calidas in primo gradu plantas vulgata quidem ſatis, ſed nobiliſſima Abſinthium eſt à Galeno in primo caloris, & tertio ſiccitatis ordine repoſitum. Quomodo quæſo idem ſuccum calidiorem affirmat? an, quia terreæ partes obſcurent caloris perceptionem, vel potiùs partium aquearum diuaporatione tale fit: verùm plures ex Bauhino nobis ſpecies innoteſcunt, nec montes, nec conuallia, aut æſtuaria Abſinthio ſuo carere voluit natura, viribus idem, ſed differenti facie. Purgat bilem Dioſcoridi, Auenzoari Pituitam, ſic apud Meſuem purgare comperimus: Galen. tamen contentam in ventre pituitam nihil adiuvare ſcribit: ut autem conciliemus has pugnantes opiniones, dicendum, biliosa præcipuè promouere, pituitam ſecundariò, & quidni proſit temperamenti conditione tali, dum calefacit,attenuat,liquat tamquam facultatis purgatricis inſtrumentum: ſed quomodo purgat ſi adſtringit? facit hoc impropriè & per modum expreſſionis; multa enim blanda purgantia validam relinquunt adſtrictionem, ut Tamarindi, Myrobalani, & alia ſimilia, cùm præſertim, ut dictum eſt,purgatiua facultas à temperamento non pendeat, ſed hoc inſtrumentum ſit, adſtrictio verò poſſit ab eo pendere. In Hydropicis commendatur à Meſue, & eius effectus utiliſſimos obſeruamus in Anaſarca, pedibus ipſis cum alijs partibus miſerè tumentibus, cùm eo ſcilicet tenuifolio Pontico ægri in acetarijs uterentur infuſo cum aceto in vino, & iuſculis. Commendant alij, & præferunt Sal, cuius præparatio facilis: alij extractum cum Spiritu Vini factum. Seriphium tamen pronuntiat Stomacho aduerſum Dioſcorides, quod grauis odoris ſit: duplex Abſinthium habetur maritimum, Latifolium, & Tenuifolium, quorum illud gratius. Prodeſt quidem ex Dioſcor. Hydropicis, & quà diureticum, & quà iecoris ſingulare corrobativum, idem obtinet in febribus diuturnis,in quibus datur Abſinthij extractum remixto ſucco Cichor. Borag. vel ſimilium; at quæſo medicamentum calore,ſiccitate,amaritudine tam inſigni præditum quomodo reſiſtit bili, eamque corrigit? non utique contrarietate temperamenti, ſed potiùs formæ proprietate. Gal. ad Glauc. id concedit in tertianis ſpurijs. Crapulam arcet, quia & ſtomachum roborat adſtrictione,

& vinum ad renes deducit, menſes excitat, quia partes tenuiores craſſioribus, quibus adſtringit præpollent. Fungorum, & Cicutæ veneno reluctatur tam manifeſtis qualitatibus, quàm viribus occultis. Sciendum tamen, Cicutam in hiſce locis non obtinere tam pernicioſam refrigerandi, & ſanguinem coagulandi vim, qualem habet in Attica Græciæ regione, cuius ſucco ſontibus interficiendis olim utebantur Græci, Socrateſque Diuinus ille Vir, eo ebibito, perijt, cùm noſtrates ruſtici innoxiè ſæpè veſcantur. Anginoſis conuenit cum Nitro; eſt ſiquidem Angina duplex, exquiſita, & ſpuria. Exquiſita ratione cauſæ talis, cùm à ſanguinis influxu bilioſi dependet, item ratione loci affecti, cùm poſteriores, & laterales Ærithmoides muſculi patiuntur. Spuria iterum talis & ratione cauſæ, cùm à defluxione humidi pituitoſi malum eſt, & ratione loci, cùm Hyoides gulę, aut Thyroidis cartilaginis, aut Ceruicis muſculi afficiuntur; in hac præcipuè inter diſcutientia communia Abſinthium, additque operam ſingularem Nitrum, cùm & refrigeret, & diſcutiat, ſiccetque validè. Oculis caligantibus prodeſt, quod morbi genus contingere poteſt à cauſis tùm internis, videlicet oculorum intemperie frigida, & humida, aquoſi humoris redundantia in ſuffuſionum principio, tùm externis, prout ſordibus ex affluxu lentæ pituitæ. Aurium ſaniem cum melle ſiccat; ſanies hæc vel ab interna aure profluit, ſic ut membrana tympani vel ipſa afficiatur, vel per eam rarefactam materia profluat, tumque vitium cum auditus lęſione coniunctum eſt; vel profluit tantùm per aurem externam, tumque iterum materia à vertice capitis delapſa vel cutem quæ meatum auditorium inueſtit ſuperiùs rarefacit, & per aurem affectum producit; vel colligitur in glandula meatui auditorio ſubiecta, tumque ſubſequente ſuppuratione tenuē dicti meatus cutem materia exedit, & pariter extrorſum fertur; vel procedit ab ulcere per ſe in meatu exorto, atque hæ poſteriores cauſæ duæ frequentiores ab infuſo cum melle Abſinthio in meliùs proficit æger, facta ulceris abſterſione, & exiccatione. Cùm ob fluxum autem in vertice capitis aures, fiunt ἐχαρρούντο veſicantia, & ulcera in occipitio plurimum opitulantur. Cùm verò ab interna aure fluit ſanies, adeòque per membranam tympani, quæ infunduntur debent eſſe copioſiora; ægro caput in decliui habente ob ſitum membranæ profundum, & ex alto deorſum obliquatum; immò & ad os per apophlegmatiſmata reuocando. At nullus affectus eſt, in quo plus præſidij afferat Abſinthium, quàm in ictero, qui aliàs Arquatus, & morbus Regius dicitur; conſiſtit autem hoc ſymptoma in humoris bilioſi perſumma corporis effuſione, ob quam totius corporis cutis & ipſum oculorum album pallido flauo, Citrino, aut ſubuiridi colore perfunditur: cauſæ ſiquidem rariores ſunt inflammatio iecoris, ſiue hepatis, item febrium bilioſarum criſes, materia noxia in ambitum à natura diffuſa, tùm à peculiari veneno, ſiue aſſumpto, ſiue à viperæ morſu, aut alterius conſimilis animalis communicato; frequentiores cauſæ ſunt bilis copioſior in Iecore prouentus ab eius intemperie calidiore, & materiæ bilis generantis uſum immodicum, obſtructo deindè non meatuum tantùm ad cyſtim felleam pertinentium, ſed etiam Pori Cholidochi: in ijs poſtremis duabus cauſis ſingulariter prodeſt Abſinthium, quod tùm

attenuat, ad urinas deducit, Iecurque roborat, cuius magis præſtat non pulnis, aut ſuccus, conſeruavè, ſed potiùs extractum, aut ſalia, quæ magis penetrant, aut vinum medicatum, aut infuſiones, ut terreæ partes difficilè permeabiles excludantur. Veteribus Abſinthium inter medicamenta cathartica bilem ducentia connumerabatur, minimè amarorem ſuum reformidantibus, quin ad uſum reuocarent: Ingratiſſimum medicamenti ſaporem læpidè expreſſit Lucretius lib. I. dum inquit

Sed veluti Pueris Abſinthia tetra medentes,
Cùm dare conamur &c.

Et paulò infrà.

Interea perpotet
Amarum Abſinthij laticem.

Vſus tamen eiuſdem deſijt ob ſingularem eius amaritudinem, ſuauioribus medicamentis æquè pollentibus ſubſtitutis.

De Caſtanea.

CAPVT LV.

Caſtaneas in pabulum hominibus aurei ſaeculi ceſſiſſe affirmatur, quo nomine a veteribus appellata, & earum genera. Athenæus notatus. Planta, & fructus deſcribuntur, temperamentum, & vires aſsignantur.

FElicioribus illis ſeculis Poætarum Camœnis celebratis dum

Aurea prima ſata eſt ætas quæ vindice nullo;
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat.

in eo ſcilicet æui ſpatio, quo ſolæ plantæ cunctis mortalibus alimentum neceſſarium ſuppeditabant, nec cuiquam viuentium

Victum Dodona negabat.

ſimpliciſſimum quidem, ſed æquè ſapidum fameſt Caſtaneas, proprium fructum palatui noſtro gratiſſimum exhibuiſſe, vt in reſtaurandis viribus, ſeruandiſque ciborum aliorum defectum ſupleret. hinc forſan à Dioſcoride Διοβαλάνον Iouis glans vocata, quaſi ab eodem Numinum ſupremo benignè nobis largita indigitataq; fuerit, vt optimo iure Arcades, ſi Pauſaniæ credimus, à Pithiæ oraculo caſtaneæ Βαλανοφάγοι appellatur, quod pariter innuebat apud Plutarchum Philoſtratus: Verùm hanc Oppicis apud Macrobium nucem Eracleoticam vocabat; malè tamen cum Eracleotica nux Græcis, proculdubio Auellana ſit Latinorũ. Appellatur Caſtanea à Theophraſto εὐβοϊκα καρύα, quia, vt notabat Salmaſius, Caſtanea illa, quæ cẽſebatur præſtantior, in Æubea Magneſiæ oppido alebatur, non illo ſanè oppido, quod, pròut exiſtimauit Scoliaſtes, Nicandri, iuxta flumem Peneum ſitum erat, dum Poeta Βάλανον εὐβοιῖς caſtaneam vocat; quemadmodum etiam eodem nomine ab Eſichio donatur. Cæterùm Plinius Caſtaneas etiam Sardianas balanorũ appellat, quaſi præſtãtiores à loco vbi naſcantur. interim apparet Athenæum manifeſto errore detineri, dum confundere viſus eſt, vt notabat Cauſabonus, Caſtaneas cum amygdalis, quas ex Hermonacte

In Arcadic.

Lib. 3. de hiſt. plant. c. 10. & lib. 4. capite 7.

In Alexiph.

Lib. 25. [illegible]

monacte, & Timochide vocari ait λοπιμα καρυα, quod de caſtaneis intelligendum eſt, non de Amygdalis, cæterùm quamuis multi crediderint Quernas glandes, fagineaſque ex ipſo mundi primordio in hominum cibum veniſſe, opinandum tamen potiùs eſt, mortales ſibi victum ex caſtaneis nucibuſque, quas regias glandes appellabant, comparaſſe; cæteraque glandium genera in brutorum alimenta faceſſerint. caſtaneæ ſanè arbor inter poſteriores collocanda videtur, eſt latioribus folijs oblongis per ambitũ crenatis, & maturo virore refertis, caudex craſſiſſimus euadit, ramique in latum expanſi; eſt quoque vita perenni, vtque ad annorum centurias non difficulter ſe extendat, lignum huius arboris domorum contignationibus non ineptum euadit, cum difficulter cariem concipiat, & in dies maiorem duritiem acquirat. Ante fructus rudimentum iulos prodit in ſuo virore pallidos, forma fructus depreſſa turbinata, oblonga exteriùs conuexa, *pulpa* ſolida in albo lutea, dulcis, ſapida, dura, quam cortex tenuis ſeu membranula proximè inuoluit inſtar pelliculæ rugoſæ, & cui ſuper inducitur corium craſſum intus lanuginoſum, exteriùs læuigatum & nitidum, durè ſaturo luteo refertum, quibus omnibus tandem accedit extremus fructui velando cortex, qui hæc omnia ambit marſupil inſtar, coagmentatq; craſſiori cortice longis aculeis & creberrimis communitus ut ærynum examuſſim repræſentet; quod expreſſit Virgilius lato quodam modo ſumpta aculeorum rigiditate ſub nomine hirſutiei, dum inquit

Stant & Iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ.

cæterùm caſtaneæ ſtructura tanta mente à natura concinnata videtur, ut Plinium ipſum in maximam admirationem traxerit; quomodo ſcil. natura eadem rerum omnium, ſed præſertim ſublimarum procreatrix, etiam ea, quæ viliſſima ſunt, tanta cura velare, & externis iniurijs propulſandis aptiſſima reddere voluerit occultando, communiendoque: ceſſet tamen omnis eidem admiratio, nam dum caſtaneam generauit, non vile opus produxit, ſed neceſſarium alimentum parauit humano generi dum ſimplicioribus legibus, & vtiliſſimis eiuſdem ſe ſubijcere voluit in ea ſcil. ætate, in qua nondum ſegnioris ſeculi voluptates eam ipſam inquinare potuerunt, blandè tunc & hilariter ſuſcipientes alimoniam, licèt ſapidam ſimpliciſſimam.

Temperamentum huius miri fructus non excedit primum caloris *gradum*, & ſiccitatis eumdem ſibi vindicat, adſtringit validè, ſed valentiùs tunicula illa rugoſa, quæ immediatè pulpam circumambit, copioſos tamen flatus producere, aut excitare creditur, ſub quo titulo ignauam Venerem ſtimulat, languoremque eius coercet, & ſemimortuam vim excitare valet. Canum morſibus rabidorum cum melle & ſale trita peculiariter aduerſatur; occurrit ex directo veneno Ephemeri colchici, prout teſtantur Nicander, Dioſcorides, & Plinius; ex caſtanearum fructu vinum confici, idem aſſerit Plinius, qui fructus in polinem redactus cum aceto & farina hordei duros mammarum tumores diſcutit; ex caſtaneæ farina in peſſo ſubacta cum vino, & magis ex fructus pellicula intimè circumueſtientis rugoſa Menſes ſiſtuntur, ad ſecundarum menſarum lautitiem abſoluendam cum ſaccharo & pipere locum ſibi vendicauit; eligitur potiùs aſſa, quàm elixa,

tunc enim palato gratior euadit; cæterùm non leuis difficultas oritur an caſtaneæ alimentum bonæ conditionis præbeant, quod aſſerere videtur Gal. cui & Alexander Trallianus adſtipulatur. Gal. tamen ſibiipſi non ſatis conſtat, dū caſtaneas quocumq; modo ſumptas prauas aſſerat, ſed præſertim crudas; craſſum namque alimentum generant, & flatus excitant, inſuperque caput tentant; utcumque tamen idem Gal. alimentum ex caſtaneis deſumptum cæteris præfert glãdium generibus, quia minùs adſtringat, & ſuccum non ita craſſum generet, immò minus difficulter coquantur; addit lib. de cibis cap. 8. fructus arborum omnes malos eſſe, præter caſtaneas; in quibuſdam Galliæ, & Allobrogum locis in alpibus ex ſiccis caſtaneis panem conficiunt, qui tamen ægrè concoquitur, & aluum ſiſtit. *Lib. 8. c. 3.* *Lib. de vita atten. c. 10.*

De nuce Iuglande dicta, vel nuce Regia.

CAPVT LVI.

Iuglandium nucum varia nominis Ethymologia inueſtigatur, nuces in nuptialibus ceremonijs locum olim habuiſſe aſſeritur, moralis cauſa à Plinio adducta, deſcribitur, fructui temperamentum utrium aſſignatur, vires adducuntur.

Κάρυον vox, quæ fructibus, duro cortice contectis, communis antiquioribus fuit, etiam nuci noſtræ vulgari à Gal. per antonomaſiam forſan regiæ appellatæ tributa eſt; aut nux à nocendo dicta Latinis, licèt etiã hoc nomen nucis quamplures authores à Græcis deductum autument, quod aſſeruiſſe videtur Plinius dum lib. 23. cap. 8. inquit, nuces iuglandes à Græcis caryas à capitis grauedine appellauere: etenim arborum ipſarum, foliorumque vires in cerebrum penetrant. Et lib. 17. cap. 12. hæc habet, iam quædam umbrarum proprietas iuglandum grauis, & noxia etiã capiti humano, omnibuſque iuxta ſatis. Reddit rationem Plutarchus 3. ſympoſiacum 1. dum ait: nam & nucem charyam dixerunt, quod ſpiritum grauem, ac ſoporem incutientem profundum exhalans, lædat qui ſub ea recumbunt. Sunt qui poeticè ethymon nominis deriuant à Carya Dionis Laconiæ regis filia, quæ à Baccho adamata in proceriſſimam proprij nominis arborem conuerſam fuiſſe perhibeant, quod ex Seruio in Virgilium deducunt: hinc Caryotidi Dianæ templum à Laconibus conſtructum aſſerunt. Vel tandem Iuglandis etiam nomen ſibi antiquitùs aptauerit, quaſi Iouis glans, quemadmodum de caſtanea proximè prodidimus. Quod tamen vtut ſit, non irrationabile ſaltem eſt, olim illos agreſtes primos terræ incolas ex hac etiam planta, quemadmodum ex caſtaneis, victum ſimpliciſſimum ſibi comparaſſe, dum panis uſu omnino carerent, qui numquam ex nucibus fieri poterat, quoniam ex his, quemadmodum ex caſtaneis fit, farina confici nequit; tota enim nucis ſubſtantia, inquit Gal. in ſuccum pinguem, ſi præmatur, conuertitur, veriſimilius tamen eſt ex nucibus potiùs, quàm ex quærnis aut phagineis glandibus rudem illum hominum cœtum egeſtate compulſum nucem in cibum elegiſſe. Verùm ſatis conſtat Perſis illis antiquioribus frugaliſſimis hominibus pro victu nucem vſurpatam,

patam, dum herbarum folia, radiceſque faſtidirent: indè à Regibus ipſis è Perſide aliò translatam nucem, vt habet Plinius: ideò hac ratione forſan & regiam nucem, & Perſicam vocatam. Cæterùm quemadmodum olim pro ſimplici alimento expetitam, tunc temporis auidè à quocumque voratam videmus, & tamquam ſapidiſſimum fructum inter bellaria receptã, verùm nuces etiam religiosè habitę, & eius gratia exiſtimationem acquiſiuere, qui mos ſi Suidæ credimus, ex Athenienſibus deductus fuit, nuces in nuptialibus ceremonijs ſpargi ſolitas, ſiue quia in cadendo tripudium, ſonitumque facerent, dum præſertim à pueris raperentur, ne nouæ nuptæ fictus gemitus, eiulatuſque vt aduerſari appareret ei, quod ſummoperè expetebat dolorem ſimulantis ob Clauſtrum virginitatis diſruptum ab aſtantibus perſentiretur, quam ob cauſam etiam à pueris feſcenina carmina de more cantabantur obſcena licentia plena; utrumque lepidè innuit Catullus in Ode de nuptijs Iuliæ & Manlij, dum ait.

Neù diù taceas procax
Feſcenina locutio.
Neù nuces pueris neges.

Et paulò pòſt.

Da nuces pueris iners.
Concubinæ: ſatis diù
Luſiſti nucibus, lubet iam
Seruire Thalaſsio
Concubinæ nuces da.

Quod etiam à Virgilio expreſſum video, qui Ecloga 8. ſic habet.

Mopſe nouas incide faſces tibi ducitur uxor
Sparge marite nuces.

Hanc tamen cauſam ſpargendi à ſponſo nuces reijcit Plinius, & magis religioſam inquirit, quaſi nux matrimonij hieroglyphicum ſit, vt dulcedinem antequam attingant connubialem mariti, multa incommoda ſuperare habeant; quemadmodum ex nucis ſtructura apparet, cuius ſuauiſſima medulla tot inuolucris aſperis eſt vallata, vt ſumma cura, labore, & moleſtijs amariſſimis mellitum matrimonij ſuccum ſeruandum, cuſtodiendumque innuat, quia, ut inquit Comicus, qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem, oportet. Et reuera operoſiſſima videtur fuiſſe natura in munienda ſapida nucis medulla, exteriùs namque viſitur herbaceus, & viroſus cortex ſatis craſſus, poſt hunc putamen lignoſum, durum, verrucoſum, poſtremò tenuis quidam cutis, quæ albam, & dulcem nucis ſubſtantiam ambit. Procera eſt tota arbor, & annoſa, cuius folia obſcuro viridi colorantur, dum erumpunt rubentia, nec omninò malè odora; ſecùs dum adoleſcunt, latiora, quina, aut ſenna, uno craſſiuſculo petiolo cohærentia, quarum una amplior petioli ſummitatem complet. In vere cum folijs ſimul Iuli emanant, luteo virore conſperſi, qui folijs ſubcreſcentibus decidunt, quorum iacturæ nouellæ nuces implendæ erumpentes ſuccedunt, baccas virides æmulantes binas, ternaſve, ſenſimque excreſcentes, donec debitam magnitudinem acquiſierint, maturitatemque conſecutæ fuerint; umbras totius arboris patula, denſa, ſed recumbentibus ſub ea nocua, ob id

Oui-

Ouidius arborem ipſam nucis ita loquentem introducit.

Quoniam ſata lædere credas

Me quoque in extremo margine fundus habet.

Radicibus multis, craſſis, longis, & in latum etiam expanſis: procerus, & craſſus caudex radicibus innititur, multis quoque ramis in latum ſe diffundentibus, & in altum ſymetricè ſe erigentibus, cui cortex adhæret cinerei coloris, aſper, rimas per ætatem contrahens. Ligni materia undatim criſpa ad ruffum colorem accedens, dura, denſa, & omninò patula, ſed recumbentibus ſub ea nocua, ut dictum eſt. Plures ſunt Iuglandium vulgarium differentiæ, ſed omnes accidentales à loco præſertim, quapropter in ijs recenſendis inutiliter non immoror. Fructus tamen earum differentiſſimum temperamentum; recentes namque nuces vix primum caloris gradum explent, ſuperant tamen ſi benè exſiccatæ ſint, cum non leui ſiccitate coniunctæ, quemadmodum recentes ex Gal. humidæ cenſentur, valdè verò exſiccatæ maiorem ſiccitatem obtinent, & ſupra ſecundum gradum; quæ verò ad rancidiratem tendunt, & quæ veluti in ſubſtantiam pinguem commutantur, tertium etiam obtinent caliditatis, & ſiccitatis exceſſum. Cæterùm nux viribus medicis non eſt deſtituta ex Gal. namque fit διακαρύων, in quo tota nux tenella cum omni ſuo integumento excluſis mēbranis, quæ nucleum intimè diſtingunt. *Lib. 2. de alim. c. 28.*

Sic & ex ipſis aqua deſtillatur ad uſum, & oleum quoque in longè maturis exprimitur, cum ſaccharo, aut melle ante cibum in non modica copia ſumpta, ventrem ſoluit, abſtergit namque validè, oportet tamen, ut priùs in aqua nuces macerentur. cōmendat Matthiolus nuces admenſes obſtinatè morantes mouendos in aqua vitæ infuſas: oleum verò utiliter adhibetur, ubi magna abſterſione opus ſit, quod ſequitur non ſine adſtrictione. nucibus à Galen. tribuitur vis alexipharmaca 2. de antid. 8. Plinius, Mithridati Ponti regi inuentionem tribuit; traditur tamen ab alijs etiam venenis omnibus aduerſari. comeſtæ poſt cibum piſcium lentorem, & glutinoſitatem cæterorum ciborum corrigendi vim habent: video apud aliquos dubitatum tamen, an iam dictam facultatem validam abſtergendi habeant, cùm ex guſtu talis non percipiatur: ego tamen, qui in ijs abſtergentem facultatem ex guſtu noui, non diſſuadeor ad hoc credendum, cùm temperamentum non aduerſetur; etenim non ità ſcrupuloſè ſunt cenſurandæ facultates in medicamentis, dummodò præcipua eorum vis ad id conſpirat. Vermes interim necare traditur, ſi oleum in aliqua copia ſumatur; Bubonibus peſtilentibus utiliter apponi contuſas nuces tradunt, danturque cum fructu Iuli florentis arboris in vino albo ad uterinas præfocationes cohibendas.

De Beta.

CAPVT LVII.

De Betæ nominis ethymo aliqua offeruntur, deque eius uſu Priſcorum, & Hippocratis, genera eius ex Theophraſto, & Dioſcoride adducuntur, ſic & Temperamentum, & vires.

BEtam fabrorum prandium appellat Martialis, quod in plebis uſum facilè ceſſerit, hanc elixam comediſſe Veteres colligitur ex Atheneo 8. Gymnoſophiſtarum, dum ait Dioclem Cariſtium lib. 1. de Tuenda valetudine has plantas ſilueſtres elixari præcepiſſe; Betam, Maluam, lapathum, urticam, atriplicem, bulbum, fungos, tubera deſtinet. Latinis Beta nomen ſuum Græcum non quidem deſſumptum ex ouium belatu, ſed potiùs ex forma folij, quia dum adoleſcit Beta ſua forma folij B. Vita Græcorum æmulatur. Græcum enim hoc elementum alphabeti parum ſeſe flectendo repræſentat, quod ſanè magis Columellæ arridet, ab ea tamen, ut quibuſdam placet, non deriuatur diminutivum betula, quæ planta eſt arborea toto genere à Beta differens, & quæ nullam aliam cum Beta affinitatem gerit. Hippocrates pro aluo mollienda in familiarem medicum uſum reuocauit, quam tamen comeſtam alvum ſiſtere, radices verò præſertim in ſucco uſurpatas ventrem ſoluere habet. uſus eſt idem ſummus Auctor Betæ ſucco in Cycni puero, & in Polemarchi Vxore, quæ cùm articulorum doloribus conflictaretur, eidem cremorem Betæ exhibuit; ſic utitur etiam folio ſemicocto in vino rubeo auſtero in luxatione articulorum exulcerata ſuperimpoſito. Theophraſtus diuidit Betam in nigram, & candidam, quam poſtromam ſapore præſtantiorem facit. Plinius tamen lib. 20. cap. 8. candidæ præfert nigram, in eo tamen conueniunt, quòd candidam alvum ſoluere, nigram verò urinam clere dicunt, traditque inde à quibuſdam Betam Siculam appellari, forſan ob loci proprietatem in quo præſtantior Beta proueniat, ad quam tamen noſtram non alluſit Caſtullus dum lepidis verſiculis mollitiem cuiuſdam ignauam inſecutus ſic cecinit

Lib. 10. — *a. De diæta 24.* — *7. Epid. 5. & 7. epid. 49.* — *7. De hiſt. plant. c. 4.*

> *Languidior tenera cui pendens ſicula Beta,*
> *Nunquam ſe mediam ſuſtulit ad tunicam.*

ubi ſiculæ vocem non à loco, & regione ſumptam facit, ſed diminutivum profert à ſica genus gladij, quam vocem facetè transfert ad partem illam qua Viris à fæminis diſtinguuntur; molles enim antiquitus Betæ vocabantur, & hoc nomine eos ipſos notabant, vt Auctor eſt Ludouicus Cælius Rhodiginus; hinc fertur Diogenem illum Cynicum quibuſdam reſpondiſſe, qui ſecum cautè agendum dicebant, ne ſuis morſibus impeterentur, vt illorum mollitiem increparet, canibus non eſſe in more, veſci Betis; Dioſcorides duæ Betæ genera facit, nigrum, cuius radicem cum lente decoctâ inhibere ventrem ait; candidum deindè aluo molliendæ idoneum; vtcumque tamen aſſerit Betam praui ſucci eſſe propter nitroſum quem in ſe humorem gerit. Eudemus lib. de oleribus ex Athenæo quatuor Betarum genera

Lib. 8. antiquarum lect. cap. 32. — *Lib. 2. c. 149* — *Lib. 8. Gimnoſophiſt.*

nera facit, ſeſſile primum in caulem erectum, ſecundum candidum, tertium, & tandem vulgare vbique naſcens; quod colore fuſcum eſt, temperamentum plantæ huius, quia Beta nitroſa eſt, proculdubio calidum cenſendum, & ſiccum in primo gradu, elixa tamen Beta nitroſitatem amittit, vt tunc parum aut nihil caloris obtineat. intèr oleracea alimenta obtinet ſuum locum. Diphilus Siccinius ex Athenæo loco citato, Braſſica Betam meliorem facit, potioremque ſuccum gignere, & magis alere, quod tamen mediocriter facere ait, & plus extenuare in aqua feruida elixam ſumptam Betam cum ſinapi, lumbricos interficere, candidam aluum magis laxare, nigram magis vrinam ciere; addit huius radices eſſe guſtu gratiores, & plus alimenti præbere, nihilominus Gal. ſecundo de alim. cap. 43. ait Betam eſſe potiùs medicamentum, quàm alimentum, & ad medicam Betæ naturam quod attinet commendat Dioſcorides citato loco, ſuccum Betæ tamquam caputpurgium ſi cum melle naribus indatur, ſic & dolores auriũ tollere, & fotu mitigare perniones, quemadmodum foliorum, radicumq; decoctum capitis furfures detergere, lendeſque abſtergere, quod de leui coctione ſumendum. vitiliginibus item folia cruda contuſa & illita conducere, perfrictis priùs tamen partibus nitro, vtilemque euadere vlceribus depaſcentibus, & alopeciæ, ſi priùs caput deraſum ſit, antequam adhibeat, quemadmodum ambuſtis etiam, eryſipelatibuſque, & erumpentibus paſtulis opitulari ait. Recentiores ad obſtructiones viſcerum tollendas commendant, ſed leuiter decocta, ne nitroſitatem amittat.

De Aſparagis eorumque Turionibus.

CAPVT LVIII.

An aſparagi noſtri Veteribus cogniti inquiritur, ſtatuitur temperamentum & vires explicantur.

OLeri iam ſic explicato, olus eodem temperamento præditum, quamuis de cauliculo mox erumpente ambigat Ophmannus, modò annectendum, cùm ſatis ſanè expectibile ſit, turriones videlicet aſparagorum ſapidiſſimum quidem & potiùs dulce ex amara radice germen, quod culinæ expetitur tenellum, & mox è terra prodiens, tunc enim rei cibariæ potiùs, quàm medicinæ deſtinatum, licèt quocumque tempore conſideretur, à natura ad vtrumque etiam diſpoſitum ſit, eſt enim, ſi Sethi conſulamus, quid medium inter carnes, & olera. fama eſt, antiquiores Græcos aſparagos noſtros non cognouiſſe, cùm illi ſuis aſparagis aculeos tribuerint, quod corrudæ, aſparagi ſcil. ſilueſtris, proprium eſt, vt ex ipſo nomine manifeſtum; hoc tamen non ita facilè admittendum vehit, cùm, ut inferiùs videbimus, etiam ad ipſos noſtrorum aſparagorum notitia peruenerit, & præſertim Dioſcor., qui dum de ſatiuo loquitur, folia fœniculi eidem tribuit. & quamuis Theophraſtus ſilueſtrem aſparagum deſcribere videatur; quid quæſo apud ipſum ſonat? ἀσπαραγία, ſiue ἀφαραγία nil aliud, me iudice, quod etiam Hermolao placuit, quàm locus quidam ubi aſparagi in

ſimul diſpoſiti arte coluntur, ut iiſdem non ineptè ſilua vocetur, & locus iſte noſtris appelletur vernaculo ſermone Aſparaggià, Athenæus ſanè ſatos aſparagos ad eximiam magnitudinem excreſcere habet; immò in Getulia Libiæ ad 20. cubitos aſſurgere traditur. nec Gal. profectò de aſparago alio modo intellexit quem Βασιλικὸν vocat; & ſanè vix credibile eſt ſæculis illis iam Aſiatica luxuria infectis, nimioque gulæ luxu addictis, noſtris aſparagis caruiſſe, quibus temporibus quodcumq; palato ſapidum crediderint, & ad languidam appetitus voluptatem laceſſendam aptum, ſummo ſtudio venari procurauerint. Nec hoc incognitum Plinio fuit, neque Columellæ, qui ſativum aſparagum à ſilueſtri diſtingunt. Plutarchus lib. de præceptis ſponſalibus hoc modo naſci tradit altilem aſparagum, ſi quis arietis contuſa cornua defoderit: habet inſuper ſponſas velatas apud Boetios aſparago coronari; rationemque reddens huius inſtituti, videtur loqui de aſparago Corruda vocato, quia plantam inquit & dulcē fructum, & aſperam ſpinam producere, vt indè inferat ſponſam primò inſuauem, & difficilem ſe præbere, mox manſuetam, & vitæ viri ſociata dulciſſimam. non erit tamen ab re dicere, ſativum aſparagum è ſilueſtri, vel potiùs paluſtri aſſiduo mangonio, & ſæpiùs repetita cultura & fimatione, amiſſo natiuo amarore, in altilem euaſiſſe, vtcumque ſit, ſilueſtri aſparago in medicina maxima exiſtimatio tributa eſt, nec, ſi Plutarchum conſulamus, hac ſolaratione aſparagi à Carijs, & Ioxidibus ſuſpiciendi veniunt, *In Theſeo.* dum lege vetitum fuit apud eos etiam conſtituta delinquentibus pæna, aſparagos comburi, quemadmodum debere quoque decretum, eò quia peregrina Sinidis Regis filia, cùm intra aſparagorum ſiluam ſeſe condidiſſet, vt Theſei inſidias aufugeret, adſimulantis Theſei eiuſdem mitem vocem plantæ fidens puella, quæ vox incolumitatem promittebat, è latibulis prodiens, ab eodem compreſſa, & grauida reddita, Menalippum peperit, qui ſimul cum Theſeo in Caria Coloniam deduxit. utrum verò ἀσφάραγος, vel ἀσπάραγος cùm vel ſine aſpiratione legendum ſit, hoc potiùs Grammatici onus eſt, vt notabat Galenus, quàm Medici; illis enim ſaluti humanæ modò conſulentes non ſcribimus, ſed Medicis ipſis. Altilem aſparagum deſcribit Dioſcorides omiſſa delineatione formæ corrudę; quia illis temporibus notiſſima erat, ut notabat Saracenus, quicquid dicant alij, qui putant partem hanc capitis clanculum irrepſiſſe inſcio Dioſcoride, cùm pars hæc capitis æquè, & benè ferri poſſit; dum inquit, quòd ſit frutex ramoſus folijs numeroſis, largis, fæniculo proximis, radice rotunda, grandi, tuberculum habente; quod de prominente illa radicis parte, ubi caulis erumpit, intelligendum; quæ omnia aſparago noſtro ſatiuo maximè conueniunt, qui ſanè per autumnum fructum edit primò viridem, mox in luteo purpureum, dum matureſcit, baccæ inſtar, in qua exiliſſima ſemina conduntur ad temperamentum Aſparagorum quod attinet, ſilueſtris aſparagi turiones ſatiuis calidiores ſunt, cùm gradum ſecundum caliditatis expleant, ſiccitatis primum tantummodò compleant; ſecus de ſatiuis, quorum turiones vix primùm gradum caliditatis obtinent, ſed parum ſiccitatis poſſident, vel potiùs ad humidum vergunt. abſtergunt aſparagi, & tenuium partium ſunt, ideò vrinæ vitioſam moram corrigunt; luxatis artubus

tubus

tubus, & coxendico dolori conducunt; aſſeritq; Dioſcorides, morbum regium ſanare; radix namque obſtructionibus viſcerum tollendis, præſertim renum, vtiliſſima eſt, & arenulis pellendis efficax; ſed ſilueſtris aſparagi corrudæ appellati, efficacior ad omnia vis; quod autem inquit Dioſcorides partum impedire, & ſterilitatem inducere valeat, ſi vis tanta in aſparago reperitur, hoc potiùs à forma pendere crediderim.

De Braſsica Satiua.

CAPVT LIX.

Cur braſicæ tractatio aſparagis ſubnectatur ratio redditur; genera eius diſquiruntur ex antiquioribus deſumpta. temperamentum, & vires explicantur.

SAtiuam Braſſicam oleribus medicamentoſis ſub relati temperamenti cenſu addere nobis modò liceat; priſcis quidem non incognita planta, & multi vſus; & quamuis conſultiùs viſum foret diſquiſitioni de rapo iam præhabitæ, Braſſicam ſubnectere, vna non in alteram Plantam ætate intercedente cùm facilè emigret & commutetur, attamen cùm diuerſum à rapo Braſſica temperamentum gerat, & Braſſicæ cymæ, ſiuè prothorômi, caules ſcilicet tenelli, à Gal. ſic vocati præter temperamenti conformitatem, etiam aſparagorum more in turiones eleuentur, & vocentur; eodemque modo quo aſparagis ſoleant concinnati in cibi vſum veniant, libuit aſparagis propriè ſic dictis, Braſsicam ſubnectere & ſic oleri olus ſubſtituere, cùm præſertim per quandam excellentiam olus dictam, quaſi ſola oleris nomen mereatur. Nicãder Braſſicam ſacram vocat, immò notum eſt olim viros ſummos quoſdam per Braſsicam iuraſſe, vt teſtis eſt Annanius Theletydes apud Athenæum, qui ait eſſe Ionici iuſiurandi genus. Plures auctores Braſſicam à vorando nomen recepiſſe credidere, cùm præſertim paſsim in cibum plebeorum cedat, à Veteribus tamen eam ipſam potiſis raphanum vocatam video, vt facilè elicitur ex Ariſtor., Theophraſtro; Κράμβη tamen eam appellant quaſi Κοράμβη quia oculorum pupillas hebetet, vel potiùs, vt alijs magis placet, quaſi crapulæ contranitatur; hoc enim peculiare ſibi à natura vendicat, vt ebrietati validè aduerſetur, hinc merito elicit Athenæus, Ægyptios præ cæteris vinolentos extitiſſe, dum lege apud ipſos cautum erat ante cibum in cænis elixam Braſſicam præaſſumere; immò ex eodem Auctore Thimeus habet Sibaritas antequam potauerat Braſſicarum comeſtione ſe communiſſe. hinc Plinius lib. 20. cap. 9. ait, vitim viniferam, quæ iuxta Braſſicam naſcitur, infirmius vinum, & languidius generare, ut inimicitia naturalis, quæ inter vitem & Braſsicam à natura indita eſt, euidentior appareret; idemq; etiam haber, hanc plantam etiam poſt ſumptam crapulam ſoluere. Theophraſtus Braſſicam in tria genera diſtinxit, in eam primò, quæ criſpa eſt, & quæ meliori ſucco ſcatet, maioribuſque folijs: in eam, quæ leuia folia habet, & poſtremò in ſilueſtrem, cui folium leue, paruum, rotundum, & multis ramulis, multiſq; folijs conſtans, cuius ſuccus, inquit, acris & medicatus eſt, quo, ſubiungit, *7. De hiſt. plant. c. 4.*

git,

lib.20.c.23 git, medici ad alvum ſubducendam vti ſolent. Dioſcorides & ipſe toti-
dem Braſſicæ genera cognouit, ſatiuum ſcilicet, ſilueſtre, & marinum poſtre-
mò; ſatiui plures ſunt differentiæ, quæ ab eodem ſub ſatiui genere compre-
henduntur, inter quos Ægyptia, quamuis ob amaritudinem non comeda-
tur, ſic ſativum genus ab Eudemo Athenienſi, vt refert Athenæus, in tria
lib.9. ſubalterna genera diſtribuitur, in Halmirim vocatam, Leophilam, & Seli-
nuſiam; aſſerit, tamen Halmirim cæteras bonitate, & ſuauitate antecellere;
Leophilam dictam credidit à foliorum leuore, & Selinuſiam Tertium braſ-
ſicæ ſatiuæ genus à foliorum criſpitudine nomen accepiſſe, quæ & σιλινοειδὴς
hoc eſt quia apio criſpitudine ſua ſit ſimilis, quod tamen de Apio cri-
ſpo habendum. Plinius ſatiuæ ſupremum genus lib. 20. cap. 9. in plures
diſcriminat ſpecies; Recẽtiores verò ſatiuam Braſſicam diuidunt in albam
vulgarem leuem, in albam criſpam, & poſtremò in albam capitatam ſim-
plicem, & in capitatam Polycephalos, & tandem in floridam, ſiue Cypriã,
quam Rhedonæus, licèt malè, Italicam vocat; cùm præterquam in agro
Neapolitano, Brutio, & Apulo, in quibus locis proprio ſemine propagatur
in alijs Italiæ locis, niſi ſemine ex prædictis locis delato non proueniat; &
tandem in caulo rapam, quæ Veteribus incognita. à Recentioribus ſatiua-
rum Braſſicarum generi ſpecies variẹ ſubſtituuntur Congilodes, Dalecam-
pius, unam, aſparagitidem vocat Dodonæus, Braſſicam nigram aliam oſ-
tendit Fuchſius; rubram Tragus, & criſpam; Lobellius laciniatam, fim-
briatamque, & tenui folio, quæ ſanè omnes ſpecies facilè ad genera ſupe-
riùs allata reducuntur; quemadmodum etiam agreſtium Braſſicarum plu-
res à Neotericis oſtenduntur differentiæ. tertium genus Dioſcoridi Ma-
rina Braſſica eſt, de qua dubitatur an ſoldanella ſit, & quam nos ſub nomi-
ne ſoldanellæ, aut braſſicæ marinæ deſcripſimus, ubi de medicamentis pur-
gantibus verba fecimus. ſi braſſica tanquam olus accipiatur, alimentum
quidem aliquod corpori ſuppeditat, ſed paucum & laxæ ſubſtantiæ; immò
ſuccum nitroſum generat; Simeon Sethi patum amicum Braſſicæ ſe præ-
buit, dum malum & melancholicum ſuccum generare, viſum hebetiorem
reddere, ſomniaque turbulenta inducere aſſerebat, ideò Braſſica potiùs
conſideranda eſt, ad nos quod attinet, quatenus medicamentum, non qua-
tenus alimentum præbere valeat, quæ ſanè vires non infimas obtinet, vt
à medicis non reſpuatur; & quamuis ad vrinam ciendam quod attinet, &
Dioſcoridi placuit, Doctiſſimis Viris hoc non arrideat; habeat tamen vim
non mediocrem exſiccandi tam interiùs ſumpta, quàm exteriùs applicita,
ſine aut ſaltem cum leuiſſima acrimonia, non ſine tamen abſterſione profi-
cua; vlceribus glutinandis quamuis cacoethis ſanandis, quæ aptiſſima
cenſetur, herpetibus valdè utilis, à lepraque eius decocto corpora mun-
dari tradunt; ſemen Ægyptiæ Braſſicæ vermes necat, ex eius caulibus, &
eorum cinere cum adipe medicamentum aptum ad tumores digerendos
concinnatur; immò cinis caulium per ſe ſolus, præſertim ſilueſtris, Braſſi-
cæ vim obtinet cauſticam; leniter cocta Braſſica leuiter alvum ſoluit, ſecus
ſi diutiùs coquatur, tunc enim ventrem ſiſtit, quod habet etiam Galenus;
ſuccum tamen faciliùs alvum ſubducere tradunt, qui etiam cum melle
ſumptum claritatem voci indere aiunt, quod faciliùs de ſilueſtri verifica-
tur.

tur. Sunt qui ſatiuam braſsicam ad eryſipelata, & quaſcumque externas inflammationes commendent; viperæ morſibus opitulari; podagricis, & arthriticis ſuccum cum farina fœnugræci ex aceto utiliter illiniri; per nares attractum inſtar errhini caput purgare, cum loliacea farina ſubditum menſes mouere; decoctiones eiuſdem gangrænas ſiſtere tradunt, ventris tormina, flatibus diſcuſsis, ſanare habent ſi biſcocta Braſsica cum ſale, cymino, & oleo, ſine pane tamen, voretur; ius eius ex gallo veteri, lienis obſtructionibus tollendis utiliſsimum, calculoſis optimum, aſthmaticis verò ſi ſuccus linctu cum melle ſumatur fertur prodeſſe; ſed peculiariter contra fungorum venena vſurpatur.

De Cardiaca.

CAPVT LX.

An Cardiaca ſit Nicandri Marubium dubitatur, deſcribitur; vires & temperamentum afferuntur.

QVæ reſpiciunt plantæ cor vitalis etiam ſpiritus roborationi conducunt, ipſum fouendo, uniendoque; quæ tamen quamuis vni cordi præcipuè directa videantur, cùm tamen pluribus inſimul viribus præditæ ſint, temperamento tamen ſunt diuerſo donatæ. verùm inter ea, quæ primum gradum caloris nō excedunt connumerantur præſertim Cardiaca, quinque folium, & tormentilla, de quarum viribus ad vſum medicum directis modò aliqua prælibanda veniunt; à cardiaca ſpecificum hoc nomen ſibi arrogante, exordium ſumentur. hæc ſanè planta aut Veteribus incognita omninò fuit, aut marrubio primo Theophraſti valdè ſimilis; cùm Praſſij ferè folijs inciſuriſque non diſsimilibus ſpectetur, odore etiam in totum non abſimili, licèt non ita ingratum, niſi libeat cardiacam potiùs ad Nicandri Marrubium referre, dum aptat illud lepido illo verſiculo ad Aconiti venenum ſuperandum. *In Alexiph.*

Marrubijque Meliphyllon dixere virentis.

& alibi

Quin & Marrubij viridantia germina tundens,
Profuerit ſi mixta rubro ſimul hauſerit albo.

de Marrubio namque Praſſio vocato locutum fuiſſe Nicandrum non eſt vt dicamus, cùm delectari apes dixerit ſuo marrubio, ideo aſſerat, meliſſophyllon ſiue meliphyllon appellari, cùm apes praſſium auerſentur ob odorem ingratiſsimum. quod ſi cordi amica noſtra cardiaca eſt, implicat odorem ingratum, ſeù abominabilem gerere, prout marrubium habet, vt hinc de hac planta vid: de Cardiaca Nicandrum locutum potiùs fuiſſe, quàm de marrubio; fallit tamen coniectura, quia neque Cardiaca noſtra apibus grata eſt, neque marrubium quamuis ingrati odoris, ſi Dioſcoridem, Pliniumque conſulamus; deſunt facultates quibus cordi opitulari valeat, & ſerpentum morſibus, venenatiſque potionibus aduerſari; immò Dioſcorides ipſe marrubium nigrum, ſiue Ballote etiam æuò ſuo Apiaſtrum, ſiue

Meliſſophyllum ob foliorum ſimilitudinem appellari tradidit. ſed cùm de viribus cardiacæ nobis conſtet litem hanc parum vtilem, modò ſub æquo iudice relinquamus. caulem emittit Cardiaca è lutea contorta radice, capillamentis crebris ſcatentre, quadratum, nigricantem, geniculatum, folia emergunt per geniculorum interualla, corticæ aut marrubio ſimilia, maiora tamen, latiora, & atro virore referta, profundioribus, crebrioribuſque inciſuris diſſecta, flores verticillarim caulem ornant purpurei, parui, fœtidæ urticæ ſimiles, minores tamen, odor ferè qualis marrubij: tota planta amara eſt, ut ſub hac cõſideratione à multis excedere credatur primum caliditatis gradum, ſecundo verò ſiccitatis æquare, ſi non excedere; plures tamen Auctores, inter quos Præuotius diligentiſsimus plantarum temperamenti ſcrutator, primum caloris gradum non excedere voluit, nec ſecundum ſiccitatis. vires quæ experimento ſenſato huic plantæ inſitæ videntur ſunt præcipuè cor roborare, ac proindè vtiliter contra eiuſdem palpitationem adhiberi, ſpirituumque vitalium reſolutioni defectuique conducere, & ſic ſyncopticis affectibus opponi, immò ſingulariter tanto viſceri opem ferre, ut ſi cardiacis medicamentis miſceatur, cordis tonum ſeruare credatur; incidit cardiaca, extenuat, diſcutit, digeritque; quo nomine viſcerum obſtructionibus tollendis proficua euadit, conuulſis & paralyticis prodeſt, & opportunum cenſetur medicamentum comitiali morbo, vulnera ferruminare creditur; vnde etiam à quibuſdam ſyderitis vocatur; fæminis ægrè parturientibus puluis in iure potus ſuccurrit, vrinam ciet, menſibuſque excitandis eius decoctio opportunè exhibetur; pituitam in Thorace contentam diſgregat, & partem ab eiuſdem infarctu per vrinam ducendo liberat; vermes inſuper necare tradunt, quod eius amaritudini tribuendum videtur.

De Quinquefolio.

CAPVT LXI.

Quinquefolij differentiæ afferuntur, notatur Plinius; Temperamentum & vires conſiderantur.

QVod Græcis vocatur πενταφυλλον, Latinis à foliorum numero vnico petiolo cohærentium quinquefolium appellatur, & retento Græco nomine etiam Pentaphyllon, quod idem ſonat: Plures quinquefolij differentiæ enumerari ſolent, licèt Dioſcorides vnicam propoſuerit, folijs videl. menthæ per ambitum ſerratis floribus in luteo palleſcentibus; nec Pentaphylli genera multiplicat Theophraſtus. Hippocrates tamen lib. de vlceribus duo pentaphylli genera cognouit, album, & nigrum, vel, vt vulgata littera ſonat, album, & ſaturo viridi coloratum. Plinius ab externa pentaphylli forma uniuerſalem notitiam deducit; deinde habet commendari etiam in fraghis gignendis, ſic confundere videtur fragham cum pentaphyllo: niſi per hæc verba deſignari velit illam quinquefolij ſpeciem, quam Neoterici fragiferam vocant; colimuſque nos in noſtro

pu-

publico horto Patauino, cuius fructus ſiue ſemen fraghum æmulatur. cæterùm mihi veriſimilius videtur, cùm de huius pentaphylli forma nihil à veteribus proditum ſit, Plinium in pentaphylli deſcriptione ſatis ſupinè ſe geſſiſſe, & malè fraghum cum pentaphyllo confundere. Recentiores plura genera pentaphylli exhibent; luteum ſcil. maius, ita dictum à colore floris, luteum minus, album pentaphyllum, rubrum, ſubrubrum tormentillæ facie, ſic vario modo & nomine denominata à plantæ magnitudine, florem colore, & eorundem numero, ſic in quadam ſpecie à foliorum numero unico petiolo adhærentium Eptaphyllum vocari conſtat folio ſeptẽ foliolis concinnato. hoc igitur plantæ genus in uniuerſum acceptum non minùs nobis cognitum eſt, quàm quòd antiquioribus fuerit; igitur cùm pentaphyllorum omnium notitia per oppoſitam deſcriptionem à Botanicis tradatur, conſultum eam ipſam præterire decreuimus, cùm præſertim unaquæque quinquefolij planta iiſdem ferè viribus prædita ſit. temperamentum pentaphylli minimè controuerſum videtur, cùm in ſingulis differentijs idem cenſeatur, nec primum gradum caloris excedat, & ſecundum ſiccitatis. Commendat Gal. hanc plantam in putridis febribus cùm validè putredini reſiſtat, corque roborare valeat, & præſertim ſiccitare ſua humido putredinali opponitur, quod putredini fomes eſt, euadit ob id obſtructionibus reſerandis utiliſsima, ulceraque oris ſordida emendat; dyſentericis, lientericis, cęliacis, cæteriſque omnibus alui profluvijs opitulatur, cùm in uniuerſum ſiſtere alvum tradatur; dentium dolores collutione tollit; tradunt radicem, quæ exteriùs nigricat interiùs rubet, & quæ exiccata, ut obſeruabat Theophraſtus, & magis nigreſcat, & quadrangula fiat, in aceto decocta, hernias ſanare; ſcabiem emendat, necnon diſcutiendis tumoribus apta cenſetur; venenis aduerſatur, cùm tonum cordis præcipuè ſeruare valeat; gargariſmate ſcabriciem arteriæ demulcet, pulmonibus & pectoris vitijs opitulatur, iecur reſpicit, febribuſque per circuitum recurrentibus utiliter datur. ſed ſi Dioſcoridem reſpiciamus, ſuperſtitioſo quodam modo, vt vnicum quotidianis folium, tertianis tria, quartanis quatuor exhibeantur; comitialibus, & regio morbo prodeſſe aſſeritur; tum ſinuoſis vlceribus, vulneribuſque, cùm manantem ex ijs ſanguinem ſiſtere tradatur, & tandem enterocelas, hernias exhibita diutiùs decoctione ſanare credatur.

De Tormentilla.

CAPVT LXII.

Cur Tormentilla hoc genus pentaphylli dicatur offertur Deſcribitur, adducitur Temperamentum, vires explicantur.

TOrmentillam plantam notiſſimam pentaphyllo ſubnectimus, ita vulgo appellatam, ſed Græcis pentaphyllon dicitur, & à foliorum numero etiam eptaphyllum. herbarij tormentillam appellari credidere, quia dolorum cruciatus mitiget, quod illis tormentum vocatur, ſiue dolor à

dentibus prodeat, ad quem tollendum ſummoperè commendatur, vel venenorum cruciatibus opponitur, aut cum quibuſdam, quia dolori demendo inteſtinorum in dyſentericis affectibus utiliſſima ſit. uteumque radix craſſa eſt, & à pentaphyllo diuerſa, non adeò biſtortæ tamen diſſimilis, principemque locum in medico uſu obtinet. folia ſunt pentaphylli minora, per ambitum eremata, floribus luteis quinquefolij minoribus; ſunt qui Griſogonum Dioſcoridis autument, verùm, ut Dodonæus notabat, tormentillæ noſtræ quercus folia deſunt, quæ inſcribuntur Dioſcoridis Griſogono, nec coronarij verbaſci formam gerit. in huius plantæ genere ad temperamentum quod attinet forſan calor magis imbecillus eſt, ſed procul dubio Galeni teſtimonio validè exſiccat, ſine tamen acrimonia & morſu; hæc ſingularis planta ad omnia commendatur, ad quæ pentaphyllum, efficaciùs tamen cordi opitulatur, & magis validè putredini reſiſtit, veneniſque aduerſatur omnibus; cum plantaginis ſucco ſumpta urinæ incontinentam ſanare tradunt, necnon ruptis, & convulſis prodeſſe.

De Cetrach.

CAPVT LXIII.

Nò Cetrach Hemiontim affirmatur, cur Scolopendrium vocetur adducitur ex Vitruuio mira de Aſplenio referuntur deſcribitur, temperamentum deſignatur, vires afferuntur.

QVod Græcis ἄσπληνον, & σκολοπένδριον eſt, Arabibus Cetrach vocatur & Pteriga, prout à quibuſdam exiſtimatur, ſed minùs, ut opinor, laxa coniectura. Theophraſtus ἡμιόνιον, Hemionium appellat; hinc nonnulli autumant, ſed fallaci, meo iudicio, opinione, idem eſſe cum Hemionitide Latini aſpleni, nomen, & Scolopendriæ à Græcis mutuatum retinet. Scolopendriam namque nominari hanc plantam habet Dioſcorides, quia folij forma æmulatur huius nominis animal, & aſ-
Lib.3.c.134 pleni; nomen ſortita eſt, habet enim Dioſcorides indita ſua ui ſplen minuere & abſumere; immò Gal. 5. Simplic. 12. aſſerit ſtirpem hanc principem locum, & efficaciores vires inter plantas huic officio deſtinatas obtinere, ad huius viſceris obſtructiones, præſertim reſerandas, vel ſaltem pares cum corticibus radicum capparorum, & tamariſco. Mira de Scolopen-
Lib. 1.c.4. dria habet Vitruvius, circa fluminis ripas decurrētis intra Gnoſſon & Cortiniam Cretæ inſulæ Ciuitates, qua parte naſcitur Scolopendria, pecora quę ea paſcuntur ſine liene reperiri; in altera verò fluvij ripa, vbi talis herba non naſcitur, pecora ſplenoſa eſſe, quod ſcrutantes illarum ciuitatum medici hoc in aſplenij paſturam retulere, quo ſanè rationabili exemplo permoti, eamdem plantam lienoſis curandis felici cum ſucceſſu aptauere, hinc exciti Botanicorum plures Hemionium Theopraſti non eſſe ſcolopendriam, ſed Hemionitidem Dioſcoridis aſſeruere, ea præſertim ratione ducti, quòd ſcolopendria vèl ipſo Dioſcoride Aſſertore in murorum commiſſuris & ſaxis naſcatur, non verò circa fluenta. ſed quid quæſo probi-

bet?

bet? cùm in ſaxoſis naſci prodat Dioſcorides fluvij ripas Gortiniam verſus ſaxoſas eſſe, & montibus conterminas, cùm præſertim idem Auctor dicat naſci vel inter ſaxa, vel innaſci parietibus opacis, humidioribuſque, vel ſilicibus, & calculis coagmentatis. Deſcribitur à Dioſcoride aſplenium, quòd folia ſiliculæ modo diuiſa habeat, inciſaque inferna ſui parte flaueſcentia & hirſuta, ſuperna verò viridia, quæ neque caulem, neque florem, neque ſemen gerat. huic plantæ Botanici calidum temperamentum tribuunt in primo gradu, & ſiccum in ſecundo, habereque dicunt ex Dioſcoride præcipuè vim minuendi, immò abſumendi lienem, ſi præſertim decoctum ex eius folijs paratum quadraginta diebus ſumatur, quo tempore etiam lieni regioni folia vino incocta exteriùs applicanda ſunt. traditur inſuper ſingultui utiliter ſe opponere, ſtrangurijs & regio morbo proficua cenſeri, cui non mirum opitulari poſſe, cùm validè deobſtruere valeat: addit Dioſcorides calculos minuere, ſed ſterilitatem inducere.

De Cuſcuta.

CAPVT LXIV.

An Cuſcuta ſit Cadyta Plinij, & Theophraſti, dubitatur; aſſeritur; an in plantarum cenſu collocanda, affirmatur an Cathartica vi polleat; vires afferuntur.

QVamuis à pluribus ſtatutum videam Arabum, & herbariorum Cuſcutam, Caſſutham, ſiue Caſſitham Latinorum Veteribus minimè cognitam fuiſſe, neque eſſe Cadytham, de qua Plinius, cuius cognitionem procul dubio exhauſit ex Theophraſto, nihilominùs magnis ſanè rationibus ad affirmatiuam ſententiam amplexandam compellor; Plinius namque eam collocauit inter plantas, quæ in alia ſtirpe vivunt, vt viſcum, & quæ non tantùm arbores, ſed etiam ſpina, circumplectatur: immò vocat cadytham herbam, quæ licèt alteri innaſcatur plantæ, vt fatetur Lobellius ſe vidiſſe cuſcutam proprio ſemine natam, quæ inde plantæ proximæ ſe applicuit, ibique ſe figens, exſicata tunc radice, alimoniam non à terra tractam, ſed à planta, cui inhærebat, ſibi comparaſſe, & ibi nouam vitam ex alio induiſſe, minimè mutata priori forma. quòd ſi dicamus hanc plantam folia non gerere, & ob id plantæ nomen non promereri, hoc quidem ſanè etiam iuncis commune eſt, & ſimilibus alijs, quæ inter plantas collocantur, immò plantula hæc inſuper inter Cirros ſuos & capillamenta, quibus componitur, floſculos albidos per totum producit, à quibus ſemen quamuis exiliſſimum emergit, quæ quidem omnia ad conſtituendam ſtirpem ineſſe plantæ nemo dubitauerit non ſufficere; & proculdubio Plinius loco citato Cadythæ cognouit Theophraſtum auctorem, qui eam Syriacam herbam vocat, quæ arboribus, ſpinis, & quibuſdam alijs plantis innaſcatur, quod de cuſcuta noſtra manifeſtum; nec valet, quòd idem Auctor dicat, Syriacam plantam Cadytham eſſe, vt Dodonæus rationibus ſupradictis ſuaſus opinionem mutare valuerit, quia dicebat cuſcutam non in Syria tantùm, ſed ubique locorum reperiri; quia quamuis Cadytha &

Lib. 16. c. 44.

5. de cauſ. plant. c. 33

Theophraſto pro planta Syriaca tradatur;per hoc tamen non tollitur alibi etiam naſci potuiſſe,vt de pluribus alijs obſeruatur;ſic erroneum eſt abſolutè concludere Antiquiores Cuſcutam latuiſſe, cùm manifeſtiſſimè inter plantas alteri innaſcentes, & ex alia planta alimentum ſugentes connumerari videatur, vt Epithymum, de quo Dioſcorides,quod etiam æmulatur. variare tamen quemadmodum nomine,ſic & forma, & temperamento creditur,prout plāta,cui innaſcitur cuſcuta, variat. linum non inter cęteras plantas ſcandit, eiīeaque ipſum validè obuoluitur, & tam arctè alligat, vt eam lini podagram, ſiue anginam herbarij vocitent; ſed non ſcandit tantummodò lini plantas, occupareque videtur, ſed in ruborum ſtolonibus, ſed in Thymo idem operatur, ſic in Thymbra, ſtæbe, hyſſopo, Geniſta, Camedri, Serpillo, Vrtica, Polio, pluribuſque alijs, à quibus ita copioſè alimentum exhaurit, vt ſæpe ſuis cirris, ſiue capillamentis multiplicibus in rubro ruffeſcentibus,plantę cui nititur ſummitates implicando ad ſolum deturbet, & humi proſternat. herbidaque ſua congerie ita obuellet, ut ſolis aſpectum impediat, eiuſque vſuram proficuam altrici plantæ ita ſibi beneuolæ prohibeat; vires proficuæ præſertim ex planta prodeuntes ſunt, cathartieè humores per ſeceſſum ducere, & temperamentum variare pro diuerſitate conditionis plantæ à qua alimentum deſumit, ut cathartieè magis hunc, quàm illum humorem trahere valeat; quæ iuxta earum plantarum conditiones varietatem præſeferunt, & à nobis traditæ ſunt, dum de benignè purgantibus melancholiam in primo huius operis libro verba fecimus.

De Agrimonia.

CAPVT LXV.

Inter Cathartica Medicamenta cùm Agrimonia nomine Eupatorij repoſita ſit, ibi petenda eius hiſtoria.

EVpatorium quaſi Epatorium, vt quibuſdam placuit, quod Epatis affectibus opituletur, vel quia Eupatoris Regis nomen promeruerit, dictum, quemadmodum incertum, ſic manifeſtum eſt hoc nomine plures importari plantas, & cathartica facultate pollentes, prout Cannabinum Eupatorium illud ſcil. Auicennæ vocatum; Eupatorium Meſue alterum, quod Ageratum eſſe creditur, nec vana prorſus coniectura; & poſtremò alteram hoc nomine inſignitam plantam, quæ Latinis Agrimonia appellatur, ut eam diſtinguant ab Eupatorio cathartico, cuius ſanè præſertim agrimoniæ vires, à natura in Epatis ſubſidium deſtinata apparent, hæc ſanè planta ratione proprij temperamenti hiſce nuperrimè exaratis ſtirpibus copulanda venit, ſed cùm de Eupatorio in Cenſu medicamentorum catharticorum verba fecerimus, atque ibi de agrimonia, eiuſque temperamento ſatis dictum ſit, opus non eſt, ut modò in ea denuò explicanda immoremur.

De

De Eryngij radice.

CAPVT LXVI.

A quo deductum Eryngij nomen Priſcis ſit inquiritur, & quæ de cæpis habet Theophraſtus an verificentur deſcribitur, temperamentum definitur, vires explicantur.

AN ἠρύγγιον, ſiue ἠρύγη illa planta ſit, quæ noſtris etiam Botanicis Eryngium vocatur ex nominis Ethymologia, controuerſum videtur; putant enim Viri docti Eryngij nomen deductum eſſe ab ἐρύγειν, ab eructando, quòd caprarum, ſi cui contigat Eryngij folium aut fruſtulum carpere, deglutireue, quæ penes eam ſequuntur omnes attonitas torpidaſque repentè ſubſiſtere, donec ructu ab ea excitato folium comanſum per os reiecerit. quod quidem aſſerebat Plutarchus dum ſeptimo Simpoſiacum quæſtione ſecunda, eryngium, inquit, ſi vna caprarum in os ſumat vniuerſum gregem ſiſtit; huius rei idem auctor cum admiratione cauſam quærit libello de ijs qui ſero à numine puniuntur, cur ſc. capra Eryngium in os ſumente totus grex tantiſper ſubſiſtat, donec accedens caprarius eximat, quod alibi etiam ſcriptum reliquit. Theophraſtus quoque, à quo veriſimile eſt Plutarchum hoc ipſum deſumpſiſſe, hoc idem fatetur; habet enim cur capra ſumpto ore eryngio, maneat ipſa ſtatim, immò & alias immanere faciat; & profectò ſi rem intimiùs perſcrutemur, defluxit hoc à Magno Theophraſti præceptore Ariſtotele, qui lib. 9. de Hiſt. Anim. cap. 4. hæc ſcribit; capræ autem unius ſi ſummum Aruncum, qui vilis ſpecies eſt, apprehendat, illico ſubſiſtunt aliæ ſtupidæ eandem intuentes; ex his Ariſtotelis verbis opinandum proculdubiò eſt Theophraſtum, quæ ſupraſcripſit ab Ariſtotile deſumpſiſſe, ſed Eryngium non ſcripſiſſe, ſed Aruncum; ſic ex Theophraſto Plutarchum, qui mendoſum Theophraſti codicem nactus fuerit, ubi loco ἠρύγγιον ſcribendum eſſet ἤρυγκος, vel ἠρύγκιον, & ex quadam vocum affinitate ſcriptoris deceptio facilè irrepſerit; niſi dicamus etiam Plutarchi locum eodem mendo non vacare, & ſanè apparet manifeſtè Plinium meliorem Theophraſti codicem reperiſſe; ſic quæ de Arunco habet lib. 8. cap. 50. & ex Theophraſto deſumpſit, quod ſæpiſſimè facere ſolet: ibi non ſic ait; dependet omnibus mento (de capris loquitur) Villus, quem Aruncum vocant, hoc ſi quis apprehenſum ex grege vnam trahat, cæteræ ſtupentes ſpectant; igitur conſtat, quòd illud, quod Arunco tribui debet ex Ariſtot., & Theophraſti codicibus non corruptis, malè in corruptis Eryngio aſſignetur, ut ſic nominis Etymon non bene deductum appareat; cùm nec per ſomnium Eryngij herba mira capris relata inducat, ſic Villus tenax cùm ſit, & ex neceſſitate naturæ erodentibus capris palato adhæreat; Aruncum enim, inquit Ariſtoteles loco citato, ſpecies Villi eſt, ut expui & reijci facilè nequeat, ſed eructatione excitante opus habeat, ut inde reijciatur; nomen eryngij ab alia cauſa potiùs deduci conſentaneum eſt, & forſan, quia planta hæc videlicet pluri-

Lib. cum principibus part. etiam diſputand.

bus

bus capitibus ſit prædita, ſub qua ratione centum capita etiam vocatur à Plinio, vel forſan quia verno etiam tempore, quo plantæ minùs aſperæ eſſe videntur, eadem aculeis ſuis, quibus obſitum ſummoperè eius folium videtur, legat. utcumq; ſit de nominis Etymologia ſatis dictum; interim certum eſt Plantam hanc, cuius variæ circumferuntur ſpecies, & quæ eryngij nomine paſſim nobis protruditur, & quæ Dioſcoridis notis magis conſentire videtur, vtiliſſimam in medica facultate opem ferre, varijſque morboſis affectibus opitulari: Dioſcorides vnicum Eryngij genus cognouit, aut ſaltem unicum deſcripſit, folio vid: lato, in ambitu aculeato, aſpero; guſtu aromatico, capitibus multiplicibus globoſis è caule emergentibus, acutiſſimis aculeis quaſi ſtellarum radijs vallatis, inter quorum interſtitia foliola florem componentia cerulea, & quandoque flaueſcentia, aut in viridi pallida; radix oblonga lata, in ſuperficie nigra, pollicis craſſitie, intus verò albicans, quæ quid aromaticum redolet. temperatam plantam Gal. Eryngium autumat; Dioſcorides tamen abſolutè calidã pronunciat; quod ex effectibus, & aromaticitatis guſtu manifeſtè deprehenditur; non excedit tamen primum caloris gradum, ſecundum verò obtinet ſiccitatis. Hydropicis vtiliſſima vrinam namque ſatis validè excitat; menſium moram remouet; colicis doloribus tollendis proficua; flatus diſcutit, ac ſubindè tormina ab illis excitata; in vino ſumpta adimit obſtructiones iecoris, & emendat; venenis tam interiùs ſumptis, quàm exteriùs illatis ſummopere conducit; venerem ignauam ſolicitat, & gonorrhæis quoque gallicis opitulari creditur, veſicæque calculos imminuere, renumque arenulas extrudere.

Lib. 22.c.2.

Lib. 3.c.24.

9. Simplic.

De Hyperico.

CAPVT LXVII.

Perforatam cur Græcis Andremon dictam affertur, vires & Temperamentum conſiderantur.

QVod hypericon olim Græci appellauere, & Androſemon, Recentiores perforatam dixere; quia ſi folia aduerſo ſole inſpectentur, minutiſſimis veluti pertuſa foraminibus appareant, quod Veteribus inobſeruatum video, & tamen hac ſola conditione à cæteris plantis diſtingui facilè potuiſſet; eius flores, ſi digitis conterantur, veluti humano cruore inficiunt; ſub qua ratione Dioſcorides Androſemon etiam vocat, quod à natura forſan hoc factum video, vt nos doceret, ſtirpem hãc ſanandis vulneribus proficuam futuram, & ad grumos ſanguinis diſſoluendos, quod Polonis, ex Camerario, cum Cereuiſia ſumpta in maximo vſu eſt. immò etiam à Recentioribus inter epulotica reponitur remedia; commendant Auctores ſummoperè oleum ex inſolatu florum confectum ad capitis vulnera, quæ hyperici relatæ facultates Veteribus omninò incognitæ fuere. deſcribitur hypericon à Dioſcoride, quòd frutex ſit ſurculoſus, rubentibus ramulis rutæ folijs flore non illepido, quinque foliolis coloris lutei, & ſtaminibus pluribus eiuſdem coloris concinnato, quibus euanidis red-

redditis, caliculi prodeunt ſub hirſuti hordei magnitudine ſemen minutiſſimum includentes nigrum, reſinæ odore refertum, radix verò ſatis craſſa & fibroſa. Gal. calidum & ſiccum hypericon pronuntiat, cuius ſententiæ inter Recentiores adſtipulantur Ophmannus, Præuotius, & alij quamplures; Præuotius præcipuè hyperico aſſignat primum caloris gradum, ſecũdum vnò ſiccitatis. habet Gal. hypericon tenuium partium eſſe, quod facilè deduci poteſt ex temperamento ſtatuto. Auicenna calidum & ſiccum in ſecundo gradu pronunciat, quod forſan de ſemine, quod reſinam redolet, verificari poteſt; huius ſeminis præcipuæ vires ſunt ex Dioſcoride, vrinam ciere, & menſes mouere; addit in vino potum hypericum obſeſſos à tertianarum, quartanarumque inſultibus liberare, obſtructiones præſertim tollendo: inſuper iſchiadicis ſummoperè prodeſſe, quod mirum non eſt, cùm pituitam per urinam auocare valeat, abſtergendo & attenuando, & ſic cauſam iſchiadis abſumendo eliminare. ſunt qui eidem plantæ purgantem aſſignent facultatem, quod tantummodò de Aſaro ex Dioſcoride verificatur, quòd biliosa detrahere valeat; quamuis doſis nobis ſuſpecta ſit, quemadmodum & Paſino tamquam nimis ampla. habet poſtremò Dioſcorides ambuſtis mederi impoſitis hyperici folijs cum ſemine ipſo.

De Cheiri.

CAPVT LXVIII.

Cheiri inter Leucoi genera ſolum in medicinæ vſum receptum deſcribitur; temperamentum aſsignatur, vires explicantur.

PLanta illa, quæ ſub cheiri nomine in medicina molienda ab Arabibus vſurpatur, & à ſepleſarijs hoc ipſo nomine cognoſcitur, proculdubio Leucoium Græcorum eſt; de quo meminit Theophraſtus tum lib. 7. de hiſt. plant. cap. 9. tum 6. de cauſis cap. ult. quo in loco de odoris floris loquitur leucoij elegantia, hoc ſanè nomine leucoij, meliùs à Viola diſtinguitur, à Græcis Ion Vocata, quæ etiam noſtræ violæ nomine inſignitur, quamuis Antiquioribus Violam leucoium, præſertim à Plinio, appellatam video. eſt igitur leucoij genus vnum cæteris præferendum, & cheiri Arabibus appellatur, de quo Dioſcorides lib. 3. cap. 38. ſub nomine leucoij agit; cùm luteos flores gerit; & ſolum inter leucoij genera medicamentoſum exiſtimatur; nam album, quod ſic à folijs incauis appellatur, & cæruleum ſi datur, parpureumque à florum coloribus, quæ ſic diſtinguenda veniunt, nullum exhibent medicum præſidium, quamuis tales differentiæ ſub eodem genere contineantur, cùm ſingula fructicoſa ſint, nec florum forma aut magnitudine diſſimilia, aut ſiliqua oblonga, in qua ſemen depreſſum, euaneſcente flore, continetur; nec tandem radice diſſimili; habet tamen cheiri ſpecificam quandam à cæteris differentiam, quia huius folia ſunt viridiora, anguſtiora, breuiora, duriuſcula, in ſuperna parte minimè tomentoſa & acutiora, non inſuauis in floribus ſuis, in quibus odor durabilis eſt, & luteo colore præditi, cæteri namque flores leucoij ſuauiores

quidem

quidem ſunt, non ita tamen odore intenſo, neque ita durabili prout in cheiri obſeruatur, ut quod in ſui odoris compoſitione humiditatem minùs aeteam, magiſque aqueam cognoſcat, ideo magis euanida odoris elegantia. ſeritur in hortis leucoij planta florum lepore odoreque. cæterùm præter relatas leucoij differentias, recenſet Theophraſtus aliud leucoij genus, quod bulboſum vocat à bulboſa radice, quæ ſpecies ſanè in totum à leucoijs ſuper relatis differentiſſima eſt, reponiturque inter herbas coronarias, promitque florem primo erumpente vere albido narciſſo non abſimilem, ſub qua ratione ab alijs leucoij ſpeciebus differt, de qua meminit Carolus Cluſius 2. de hiſtor. plant. cap. 20, & eius etiam Theocritus in Idillio; de hac poſtrema leucoij planta nihil habet Dioſcorides; & cuius etiam uſus nondum medicis innotuit; nihilominus etiam cheiri inter plantas coronarias repoſita eſt planta, & coronis nuptialibus in primis dicata, eò quia cùm florem luteum gerat is præſertim color in nuptijs expetebatur, & ex Plinio notum. non deſcribit Dioſcorides hoc plantæ genus tamquam notiſſimum; plures namque caules cheiri ſunt, ramoſi, tenues, hirſuti, folia albo veluti tomento tenuiſſimo obſita, in albo virentia, oblonga ſatis, in cheiri tamen anguſtiora, breuiora, & magis viridia, cuius flores lutei odorati; in alijs verò leucoij ſpeciebus vel variegati, vel diuerſorum colorum ſimplicium, prout albi, violacei, purpurei, addit Dioſcorides cæruleos flores, forſan violaceum indigitauit; his enim color leucoijs familiariſſimus eſt, qui variegatus euadit color, talis emergit ſi planta ab ortu annum excedat, & ab hyemis rigiditate ſeruetur, hi flores cultura quadam, & mangonio è ſimplicibus pleni fieri ſolent, coloribus ſupradictis. vſus medicus præcipuus in leucoijs cheiri eſt, hoc eſt leucoij floribus luteis, ex quibus conficitur oleum doloribus à frigido ortum ducentibus vtiliſſimum, & inter anodyna connumeratum præſertim vterinis; horum florum temperamentum in primo calidum ſtatuitur gradu, & ſiccum in ſecundo, neruoſam ſubſtantiam roborat, cuius dolores ſedat; menſibus præcipuè ducendis vtiliſſimum creditur, ſi partes circa pubem illinantur; aut ex iiſdem floribus paretur fotus, aut inſeſſus, quibus etiam partus facilior redditur, & ſecundinæ feliciùs auocantur ſi ſemen duarum drachmarum pondere exhibeatur in aqua aliqua vterum reſpiciente; contra vulnerum inflammationes ex floribus decoctio ex Dioſcoride probatur, exceptoque cerato rimas ſedis ſanare aſſeritur; cum melle oris vlcera, quæ aptos vocant; ſemen potum cum vino, & ſubditum in peſſo, partum extrahere creditur; lienis intumeſcentiam reprimere, podagricíſque radicem ſummoperè conferre traditur.

De Stebe.

CAPVT LXIX.

An Stebe cognita à Veteribus fuerit, & quo nomine inquiritur. non eſſe phleon; pheon differre à phleo aſſeritur; Herodotus, Theophraſtus, Plinius, & Plutarchus circa hoc conſiderati: Coniectura huius differentiæ deducta ex Ariſtophane; temperamentum Stebe, vireſque examinantur.

STebe quamuis Dioſcoridis æuo notiſſima planta fuerit, & hac ſolùm ratione ab eodem minimè eius forma delineata, nobis tamen, quæ ſub ſtebis nomine ab ipſo recepta fuerit, quicquid Arioli de ea vaticinari audeant, incognita omninò eſt. creditur à quibuſdam eamdem plantam eſſe cum phleon Theophraſti, & Plinij; ſed iterum quid ſit phleon, nobis æquè cum ſtebe incognitum euadit; etenim phleon, ſiue ſtebe Antiquioribus illis fruticoſam plantam & lacuſtrem fuiſſe, folioque carnoſo, ex varijs Theophraſti & Plinij locis colligere licet; ſumma tamen difficultas de ſpinis eſt, quæ folio tribuit Plinius; cauli Theophraſtus. cæterùm verò conſentaneum non videtur hanc lacuſtrem plantã ſpinas geſſiſſe, ut inferiùs apparebit; rubellam namque paniculam, mollem, lanuginoſamq; ferre, fructus loco, tradunt; huiusque plantæ mollitiem expreſſit Gal. lib. de Anatomicis adminiſtrationibus, & lib. de Fœtus formatione, dum partes folium ſtebe componentes repleri eo modo docet, quo iecoris spacia replentur interiacentia inter eius vasa, & parenchimate. iterum idem ſeptimo de usu partium docet adducto exemplo de pulmonibus; hinc veriſimile eſſe deducitur pheon, & phleon plantas apud Theophraſtum malè confundi, quia manifeſtiſſimè hæ duæ ſint diuerſi generis, ut phlem ſit planta paluſtris, mollis, tomentosa, minimèque spinosa: quod etiam notum euadit ex Herodoto, qui lib. 5. cap. 98. Indos illos antiquiſſimos consueuisse ex eadem planta veſtes concinnare, quæ etiam texendis sportis summè idonea censebatur, & eius textura integumentum vitreis vaſis tutandis ab externis iniurijs communiendisque idoneum formaretur. Duplex igitur ſtebe genus aſſerendum ex his colligitur, alterum, ut modò dictum eſt, paluſtre, tomentosum, ſiue spinis carnoso folio; alterum non paluſtre, ſpinas gerens, primumque vocari phleon, poſtremum verò pheon, cui ſententiæ faciliùs aſsentior, quoniam id etiam placuiſse comperio Clariſsimo Viro Brodeo. Non esse spinosam phleon, ſiue ſtebe appellatam, abundè colligimus ex lepidiſſimo Comico, & antiquiſſimo Ariſtophane, qui in ramis ranam fingit gloriari se tota die exultasse lætabundam à Cypero subsaltando ad ſtebem, ſiue phleon, cantilenas lepidas coaxando; quod ſi Phleon, ſtebe vid: ſpinoſa & aſpera planta fuiſſet, malè exultaſſet rana à Cypero ad Phleon, ſæpiùs ſubſaltando, & veluti choreas ducendo, nimioſque ſaltus exercendo, tenuiſſima & leuiſſima pellicula vniuerſo ſui corpore coniecto, nec Sinidis Pythiocantem filia Perigunæ, prout fabulatur Plutarchus in Theſeo, inſidias Theſei Patris eiuſdem interfectoris

ſugiens in aſparagos & Stebem ſe condidiſſet, ſi ſpinis horreſcens ſtebe fuiſſet. Cæterùm ad ſtebe temperamentum quod attinet, ſi Galenum conſulamus lib. 1. de antidotis, ſtebem valdè calidam eſſe aſſerit, acremque, vt in temperamento aſſignando, à ſtebe Dioſcoridi omninò diſſentire videatur, qui in Dyſentericis affectibus eam probare videtur. nihilominus idem Galenus lib. de ſimplicium medicamentorum facultatibus adſtringentem aliam ſtebem proponit, & ſimilem facultatibus ſtebæ propoſitæ à Dioſcoride. Recentiores ſtebem à nobis cognitam ad ſcabioſarum temperamentum vireſque reducunt, nec vanè prorſus, ſi aſpectum, & formam eius, ſi guſtum, ſi tandem vires etiam conſideremus ex uſu nobis compertas; ſcabioſarum igitur cùm temperamentum non excedat primum gradū caloris, eumdem gradum ſtebe aſſignamus cum Præuotio, & ſecundum ſiccitatis; Dioſcorides ſtebem commendat ad dyſenteriam, ſi eius decoctio per ſedes inijciatur, vel ad idem exhibeatur cum ſeminibus, & *folijs*; aurium ulceribus ſuccus inſtillatus prodeſt; contuſa folia oculorum ſuffuſionibus, quæ ibi applicita in inflammationibus ſanguinem reſolvunt; & ſummatim ad ea omnia commendatur, ad quæ ſcabioſarum genera.

De Veronica.

CAPVT LXX.

Veronicæ diſtinctio in marem & fœminam à Paulo allatam conſideratur; utrumque genus deſcribitur, plures dari ſpecies veronicæ aſſeritur, temperamentum definitur, vires produntur.

Licèt Veteres non modicam gloriam ſibi comparauerint ob ſolertiam illam, quam in plantis rimandis, cognoſcendiſque ad ſalutem humanam directis adhibuere; nihilominus non minori exiſtimatione digni videntur, qui harum inuentis minimè acquieſcentes præclara aliqua, & ſcitu digna addere conati ſunt, & ad rem botanicam feliciter augendā *poſteros* excitauere. inter igitur plantas, quæ ſcientiæ Botanicæ ornamentum non leue conferunt, Veronica recenſetur, quaſi dicta Vere unica inter plantas, ut talis ob virium robur dici mereatur; cæterùm Veronicæ *inuentores* opinioni Empedoclis fucantes, qui in Plantis vtrumque ſexum cognoſcebat, eam in marem & fœminam diſtinxere. Paulus Veronicam marem vocat, quæ ſurculis exilibus ſeſquipedalibus, hirſutie quadam refertis, humi ſerpit; folia minutiſſima ſunt, & in ambitu ſerata, Betonicæ æmula, ſed multò minora; floſculus in ſurculorum ſummitate in ſpica emergit, purpureo colore donatus, indè in caliculis ſemen concluſum, colore fuſco, paruo, rotundo, radice tenui, multifida: fæmina verò, quæ à pluribus Elatine vocatur, repit, pedalibus ſurculis multiplicibus, flexibilibuſq; & quadam lanugine tenui obductis, folijs nūmulariæ ſimilibus, ſed in canis villoſiſque; floribus exilibus, albis, qui anthyrini ſilueſtris flores æmulari videntur, ſemine paruo, rotundo, nigricante Anagallidis ſimili; radix exilis, nec mari Veronicæ abſimilis, verum præter has duas Veronicæ ſpe-

cies,

cies, herbarij plures alias adducunt, erectam vid: quæ ſurculis ſeſe erigit, magis hirſutis, non admodum tamen à relatis diſſimilis & præſertim fœminæ. addit Dodonæus alteram ſpeciem leuioribus, & viridioribus folijs. ſunt qui plantam addant aliam omnium exiliſsimam montanam. alij aliam ſerpilli folio oſtendunt, ſed honos in medicina duabus prioribus tribuitur; cæterùm inter calidas plantas Veronica admittitur, earum tamen Plantarum quæ non excedunt primum caloris gradum, eumdemque ſiccitatis; nam leuiſsimus amaror, qui in ea percipitur, ulteriorem gradum caloris non admittit; in ſiccitate tamen ad ſecundum vſque gradum vergit. inter vulnerarias plantas penè primum ſibi vindicat locum; videtur namque deſtinata à natura vulneribus internis, externiſque, & ulceribus ſanandis; reſpicit tamen præſertim pectoris vitia, & pulmonum ulcera; carcinomatoſis, cacoethiſque vlceribus ſanandis vtiliſſima; obſtructiones viſcerum tollit, vitia cutis emendat; aqua ex ea deſtillata phthiſicis summoperè fauere ſolet; & quod mirum eſt, ſi Fuxio credimus, Gallorum quendam Regem Elephantiaſi laborantem ſaluti reſtituit; hoc tamen à Rhenodæo non admittitur, dum aſſerit neminem à Gallorum Regibus hoc vitio correptum fuiſſe.

De Spica Celtica.

CAPVT LXXI.

Dioſcoridis notatus, dum Indicam Nardum; in eodem monte cum Syriaca naſci aſſerit non inferiorem Celticam virtute à Syriaca affirmatur, & ab Andromaco proponi ſaliuncam, non aliuncam dictam, & eamdem eſſe cum ſpica celtica, deſcribitur, adducitur temperamentum, vires pandantur.

NArdus Celtica, quæ & ſpica Celtica vocatur, pronomen accepit à Liguriæ Alpibus, ubi copioſa à natura gignitur, & ubi Celtæ Gallorum genus habitabant, ſi præſertim in hoc Dioſcoridem teſtem adhibeamus; nec ſecus atque exotica illa Nardus Indica vocata à Natali Indiæ ſolo, & Syriaca forſan ab Emporio vbi delata venui exponebatur. vix enim admitti poteſt è Siraſtene Syriacam dici, nam quod habet Dioſcor. merè comentitium eſt, dum Indicam Nardum in eodem monte cum Syriaca progigni dixit, prout Indica in ea montis parte naſcatur, quæ Indos attingit; Syriaca verò in ea eiuſdem montis, quæ Syriæ contermina eſt, cùm inter Indiam, & Syriam non unicus interiaceat mons, ſed integræ regiones, Arabia vid: deſerta, Perſis, Carmania, Gedroſia, ac ſubindè Indica regio à Syriaca regione diſtet ſpatio pluſquam quatuor milliarium millia; in India verò tantummodò, ſi Garziæ credimus, oculato teſte, iuxta Gangem Nardus gignatur. Igitur autumandum eſt Dioſcoridem, quod de Nardi natali loco prodidit, ab alijs accepiſſe, prout & Plinium, illis namque temporibus via ad Indos ita peruia illis non erat quemadmodum nunc noſtris; cæterùm cùm Celticæ Nardo viri doctiſſimi ad varia mor-

borum genera debellanda validas tribuant facultates; præſertim corrigendis variorum purgantium medicamentorum qualitatibus, cuiuſcumque generis ſit, ſiue Indica, ſiue Celtica, cùm unaquæque earum vires eaſdem obtineat; immò ſi Dioſcoridi credimus celticæ ſuppares ſunt, quæ vrinæ excitandæ, & languido ſtomacho corrigendo validiùs operatur; accedit quòd maior copia, & ſincerior è celtica regione, quia nobis contermina eſt, deferri poſſit, & faciliùs, quamuis nos modò Indica Nardo ſeù ſpica non careamus. Andromachus quoque in Theriacis, ut notat Galenus, celticam Nardum Indica ipſa efficaciùs, tamquam antidotum, magis proprium, operari ait, ſub qua ratione eidem præpoſuit. Igitur cùm Nardus celtica proprio ſui temperamento, & gradibus plantis ſuperiùs recenſitis merito annecti adſcirique poſſit, de hac planta modò aliqua ſubnectere rationi conſonum eſt; Nardus itaque Celtica, ſi textum Dioſcoridis ſumamus, vernaculo Celtarum ſermone etiam Saliunca vocatur, licèt (Aliunca) ſcribat dempto ſigmate, quod per errorem ſic ſcriptum exiſtimo, cùm Nardum celticam etiam hiſce temporibus illorum locorum Incolæ, ubi naſcitur, Saliuncam appellent; Ruelius Saliuncam demit ex textu Dioſcoridis, & reponit (Gallicam) quem ſequitur etiam Saracenus, Lobellius tamen in Aduerſarijs admittit, & probat Saliuncam retinendam; Ego quidem neque Ruelij, neque Saraceni opinioni ſubſcribere poſſum; incongruum enim præter cætera mihi videtur uniuerſale nomen, quod comprehendit totam Gallicam ditionem, eiuſque amplitudinem ſignificat particulari regionis nomini poſponere, & quam ſanè Nardum celticam nihil differre autumat Lobellius à Saliunca Virgilij, dum inquit Poeta

Puniceis humilis quantum Saliunca roſetis,

Eglog. 5. *Iudicio noſtro tantum ſibi cedit Amyntas.*

vbi Maro comparationem affert duarum inter ſe odoratarum plantarum, alteram humillimam, aliam verò quæ multò magis aſſurgat, non ſecus atq; alibi fecerit dum Cupreſſum cum Viburno comparauerit his verſibus,

Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi

nec Plinij teſtimonium, quod pro contraria opinione confirmanda à multis affertur, noſtræ aduerſatur; qui quamuis videatur diuerſis capitibus agere de Nardo celtica, deque Saliunca, quaſi plantas differentes crediderit, ex earum tamen deſcriptione in vnum coeunte, vnam eamdemque eſſe plantam duobus locis repoſitam demonſtrat; quapropter opinandum videtur, Plinium hanc eamdem plantam à duobus diuerſis auctoribus ſub diuerſo nomine deſcribentibus deſumpſiſſe, & diuerſis capitibus intuliſſe, ſed clariùs à Scribonio hoc ipſum deciſum video; dum cap. 195. à pharico veneno læſos (Saliunca) hoc eſt ſubdit Nardi ſilueſtris magna copia in vino exhibita liberari; hinc facilè mihi perſuaſerim per Nardum ſilueſtrem celticam intellexiſſe Nardum, & hoc in comparatione Indicæ; Plinius Gallicam Saliuncam vocat, vt de Nardo celtica intellexiſſe nullus dubitationi locus ampliùs relinquatur. Deſcribitur utraque Nardus quòd ſit breuis exiguuſque frutex, flore ſubflauo, folijs melinis, quæ cum radicibus in Manualem faſciculum colliguntur; hinc plures arguunt nos

eſſe

eſſe à Dioſcoride Nardum celticam deſcriptam, cùm Nardus celtica herba non frutex ſit, nec fruteſcens planta; experimentum tamen à ſenſu deductum docet celticam ſpicam ferre cauliculum in plures diuiſum, vt ratione roboris firmitatiſque cauliculorum frutex appellari poſſit; folia ſatis craſſa ſunt, ſuccoſa, non breuia, ſed in latum modicum ſe expandentia, caules ad nos raro afferuntur; affertur radix cum folijs, quæ valdè aromatica ſunt, Cyperi odore; & reuera ſuauiſſimum odorem fundunt & valde aromaticum radix cum folio; ſed præſertim radix, quæ odoratior & amariuſcula eſt; de ſurculo illo Nardi ſecunda ſpecie quaſi Pſeudo Nardi ſit, non eſt quòd in eius deſcriptione immoremur, cùm ex odore, ſi celtica Nardo in colligendo combinetur, facilè diſcerni queat; ſi modò temperamentum inquiramus, plantulam hanc ſelectiſſimam calidam & ſiccam pronunciat Dioſcorides, de gradu tamen caloris lis adhuc indefinita remanet; plures ſuperare primum credidere gradum; in hoc tamen conueniunt, ut eidem ſecundum ſicciratis aſſignent, odor ſiquidem ſuauis cum aromaticitate coniunctus non leuiter id ſuadet, quod etiam imfirmant effectus, valide vrinam ciendi; fertur ſtomachi morboſam frigiditatem Nardum emendare, prout in caſu à Galeno relato Antonini Imperatoris, cui exhibita nardo in huiuſmodi affectu opem inſignem tulit; *hinc* potiùs caloris moderationis in Nardo argumentum elicimus; ſtomacho namque imbecillo exiſtente, ut calor nativus foueretur, excitareturque magno colore opus non erat, cùm de ſe ventriculi calor modicus eſſe debeat; eſt enim opus ſuum exequi cibum ingeſtum idoneo temporis ſpatio elixare non celeriter aſſare; hinc remedium arguitur blandè calidum, quod foueat cum ſubaſtrictione; non quod excedat in calore, & ipſum languidum reddat, & reſoluat. vtcumque tamen ſit, ſi Nardus in calore excedat, parum aut nihil primum ſuperat gradum; vires præcipuè nardi ex Dioſcoride ſunt epotam Nardum vrinam ciere, alvum compeſcere, fluxiones ſiſtere, ſtomachique imbecillitatem à frigida intemperie corrigere, & anorexiæ aduerſari; uteri vitia frigida emendare, ventris roſiones tollere, flatus abdomen infeſtantes diſcutere, hepaticos iuuare, iterum ſoluere; nephriticis conducere, & obſtructionibus ſuperandis vtiliſſimam Nardum ſe gerere; in fotu aut inſeſſione vteri inflationes, immò inflammationes, ex Dioſcoride, compeſcere, quod in ea inſignem calorem non ineſſe arguit, indicatq; eſſe ſubaſtringentis facultatis, ob quem & fluxiones cohibeantur, & facultas roboretur, & quod iam fluxum ad partem eſt modico ſuo calore reſoluat; ad vitia renum, veſicæque, atque lienis vtiliter adhibetur, humores ſuperfluos in palpebris collectos abſumit, ut etiam oculare medicamentum ſit; graueolentiam quorumdam humidorum corporum corrigit inſperſo eius puluere; antidotis tandem ex Scribonio, & Dioſcoride utiliter miſcetur. Nicander in Theriacis pharico veneno, quod Nardum olere aſſerit, Nardum opponit tamquam remedium, quod habet his verſiculis,

ſed tuſto radicem pondere Nardi
Thylacitis probæ cilicumque montibus altis
Creſcit vbi undoſi labuntur flumina Ceſtri.

De

De Lino & eius ſemine.

CAPVT LXXII.

Linum cur ita à Latinis appellatum; Temperamentum diſcutitur; ſtatuitur; vires examinantur.

LInum dictum, quòd in Lina ſeù ſtamina facilè diduci queat, pluribus vſibus à natura deputatur, nec tantùm humanæ neceſſitati proſpicit, quàm luxui indulget; caulis enim maceratus in fila deductus, & texturæ tandem traditus, ſtragulis, linteis ſubuculis, varijſque induſiorum generibus, etiam ſacris, materiam ampliſſimam ſuppeditat. Medici ſemẽ ſibi vendicarunt, à quo plura medica hauſere remedia. prodit è terra *linum* exilibus cauliculis cubit alibus, tam ſilueſtre, quàm ſatiuum, folijs tenuibus, oblongis in acutum de ſinentibus, floribus cæruleis, à quibus capitulum rotundum, quod in ſe ſemina con tinet glabra, ſplendida, leuia, leniter compreſſa, in acumen tendentia, ruffo colore, quod olim Aſſiaticis alimentum cum melle frixum ex hibuit; nunc oleum ſuppeditat pro pauperum lucernis, dum obſcurum ſatis exhibet lumen. de temperamento ad gradum caloris quod attin et, frigiditatiſve, dubbia res eſt; Galenus namque 6. de tuenda valetudine ex lini ſemine potionem, ut renibus refrigerium indat, parat, exhibetque, vaſis ſpermaticis gonorrhæa laborantibus; calidum tamen abſolutè pronunciat Dioſcorides, nec idem negat Galenus, cùm reponat inter tepidorum genera. crediderim ego facilè primum caloris gradum poſſidere, non ſine tamen euidenti ſiccitate ad ſecundum uſque gradum; ſine cuius adminiculo tenuiorum partium non euaderet, neque diureticum, licèt non omninò proprium, nullum tamen effectum frigiditatis edit: ſecus autem de eius mucilagine, quæ temperata aſſeritur. utcumque tamen ſit, humiditatem quamdam excrementiciam (quam cognouit Galenus 4. Acutorum tex. 113) coniunctam habere non eſt incongruũ aſſerere; ibi namque Hipp. exhibet lini ſemen torrefactum, ut humiditatem excrementitiam abſumat. huius ſeminis decoctio in fotu ad inflammationes utiliſſimè aptatur, (ea ſanè ratione) qua & Nardus adhibetur. dolores dem ulcet, ideò pleuriticis utile, & in angina proficuum; tunc enim pollet recenter extractum, commendatur ad tuſsim, non quidem ratione temperamenti, quia calidum, & ſiccum eſt, ſed mucilaginis illius cauſa, quæ ex ſemine manat, quæ aſperam arteriam lenit, & irritamentum illud, quod ab acri catarrhi fluxione pendet, demulcendo tollit; quo nomine etiam raucedini conducit; dolore nephritico non leue leuamen affert laborantibus, duros tumores emollit, parumque digerit, dum intus & extrà adminiſtrari ſolet; oleum ex lino extractum, vel ſemen in exiguo aquæ decoctum cum melle, cuta n eos, ex Dioſcoride, emendat affectus; linum crudum faciei maculis ex inſolatu contractis prodeſt; delet varos & furunculos; ex nitro impoſitum parothidas diſcutit, earumque duritiem; herpetes mundat; contra inteſtin orum eroſiones, & vuluæ vtiliter adhibetur,

betur, cui inflammatæ ſuccurrit in inſeſſione infuſum; alvum lubricam reddit: immò valet ad ea omnia ad quæ fœnugræci ſemen.

De Vrtica.

CAPVT LXXIII.

Qua ratione Vrtica vocetur exprimitur, genera recenſentur, deſcribuntur; temperamentum deſignatur, vires explicantur.

VRtica, quæ noxio & urenti ſuo tactu quaſcumque corporis noſtri tangat partes doloroſo inficit prutitu, minutiſſimis aculeis infixis, qui caulem foliaque ſucco ſuo virulento turgidi conueſtiunt, & rubore tumoreque non leui excitato moleſtiſſimo, nec per breue temporis ſpatium pruriginis tædio afficiunt, ob vires quas inſignes obtinet in medicinæ vsū reuocata, conſideranda modò venit; ſed præſertim eius ſemen, qua nuis planta tota telis conficiendis inſtar cannabis macerata, quibuſdam etiam in locis idonea reddatur, vocatur Græcis ἀκαλυφη, & κνίδη, ſiue per antiphraſim, ut eius virulentam mordendi actio rem exprimant, quia tactu aſpera, iniucunda, & inſuauis eſt, prout opinatus eſt Athenæus libro tertio; vel quia tactu ſuo acerrimè vrat, ſub qua ratione Latinis urtica ab urendo vocatur, ſi Macro Poetæ credimus, dum inquit

Vnde non immerito nomen ſumpſiſſe videtur,
Tactu quod exurat digitos vrtica tenentis.

qua improba ſua conditione differt ab alio urticæ genere inerti vocato, ſiue urtica mortua, quæ neque urit, neque mordaci tactu ruborem, aut tumorem in parte excitat. Duo vrticæ vrentis genera conſiderat Dioſcorides, vnum altero agreſtius; talis vrtica namque eſt aſperioribus, nigrioribus, & latioribus folijs, ſemine lini, ſed minore; altera urticæ ſpecies non ita aſpera eſt, ſemine ſupradicto exiliori. verùm relatis duobus à Dioſcoride vrticæ generibus tertium adhuc mitius Recētiores addunt. ſilueſtres eſſe omnes vrticæ ſpecies ex eo deduci poteſt, quod paſſim & vbique naſcantur, & eamdem rigiditatem ſemper ſeruent. Sunt qui diſtinguant relata duo prima genera in Vrticam marem, & urticam fœminam, quæ à quibuſdam etiam Romana dicitur, qua quidem ratione tale nomen obtinuerit me neſcire ingenuè fateor, cùm utraque planta ubique ſpontè naſcatur. hæc ſeſquipedales caules plures ab una radice promit varios, folia gerit lata, in ambitu ſerata, in acumen deſinentia, minutiſſimis aculeis hiſpiditatem potiùs repræſentantibus undequaque vallata; quæ ſolo tactu puſtulas excitat viuido rubore perfuſas, elataſque. ſemen ex herbido flore promanat tamquam in pilulis reconditum, ſiue globulis hiſpidis. ſecundum genus fœmina appellatur, quæ caules ramoſos & magis elatos profert, cui & latiora ſunt folia, & importuniſſima, mordaciſsima, quæ illa minutiſſimorum aculeorum ſerie vallata, ſemen Mercurialis more fœminæ in racemos ſpargitur. tertium verò genus minoribus adhuc ſurculis ſeſe erigit crebrioribus, ſiue ramulis frondeſcit; graui odore, maiori mordaci-

Lib.4.c.94.

tate;

tate; ſemen per racemos diſpoſitum viſitur, vrticæ maris in modum prodiens, è ſurculis globulum non ferentibus. cæterùm difficultas inſignis de temperamento inſurgit, vredo namque valida illa, quæ ex tactu percipitur, caloris indicium non leue exhibet, accedit inſuper rubor, & excitatus ille tumor in parte, quæ caloris ſigna ſunt; ad quod reſpiciens Auicenna, eam calidam in tertio gradu pronunciauit in principio; ſiccam verò in ſecundo. de ſiccitate ferè omnes conſentiunt, ſub qua ratione tenuiũ partium ſit, & deobſtruit, ſunt tamen qui vel exiguum ſatis calorem urticam obtinere autumant, vel etiam refrigerare credant, quod ex Dioſcoride elici poſſe videtur; nam ſanguinem ſiſtere, inflammationibus conducere, ſepticis medicamentis admiſceri, vt eorum vim putrefactiuam cohibeat, ciendiſque menſibus conducere, & vt quidam Recentiores addunt, febris feruorem compeſcere, ſi temporum, aut metacarpij arterijs contuſa vrtica applicetur, aut cordi ad extinguendum eius feruorem, effectus ſunt frigiditatis potiùs, non verò caliditatis indicia; verùm quamuis tantam caloris vim in urtica reperiri, ut ex Auicenna ſtatutum video, non autumen; facilè tamen mihi perſuaſerim calorem poſſidere; nam frigidorum non eſt carcinomatoſa ulcera abſtergere, ut voluit Dioſcorides, nec menſes ciere, abſceſſus ſanare, uteri obſtructionibus conducere, veneremque laxam arrigendo fouere, ſed calidam eſſe conuincit uredo illa, quæ à ſolo aculeorum ictu prouenire nequit; multa enim fortiùs aculeata, ſi feriunt, uredinem talem non excitant, non tam citò ruborem, neque ita celeriter tumorem eleuant: hoc ſanè ab illis villis prouenit, quia ex illa aculeorum vix perceptibili ſi ſummitate virus, dum feriunt, vnà fundunt, prout apparet in ſenſibili illo ſcorpionum ictu; effectus etenim illi, qui ex vrticæ ictu ſequuntur, ſine magna acrimonia fieri nequeunt, & quamuis (prout admittimus) multa prodeant à tota ſubſtantia, etiam in urtica & à forma, præſertim canis morſibus aduerſari, & cicutæ veneno, & quod fertur (niſi fallax experimentum ſit) recentem plantam in urinæ ægri decoctam, ſi viridis 24 horarum ſpatio permaneat, ægrum euaſurum oſtentent, ſecus ſi colorem amittat, attamen omnium effectuum à plantis prodeuntium cauſam illam vnicam aſſignare, eſt nimis apertè naturalium rerum ignorantiam profiteri. Crediderim ego facilè in vrtica excedentem admodum calorem non reperiri, & primum non excedere gradum, ſecundum verò ſiccitatis; ratione cuius temperamenti vrtica ſit tenuium partium, caloremque in viroſo illo præſertim humore in aculeis contento præcipuè detinere, & in ſuperficie, & ſic tota planta ratione præſertim ſiccitatis, ſed magis eius ſemen vrinam ciere valeat, menſes auocare, lienis obſtructiones tollere, cachoeta vlcera emendare, parotides, alioſque tumores diſcutere, aluumque ſubducere, thoracem purgare, inflammationes diſcutere, vteri obſtructiones reſerare, quorum effectuum multos affert Athenæus, ſed animaduertendum de vrtica marina loqui, cui in primis tribuit & vrinam ciere, & ventriculum iuvare. Negandum interim non eſt, vrticam etiam partes frigidas habere, non quidem in ſemine, quod calidum, & flatuoſum cùm ſit, Venerem excitare valet; ſed in tota planta frigiditas etiam conſiderabilis eſt, vt partium heterogenearum eſſe dicendum veniat, hinc ſit

quòd

quòd retuſo calore, quod tamen fieri nequit, dum virus illud in aculeis viget, nec frictione, aut decoctione compeſcitur, effectus etiam frigiditatis edat; ſiſtendi vid: ſanguinem à naribus; pectoris inflammationibus corrigendis, lateriſque doloribus demendis, & vreteris cohibendi prolapſum, vteri & procidentiam; cùm potiùs autumauerim hoc fieri, quia ex vrticæ tactu pruriginoſo, doloroſoque reſilire cogatur. quod autem cicutæ veneno peculiariter aduerſetur, prout habet Nicander, dum inquit

Vel Piperi vrticæ ſemen miſcebis acuto.

& quod etiam elici poteſt ex Dioſcoride; hoc potiùs à tota ſubſtantia promanare crediderim.

De Balſamina Fructu.

CAPVT LXXIV.

Nominis diuerſi varia ſignificatio declaratur. deſcribitur Balſamina; Temperamentum ſtatuitur, vires adducuntur.

Latuit Antiquiores cognitio, & vſus Balſaminæ cucumerinæ, ſic dictæ à fructus forma cucumero non abſimili, quæ & momordica, & carantia etiam Neotericis vocatur; nec mirum ſi de hac ipſa nihil Veteres meminerint, quemadmodum de pluribus etiam aliјs factum videmus, quorum cognitionem noſtris ſæculis natura reſeruauit, licèt ab æui primordijs emerſiſſe fatendum ſit; nihilominus conantur nonnulli aſſerere, Plinium hanc ſtirpem cognouiſſe ſub cucurbitæ Somphos nomine; leuiſſima tamen coniectura ducti, quaſi Veteribus illis ſapientiſſimis erubeſcendum fuiſſet, ſi quęcumque eadem natura in immenſo ſuo condidit gremio, ſcrutati non ſint. vocatur etiam noſtris Carantia, quaſi Caritibus grata, ob fructus elegantiam, qui è viridi dum ad maturitatem deducitur, puniceum colorem induens, veluti fulgido murice nitet, & vtrimque turbinatus in conum deſinit, limonis inſtar, obtuſis aculeis quaſi bullis, hincinde totam eius ſuperficiem occupantibus, vt venuſtiſſima ſua forma ſpectantium oculos exhilarare valeat; his intra lepidi ventris cauitatem ſemen includit nigricans, citruli æmulum, ſed exilius, quod veluti quibuſdam lituris maculatum apparet; fructus verò his ſi integram maturitatem adeptus ſit, dum manibus, quamuis leuiter tractetur, diſrupta ſua ſponte ventricoſa ſuperficie, ſemina non ſine impetu (inſtar impatientis herbæ à Dodonæo ita appellatæ) in obuivum explodit. planta ſanè tota elegantiſſima eſt; è radice namque ſatis breui, minimum digitum craſſitie ſua haud excedente, erumpunt cauliculi plures viticuloſi, graciles, qui proprij roboris firmitate deſtituti aliena appetunt fulcra, quæ tenaciter proprijs capreolis inſtar vitium ab alarum ſinu prodeuntibus implicat, & ſic topiarium veluti opus condere ſubtexereque meditans, cùm ſeſe erigendi appetitu naturali deſtituatur, aliena iura inuadit, cum ſua ſibi ipſi non ſufficiant, cuticulis ſepem vt contexat. folia ſunt vitis, ſed minora, & altioribus inciſuris diſſecta glabritie ſatis molli, flores cucumerini, aut Meloni ſimiles quinque foliolis

liolis conſtituti in luteo pallidis. Si temperamentum Balſaminæ inquiramus, licèt planta calida exiſtimetur, excedenti tamen calore prædita non eſt, vt quæ primum gradum non excedat; ſiccam verò aſſerunt eſſe in ſecundo exceſſu, vt citra caloris impreſſionem ſatis validè exſiccare valeat; ſic igitur duplici nomine commendabilis planta, quoniam non eximio ſuo tantummodò aſpectu oculos recreare valeat, ſed ſingularibus viribus humano corpori opem ferre. glutinant recentia folia, ſi cõtuſa hiantibus vulneribus apponantur, neruorum ſolutas unitates, quorum etiam puncturis ſummoperè proſunt; cicatrices tota planta delet; puluis ex folijs ambuſtis vtiliſſimus, colicis doloribus, vulneribuſq; inteſtinorum mirificè opitulatur; hernias ſanare traditur, ſi per congruum temporis ſpatium in plãtaginis aqua exhibeatur. ex fructu mirabile oleum conficitur, ſi ex eius pulpa, demptis ſeminibus, oleo omphacino excepta per inſolatum eliciatur ab eadem, vel facta in balneo mariæ infuſione, aut tandem leuiſſima ebullitione, vel ſi infuſus fructus in iam dicto oleo in fimo equino per breue ſpatium recondatur; tradunt enim hoc ipſum vulnerum, ulcerumque cachoetarum, necnon inflammationum dolori demulcendo eximiam opẽ ferre; aiunt in inflammationibus vulnerum abſceſſuumque, & ulceribus illitum, inflammationem arcere, & hæmorrhoidum dolorem infeſtiſsimũ demulcere. Matthiolus docet alium conficiendi modum ex Balſamina oleum, dum in ſingulis amygdalarum dulcium libris unciam vernicis liquidæ addit, ut ambuſtis meliùs proſit; habet fœcundas reddi mulieres, ſi à balneis ex herbis uterinis concinnatis, uteri orificium hoc ipſo oleo inungatur, inde ſequatur concubitus; de hoc tamen penes auctorem fides ſit.

De Milio Solis officinarum.

CAPVT LXXV.

Nominis ratio adducitur, genera afferuntur, deſcribuntur; Temperamentum conſtituitur, vires examinantur.

LApidea durities, quam in ſemine gerit milium ſolis officinarum, Lithoſpermi nomen apud Græcos compoſuit, ſub qua nomenclatura deſcribitur à Dioſcoride lib. 3. cap. 158. cæterùm Plinius non deſinit mi-
Lib.27.c.11. rari plantæ huius ſingularem ſtructuram, dum aſſerit Lithoſpermo inter alias ſtirpes nihil mirabilius ſpectari, ſtuporemque deducere ſuum videtur à ſeminum nitore, quod margaritis aſſimilari vult; ab Arabibus miliũ hoc Soler vocatur, à loco ſcilicet ubi apud eos colligebatur; ſunt tamen, qui velint rectiùs milium ſolis vocari à ſplendore, quem nitidum eius ſemen præſente ſole effundit; Lithoſpermon verò dici autumant à propria facultate, quam ipſi tribuunt calculos frangendi. huius duo præcipua genera faciunt Botanici, maioris ſcil. & minoris; ſuntqui addant pro tertio genere harundineum Lithoſpermum, quod etiam lacrymam Iob vocant. Lobelius his accenſet puſillum Lythoſpermum. Maioris Lithoſpermi radix, fibroſa eſt, à qua exeunt cauliculi plures dodrantales, tenues, lignoſi, co-

tomentoſi, quorum alij humi ſternuntur, alij verò aſſurgunt, in quibus à floribus ceruleis conſequitur ſemen rotundum, milio ſimile, albidum, lucidum, vnionumque æmulum folijs oleæ, longioribus tamen, elatioribus, hirſutis, ſaturo virore refertis; minus verò Lithoſpermum craſſiuſculam radicem habet, à qua ramuli eleuantur duri, albicantes, hyſpidi, folia & ipſa ſunt atro virore perfuſa liguſtri forma, acuta, tactu aſpera, flores albicantes petiolo innixi, è quibus ſemen duriſſimum Milio ſimile, album, rotundum, pellucidum. Lobellius, & Fuxius, quibus etiam aſſentitur Renodæus, calidum in ſecundo gradu pronuntiant, & pari modo ſiccum, quia diureticum efficax, quæ actio Lithoſpermi præcipua 5. Simplicium 13. à Gal. conſideratur; ego tamen Præuotio magis aſſentior, & non excedere primum caloris gradum autumo, nec in cenſu propriè dictorum diureticorum eſſe reponendum puto; vix enim crediderim ſanguinem liquare, fundereve poſſe, cùm gradum talem caloris non attingat, proculdubio, quo propria diuretica prædita ſunt; hoc tamen molior abſtergendo ſordes, & remouendo viarum impedimenta, quod faciliùs efficit, dum exhibetur in aliquo diuretico liquore; ſic nec ita facilè ſuadeor frangere calculos. Exhibetur ſemen à drachma vna tritum ad drachmas duas à Matthiolo felici euentu; præſertim ægrè parturientibus cum lacte; eodemque modo eo vtimur ad gonorrhæas ſiſtendas cum aſpleno, ſuccino, ſuccoq; plantaginis, lactucæve, aut portulacæ.

De Ruta Muraria.

CAPVT LXXVI.

Rutam Murariam non Paronichiam Mathiol. nec Tricomanem affirmatur, deſcribitur Temperamentum, & vires produntur.

MVrariam Rutam, quæ etiam à quibuſdam ſaluia Vitæ vocatur, & quam Matthiolus putauit eſſe Dioſcoridis Paronichiam quemadmodum inter plantas capillares oriri ſolet Adianto Politricove, ita ob virium ſimilitudinem cum eaſdem vires Politrici, Adiantique habere aſſeratur ijſdem à Botanicis copulari ſolet, nec immeritò; non eſt tamen Paronichia Matthioli, quia figura Murariæ Rutæ cum Paronichia non conuenit: multò minùs erit Adiantum album Tricomanes dictum (vt placuit clariſſimo Viro Brodeo) cùm notæ illæ, quas Dioſcorides Tricomani aſſignat, omninò in Ruta muraria deſiderentur; naſci etenim ait Filici ſimile, *Lib.4.c.137.* ſed longè exilius, leue, folijs tenuibus, utrimque ordine quodam circa cauliculum diſpoſitis, Lenticulæ ſimilibus, inter ſe aduerſis: ex quorum Verborum ſerie luce clariùs apparet in hac deſcriptione Politricum deſignare, non Rutam Murariam; an verò Tricomanes ſit Adiantum album, vt placuit Dodonæo (de quo Dioſcorides in cap. de Adianto) hoc potiùs veriſimile videtur, pro vero tamen affirmare non auſim; exilibus itaque radicibus è murorum commiſſuris emergit Muraria Ruta, breuibus & tenuioribus ſurculis, quaſi filamentis, cui foliola adhærent Rutæ ſimilia,

unde nomen accepit, parua, craſſiuſcula, & inciſuris Adianti inſtar referta, ſaturo virore perfuſa, cui neque flos, neque ſemen, quemadmodum de Adianto dictum, viretque perpetuò. temperamentum Murariæ Rutæ non valdè diſtat ab Adianto, quamuis primum caloris gradum explere poterit, & ad ſecundum ſiccitatis accedere; vires habere inſignes traditur, neque ab Adianto diſſimiles, vt Adianto ſubſtitui commodè poſſit; obſtructionibus viſcerum feliciter reſerandis aptiſsima cenſetur, vim obtinet exſiccandi ſuperfluitates, alvumque ſoluendi; pectoris infarctum diſſoluendi, vitijs thoracis emendandis opportunè opponitur; menſibus educendis vtiliter exhibetur; vrinam ciere dicitur, hinc hydropicis vtiliſsima; ferunt calculos extrudere, & capillorum defectum emendare.

De Orobo.

CAPVT LXXVII.

Orobi Genera expenduntur, an Orobum Antiquorum idem ſit cum Eruo noſtro dubitatur; Temperamentum, & vires deſignantur.

QVod Eruum Latinis dicitur, Orobus Græcis nuncupabatur inter leguminum genera receptum, quamuis potiùs in animalium, quàm hominum cibum cedat, prout nominis Etymum ſonat, quod videlicet Boues eo in cibo uſi ſaginentur; hine lepidè Virgilius

Heù quàm pingui macer eſt mihi Taurus in Eruo.

& Hippocrates de priſcâ medicina aſſerat, Eruum bouinum eſſe cibum, nõ humanum, licèt annonæ caritatis tempore homines ad hunc cibum ſumendum fuiſſe coactos habet Galenus ex Hipp. 1. de alimen. dicatque eo boues paſci in aqua dulcorato; homines verò ab huius ſemine prorſus abſtinere, cùm ſit inſuauiſſimum, & praui ſucci alimentum. cæterùm etiam alium uſum Veteribus obtinebat; eo enim utebantur in expiationibus, luſtrationibuſq; peragendis, quod ex Plutarcho notiſſimum euadit, dum quærit. cur Trallianis populis catharteri orobus diceretur, deſcribitur Eruum
Lib.2.c.131. à Dioſcoride, qui accepit à Theophraſto, dum huius leguminis deſcriptionem ſparſim in ſuis libris habet, eſſe fructicem omnibus cognitum, anguſto folio, ſemina gerens parua, à quibus farina fit Eruina dicta, quæ ad medendi vſum eſt accommodata, ex cuius ſanè deſcriptione non ſatis nobis conſtar, an antiquus Orobus ſit noſtrum Ervum. Plinius orobum cum Vitia confundit. Dodonæus Catanacem Veterum eſſe exiſtimat; utcumque tamen, cùm noſtrum Eruum vires orobi habeat, & amaior ſimilis in ſemine percipiatur, non malè pro orobo obtrudi crediderim. interim ex varijs Theophraſti locis integra Orobi Veterum colligi poteſt deſcriptio, dum caules eius in latum tendere, lentis inſtar ait, diutiſsimè florere, ferreque ſiliquas tereti figura inſtar Piſi, in quibus ſemina ſe inuicem tangere viſuntur; obtrudunt noſtri pro Eruo ſiue orobo plantam ramulis ſparſis ad latum tendentibus: hinc eliciunt Neoterici ex Dioſcoride duo dari Orobi genera, ſilueſtre ſcilicet, & ſativum; ſubdiuidunt ſativum in

candidum

candidum, & ruffum, quod verificatur in ſeminis colore, vt expreſſit Galenus 1. de Alim. tertium addunt colorem medium, & pallidum videntur inſinuare, ruffumque ſemen ait Dioſcorides cæteris præſtare, contrarium tamen colligitur ex Galeno, qui lib. de Antidotis in compoſitione trochiſcorum ſcilliticorum potiùs album eligit. cæterùm facilè hos auctores conciliabimus, ſi dixerimus, cùm opus maiori abſterſione fuerit, ruffum præponi, magis enim amarum eſt; minimè verò, ſi hæc negotium haud faceſſant. verùm ad eius temperamentum quod attinet, iuxta communiorem ſententiam non excedit Eruum primum caliditatis gradum, nec ſecundum ſiccitatis; abſtergere validè habet Galenus Orobum, exſiccareque manifeſtè, incidere, attenuare, abſtergere, hinc in obſtructionibus tollendis maximè commendatur; vſus tamen apud nos potiùs eſt in cataplaſmate, cùm raro internè exhibeatur. habet Dioſcor. Eruum capiti grauitatem inducere, & aluum turbare, validè tamen urinam excitare, ut ſanguinem educere valeat, quod etiam Ophmannus fatetur; Ariſt. 3. de hiſt. Animal. cap. 21. habet Orobum prægnantibus non conducere, quia difficilem reddat partum. Dioſcorides commendat Eruum contra viperarum, canum, hominumque morſus, & eius decoctum ex aqua perniones ſanare, vniuerſalemque corporis pruritum in fotu tollere, urinæ difficultatibus cum aceto, teneſmoque opitulari, cuti colorem pulcherrimum indere, vt eius vſus etiam ad coſmeticeem pertineat, ad idemque paratur ex floribus, & ex ſemine deſtillata aqua; prohibet gangrenas diutiùs ſerpere, & ſubacta cum melle farina carcinomata, ulcera abſtergere, næuos, lentigines, maculaſque ſolares emendare; Hippocrates (citato loco) orobum & incraſſare, & expellere habet, aluumque etiam ſiſtere.

De Tritico.

CAPVT LXXVIII.

Tritici, frumentique nomen à quo deductum inquiritur; Temperamentum diſquiritur, Genera adducuntur circà, & tempus ſationis adducitur; de pane Siligineo aliqua, & de Simila, Gregarioque panis correctio; vires medicæ Tritici tandem afferuntur.

QVamuis cerealium natura in varijs plantis multiplex ſpectetur, à natura differenti forma concinnatis, quæ varietatem etiam temperamenti includunt; libet ſequentibus inuicem capitibus cuncta cerealia perſtringere, & hoc in loco omnium genera, & conditiones ſummatim conſiderare, exordium à tritico ſumentes, & quia plantis ſupra declaratis ſimili temperamento præditum eſt; ſed præſertim quoniam cæterorum cerealium magis humano generi conuenientium, alimentum etiam magis congruum præbeat, quinimmò pluribus facultatibus ſcateat, quorum etiam ratione mortalium varijs morboſis affectionibus opem ferat. Frumentum dictum autumant à fouendo, & triticum vocari, ut notabat Varro de Lingua Latina, à tritura ex ſpicis facta, vel potiùs ab ea, quam

expentur

experitur dum molæ ſubigitur ut in farinam faceſſat. Eſt igitur triticum caloris primi gradus capax, licèt videatur ex Dioſcoride potiùs refrigerare; qui non tantùm inflammationes diſſoluere aſſerit, ſed, quod magis eſt, in principio adhibitum eas curare; quamuis hoc potiùs ex aliorum ſententia tractat quàm ex propria; verùm caliditas illa ex Galeno, quæ primum non excedit gradum in calidis fluxionibus, & affectibus, pro refrigerio indendo adhiberi poteſt, in his videlicet, quæ ſunt impensè calida; ſed dum aſſerit eas diſcutere, de prægreſſa inflammatione intelligere fatendum venit. interim quæ qualitas ſit illa paſſiua, quæ prædicto calori iungitur, dubio non caret. Galenus triticum obſtruere tradit, quod ſanè proprium ſiccitatis non eſt; quæ paſſiua qualitas ab omnibus ferè Medicis actiuæ qualitati, tritico aſſignatæ, copulatur; nec lentor ille, quem præſefert, ſiccitatis indicium præbet, niſi dicamus hoc opus eſſe imbecillis caloris, humiditatem totam non ſubigentis; ſiquidem cùm triticum heterogenearum partium ſit, coniunctamque habeat terreſtreitatem, & quidem non debilem, ut indè ſiccitatem adipiſcatur, neceſſarium eſt, ut ſiccitatis effectus etiam aſſurgant. cæterùm utcumque res ſit, ſi triticum tamquam alimentum conſideremus, cæteris cerealibus præſtantius eſt, immò magis neceſſarium; vix enim pane carere poſſumus, eòque magis innoxiè, quàm è cæterorum cerealium generibus conficimus, utimurque. Eſt igitur triticum, ex Dioſcoride, duorum generum; generaque, ut cum Plinio loquar lib. 17. c. 7. è ſationis tempore diuiſa ſunt; alterum quod trimenſtre dicitur, & quod Sitonium olim denominabatur, & proprium calidarum regionum eſt, ibi enim facilè creſcit, ut trium tantummodò menſium ſpatio à ſatione ad maturitatem deducatur, quæ quidem ſatio in Vere fit. alterum verò, quod autumno ſeritur, Italis alijſque regionibus frigidioribus familiare eſt, ſed in Italia præſtantius reſultat, præ cæteriſque regionibus Sicana tellus frumento feraciſſima eſt, prout ex Triptolemi fabula ſiue hiſtoria notiſſimum, quamuis & Africa frumenti feraciſſima ſit, Gargaraque, ex Ouidio, maximum frumenti exhibeat prouentum, dum verſiculo lepido ait

Gargara quot ſegetes tot habet Methimna racemos.

de Italorum in frumento feracitate eſt Sophocles ſententia dum in Triptolemi fabula inquit.

Et fortunatam Italiam frumento canere candido.

hoc cerealium genus frumentum appellatum, nullum aliud nomen quàm tritici obtinet, cuius adhuc duo genera ſunt, primum denſum, ponderoſum, nitidum, ruffo colore donatum; alterum candidiori medulla, leue, & interna ſubſtantia laxius: Plinius ſiliginem vocat, aitque ex eo ſuauiorem confici panem; quamuis neque ponderoſum ſit, neque virtute tam vigoroſa præditum, cui tamen idem Auctor, qui forſan ad panis ſuauitatem, tantummodò reſpexit, tamquam alimentum, ita in natura neceſſarium primas partes concedit; licèt poſtea facilè adulterari dicat, & à trimatu ſatione degener euadere, & in auenam faceſſere. huic copulatur etiam frumentum Scitonium, quod trimenſtre eſt, ea namque frumenta, quæ robuſta vocantur, autumno ſemper ſeri ſolent ex puriſſima, & à furfuribus

mun-

mundata farina fit panis præſtantior, quem Plinius vocabat tritici delicias, & qui à Latinis vocatur Siliginius, qui in hoc à Græcis diſsident, dum ſiligineum panem ex tritico Scitonio multum alimentum præbente conficiebant: ſecus verò euadit ſi degener ſit, aut ex utriuſque farinæ miſcellanea, vel non ita probè depurata conficiatur; ſic & panis admodum inferior fit ſi (craſſioribus furfuribus tantummodò abiectis, tenuioribus in farina relictis) panis conficiatur; is non ſolùm præſtantia, ſed integra ad alendum ſua validitate recedit: ſi verò tenuioribus furfuribus extruſis, craſsioribus panis conficiatur, adhuc minùs valet; abſtergere tamen valenter traditur, minùſque obſtruere: qui verò ex tota tritici confracti mole fit panis, ſimila dicitur; & cùm etiam panis fiat, excuſſa farina ex furfuribus omnibus remanentibus, tum tenuibus, tum craſsioribus, hunc panem Athenæus Gregarium vocat; Feſtus Pompeius acerosum appellat, qui olim in ſeruorum cibum cedebat. Apludam etiam Veteres vocabant, & furfuraceum, qui canibus etiam cibus erat. non deſcribitur triticum, quod & à ſeculo eſt nobis notiſsimum. corriguntur vitia panis, moderanturque, ut in cibum laudabilem euadat, & ſale & fermento; ſic enim confectus obſtructionibus gignendis (ad quod natura propenſum) minùs aptum euadit, panis etenim è cibis optimus dicitur (ut cum Arriano, ex Athenæo loquar) pane enim, ut ipſe inquit, plena eſt uniuerſa ciuitas.

Hactenus de tritico quatenus in humanum cedit alimētum, nunc eiuſdem vires medicas ut percurramus cum Dioſcoride, & examinemus, opus eſt: habet enim comanſum ruditer triticum morſui rabidi canis appoſitum, ſummoperè conducere: immò contra viperarum ictus, omniumque animalium venenatorum farinam ex Scitonio tritico cōfectam, vino, vel aceto ſubactam, partique commorſæ impoſitam, validè opitulari; ſic cuiuſq; generis tritici, cum hyoſcyami ſucco farina in cataplaſmatis modum concinnata contra fluxiones inteſtinorum inflationeſque efficaciter adhiberi; tunc enim obtinet & digerentis, & intercipientis vires: addit lentigines vel aceto, vel mulſo tollere, quod de tota tritici maſſa accipiendum: ſic & tritici furfures acerrimo aceto decoctos, feruenteſque, cuti appoſitos, lepras ſanare aſſerit: immò inflammationibus incipientibus utiles, parato ex eis cataplaſmate: coctos cum ruta, & impoſitos, luxuriantes immodicè mammas coercere. verùm cùm ex triticea farina fermentum paretur, quo panis à noxijs, quas inferre valet, corrigatur, etiam fermento utimur ad varios curandos morbos: fermentum enim, ex eodem Dioſcoride, calefaciendi vim habet, extrahendique, quo nomine etiam extenuare valet, & callos ſub pedum planta ſanare; cum ſale remixtum tuberculos, furunculoſque maturare; decoctam ſiligineam farinam ad glutinis conſiſtentiā, ſi delingatur, ſanguinem per os reijcientibus ſiſtere traditur; ita eamdem opportunè opponi cum butyro, & menthæ decocto tuſſi, & arteriæ ſcabritiei. cæterùm etiam panis ex tritico confectus ad plura valet; nam vel crudus, vel coctus cum aqua mulſa impoſitus inflammationum ardorem demulcet, ita & emollit inquit, & quadantenus refrigerat; in quo tamen caſu magis euadit opportunum medicamentum, ſi cum herbis refrigerantibus admiſceatur. Cæterùm non tantùm panis recens morbis tollendis opportunè

portunè

porturè adhibetur, ſed etiam vetuſtus, & aridus medicinæ fauet; nam ex ſe ſolus, vel alijs adſtringentibus remixtus, alvum, eiuſque profluvia ſiſtit; recentem verò adhibitum, ſi cum muria maceretur, lichenes antiquos ſanare tradunt. gluten verò illud, quod ex ſimilagine conficitur, præterquamquòd ad codices glutinandos perutile eſt, ſanguinem reijcientibus prodeſſe ait, ſi cochlearis menſura abſorbeatur; quod etiam eſt proprium amyli, quod quidem, ex Plinio, ex omni tritici genere conficiebatur; ſed optimum eſt trimeſtre; cuius inuentionem Chio Inſulæ deberi tradit, & ita appellari, quòd ſine mola fiat.

De Hordeo.

CAPVT LXXIX.

Hordeum Ruſticis potiſsimum in cibum euaſiſſe affirmatur; Romanis in gladiatorum uſum uſurpatum; & militibus appoſitum ad ignominiam. ex antiquiſsimis ſæculis ægris fercula parari ex Hipp. temperamentum diſquiritur, aſſignatur. de ptiſana aliqua. vires enucleantur.

Hordeum magis in medicamentis nobis expetitur, quàm in alimẽtis, cùm alimentum non ita bonum præbere dicatur; antiquiſſimis tamẽ temporibus in cibum, ex Plinio, uſurpatum fuiſſe etiam Romanis video; quod tamen in pòſt ſecutis ſæculis in Gladiatorum uſum ceſſit, ſub qua ratione hordeacei vocabantur; at reuera hordeum non ingratum præbet alimentum, licèt infirmius, & vilioribus hominibus, agreſtibuſque magis alimoniæ gratia uſurpatum; quod ex Redemptoris noſtri miraculo manifeſtum fit; dum innumeram ferè turbam quinque hordeaceis panibus ſaturauiſſe conſtat, quos à ruſtico coemiſſe in loco deſerto illo credendum eſt. quorumdam Romani militibus hordeum ad ignominiam apponebant, tãquam alimentum vilius; ex hordeo tamen ptiſana conficitur, medicamentoſus cibus ab Hippocrate tantoperè commendatus. temperamentum hordei frigidum à Galeno pluribus in locis aſſeritur, & ſiccum in exceſſu primo; ob id hic cũ calidis malè combinari medicamentis videretur, ſed, ne ipſum à cerealibus in diſquiſitione ſegregemus, libuit etiam de hordeo verba facere; libro tamen de attenuante diæta cap. 6. & 7. ait conditionem attenuantem obtinere, quod ſanè frigidorum non eſt; quod ſi & maturat, & concoquit, primum frigiditatis gradum non attingit, licèt ea, quæ temperata ſunt, aut parum calida, ad impenſè calida collata, ex Galeno, frigida nuncupanda ſint; vergere tamen hordeum potiùs ad frigidũ, quàm ad calidum, apud ferè omnes in confeſſo eſt. hinc forſan arguendũ, compoſitam habere materiam, & temperiem ex partibus modicè & calidis, & frigidis, licèt à Dioſcoride dicatur flatulentum eſſe, & ſtomacho aduerſari; hinc iubere Hippocratem crediderim, hordeum in elicienda ex eo ptiſana, diutiùs incoqui debere, ſub qua ratione polentam hordeaceam minùs alimenti præbere ptiſana ipſa ait, quia minùs incoquitur, & ſubindè minùs concocta euadit; quæ tamen hordei ptiſana ægrotis etiam magis utilis

Lib. 18. c. 7.

btilis cenſenda, quàm ſanis. commendat idem Hippocrates ptiſanam cōtra humorum acrimoniam, ac ſubindè contra arteriæ aſperitatem, eiuſdemque exulcerationes, quibus morboſis etiam affectionibus æquè opponi poteſt etiam ptiſana triticea; habet tamen hordeaceam ptiſanam urinam ciere, abſtergereque, ut notum eſt, quæ verò cum fœniculi ſemine fit, & abſorbetur, lactis abundantiam cauſat; proditur tamen eſſe maturantis etiam facultatis, cùm œdemata compeſcere valeat, ſi eius farina cum caricis, aqua mulſa ſubacta, parti apponatur; ſub qua ratione etiam inflammationes diſſoluit: cum piee verò, reſina, fimoque columbino, emollit durities, coquitque; quod ſi cum meliloto, & capitibus papaueris miſceatur, doloribus lateris occurrit, cumque fœnugræci, & lini farina, rutaque in inflammationibus inteſtinorum commendari; ſic etiam aſſerit ſtrumas ſoluere, ſanareque, ſi præſertim farina impuberis pueri urina ſubigatur, additis liquida pice, oleo, ceraque: ſi verò eum myrto, aut piris ſilueſtribus, vel malicorio, rubovè concinnetur, alui profluvia ſiſtere; immò & podagricis prodeſſe, articulorumque inflammationibus ſi cum cydonio malo ex aceto apponatur; tum in acri aceto decocta inſtar malagmatis, vel hydroleo ſubacta, calens impoſita, lepris mederi ait. quod ſi opus ſit pus mouere, eius farinæ cremore cataplaſma fiat ex aqua, pice, oleoque; ſic enim parata opportunum medicamentum euadit; qui quidem ptiſanæ cremor cum aceto expreſſus, ſi cum pice decoquatur, doloribus attemperandis, articulorumque fluxionibus demulcendis utilis euadit. quamuis glorietur podagra, in Luciani Dialogo Trago podagra inſcripto Medicos hordeaceo pane irrito famem conatu ipſam ſuperare, contendere.

De Zeá.

CAPVT LXXX.

Zea in pane conficiendo præſtantia diſquiritur.

Zea, quæ noſtris vernaculo ſermone ſpelta dicitur, frumentacei generis eſt, & olim in cibo pro ſelectiſſimo pane conficiendo uſurpabatur, qui albiſſimus (teſte Plinio) & ſapidiſſimus euadebat, humanæ tamen ſaluti non ita opportunus, cùm tritico zea viſcidior ſit, & ad obſtructiones excitandas facilior. Plinius zeam (ſemen) vocat per antonomaſiam quaſi inter cætera cerealia præſtantior ſit, & opportuniùs ſemen pro laudatiſſimo conficiendo pane ferat; habet tamen Dioſcorides zeam minùs tritico alere, magis tamen hordeo, & ori gratius alimentum præbere, vireſque & temperamentum frumento ſimiles gerere.

De Secale.

CAPVT LXXXI.

Tritici facultates Secale obtinere traditur, & alimentum minùs viſcidum præſtare creditur.

SEcale frumento forma non admodum diſſimile eſt, culmo longiore, elatiorique capulo, & firmiori, calamus ad mapalia conſtruenda noſtris commodè uſurpatur. ex ea fit panis, ſed non ita laudabilis quemadmodum ex tritico, non ita candidus, nec tam grati ſaporis; ſunt tamen plures, qui credunt magis innocuum alimentum tritico ipſo præſtare, quia minùs viſciditatis obtineat; traditur tamen, ad medicum uſum quod attinet, eaſdem facultates cum tritico obtinere, aptarique tanquam materia remediorum iiſdem omnibus morbis, & eodem modo, quo cætera tritici genera.

De Auena.

CAPVT LXXXII.

Auenæ vires conſiderantur, & temperamentum.

AVena hominibus alimentum non præbet, nec ullo modo in eorum cibarium uſum reuocatur, ſed, ex Galeno, in pabulum iumentorum cedit, ut homines, niſi annonæ caritate impulſi, ea ipſa uti cogantur; temperamentum eius hordeo æquale eſt; exſiccat enim manifeſtè; eiuſdem enim farina in cataplaſmate vſurpata, hoc magis quam triticum extergit; nonnihil tamen citra acrimoniam adſtringit. Cæterùm ſunt qui putent auenam hordeo paulò frigidiorem. Dioſcorides ventris profluuia cohibere ait, ſi in modum pultis parti apponatur; quodſi ſenſim abſorbeatur, tuſſim ſanare proditur; næuos diſſipare ait Plinius, ſi in aceto coquatur, apteturque; puls ex auena confecta ad ſomnum conciliandum apta exiſtimatur.

De Oryza.

CAPVT LXXXIII.

Oryzam Indicam plantam putat Theophraſtus hordei vireſque poſſidere exiſtimatur.

ORyza, ſi Theophraſto credimus, ex Indis ad nos migrauit, ut cerealium uſum nobis augeret, & commodo noſtro indulgendo ampliorem frumentaceorum materiam præberet, & ſic alimentum ex ijs elicitum multiplicaret; quamuis Plinius Oryzam in leguminum genera reponat; non eſt tamen oryza noſtra ſpecies illa, quam Plinius gemmea radice fo-

lijs

lijs carnoſis, porri ſimilibus deſcripſit, cùm forma Oryzæ noſtræ à Pliniana ſummoperè diſcrepet, quod à Dodonæo animaduerſum non video; granum enim noſtrum, quo utimur, inſtriata vaginula reconditum eſt, & ariſtæ ſatis breui innititur in ſummo, intus candidiſſimum ſemen, culmus hordeaceus, & triticeæ radici ſimilis, cubitalis, & modo maior, geniculatus; ſpica veluti in ramulis diſpertitur milij inſtar, alterno ſitu granum producens; udis, & caliginoſis locis ſeritur; circaque æquinoctium autumnale ad maturitatem perducitur. aſſeritur ſimile temperamentum hordeo gerere, & communi omnium ferè Botanicorum conſenſu vires eidem pares habere; neſcio tamen quid magis adſtringentis poſſidere credunt, ſub qua forſan ratione alvum ſupprimere valere Dioſcorides aſſerit; quod etiam expreſſit Galenus, qui Oryzam mediocriter alere tradit.

De Milio.

CAPVT LXXXIV.

Frigidum Milium eſſe ſtatuitur. Circa quod Amatus correctus. Milij durabilitas affirmatur; vires examinantur.

MIlium frigidum ab Arabibus ſtatuitur in primo gradu; non verò in tertio, vt Amatus Luſitanus opinatus eſt; frigidum tamen ſatis validè eum conſtituere erroneum non eſt, quod ab effectibus deduci poſſe videtur. eidem etiam ſecundum ſiccitatis gradum aſſignant. cæterùm Gal. quarto acutorum, eodem modo refrigerare ait, quo exſiccare valet. verùm ſiccitatem ſatis validam Milium poſſidere arguit eius ſeminis penè incorruptibilitas; incolume namque perdurat per centum & ampliùs annos, vt annonæ ſeruandæ in longiſſimum tempus gratia in municipijs congeratur, quando aliqua futuræ obſidionis ſuſpicio habita ſit; verùm etiam in cibum quotidianum ruſticis faceſſit: noſtris tamen hiſce temporibus non ita in frequenti vſu reperitur, prout olim ſolebat, poſtquam ſcilicet Maiz Indorum, ſiue frumentum Turcicum in hiſce noſtris regionibus ſeri cœpit, cuius ſaporis dulcedine allecti ruſtici, eo ſummoperè, poſthabito milio, delectantur; quod amaroris neſcio quid præſeferat. accedit inſuper gratiori ſapori in Maiz facilitas ea, quà ad edulium paratur, dum ex eius farina facilè polenta conficitur; quæ leuiſsimo labore, & breui tempore confecta, iiſdem & panis, & obſonij vices gerit; ex ea tamen, vel ex eius pane confecto alimentum non ita vtile humano corpori deſumunt; compertum namque eſt ex huiuſmodi edulij genere vermes frequentiſsimè generari. cæterùm Milium planta etiam Hippocratis temporibus non leuem obtinuit uſum in fomentis, præſertim ſiccis; quod apparet ex 2. lib. de ratione victus in acutis. Plinius Milium laudat quia molliſſimum, leuiſſimum- *Lib.22.c.25* que ſit, & ad impreſſionem à calore recipiendam aptiſſimum, capaciſſimumque: qua ſub conſideratione opinandum ſiccitatem, quam obtinet, non tantum à terra, ſed etiam ab igne habere, cùm Milium quamdam leuitatem in ſe contineat, licèt à frigido ſubacta ſit; ita Galenus 3. de locis affe-

affectis 1. Milij ſemen recepit in fomentis ſiccis, quæ ab eodem in pleuritide humidis præferuntur. demulcet igitur Milium dolores à cauſa præſertim frigida, & à flatuum congeſtione ortos in pectore, teſticulis, ventre, alijſque partibus; ſecus in cauſa calida, quia ſiccitatem, ut dictum eſt, non à terra tantùm, ſed ab igne concepit: hinc eſt, quòd ſemel calefactum diutiùs calidum retinet, ideò ventris doloribus à fœcibus induratis conſtipantibus non conuenit; ex milij farina confectum cataplaſma ad ea omnia, de quibus ſuprà agitur, conuenire ſummoperè poteſt, unoque verbo, ubi non leui exſiccatione opus ſit, utiliter imponitur. ideò in alui fluxibus ex cruditate, & flatibus ex eadem eleuatis ſummoperè conducit. ptiſana ex milij farina confecta ad urinam ciendam utiliſſima perhibetur, quia forſan alvum cohibere valeat.

De Panico.

CAPVT LXXXV.

Galeni opinio circa Panicum reijcitur, & Dioſcoridis, Columellaque amplectitur; ſententia Galeni de præſtantiori alimento Milij, aut Panici præſtando Dioſcoridi contraria. vires afferuntur, & deſcribitur planta.

Licèt Galeno viſum ſit Panicum inter frumentacea non eſſe reponendum, ſed potiùs inter legumina, rectiùs tamen Dioſcorides cum Columella ſeminibus frumentaceis adnumerandum autumat; quamuis etiam idem Gal. alibi dixerit, quæcumque ſemina ad panem conficiendum apta frumentis adnumerari poſſe, eodemque citato loco dicat, Panicum aliorũ frumentaceorum inopia, & Milium materiam præbere panis poſſe, licèt pauci & frigidi alimenti materia ſit; ſubiungebatque panicum magis alvum cohibere, quàm Milium. hoc ſanè contra Dioſcoridis placita pronunciatum video, qui dicebat Milium præſtantius alimentum exhibere, & concoctu facilius, & panico comparatum magis nutrire. adhibetur in medicina ad ea omnia, ad quæ milium; quamuis milium magis & adſtringat, & refrigeret. deſcribitur à Plinio radice, folio, culmoque Milio ſimile; panicula tamen non ita vt in Milio divulſa, ſed racematim collecta, innumeris ferè granulis compacta, hiſpidis rotundiſque; quæ ſanè deſcriptio non perpenditur à nobis, cùm de re ſatis nota loquamur.

1. De Alim.

De Sorghi aut Sorgho.

CAPVT LXXXVI.

Sorgum Milium Indicum Plinij putatur, non Farris ſpecie m contra Fuchſium, deſcribitur. Temperamentum affertur, vires examinantur.

EX Indis inuectam nobis fuiſſe Melicæ plantam, ſic etiam Melicæ Sorghi vocant, Plinij temporibus, illam, ſcil. quæ noſtris vernaculo ſermone

mone Sorgho dicitur,quod ex omnium ferè Botanicorum conſenſu eadem exiſtimatur, cùm de hac neque Theophraſtus,neque Dioſcorides verbum vllum fecerint. forma huius ſtirpis cum Plinij deſcriptione congruere videtur.Fuchſius farris ſpeciem iudicat;ſed vt rectè opinatus eſt Dodonęus, cum farre Melica nihil habet, potiùs ſiquidem aut Milium, aut quadantenus Panicum forma æmulatur; vnde non ineptè eãdem plantã Plinius Milium Indicum appellauit, eiuſdem formæ rationem habens: cæterùm ab una firma & craſsiuſcula radice, in latum varijs propaginibus ſe porrigẽte, culmi Sorghi emergunt, admodum elati terni, quaternique, & ampliùs, etiam ſi ſolum pingue inuenerint, arundinacei octo & ampliùs pedibus ſe ſe erigentes, in quorum ſummitate Paniculi dodrantales, recti inſtar milij granis multis refertis, maioribus tamen, obſcurè rubentibus, pellucidis: e ſingulis arundinacei calami geniculis folia erumpunt arundinea, & ipſa viridia, vt procul ſpectantibus, arundineta, earumque ſilua ibi ſata fuiſſe credantur: alimentum ruſticis præbet non adeo gratum; fit enim ex ſemine farina ex qua panis ruffus euadit, ex eo neque alimentum probum fit, neque ita ſalubre, frigidum enim ſua natura eſt, non ſine ſiccitate. ad vires eius quod attinet, culmorum medulla,& ſpongia exuſtis,addito pipere,cũ triticea farina,omnia aceto excepta,vtile medicamentum paratur,ſi Matthiolo credimus, ad ſtrumas ſanandas efficaciſſimum; & cùm è culmis quandoque non ſemper ruffum ſemen, ſed etiam album proueniat; ſemen rubrum epotum in vino rubro drachmę vnius pondere,fęminea rubra profluvia ſiſtit; album verò ſorghi ſemen alba: ſic in dyſenteriæ affectibus rubrum ſemen commendatur; & quod de ſemine dictum eſt, etiam verificatur de eius ſquamaceo putamine, quod ieiuno ventriculo ſumptum in oui vitello idem operetur.

De Frumento Saracenico.

CAPVT LXXXVII.

Frumentum ſaracenicum Veteribus incognitum, Aſiatica planta; deſcribitur. Fagopirum cur appellata à Dodonæo. Gallinas ex ſemine ſaginari aßeritur.

VEteribus frumentum Saracenicum vel ſpreta planta fuit, vel incognita, & antehac vel Italiæ ignota, vel in uſum minimè recepta: nec mirum hoc ipſum eſt, nam ei Ophmannum teſtem adhibeamus, bello tantummodò Saracenico ex Aſia in Italiam inuectam aſſerit, Fagopirum dictam, ſi Dodonæo credimus, à ſeminis forma, quod Triquetro ſuo aſpectu glandem faginam æmuletur, licèt magnitudine longè impar. Culmos gerit leues, rotundos, ſtriatos, folia cum volvuli cyſſampelos; flores albidi, racematim collecti, ſemine triangulari, cortice nigro. fit ex ſemine farina ad panem apta conficiendum, qui ſanè plùs nutrit milio, panicove, ſed minùs hordeo, frumento, ſecaleque; ex hoc polenta fit ruſticis vtilis, quæ quidem planta in quocumque ſolo, etiam minimè læto, facillimè prouenire ſolet, & ferè quocumq; tempore ſeri; panis ex eodem ſemine confectus

ſectus in ventriculo non difficulter coquitur, facillimèque ad inteſtina deſcendit. lentorem tamen non leuem in ſe habet, & multò magis polenta: hinc arguendum paratum panem ad obſtructiones indendas magis quàm ex tritico eſſe, non admodum tamen nutrit, præbet tamen ſatis laudabile nutrimentum. ex eius ſeminis vſu facilè gallinas ſaginari traditur, ſed hominibus flatus copiam ſuppeditat.

De Frumento turcico, ſiuè Maiz Indorum.

CAPVT LXXXVIII.

Frumentum Turcicum, vel Maiz. Indorum eſſe Italiæ nouam plantam aſſeritur, deſcribitur.

EST Maiz, ità Indi appellant ſemen illud, non multis abhinc annis in Italiam delatum. Meligæ, ſiuè Sorghi culmo arundinaceo ſimili, medulla fungoſa, candida repletum, varijs nodis ab imo uſque ad ſummum conſtante, & geniculis, à radice ſatis craſſa inſtar melicæ, ſeu ſorghi in latum varijs fibris expanſa, duo, tres, & quandòque ampliùs culmi prodeunt, ſeptem, & quandoque ſupra pedum altitudine ſurrecti, folia arundinis, ſed latiora, paniculos duos, tres, aut plures, non in caulis ſummitate, ſed ad latera fert, membranacea vagina incluſos, pallenti; ex cuius paniculæ ſummitate pendent veluti quædam purpurea capillamenta: in ſummo verò caulis alium florem promit, arundinibus non diſſimilem, ſemina Ciceris magnitudine paniculas explent, totamque undequaque complent, anguloſa in ſuperficie rotunda, quæ dum maturitatem acquirunt, luteum colorem induunt, & læuiſſimo, nitidoque cortice obducta ſunt, intus albida ſubſtantia, denſa, quæ cortice nudata in farinam faceſſit ſubluteam, ex qua fit panis, qui tamen parum alit, & difficulter concoquitur, qui eo vtuntur, ad imum ventrem deſcendere tardiùs aſſerunt; ſecus de polenta ex ea facta, quæ cùm humida magis fit, faciliùs ad imum aluum tendit, proditur panem, quia facilè exſiccatur, adſtrictam aluum ipſam reddere.

De Lolio.

CAPVT LXXXIX.

Lolium cur à Virgilio infelix dicatur. eſſe Tritici vitium cum Plinio aſſeritur, noxæ eius afferuntur quemadmodum ex vires medicas diſquiritur Temperamentum.

SVa ſeminis forma Lolium deſcriptis ſuprà frumentaceis veluti quadam affinitate coniunctum videtur. Plinius tritici vitium appellat, cùm ex tritici vitiato ſemine naſci lolium tradatur, ſi vliginoſum ſolum inuenerit. ſic Dodonæus Plinium ſecutus inter tritici vitia eius grana recenſet, ſi triticeæ maſsæ aſſocientur, cùm penè eamdem cum tritico ſeruent

ma-

magnitudinem, dum ex paleis excutitur, itâ vt cribro difficillimè à tritico ipſo ſecerni queat. nullum vſum in cibis habet, & forſan ob hanc cauſam infelix à Virgilio vocatur, quia panis ex eo confectus lethalem vim habeat: obſeruatur ſiquidem maximum nocumentum adducere, ſi ſimul cum tritico non benè ab eodem depurato in farinam faceſsat: tunc enim panis à tali farina confectus caput valdè tentat, & veluti vertiginem, aut quaſi temulentiam, dementiæ affinem, excitat; Cerebrum namque hebetat, & mentem ipſam, veterno inducto, torpidam reddit, & cætera membra ſummo languore afficiendo, validè opprimit. Plures tamen vſus in medendo adipiſcitur; Cæterùm lolium planta eſt, quæ ſtipula, ſiuè culmos tritico quadamtenus ſimiles gerit, folia ſaturato virore ſunt prædita, habet tamen in ſummo ſpicas frumentaceis diſſimiles, & ariſtis vacuas, in qua vtrinque per interualla racematim emergit ſemen, & in vnoquoque racemulo terna, quaternavè vnione conglomeratum ſurſum elatum, craſso cortice, ſiuè aſpera membrana, duraque, & inæquali contectum, folia tritici paulò tamen anguſtiora; radice tritico ſimili. Gal. aſſignat lolio temperamentum calidum in principio tertij gradus, in ſecūdo verò gradu ſiccum, itâ vt acribus medicamentis non admodum diſſimile fiat, & ſanè effectus, qui à lolio emanare ſolent, ſunt ex eodem Gal. non imbecillis caloris indicia; habet enim, citato loco, ſi panis, vel neceſſitate coactis, aut incerniculorum incuria ex tritico plurimo lolio remixto factus in cibum ceſſerit, qui eo vſi ſunt, per hyemem dolore capitis vexari; ſi verò ingruente Vere, puſtulis in cute, & ulceribus affectos fuiſſe; quæ ſanè ſymptomata ſunt caloris ex alimento contracti manifeſta indicia. hinc colligi poteſt neceſſarium non eſſe narcotica medicamenta appellata, frigidam, & humidam temperaturam obtinere; horum enim effectus à propria, & ſpecifica forma, & facultate potiùs, quàm à temperamento prodit. vires lolij à Dioſcoride, ad medicam facultatem quod attinet, plures adducuntur, habet enim nomas, vlcera putreſcentia, & gangrænas compeſcere, ſi cum ſale & raphano apponatur. in vino lolium decoctum cum fimo columbino, & ſemine lini, ſtrumas abſoluere, & ad maturationem perducere. Iſchiadicis ſummoperè conducere cum mellcrato impoſitum; cum ſulphure verò viuo remixtum ex aceto lichenes, & lepras ſanare; conceptionem iuvare, ſi ex eo paretur ſuffitus Thure additis myrrha, aut croco, oculis tamen officere. addit Plinius lolium oſſa fracta extrahere, malagmate ex farina facto; quo iure tamen polenta addatur, non video. 6. Simpl.

De Vinca peruinca.

CAPVT XC.

Vincam peruincam Recentiorum eſſe clematidum daphnoidem Dioſcoridis affirmatur; malè à Plinio aſsignari huic catharticam facultatem aſſeritur. deſcribitur. Temperamentum & vires aſsignantur.

QVæ Plinij temporibus planta Vi ncaperuinea appellabatur, etiam noſtro hoc æuo ſic appellatam video, quæ tamen ſub quo nomine à Dio-

Dioſcoride fuerit deſcripta adhùc dubitatum ſcio; & quamuis idem Plinius lib. 21. cap. 11. & cap. 27. dicat hanc plantam eſſe à quibuſdam daphnoidem appellatam, hoc tamen hæſitationem non tollit, cùm è clematidum familia alia etiam planta Daphnoides dicta ſit, quæ valida facultate cathartica prædita eſt; & quæ cum præſenti Vincaperuinca minimè conuenit: cæterùm e clematidibus Dioſcoridis hanc eſſe primam in ordine Daphnoidem vocatam, non inani coniectura aſſerendum videtur; quod cùm etiam à Plinio ſtatutum videam, non eſt ut in ijs inutiliter immorer; quamuis non leuem etiam confuſionem pariat id, quod habet idem Plinius. Daphnoidem hanc clematidem purgantem facultatem poſsidere, quod quidem toto cælo à veritate diſtat, ut confundere videatur noſtram plantam cum Laureola; etenim Vincaperuinca potiùs contrarium producit effectum. Sic igitur appellatur non quidem à vinciendo cæteras plantas, hoc enim à natura non habet; ſed quoniam viticuloſis & flexibilibus virgulis ſuis, ſiue ſarmentis, iunci craſſitie ſe extendat, quibus cætera clematidum genera quodammodò æmulatur, etenim repit humi viticulis in longum protractis, quaſi cæteris plantis vinciendis apta euadat; ſic & daphnoidem vocant, quoniam viridia folia Lauri, licèt minora valdè perpetuo virore vigeant, & luciditate quadam inſtar Lauri regij niteant; flores ſunt violacei, ſiue cærulei, petiolo longiuſculo innitentes, quadrifolij, minimè tamen odorati, lepida textura cum tota planta conuenientes, ut inter coronarias non infimum locum occupet; radix flaua, fibroſa eſt; immò datur alia huius generis Vincaperuinca, quæ latiora folia gerit, & magis rotunda; ſunt etiam aliæ ſpecies, tum eius quæ variegatum florem, tum quæ plenum gerunt; ſed diuerſum genus non conſtituunt; in omnibus namque forma ferè ſimilis eſt, quemadmodum idem temperamentum, & eædem vires. Cæterùm non minor difficultas viget adhuc de huius plantæ ad gradus, & qualitatem temperamenti quod attinet, deſignandi; ſunt enim qui calidam Vincaperuincam ex leui illo amarore conijciant, ſunt qui frigidam autument, cùm ſanguinem ſiſtere valeat, aliique fluxiones; de ſiccitate tamen nulla difficultas, quàm communiter in ſecundo gradu ſtatuunt, & effectus calidam potiùs quàm frigidã Vincãperuincã eſſe in primo gradu manifeſtãt; an ferunt ad vires quod attinet, clematidem, quã etiam Ægyptiam cognominat Plinius, & quam præcipuè in Ægypto generari ait, cum aceto potam, aſpidum morſibus aliorumque venenatorum animalium remedio eſſe; foliaque ex Dioſcoride alui profluuia & dyſenteriam ſiſtere; habet in peſſo ſubditam cum roſaceo, dolores uteri ſanare; aut cum cypero & lacte dentium dolores comanſam demere, profluuio è naribus laborantibus ſanguinemque euomentibus, aut per ſputum reijcientibus opitulari; lac etiam abundè reuocare deperditum, ſi eius decoctio ſummo manè ſumatur, cui, ſi poſſibile eſt, prono pectore ſuperdormiat nutrix.

27. c. lib. cit.

De

De Citro & eius partibus.

CAPVT XCI.

Citrum priſcis etiam ſeculis inter odoramenta repoſitum, expetitum; malum Medicam vocatum, Aſsirium, & Perſicum, diſtingui à malo Ægyptia, deſcribitur ab Athenæo. Dalecampius laudatus, Salmaſius notatus. mala Heſpedum citri mali ſpeciem fuiſſe creditur. de citro ex Atlante Monte diſſeritur, deque menſis citreis, de cedria nonnulla, deque libani cedris. Temperamentum citri adducitur ſecundùm eiuſdem varias partes. vires afferuntur.

Citri planta Italiæ quamuis aduena, immò ubique locorum rigidum reſpuat cælum, notiſſima tamen, tota quidem odorata cernitur, ſed eius fructus cæteris eiuſdem partibus longè præſtat, quo nomine & celebris euaſit, & inter præſtantiora odoramenta priſcis ſæculis principem locum ſibi vendicauit, quod etiam ſi nos non fallat Theophraſti teſtimoniũ, cibis additum citrum animæ fœtorem, halitumque malè olentem tollere valebat, quod quidem à Virgilio confirmatum video, dum inquit,

animas & olentia Medi

Ora fouent illo.

Antiquioribus doctis illis noſtrum citrum malum medicam, Aſſiriamve & etiam Perſicam vocatam fuiſſe, non eſt ferè, qui è Neotericis ampliùs dubitet; à quibuſdam tamen malè confunditur cum malo Æthiopica, ſiue Ægyptia, ea ſcilicet, quæ ex Aethiopia, ubi Perſeæ nomen à Perſeo obtinuit & eo delatore in Aegyptum migrauit, ſicque à pluribus eadem Perſica malus noſtra Perſica cenſetur, quæ, ut inquit Dioſcorides, cùm in Aethiopia venefica fuerit, in Aegypto verò ſalutaris euaſit: utcumque tamen res ſit, hæc Perſica differentiſſima proculdubio eſt à malo illa Aſſyria etiam Perſica vocata, & Medica, de qua modo tractationem inſtituimus, quæ à Macrobio 3. Saturnalium etiam Perſica Vocari traditur, quia ex perſiche generetur, & quam verſiculo, quem adduxit, intellexiſſe Virgilium ſub nomine felicis mali aſſerit Geor. 1. dum inquit

Felicis mali quo non præſtantius ullum.

& quæ à Latinis ſibi Citri nomen arrogauit, eoque ab ipſis expetita conſilio, ut ex eius fructu in primis veſtes odoratas redderent, eaſque à tinearum eroſionibus incolumes ſeruarent; hinc Neuius Citroſam veſtem vocat, quæ à Citro odorem lepidum receperit, hoc verſiculo.

Pulcram ex auro Veſtem citroſam.

huius ſanè præclariſſimæ plantæ miras refert conditiones ex Theophraſto Athenæus, qui citans eiuſdem textum in 4. de Hiſtor. plantarum, qui ſanè locus à nobis deſideratur, introducit quemdam Democritum de citro ſic diſſerentem; *Regio*, inquit, *Media & Perſidis plantas alias plures ha-*

bet peculiares: quam Medicam aut Perſicam nuncupant arbos, folium Adracnis lauri nucis folio ſimile eſt, & ferè par, ſpinæ, quales Pyro aut Oxiacanthe, leues, firmæ, peracutæ, fructus quidem non manditur, ſed odorem apprimè iucundum ſpirat, ſicut & folium arboris veſtibus interpoſitum illæſas ſeruat. eſt etiam ijs utilis, ſi quis lethale venenum biberit, quia potus è vino, aluum deturbat, & venenum exigit, & halitũ commendat; nam ſi quis iuſculo, vel liquoribus alijs quibuſdam incoctum pomi corticem in os exprimat, ac ſorbeat, odoris gratia conciliatur. Et paulò pòſt ſubiungit, ut noſtrum citrum manifeſtiſſimè reſcripſiſſe conſtet. *Nullo non anni tempore pomifera eſt, alijs cadentibus malis, decerptis alijs, alijs floreſcentibus hæc ille.* Cæterùm ſi quis in dubium reuocet ex relata ab Athenæo Theophraſti hiſtoria, quod cùm malum Citriam, de qua modò loquimur, malum etiam Perſicam vocauerit; an ſcilicet potiùs de Perſica noſtra vulgari locutus ſit, quæ in fructu nucleum continet, & in pulpæ ſuæ medicullio; clarum tamen euadit, hoc nullo modo admitti poſſe; nam præterquamquòd ex forma plantæ adducta in allata hiſtoria, non Perſico malo vulgari, ſed Citro, de quo loquimur, in omnibus congruit; ſed de Perſico noſtro vulgari ex eodem Athenæo manifeſtum, locutum fuiſſe Theophraſtum in 2. de Hiſtor. plantarum; dum introducit quemdam Siſillum Siccinium dicentem in libro de his, quæ veſcenda ægris, & benè valentibus dantur. Quæ Perſica mala vulgò nuncupantur, & à quibuſdam Perſica pruna, ſucci ſunt mediocriter boni, plùs nutriunt quàm mala. Deinde ſubiungit ex Philotimo in lib. 4. de Alim. Perſici mali nucleum pinguiorem eſſe laxiorem, tuſumque multum olei reddere, raucedinem, ſtertoremque excitare; quod nemo cordatus de noſtri citri ſeminibus prolatũ crediderit, cùm clarè poſtrema verba de nucleo Perſici noſtri vulgaris accipienda veniant; quapropter exiſtimo malè carpi Dalecampium à Salmaſio, dum hæc de ſuo in Athenæi textu addidiſſe putat; nam præterquamquod hoc ipſum in aliquibus manuſcriptis reperiatur, neſcio (ut ingenuè fatear) quo nomine Athenæi textum mutare voluiſſet: verùm ſi negotium exhibeat illud dum inquit, citri fructum non mandi, noſtrumque citrum familiariter edi, dum haberi poſſit; ſufficit pro ſolutione dixiſſe, Veteribus citrum in cibis non fuiſſe uſurpatum, quod ex Plinio manifeſtè elicitur, qui ſupra Athenæi tempora vixit. Cæterùm ſub nomine plantæ Citri variæ huiuſmodi arboris ſpecies commodè venire poſſunt. quod quidem Ioannes Baptiſta Ferrarius in ſuo de malorum Aureorum cultura commonſtrauit; aurea namque mala etiam vocari Salmaſio ipſo viſum eſt, & ſic illa aurea, quæ ſub Draconis cuſtodia Heſperidum Hortis ſeruabãt, vel citros, vel aureantios fuiſſe veritati conſonum exiſtimo. Hinc facilè deducendum venit temporibus illis, in quibus Citri planta Romanis communicata eſt, ipſis ex Heſperidum potiùs regionibus delatam, quàm ex Perſia, Media, aut Aſſyria fuiſſe; Iiidem enim illis temporibus Lybica regio magis peruia erat; immò Aemilianus quidam ex Athenæo dicebat, Iubam Mauritaniæ Regem malum Heſperidum citrum vocaſſe, indè Herculem in Græciam tranſtuliſſe, & Aureum appellaſſe. Verùm hìc illud occurrit animaduerſione dignum, Priſcis duas fuiſſe arbores, à Latinis citri nomine donatas; vnam, de qua hucuſque locuti ſumus, alteram verò ex Atlante, & ex Ancorio

mon-

montibus petitam Mauritaniæ, cupreſſi foliatura, fructu minori, ſed non admodum abſimili, ampliſsimo trunci ambitu, ex quo citriç illæ menſæ venarum diſcurſibus verſicoloribus celeberrimæ, & undatim criſpæ, ut cum Plinio loquar, quarum magis expetitæ, quæ Pauonum caudas æmularentur, in quibus variarum venarum diſcurſibus natura, veluti teſſelato opere, ludebat; ex ijs menſas in Romanorum luxum tandem veniſſe, teſtis eſt idem Plinius, qui ſatis mirari non deſinit, Ciceronem undecim ſextertijs unicam menſam mercatum fuiſſe eo præſertim tempore in quo ſeculi frugalitas nondum omninò corrupta erat, quæ citri ſic accepti arbor à Theophraſto vocatur θύον, ſiue θύα, nec eſſe arborem vitæ Recentiorum, neque Sabinam, ut quidam, ſed malè opinati ſunt, manifeſtè apparet; hæc enim non inter arbores, ut ex propria forma notum, ſed inter cremia collocantur. hanc ipſam arborem Priſci contignationibus ædificiorum in æuum longinquum duraturis deſtinabant, præſertim eas ſuccidentes, quæ circa Amonis delubrum, & Cyrenem naſcebantur. diuerſa tamen omninò ab hac illa arbor eſt, quæ in Syria naſcens, & Libano monte ſub æternæ durationis titulo in contignationibus Hieroſolymitani templi à Salomone Rege delecta & uſurpata fuit, prout ſacræ loquuntur paginæ, quæ non citrum, ſed cedrum paſsim ab Auctoribus vocatur, & conifera eſt, & quæ reſinam manare quamdam, cedriam dictam, teſtis eſt, præter plures etiam alios Auctores, Dioſcorides noſter, qua uſam fuiſſe opinandum in foco Calypſum, ut ex Homero notum, & in lampadibus ſuis Circem uſsiſſe balſami inſtar; quam gratum odorem ſpirare non eſt incongruum affirmare, ſi balſamum reſinæ ſpécies eſt, cui ſanè ſententiæ aſſentiri non dedignatur Virgilius. hæc obiter dicta ſint, ut omnem æquiuocationem à Citro noſtro tollamus. cæterùm citri uſus hiſce temporibus varius eſt, cuius ſingularis plantæ flores & fructus, & ex fructu ſemina ſunt magis nobis expetita, præſertim ad venenorum iniurias ſuperandas, quibus præpollere forma eſt, & ad hoc præcipuè à Veteribus uſurpata, prout hoc ipſum ex Nicandro facilè elici poteſt, quamuis eius Scholiaſtes, de qua planta loquatur, ſub Perſeæ nomine, dubium relinquat. Miram ſanè circa citri alexipharmacam vim prodit Athenæus; in Aegypto videlicet quoſdam ſontes Lib. 3.
in maleficio deprehēſos, & ſerpentum morſibus de more obijciendos damnatos, caſu citrum antè comediſſe, aſpide deinde percuſſos incolumes à veneni vi euaſiſſe; rurſus periculo nouò facto, qui horum citrum anteà ſumpſit, à veneni virulentia incolumem ſteriſſe, irrito omninò veneni reddito lethali vigore; cui verò denegatum citrum, ſtatim perijſſe; cor enim ab iniurijs peculiariter tutum reddere citro tributum videtur; quod etiam exhilarare traditur. ex fructu detrahimus ſemina, pro corrigendis purgantium medicamentorum noxijs. ex toto citri fructu elicimus per elambicū aquam cordi ſeruando, & ab inſultibus malignis aptam, præſertim in febribus peſtilentibus, & mali moris; lipothymiæ, ſyncopi, palpitationi, ſimilibuſque affectibus auerruncandis dum cor ijſdem obnoxium redditur; radula contritus fructus, demptis ſeminibus, ad idem uſurpatur, quod inter delicatiora bellaria locum obtinet; quemadmodum etiam flores ſaccharo, vel aceto conditi, totiuſque citri fruſtula (dempto acido) ſac-

charo ſubacto, & ignis vi ſolida reddita. Si de fructus temperamento loquamur, quemadmodum is ex diuerſis partibus conſtat, ſic etiam non leuem differentiam temperamenti iuxta partium diuerſitatem agnoſcit; nam acidum, quod intimius eſt, frigidam obtinet naturam in tertio gradu, in eodemque gradu ſiccā, quod ex Galeno manifeſtum; cortices verò & ſemina exiſtimantur in primo gradu calida, in ſecundo verò ſicca creduntur. quorum ſanè in calidarum plantarum & ſiccarum cenſu citrum repoſuimus. caro verò illa alba ſiue pulpa, quæ ſub cortice reperitur, & quę ſuccum acidum ambit, in quo reconduntur ſemina, quem Galenus vocat φλεγματικὸν, temperata creditur. ſemina & cortices flatus diſcutiunt, qua ratione caſſiæ fiſtulæ laxitatem optimè corrigunt; ex acido citri & ſaccharo paratur ſyrupus, & ex eadem aliud ſyrupi genus, ſyrupo tamen ſpiſſius, quod conſeruam, ſiue citri acidum vocant Seplaſarij, quod etiam utiliſſimum euadit pro ſiti in febribus ſiſtenda. Ex corticibus & ſaccharo paratur ſyrupus palato gratiſſimus, & ſtomacho utiliſſimus. Ex Dioſcoridis ſententia citrum valet ſuccurrere mulierum malatiæ, quod de acido interpretandum crediderim, commāſus cortex halitus ſuauitatem inducit. ſed quod addit Dioſcorides, citrum alvum ſubducere, experimento non ita probatur. id tamen ſuccedere poſſe crediderim, dum venenis præaſſumitur, aut pòſt ſumitur tamquam veneni antidotum, ut dum contra venenum pugnam ineat, commotis tunc uniuerſis humoribus, venenum per alvum deturbet, & ipſum in victoriæ ſignum, tamquam in triumphum ducat.

De Plantis calidis in primo gradu humidiſque
De Scorzonera.

CAPVT XCII.

Calidarum plantarum ſimul cum humiditate inſtituitur conſideratio. à qua Scorzonera nomen deductum ſit inquiritur, deſcribitur. Temperamentum definitur, vires explicantur.

CVm ſiccitas non ſemper in plantarum temperamento calido conſtituendo coniungatur, nec ad uſum medicum reuocata ſemper conducat, niſi cùm ſuſpectus ſit humiditatis exceſſus; ideò nos naturam imitati, quæ calorem, aut frigiditatem cum utraque paſſiua qualitate ſiccam humidamvè in elementis copulauit, poſtquam de calidis in primo gradu plantis, quæ ſibi adiungunt ſiccitatem, verba fecerimus; ad eas quæ cum calore humiditatem ſibi vendicant explicandas accedere ratio ſuadet, ut ex iſtis etiam, quaſi promptuarium quoddam, medentibus contexamus, & ſic praxim exercentibus minùs operoſam medicinam reddamus. Vſitatiores tali temperamento donatas plantas obtrudentes, exordium ſumemus à Scorzonera calida & humida planta, quæ cor, eiuſque incolumitatem in primis reſpicit, ut non ab re calidæ & ſiccæ plantæ, de qua poſtremo loco diſſeruimus, & eiuſdem conditionis fructui nobiliſſimo, cordiſque amiciſſimo, radicem eamdem vim obtinentem, & venenis præcipuè ſuperādis

deſtinatam ſubnectamus. Eſt igitur ſcorzonera planta illa, cuius eximiæ vires elapſo tantummodò ſæculo nobis innotuere, hoc nomen traxit à miro effectu, quem ſuperandi venenum illud prodit, quod ex ictu ſcorzi hujus nominis ſerpentis infligitur, qui Catalaunicis familiaris eſt, & illius regionis miſerrimis incolis infeſtiſſimus. Cæterùm huius nobiliſſimæ ſtirpis ſaluberrima facultas cuiuſdam ſerui Afri induſtria detecta fuit, dum miſerè languentibus Catalauniæ Incolis ab huius lethiferi ſerpentis genere, cuius ſanè ictus remedia quæcumque ex omni antidotorum penu deſumpta, irrita reddebat, opem tulit; naturaque præſentiſſimo huic veneno, huius ſerui induſtria feliciſſimo cum ſucceſſu radicis ſuccum oppoſuit, quod forſan didicerat ille in Lybiæ proprio eius natali ſolo, ubi omnigena ſerpentum facies generari ſolet; notum eſt eorum naturam noſtri ſolicitam, ubi venenata pullulant, ibi in antidotis progignendis efficaciùs vigere; hinc permoti plures Afri ſerui illius exemplo (& periculo non ſemel facto) radicem eamdem in aliorum etiam animalium venenis occurrere comperere; immò quoque omnibus cordis noxis. hæc igitur planta Tragopoghis ſimillima eſt, huiuſque radix longa, carnoſa viſitur, & quæ licèt ubi erumpunt folia, craſſa ſit, dum tamen ad imam ſui partem protrahitur, ſenſim ac ſenſim in mucronem deſinit, cortice rufo contecta, tenui, ſatis aſpera, quæ ſi frangatur intus albida eſt, & lacteo ſucco madens, quemadmodum & caulis, & folia, quæ plantaginis maris ſimilia à radice utplurimum perenni exeunt, in acutum deſinentia, nervulo duriuſculo ab ima ad ſummam eiuſdem partem per medium decurrente; inde cauliculus cubitalis eleuatur, cui ramuli exiles inſunt, in quorum ſummitate flos foliolis pluribus luteis compactus, quibus euaneſcẽtibus in pappos abit, ubi ſemen minutiſſimum adhæret traghopoghi minus, ſubcandidum, oblongum. huius plantæ temperamentum non excedit primum caloris gradum cum quadam humiditate, quæ primum exceſſum æquare creditur. vires eius, præterquamquod venenis omnibus & venenatis ictibus reſiſtere traditur, ſunt ſpecifica ſua facultate ſcorzi ſerpentis virus, viperarumq; ſuperare: reſpicit cordis ſymmetriam, quam ſeruare creditur, ipſumq; ſtrenuè roborare, ſicque palpitationi, ſyncopi, lipothymiæ opitulari. in peſtilentibus febribus aqua ex radice per elambicum elicita utiliſſima eſt, ſudorique alliciendo optima deprehenditur. Cluſius à Monardes hiſtoriam recepit; alijque Botanici poſtea varijs encomijs celebrauere; habentque eſſe contra epilepſiam utilem, necnon in uterinis præfocationibus, & melancholicis affectibus, vertiginoſiſque non incaſſum adhiberi; ſibilum in auribus patientibus utiliter apponi; aiuntque oculorum ſuffuſionibus ſummoperè prodeſſe; præſtat ſcorzonera Hiſpanica; noſtra inefficacior operatur.

De

De Boragine, & Bugloſſo.

CAPVT XCIII.

Boraginem noſtram eſſe Dioſcoridis Bugloſſum aſſeritur contra Ophmanni, & Ceſalpini opinionem, vires adducuntur.

VT eas explicemus plantas, quæ ſuo naturali inſtinctu cor à morborum inſultibus ſeruare, liberareque valent, cùm ſuperiùs modò dictis, quæ dicenda veniunt eadem facultate prædita ſint, opportunum nobis viſum eſt ſcorzoneræ Boraginem vulgatiſſimam, notiſſimamque plantam ſubnectere. cæterùm tot ſunt Botanici taleſque viri, qui Recentiorum Boraginem eſſe veram Bugloſſum Dioſcoridis ſtatuant, ut audeam *nimis* obſtinatæ peruicaciæ accuſare Virum Clariſſimum Caſparem Ophmannum mordicus aſſerentem Boraginem noſtram non eſſe Antiquorum Bugloſſum; ſolicituſque ſit in dubium vertere vires, quæ Boragini aſſignantur, & Criminetur, cuius opinioni etiam Ceſalpinum aſſentiri video. Verùm cùm forma Bugloſſi à Dioſcoride deſcripti cum noſtra Boragine magis congruat, quàm cum Recentiorum Bugloſſo, genuinam noſtram Boraginem eſſe Veterum Bugloſſum, magis vero conſentaneum crediderim; quemadmodum eius vires, ſi effectus inſpectemus, cor ſcilicet roborandi in Boragine magis vigent, quàm in Neotericorum quorumdam Bugloſſū, magiſque aduerſantur venenatis auris, humoribuſque ſimilibus. Omitto conſultò Boraginis noſtræ deſcriptionem cùm cunctis nimis nota *planta* ſit, quemadmodum de temperamento à cæteris ſtaturum video, utriuſque gradus primi calorem & humiditatem non excedere; in febribus, ubi cor patitur, præſertim malignis, ferè omnes Auctores efficaciter pollere aſſerunt, alvumque lubricam reddere, ob id à melancholicis duplici ratione in acetarijs expetita; ſic oculorum inflammationibus opitulari tradunt, & tuſſi, & aſperitati arteriæ mucilaginoſo ſuo lentore conducere, quod non eſt fere qui dubitet, quæ omnia Dioſcorides de ſuo Bugloſſo habet, & à Galeno commendantur, idem etiam de Recentiorum Bugloſſo habendum ſit.

De Althea.

CAPVT XCIV.

A quo Althea nomen Echymon deduxerit oſtenditur. deſcribitur, ex Dioſcoride obiectiones tolluntur, & non eſſe Abutilon Auicennæ affirmatur. Temperamentum ſtatuitur, vires examinantur.

ALthæa planta, ſiue ἄλθαια, vel ἰβίσκον vocent, eſt unum & idem, & eamdem plantam. Veteribus & Dioſcoridi ſignificare videtur διὰ τὸ πολ- λὰ ἀλθεῖς καὶ πολύχρηστον, quòd videlicet à multiplici efficacia virium, quas in medendo exhibet, nomen deſumat. habet enim quo ſe liberaliter

geneti

generi humano commendet ex virium propriarum ubertate, quas in mortalium uſum benignè effundit. Theophraſtus Althæam, ſiue Ibiſcum ſilueſtrem Maluam appellat, quod etiam Dioſcorides apertè fatetur, dum ait Althæam eſſe maluæ ſilueſtris ſpeciem. hanc idem Auctor citato loco deſcribit folijs cyclamini, rotundis, lanuginoſis, flore roſaeco, caule cubitali, radice lenta, glutipoſa, quæ intus alba eſt. cæterùm lentor ille, qui in radice percipitur, copioſus eſt, & veluti mucago quædam, quæ etiam in caule obſeruatur, cuius ratione flexibilis admodum fit, ad quod Virgilium alluſiſſe videtur, qui licèt Eclog. quarta Ibiſcum gracilem vocat, dum ad caulem reſpicit flexibilem ad effectum quod attinet, eſſe fatetur, dum inquit.

Gracili fiſcellam texit Ibiſco.

ſic in Ecloga ſecunda eamdem in caule cognoſcit conditionem, ut facilè in virgam paſtorum ad ducendos greges cedat, dum ait.

Hædorumque gregem viridi compellere Ibiſco.

quod quidem Poeta ex Theophraſto deſumpſit, qui caulem mollem althæę deſignauit. Ex eodem tamen Theophraſto dubium emergere videtur de floris colore, qui floribus althæę melinum colorem tribuit, & hoc quidem plures in eam adduxit ſententiam, ut crederent Theophraſti althæam eſſe Auicennæ Abutilon. verùm cùm Abutili folia tomentoſa non ſint, fruſtrà hanc plantam ſumimus pro Theophraſti Althæa, cùm præſertim Viri docti dicant, ſe alicubi Althæam melinis floribus obſeruaſſe. cæterùm nõ minorem circa eiuſdem floris colorem exhibet Dioſcorides difficultatem, dum roſeum appellat; difficultas tamen facilè tollitur, cùm Auctor ibi potiùs floris formam innuat, quàm eiuſdem floris colorem: immò ſi rectè florem intueamur, eius color non ſit ſincerè albus, ſed dilutè purpuraſcens. Habet inſuper Dioſcorides Althæam folia gerere Cyclamini ęmula, quod de forma habendum non de tomento, quod folium conueſtit; ſic non de cuiuſque cyclamini ſpecie folio aſſimilari; ſed de eo, quod hederacea gerit folia, quæ non ſic rotunda ſunt, ſed potiùs oblonga. Ad temperamentum quod attinet, hoc non ſine controuerſia ſtatuitur; nã ſunt qui althæã frigidam temperamento aſſerant; cùm tamen videant à Dioſcoride ad ſtrumas, parotidas, alioſque abſceſſus, necnon ad coercendos mammarum tumores, utrique adhiberi eum fructu, ac ſubinde althæę vires ſint diſcutere, concoquere, diſrumpereque, ut neſciam quomodo ſuaderi poſſit, hæc omnia à frigiditate prodire. Verùm ſi vires Althæę conſideremus (præſertim Theophraſti oracula conſulentes) præcipuè ad rupta conſolidanda referuntur; quod pollere ſuo lentore præſumitur, & conglutinare valere; idem hoc comprobat exemplo, quia carnes licèt fruſtulatas diuulſas in coctura conſtringere denuò, & in unum coaleſcere faciat. Habet ibi etiam tuſſes ſanare in vino dulci ſumptam; ſuo namque glutine, ac lentore & aſperam arteriam lenire valet, & impedire, quò minùs deſtillatio acris arteriam exaſperet, ac ſubindè expultricem eius irritet: addit vim trahentem inſtar ſuccini, aut magnetis poſſidere; quod ex aliorum relatione protulit: aſſerit ſubindè radicem Ibiſci tritam in aquis iniectam, & ſub dio expoſitam, aquam ipſam condenſare; quod de aquæ modico habendum,

9. de Hiſtor. plant. c. 14.

bendum, quam ſuo mucilaginoſo lentore inſpiſſare facilè poteſt; quæ quidem mucilago educta, & linctu ſenſim abſorta aſperitati arteriæ ſummopere prodeſſe compertum eſt. Plinius fuſiùs, vires eius proſequitur, dum ad ſtrumas, & parotidas ſuperandas commendat ſua præſertim facultate, qua pollet maturandi, emolliendi, digerendique, ſi illita apponatur, panoſque emendare; mammarum inflammationibus ſuccurrere; exhiberique eiuſdem decoctum utiliter ſitientibus ex ſanguinis deficientia ex vulneribus uberrimè profluentis; utiliter imponi quoque docet muſculorum, neruorumque tumoribus, & articulis luxatis cum melle & reſina; hanc etiam commendat in dyſentericis affectibus, & proficuam aſſerit in aſthmaticis. ſunt plures qui Ibiſcum ab Althæa, tamquam à differenti ſpecie, ſeiungant, hoc tamen contra mentem Dioſcoridis eſt, necnon Galeni, & Theophraſti, qui Ibiſcum ſiue Althæam ſilueſtrem maluam appellauere. Galenus omnibus Althææ partibus eaſdem tribuit vires: habet tamen radices & ſemina partium tenuitatem maiorem poſſidere, ut magis abſtergant, & ita ſemen renum calculos pellere, confringereque ait, & vitiligines detergere; habet etiam radicis decoctum ad diarrhæam, dyſenteriamque conducere, ut quæ adſtrictoria vi polleat, & ſanguinem manantem ſiſtere valeat, & emplaſtica ſua qualitate acrimoniam demulcere.

De Lilio Albo.

CAPVT XCV.

Lilium cum Roſa de florum imperio certare aſſeritur. Iunonis florem eſſe, & qua ratione deſcribitur. Temperamentum diſquiritur, circa quod ſententia Arabum, Ophmanni reijcitur. & vires explicantur.

Lilium, quod κρίνον λείριον, candidum lilium vocabant Veteres cum principibus coronarijs floribus pulchritudine certat κρίνον; nam, inquit Dioſcorides, βασιλικὸν τούτου τὸ ἄνθος στεφανωματικόν ἐστι, lilij ſcilicet regij flos coronarius eſt, originis namque ſuæ veluti quadam ſuperba maieſtate *ſuffultus*, partes ſibi primas inter flores vendicare conatur. niſi Veneris ſingulare delicium roſa, & fragrantiſſimum coronamentum non tantum obſequi recuſare, ſed potiùs imperare contenderet, quoniam ſi flos ille mirabilis colorem ſuum lepidè purpureum ex Cythereæ ſanguine hauſiſſe iactat, is ſuperbè gloriatur è Iunonis lacte totum emerſiſſe, & tantum roſam ſuperare nobilitate, quanto præſtantius eſt, non colorem tantummodo ex Dea traxiſse, ſed ab eadem natalis ſui exordium; hinc Iunonis roſam vocari lilium Poetis familiare euadit. ferunt enim Herculem ex Alcmena mortali fœmina genitum, cùm Iupiter Pater immortalem filium fore concupiſſet, Iunonis dormientis uberibus clanculum appoſuiſſe, indè lacte ſatur puer os à papilla retraxiſſe; quod nihilominus uberrimè affluens, & per cœli zonas decurrens viam lacteam tum coloraſſe dicunt, tum in terram decidens, dum eiuſdem glebas madidas redderet, diuinam materiam lilio progignendo præbuiſse, quod lepidè expreſſit Ouidius, dum inquit.

Dum

Dum puer Alcides Diua vagus ubera ſuxit,
Ambroſiamque alto lacte deſtillauit olympo
Iunonis dulci preſſa ſopore fuit,
In terras fuſum lilia pulchra dedit.

hinc meritò argui poteſt tantam ſibi lilium exiſtimationem arrogaſſe, ad quod reſpiciens Virgilius Grande Lilium cognominauit, non ad corporis molem, ſed ad dignitatis præſtantiam reſpiciens, dum ait.

Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans. Eglog. 10.

Is igitur eximiæ pulchritudinis flos propriæ tum dignitatis, tum venuſtatis ſibi ipſi conſcius, cum Venere olim decertare auſus eſt, quæ in eius proborum in calathi pulcherrimi meditullio ſtaminulis cæteris longiuſculo impoſito aſini clauam tuberoſa ſua ſumma parte æmulante indidit exultans, quod lepidiſſimè expreſſit his verſibus Nicander. In Alexiph.

Lirineumque caput Dea, quod Cytherea peroſa,
De forma quoniam ſecum contendere vellet;
Illius in medio, probro ceſſura perenni,
Impoſuit folijs pudibunda rudentis aſelli.

Subticuit Dioſcorides plantæ deſcriptionem, tamquam eius, quæ ubique locorum n on eſſet. cæterùm radix lilij bulboſa eſt, lento ſcatens ſucco inſtar cepæ, ſquamulis frequenter compacta non ſibi admodum cohærentibus, ſed ſolutis numeroſis fibris, carnoſis, quibus è terra ſugit alimentum; caule recto, at plurimum bicubitali, qnod ſi ſolum lætum inuenerit, etiam tricubitali; folia terræ proxima, longa, lata, carnoſa in viridi palleſcentia, per longum ſtriata; folia verò quæ ab imò uſque ad ſummum caulem ipſum undequaque conueſtiunt, & minora, & longè breniora ſunt; flores patula calathi effigie maiori conuolvulo ſimiles, & in foliorum ſummitate repandi, candidiſſimi, & fragrantiſsi mi, terni quaternivè, aut numero plures, ut iuxta ſoli præſtantiam florum numerum augeant. ijs ſanè tantus candor eſt, ut cum qualibet re candida certare poſſint, quod Propertius lepidiſſimè innuebat inquiens.

Lilia non domina ſint magis alba mea.

à calycis fundo uſque ad ſummum ſtaminula emergunt recta, viridia, in cuius extremitate lutei apices inſpectantur tuberoſi, ex ſtaminibus unum cæteris longius viride quidem in meditullio ſucceſcit, quod quidem tuber ſuum quaſi tricoccum in ſuperna extremitate eiuſdem coloris gerit, quaſi ſceptrum ſit, quod regiam floris maieſtatem deſignet. Cæterùm temperamentum eius ad primum caliditatis gradum accedere videtur, & primum non attingere humiditatis exceſsum perhibent; quapropter in paſſiuis temperatum lilium eſſe creditur. ſcio quidem ego Ophmannum virum doctum cum Arabibus ſentire, qui lilij floribus ſecundum caloris gradum aſſignant; ſed ſi hoc verificari debet quomodo inter anodyna medicaměta reponitur? effectus namque eiuſdem tantum calorem non arguunt. vires tanti floris eximiæ ſuæ pulchritudini correſpondent; conficiebant olim Veteres, ut ex Dioſcoride man ifeſtum eſt, ex lilij floribus unguentum ad neruos emolliendos, quod lirinum, vel ſuſinum appellabant; nunc paratur oleum ex infuſione florum ad hoc ipſum utiliſſimum: folia ambuſtis ad-

hibita ſummoperè conferunt, morſibuſque ſerpentum ſi contuſa parti apponatur; vel etiam eius decoctum ſuperbibatur. Plinius fungorum veneno aduerſari tradit; radix decocta, & emplaſtri modo appoſita, duritiẽs quaſcumque emollit validè, præſertim uteri, & partium circumiacentium, immò non ignauiter menſes mouere aſſeritur; foliorum ſuccus in æreo vaſe decoctus, cachoeta ulcera emendat, & ad ulcera commendatur, idem Plinius addit, ad venenatos ictus utiliter adhiberi, & ſi decocta radix clauis pedum, aliarumque partium cum axungia apponatur, & per triduum detineatur, eos ex toto delere; pus mouet radix, & malactica quadam facultate, anodynaque id optimè operatur, ideò cataplaſmatibus emollientibus, puſque perficientibus utiliſſima exiſtimatur. ex floribus deſtillata aqua faciei mulierum nitorem conciliat albedinem ſuſcitando. Galenus 7. Simplicium temperaturæ mixtionem diuerſam obtinere tradit, ex terreſtri, & aquea natura æquè compactam; medicamentum illud, quod ex infuſione floris in oleo paratur abſtergere ſine acrimonia ulla, digerẽdique & emolliendi etiam facultatem habere; ulceribus, vulneribuſque ad obducendam cicatricem apprimè conducere; radix tamen plùs abſtergit, quàm cæteræ lilij partes; ſed ſummatim quod elicitur oleum ex liliorum florum infuſione, ad omnes morbos, à cauſa frigida ortum ducentes, ſummoperè prodeſſe tradunt.

De Amygdalis.

CAPVT XCVI.

Cur Amygdala, & nux antiquis vocata inquiritur, deſcribitur. Temperamentum & amararum ſtatuitur, & utriuſque vires adducuntur.

FLori nobiliſſimo fructum præſtantiſſimum ſubnectimus, qui relatam alterantium medicamentorum ſeriem, primum caloris gradum obtinentium cum humiditate cōgrua non excedat; & quamuis odoris ſuauitate volupe non ſit, ſapore tamen ſuo palato, indulgendo, exiſtimatione inferior non cenſetur; de hoc modo aliqua breuiter dicenda veniunt, ut hanc caloris graduum ſeriem eo ipſo concludamus. Putant nomen Amygdalæ huic fructui datum, quia cortex medius durus ligneus ſit, qui ſub externo viridi, & tomentoſo putamine medullam ſeminalem claudit, varijs & frequentibus veluti ulceribus ſuperficialibus quaſi ſit corroſus; Antiquioribus vocabatur nux Græca, & Thaſia nux, ut ex Athenæo lib. 2. manifeſtum, ſed quid ni etiam amygdalas nuces vocari non potuere κάρυα è cùm Græci, & præſertim Attici ex eodem Athenæo, loco citato, fructus omnes, duro cortice contectos, nuces appellauerint. Cæterùm Phyllidam etiam amygdalam à Poetis vocari Suidas teſtis eſt, ferunt enim Phyllidam virginem formoſam Demophoontis, quem deperibat ad Troiæ expeditionem proficiſcentis, eius certi reditus fidem circa ſtatutum temporis ſpacium accepiſſe, ad nuptias obeundas; quo longè elapſo, putans ſe deceptam, amoris & mœroris œſtro percita, laqueo ſe ſuſpendit; cuius

in

infelicis euentus miſereſcentes Cœlites eam in Amygdalum arborem conuerti voluere, quæ flores ante folia emitteret in, fruſtratæ ſpei flebiliſque memoriæ teſtimonium. rediiſſe tandem produnt Demophoontem, & funebris amaſiæ euentus miſer edoctus, arborem arctè amplexus exoſculatur, ad cuius tactum veluti exhilarata Virgo, folia ſtatim emiſiſſe fama eſt, in fidelis amplexus percepti gaudij ſignum. Cæterùm duo amygdali genera circumferuntur, dulcis, & amari fructus; quæ dulcem producit fructum inefficaciùs, ad vires medicas quod attinet, ſe gerit, & calorem maiorem cum ſiccitate poſſidere experimur; cuius generis originis lepidam contexuit fabulam Arnobius lib.5. effingens Ianam Midę regis filiam, Alſine ſponſi interfecti fatum ſecuta, ſibiipſi mortem conſciuiſſe, cuius cruor in violas conuerſus eſt; corpus verò in amygdalum amarum fructum gerentem. Deſcribit Theophraſ. amygdalum non tam amari fructus, quã dulcis, iiſdem enim eadem eſt communis forma, ut è robuſta, firmaque radice, magnaque & altè defixa exſurgat, craſſus & validus caudex cum pluribus ramis, cortice aſpero, duro folijs ſalicis, longioribus tamen, vel potiùs perſico ſimilibus, licèt per ambitum leuiter crenatis, cui non diſſimilis eſt tota arbor, licet annoſior, proceriorque ſit, & cortex durior, craſſiorque, flores folioſi, candidi, ſed paulùm ſubrufeſcentes, quos ante folia producit; fructus cordis figura ſunt, duplici operimento contecti, nucis regiæ inſtar, externo cortice viridi, lanuginoſo, interno oſſeo, ſiue ligneo, quaſi ulceribus commaculato, intra nucleum ſubſtantia alba loco ſeminis, ſolida, quæ etiam leuiſſimo cortice ruffo intimiùs contegitur; externum illud viride putamen, dum matureſcit fructus, ſpontè decidit. quæ ex amygdalis amara eſt, maiorem calorem habere cum ſiccitate experimur. Latitudo namque temperamenti dulcium amygdalarum non excedit primum caloris gradum: & recentes fructus nõ recedere exiſtimãtur forſan à temperie æquali: humiditatis tamen primum explebunt gradum, ſecus de amaris habendum, quæ ſecundum gradum caloris forſan ſuperabunt cum æquali ſiccitate. arbor lacrymam viſcidam producit inſtar Terebynthi, inodoram tamen, & quæ nihilominus aliquem uſum habet in medicina, cùm eodem modo, quo prunorum gummi, calculos pellere credatur, & quæ maiorem calorem obtinet, ſi ex amara amygdalo colligatur, tunc enim & calefacit, & adſtringit. Dulcis amygdalarum fructus inter bellaria vario modo paratus expetitur, vel ſimpliciter intimiore ſuo cortice etiam denudatus, vel cum ſaccharo incruſtatus, aut cum eodem ſaccharo contuſus, & ad ignem condenſatus, tunc enim panis martius dicitur. Dioſcorides lib. 1. cap. 193. commendat amarę amygdali radicem ad delendas cutis maculas, ſed præſertim faciei, ſi decoquatur, facieſque eadem decoctione abluatur; gummi verò ſanguinem reijcientibus in potu auxiliatur, prodeſtque veteri tuſſi cum tenui vino; impetiginibus tollendis cum aceto optimum remedium cenſetur. huius gummatis ope ſericei panni flaceſcentes ſolidantur, dolori capitis contuſæ amygdalæ cum aceto, & impoſitæ conducunt, ſed præſertim amaræ renum vitijs, & urinæ difficultatem habentibus opitulantur; ſi cum reſina Terebynthi exhibeantur, earum ulcera putreſcentia emendant, & externa etiam quæ ſerpunt; contra ca-

canum morſus utiliter adhibentur; pulmonumque inflammationibus in potu ex aqua ſumptæ utiliter occurrunt; ſi quinque aut ſeptem amygdalæ præaſſumantur ebrietatem in largiter potantibus non ſuccedere, ſi pòſt ſumantur corrigere. Habet Plutarchus lepidam hiſtoriam cuiuſdam Medici Druſi Tiberij filij, qui potantes omnes ſuperabat, nec unquam ebrietatem perſentiebat, nulloque alio utebatur remedio, præterquam amygdalis amaris ipſis, quod tribuit amaritudini fructus, quæ humorem ſuperfluum exſiccando abſumebat. Plinius vulpes, ſi amaras amygdalas in aliquo cibo remittas guſtauerint, ait interire, dummodò eiſdem aquam bibere non contingat; prius ex Dioſcoride hauſit, poſterius de ſuo addidit; dulces amygdalæ inefficaciùs operantur, abſtergunt tamen, & urinam excitant. habet Gal. etiam attenuare, quibus conditionibus viſcera purgare aſſerit, humoreſque noxios è Thorace & pulmonibus educere: amaras tamen, præter hæc, habere etiam facultatem incidendi craſſos & lentos ſuccos, licèt edules non ſint, clariùs tamen & fuſiùs de amararum amygdalarum facultatibus proſequitur 6. Simplicium. ex ambobus amygdalarum generibus educitur oleum; è dulcibus quod doloribus inteſtini coli, ventriſque, aut aliorum partium mirificè aduerſatur, potum ad uncias ſex aut octo; in linctu aſperitatem gutturis ſanat, tuſſeſque demulcet, articulorum tumoribus emolliendis, aliarumque partium utiliſſimè imponitur, citra enim ullam acrimoniam ſtat; impinguare etiam traditur; urinæ ardori ſummoperè conducit, & ſemen auget; amygdalarum verò amararum oleum deobſtruit, flatus reſoluit, neruis opitulatur, eorumque doloribus; durities ac inflationes diſcutit, maculas faciei abſtergit, & obtuſum auditum claritati ſuæ reſtituit.

2. de Alim.

De Auellana, ſiue Chorylo.

CAPVT XCVII.

Auellanam, ſiue Chorylum nucum generibus adſtipulari à Veteribus affirmatur cum Theophraſto; arbor Choryli deſcribitur; antiquitur in nuptijs ex Chorylo faces, Choryli genera conſiderantur, temperamentum ſtatuitur, et facultas.

IVglandium genus apud antiquos non ità firmis limitibus concluſum erat, ut eidem præter caſtaneam, nucemque regiam, etiam auellana recenſeri non potuiſſet; & quamuis Macrobius, & Athenæus has ad caſtaneas referant, Theophraſtus tamen generico magis nomine nucem appellat, ſed Eracleoticam, Latini auellanas, & nuces ponticas vocant, deducto Auellanæ nomine ab Auellis Italiæ oppido. Cæterùm Chorylus eſt arbor non admodum procera, quæ à radice craſſa, robuſta plures ſtolones emittit enodes, & in obſequium facilè ductiles, ſtaturam humanam ſuperantes, rami verſus ſummitatem ſparguntur non admodum extenſi, cortex tenuis ruffo colore, maculis albis variegatus, folia Alno ſimilia, maiora tamen, & magis aſpera, supernè virentia, auerſa verò parte albicantia, in ambitu crenata, iulos loco floris producit virides, iuglan-

dium

dium nucum minores, quibus decidentibus futuri fructus rudimenta remanent, ſenſim ſubcreſcentia inſtar nucis, iuglandis minora tamen, qui fructus herbacea membrana, quæ eleganter in modum barbæ extenditur, calloſa conueſtiuntur, medulla intimius recluſa ab oſſeo putamine albido, quæ tamen ruſſa quadam veluti membranula contegitur; medulla dulcis, vel potiùs pinguis ſaporis eſt, verùm Theophraſt. 3. de hiſt. plant. duas auellanæ ſpecies conſtituere videtur, urbanam, & ſylueſtrem; ſylueſtrem non adeò frequentibus ſtollonibus refertam, urbanæ verò procerior caulis eſt. Choryli, ſiue Auellanę iterum ratione formę fructus duæ ſunt differentiæ, aliæ enim fructum oblongum producunt, qui tardiùs matureſcit, aliæ verò rotundum, qui celeriùs ad maturitatem perducitur. Temperamentum calidum aſſeritur in primo gradu, & in eodem humido, ſi recens ſit, Gal. reperiri in auellanis aſſeruit terreſtrem magis ſubſtantiam, quàm in nucibus; ſunt enim auellanæ ſtomacho graues, & tenuibus inteſtinis minimè ſalubres, caputque facilè comeſtæ tentant, ut dolorem excitare valeant. Diffilus ex Athenæo auellanam ait nucibus minùs alere, cibiſque in ſtomacho innatare, minùs tamen amygdalis, cùm illarũ ſubſtantia magis oleoſa, & pinguis ſit: Dioſcorides ad tuſſim veterem, & ad catarrhales deſtillationes auellanas commendat in decoctione cum mulſa, & paſſulis. Lib. 1. c. 149. Cinis ex auellanæ ſylueſtris putaminibus oleo remixtus, eoque infantium tenerorum perfuſo ſyncipite, oculorum pupillam cęſio colore (ſunt, qui dicant) experimento comprobatum in nigrum commutari. præaſſumptam auellanam aſſerunt ſcorpionis ictum irritum reddere; oleum ex auellanis expreſſum ad articulorum dolores commendatur, puluerem præſertim exterioris putaminis, etiamque illius oſſei ſiſtere mulierum profluvia, & diarrhœas creditur, ſic & immodicos menſes, ſi eius drachmæ duæ in vino auſtero ſumantur. tradunt quoque cuticulam illam ruffam, quæ albam medullam immediatè conueſtit ad idem efficaciùs operari: aiunt quoque ſi ſerpentes à Choryli virga percutiãtur obtorpeſcere, & tandem interire, quod virgæ flexibilitati tribuitur, qua ſerpentes percuſſi, & ferè præcincti intimiùs lædantur, & vertebræ diſiunguntur, & ſic motu ſpinalis medullę deſtituti, progreſſiuo etiam motu deſtituantur, & ſic faciliùs intereant: nec honor ex medicina tantùm auellanis tributus eſt, ſed quàm olim è Chorylorum virgis non ſpernendus uſus in nuptijs expetebatur, e quibus faces nuptiales parabantur.

De Fraga, ſiue Fragaria.

CAPVT XCVIII.

Frigidarum & humidarum plantarum in primo frigiditatis gradu degentium aggreditur conſideratio. fragam Veteribus non conſideratam, non eſſe Comoron Apuleij, an ſit Theophraſti humi Rubus diſquiritur, ſpecies diſtinguuntur. Temperamentum ſtatuitur, vires adducuntur.

DE Plantis frigidis in primo gradu cum humiditate coniuncta ſtirpes explicandas accedere præfixus à nobis hucuſque ordo nos admonet.

net. earum tamen ſic dictarum plantarum rationem habebimus, quæ in temperamenti harmonia primum non excedant frigiditatis gradum; à fructu igitur fragrantiſſimo, cuius gratia etiam fraga denominatur planta, ſed æquè ſapida, exordium ſumimus; cuius fructus inter edulia, quæ gratioſa palato noſtro feruntur, non mediocrem obtinet locum, aut ſimul cum planta, qua producitur, opem medicam præbentibus plantis humano generi, cæteris ne hilum cedit. Cæterùm conſtat ex communi ferè Botanicorum ſententia fragam veteribus Græcis indictam, nihilque de ea Theophraſtum, Dioſcoridem, Galenumque dixiſſe, nam aſſerere, Κόμαρον Apulei fragam eſſe, eſſet malè arbuti fructui imponere. Ceſalpinus tamen inter Botanicos clariſſimi nominis vir aſſerere ſatis ingenioſè videtur plantam hanc Theophraſtum non latuiſſe, ab eoque ſub nomine humi rubo deſcriptam, dum lib. 4. cap. 18. de hiſtor. plantarum Rubi genera recenſet, & in hunc loquitur modum. Rubi genera plura, ſed maximo inter ſe *diſcrimine* diſtincta, quod quædam erecta, excelſaque, quædam propè à terra, protinuſque deorſum vergens, cùmque ſe terræ coniunxerit, radicat rurſus, quam humi rubum quidam appellant; quæ ſanè deſcriptio fragariæ noſtræ conuenire videtur, quæ fructum profert rubi fructui quodammodo ſimilem, non ſolùm forma, ſed etiam colore, dum accedit ad maturitatem; & licèt ſpina non gerat, quæ in Rubo ſpectantur, etiam Ideus quoque Rubus ſpina non gerit, & tamen Rubi nomen ſibi vendicat; ita tam rubo, quàm fragariæ flos ſimilis eſt, nec plantæ folia longè à rubo diſtant, ut non prorſus inſcitè Bauhinus fragariam inter rubos repoſuerit, quamobrem meritò Ceſalpino viſum eſt, fragam cum Theophraſto appellari poſſe χαμαίβατον, quaſi humi rubum. nec ſpernenda videtur illa, quæ ex Marone elicitur coniectura, dum ait, (humi naſcentia fraga) quod Seruius interpretatur terreſtria mora, ſic enim appellatur etiam rubi fructus. Accedit Plinij auctoritas, qui fraga inter Italiæ cibos reponit; quæ ſententia licèt controuerſa ſit, auctoritas tamen non omninò ſpernẽda eſt; ego quamuis hoc ipſum pro certo non auſim affirmare, attamen vix credibile eſt egregium hunc fructum Veteribus incognitum fuiſſe. Cæterùm fragaria à fibroſa radice exteriùs ruffa, intus candida, folia ſua humiles ſpargit, in ambitu crenata, quadantenus hirſuta, ſtriata, quæ terna unico inhærent petiolo; cauliculos profert palmo maiores, exiles, hirſutos, quorum alij ad terram inclinati, radicem nouam emittunt, & eidem ſe coniungentes, alteram producunt plantam; alij verò erecti, & in ſummitate propagati, ſeu ramificati, floſculos produnt ranunculo nemoroſo ſimiles, candidis foliolis intus ſtaminibus luteis conſtantes; fructus rubo ſimilis, emergens è cadentibus foliolis, qui initio viridis eſt, mox in albo rubeſcens, & tandem ad maturitatem perductus, rubicundus; quamuis detur quædam fragæ ſpecies, quæ etiam matura alba eſt. fructus iſte veluti minutis conſtat acinulis inſimul conglomeratis, & in conum deſinentibus, valdè ſuauiter odoratus, vinoſus & guſtui gratiſſimus & expetitiſſimus. huius tam lepidę plantæ varium temperamentum, nam planta tota ſimul cum fructu, immaturo tamen, frigida quidem eſt, ſed coniunctam habet ſiccitatem; fructus verò maturus humidus eſt, de cuius actiuis qualitatibus ſunt qui ambigant,

gant,

gant, audeantque calidum pronunciare ex dulci ſapore, odoreque ſuo fragrantiſſimo; eſt tamen dulcedo hæc cum ſubacido lepido ſapore coniuncta, & odor, cuiuſcumque tandem rationis ſit, cum aquoſa ſubſtantia copulatur, ut Galenũ mouere potuerit 2. de Alim. ut deſignaret in eo potiùs frigiditatis, quàm caliditatis indicia; quodſi quidquam caloris in fructu ex odore, & ſapore arguamus, exiliſſimus ſanè erit, & facilè ſolubilis, ſtatimque euaneſcens, ut in pomis ſuccedit. maior controuerſia eſt in viribus plantæ deſignandis; quemadmodum enim conſtat ob ſuam frigiditatem cum ſiccitate non modica coniunctam adſtrictoria facultate pollere, ſic abſtergere, vias aperire, glutinare, ulceraque cacoetha ab exuberanti calore vindicare, putrilaginoſam humiditatem abſumere; frigiditatis opus eſſe non creditur; quemadmodum frigiditatis effectus ſunt dentes gargariſmate mobiles firmare, mulierumque profluuia ſiſtere: frigidæ tamen temperaturæ tribui nequit ita facilè icterum ſanare, urinas ciere, menſes ducere, & alias obſtructiones ab infarctu humorum liberare; & quod contrarium eſt, manantem ſanguinem à quibuſque locis cohibere. verùm cũ compoſitæ ſit conditionis fragaria à terreſtribus partibus, quas leues tonu in ſe agnoſcit, à quibus amaritudinem nanciſcitur, contrarios hoſce effectus nuperrimè relatos adipiſci poteſt. ardoribus urinæ ſuccurrit fragaria, fragaque, renumque doloribus à caliditate prodeuntibus, quos renes inde roborat, arenulas etiam detrahendo; aqua ſtillatitia ex Trago cor roborare valet, immò etiam ad coſmetices uſurpari ſolet, nam ex fructu deſtillata aqua faciei maculas delere poſſe tradunt, & nitorem conciliare; quæ quidem aqua ſi eliciatur ex fructu, frigida & humida eſt; ſi verò ex planta, frigidam agnoſcit ſui conditionem, cum non leui ſui ſiccitate; ſuccus ad faucium inflammationes commendatur, & ad oculorum ſuffuſiones; ſiticuloſis ex ſtomacho æſtuantibus (uno verbo picrocolis) utiliſſimus fructus eſt.

De Moro.

CAPVT XCIX.

Morum non eſſe Sycaminum Ægyptium aſſeritur. an ſemper fuerit Morus nigra inquiritur. cur Morum, vel Celſus etiam dicatur. cur vocetur arborum ſapientiſsima, deſcribitur. afferuntur temperamentum vireſque.

FRagæ fructui ferè ſimilem producit Morus arbor, quæ duplex ex eiuſdem fructus colore conſtituit genus, albo ſcilicet, & nigro, licèt is præterquam colore, etiam magnitudine differat, qui quemadmodum forma ſua fragæ fructum æmulatur, eamdem etiam ſeruare comperimus in utroque mori genere, quamuis ex Plinio plures, quæ à loco, ubi naſcantur, denominationem ſumat. hæc mori arbor Græcis, & μόρεα, & συκάμινον, fructus verò ipſis μόρον, & συκάμινον: nec ſycaminum appellatio de Sycomoro Ægyptio intelligenda venit, ut quidam perperam intellexere, cùm Sycomorus Hippocratis temporibus Græcis incognita fuerit, dum auctor diuinus,

binus, in uteri calidis affectibus, ſycamino uſus eſt, ut ex 1. lib. de morbis mulierum manifeſtè colligitur; & ſic dum morum ſycaminum appellat Dioſcorides, de moro intelligendum, ut rectè notauit Saracenus, non de Sycomoro. Hoc idem clarè expreſſit Athenæus, ubi habet. ſycamina cùm ſimpliciter omnes appellant Mori fructum, Alexandrini ſoli mora appellant ſycamina, non intelligo fructum Ægyptia ficus, quem nonnulli Sycomorum appellant; hæc Athenæus. ſic Galenus teſtatur lib. de Alim. facultatibus cap. 11. dum ait Mori arboris fructum non ſycaminum vocari, ut antiquioribus Græcis ſolitum. verùm non leuem parit difficultatem conſtituta differentia mori albi, & nigri, cùm ſint, qui dicant albam morum veteribus cognitam non fuiſſe & Caſſianus Baſſus prodijſſe; albam Morum aſſerit ex moro nigra populo Albę inſita. obſtat tamen Ouidij ſenſus in Pyrami, & Tiſbis hiſtoria, qui albam morum in nigram ex Pyrami ſanguine mutatam, dum inquit

Lib. 2. de Dipnoſoph.

Arborei fœtus aſpergine cædis in atram
Vertuntur faciem, madefactaque ſanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore.

Ego verò vel primitus utrumque genus notum fuiſſe crediderim, vel potiùs nigrum in albi mori arbore, rubo inſito, ſic euaſiſſe; nam ex albo nigrũ euadere morum nulla eſt difficultas, ſi nigrum in albo inſeratur, quamuis id reclamante Plinio, dum inquit, minimè in hac arbore ingenia profecerunt, nec nominibus, nec inſitis, nec alio modo, quam pomi magnitudine vocarunt Recentiores hanc arborem Celſum, etiam ab ipſius (ut meliùs putatur) celſitudine, ſic moram Græcis vocari tradunt cum Theophraſto ab eiuſdem firmiſſimo robore, validiſſimoque; valet enim unica nocte germina per hyemem congeſta, & adhuc in ſua gemma latitantia, cum impetu magno, & non ſine ſonitu folia, florem, fructumque emittere. Vocatur Morus arborum ſapientiſſima, quia niſi poſtremò hyemis tempore, & erumpente alto Vere tantummodò germinet; hinc Plinius tale monitum à moro deducebat. Cùm germinare morum videris, iniuriam poſteà frigoris timere nolito. procera utriuſque generis arbor eſt, quæ magnis radicibus flauis, magiſque in latum quàm in profundum tendentibus dilatatur, innititur radici, caules, ramique craſsi per ambitum tortuoſa brachia porrigentes, & ad ſummum ſeſe eleuantes, dum ſubiectam tellurem à ſolaribus radijs immunem ſeruant; cortice rugoſo conueſtiuntur, exteriùs nigricant, ſubſtantia intus flaua, amaro guſtu, durabili materia; folia perambitum crenata, rotunda, parum tamen in acumen deſinentia, quę in ſericeorum bombycum cibum cedunt; floſculi exiles, lanuginoſi; fructus multiplicibus acinulis inſtar fragorum, aut mororum rubi congeſtus, & veluti conglomeratus, qui vel albus eſt, & dulci ſucco, inſipido tamen, donatus, vel atro rubente colore perfuſus, mole maior, & magis ſapidus. temperamenti diſtinctio à varietate conditionis horum fructuum petenda eſt; nam quamuis ſint qui fructum maturum calidum pronuntiant, cùm tamen valdè aquoſus ſit, & ferè inſipidus, nulloque odore præditus, vix ipſum calidum affirmare auſim, parum tamen frigiditatis continere autumandum, ſed cum humiditate coniunctæ; ſecus de non exactè maturo fru-

Lib. 1. de cauſ. plant. cap. 20.

Lib. 16. c. 25

ctu, aut acerbo dicto, nam iuxta horum conditiones, maior, aut minor emergit frigiditas; in immaturo fructu humiditatem annexam habet; in acerbo ſucco, in folioque, & in ligno etiam ſiccitatem cum frigiditate copulatam obtinere effectus produnt; cùm enim ſubſtantia aquea præditi ſint, mirum non eſt, ſi etiam diureticam vim obtinere valeant, qua ſeroſam ſanguinis partem expurgare poſſint. radicis cortex in aqua decoctus alvum, ex Dioſcoride, ſoluit, quod idem facere etiam fructuũ expreſſus ſuccus tradunt; ſic folia cum radicis cortice decocta, & dolores dentium tollunt; & aconiti veneno peculiariter aduerſantur, & foliorum eorumdem ſuccus contra phalangiorum morſus cyathi in menſura potus, commendatur; ſic etiam ſuccus, qui ex radice inciſa & exeauata concretus colligitur ad idem adhibetur, tubercula diſſoluere aſſeritur, alvumque ſoluere; folia ex aceto trita & ambuſtis adhibita, ignis vim reprimunt; fructus albæ Mori maturus ſtomacho tamen inutilis eſt, & facilè corrumpitur, nec dari permittitur, niſi ijs, quibus æſtuant viſcera; ex immaturis expreſſus ſiſtit alvum; ad oris inflammationes, ex Gal. uvęæque aptum medicamentum componitur; tradunt quoque ſiſtere ſuperfluos menſes, & muliebria profluvia, cęliaciſque ſingulariter opitulari, & dyſentericis, ut ſic mora magis pro morbis abigendis deſiderari debeat, quàm inter edules fructus reponi, aut ad menſarum luxum reuocari, quamuis antiquioribus Romanis rubræ fructus maturus in fine menſarum apponebatur, cuius etiam ſuccum atro colore capillos inficere tradunt.

De Cytiſo.

CAPVT C.

A quo deductum Cytiſi nomen inquiritur, utilitates afferuntur, & in Veterinaria uſus: deſcribitur ex pluribus Cytiſi ſpeciebus, quæ non ſit Veterum genuina inquiritur.

ARbori moro excelſæ humilem fruticem eodem tempera nento prędidum ſubnectimus Cytiſum, brutis tum ſaginandis optimam, tum curandis, veluti panacea in veterinaria præſtantiſſima, & quæ inſuper rei noſtræ familiaris œconomiam utiliſſimè reſpicit; pecoribus namque uberrimam lactis copiam excitat, magno, ut cum Plinio loquar, caſei prouentu, quem fruticem nomen Cytiſi ſumpſiſſe aſſerit à Cythno Inſula eius ſtirpis feraciſſima, indè per omnes cycladas translatum, & per urbes græcas. Lib. 13. c. 24 alij putant, & meliùs dictum, ἀπὸ τὸ ἴσως τιθοῦς κύειν, quod mammillas diſtentas lacte faciat. habet Columella lib. 5. cap. vlt. *Cytiſum in agro eſſe, quàm plurimum maximè referre, quòd gallinis, apibus, capris, bobus quoque, & omni generi pecudum vtiliſsimus ſit, quod ex eo citò pingueſcit, & lactis plurimum præbet ouibus*; mox ſubiungit; *mulieres quidem ſi lactis inopia premantur, cytiſum aridum in aqua macerari oportere*, cui etiam *Plinius ſcribit*, dum inquit, *non ex alio pabulo lactis maior copia, aut melior, ſuper omnium pecudum medicina à morbis omni uſu proſtante, quin & nutricibus in defectu lactis aridum atque in aqua*

decoctum potui cum vino dari iubet; firmiores fortioreſque infantes fore, ut non tantum brutis animalibus proſit cytiſus, ſed ad humanas noxas auferendas etiam commendabilis ſit. Deſcribit Citiſum Dioſcorides, quòd frutex ſit albus in totum, ut Rhamnus, ramos ſpargens cubitales, ac etiam maiores, in quibus folia fœnugræci, aut loti, folia minora tamen, medioque dorſo prominentiori, quæ digitis confricata erucam olet, Lacuna vertit lotum, guſtuque cicer viride æmulatur; Galen. 1. de Antidotis cap. 4. eſſe fruticem aſſerit, qui myrti altitudinem non ſuperet, & ex eo, eiuſque floribus apes plurimum mellis excerpere; Virgilius capras eius flore pabuloque delectari hoc verſiculo innuit.

Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella.

non lenis tamen difficultas eſt ex variorum Botanicorum delectu ſuum cytiſum producentium. Cytiſum verum Dioſcoridis ſeligere. Maranta cytiſi imaginem præbet, quam cytiſo à Dioſcoride deſcripto correſpondere putat; Cluſius plura genera oſtendit; duo verò alia pro germano cytiſo Lobellius, & Pena tradidere, Tragus unum, Matthiolus alterum, ita Dalecampius ſuum, Geſnerus etiam diuerſam ab alijs oſtendit, ut in tanta cytiſorum varietate, vix quicquam pro certo ſtatui poſſit, & ad experimentum potiùs confugiendum ſit. cæterùm nil vetat quin etiam Dioſcoridis temporibus plures Cytiſi ſpecies dari potuerint, viribus conſimilibus. Galenus 7. Simplic. cytiſi folijs tribuit digerendi facultatem, cùm aqueæ ſubſtantia temperatum cum ſiccitate ſit; Dioſcorides ad temperamentum quod attinet, diſcutere initio tumores aſſerit, urinamque ciere. quod non ſine calore, ſiccitateque exequi poteſt.

De Plantis frigidis in primo gradu, ſiccisque.
De Cydonio Malo.

CAPVT CI.

Frigidæ & ſiccæ ſtirpes in primo gradu afferuntur; deinceps à Malo Cydonio exordientes nomen à loco accepiſſe aſſeritur, fuiſſe antiquitus amoris coniugalis ſymbolum; Genera proponuntur; deſcribitur Temperamentum, & vires explicantur.

E Malorum generibus nulla ſanè præſtantior Cydonio ipſa, quippe quæ & gratiſſimum palato exhibet fructum, & æquè ſalubrem, ſi præſertim cum ſaccharo componatur. præcipuè tamen quoniam & venenorum vim infringere valet, & plures alias morboſas affectiones ſanare; ideò cùm ſtatuta methodus expoſtulet, ut exactis ijs, quæ ad frigidas & humidas in uſu receptas à Medico plantas primum frigiditatis gradum non excedentes attinebant, ut ad frigidas in primo gradu & ſiccas explicandas accedamus. Primum locum huic arbori præſtantiſſimæ, ratione præſertim ſui fructus, concedentes, aſſignemus, qui coctus, vel ſaccharo diuerſimodè conditus palato gratiſsimus, ſapidiſsimuſque euadit, & menſis poſtremis ſummoperè expetitus. Cydonia ciuitas inter inſulæ Cretæ primas enumerata

merata huic malo originem dedit inde per cæteras orbis partes, ubi reperitur diffuſa. Hanc arborem Veteres Veneri ſacram autumarunt, & à Dea huius Hippomeni fructum gratis conceſſum, ut Atalantam amaſiam curſu ſuperare valeret, quod ex Ouidio facilè elicitur. Sunt qui in Atlantis hortos ſeruatas has arbores pomis ſuis onuſtas fuiſſe credant ſub draconis cuſtodia, quouſque Hercules eodem interfecto Dracone, arborem cũ Malis ſuis ex eo traxerit loco. hæc namque poma chryſomela vocari auctor eſt Plinius, cuius rei non leue argumentum præbet Herculis ſtatua, quæ quondam Romæ viſebatur Cotonea malo coronata, & vix dubitari poteſt Virgilium de alio malo intellexiſſe, dum inquit.

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.

Cùm cætera malorum genera lanugine obducta minimè videantur, cæterùm malum hoc antiquitas amoris coniugalis ſymbolum fuiſſe perhibet, cuius rei teſtis eſt Plutarchus, qui lege à Solone lata cautum fuiſſe aſſerit ſponſam cum ſponſo concubituram prius Cydonium malum comedere; *De precept. Coniugal.* quod clariùs expreſsit his verſiculis Theocritus, dum Hippomenem alloquitur, qui ſic Latinè ſonant.

Aurea dona iacis; quod ſint ſponſalia an ut ſint
Pernicis remore Virginis Hippomenes;
Malum ambo expedijt prohibens hinc impetum, & inde
Se monſtrans Veneris teſſerulam eſſe iuga.

Verùm duo Cydoniorum genera aſſerit Dioſcorides, quædam parua, odorataque, alia verò maiora, quæ ſtruthia vocantur, & eidem inferioris conditionis; *Lib. 1. c. 160* ſecus Theophraſtus qui Struthia alijs præponit, ut appareat Theophraſtum ad pulcriorem formam reſpexiſſe, Dioſcoridem verò ad eius præſtantiam, & in medicinæ uſibus utilitatem. Recentiores tamen cum Plinio tria genera fuiſſe videntur ex fructuum tum forma, tum magnitudine diſtincta. Arbor hæc non admodum procera eſt, licèt malorum inſtar à caudice ramos multos, tortuoſos in latum expandat, cortice aſpero, fuſco, qui veluti ſquamulas producit; folia pomorum inſtar ſubrotunda, ſuperna parte viridia, glabra, inferna verò albicantia, & quaſi lanuginoſa; flores albos producit quinque foliolis conſtantes, dilutiſſimo purpuræ aſpergimine infectos, è quibus fructus virides primò, deindè luteum colorem, & quaſi aureum adipiſcentes, odoratiſſimos, tomento obductos, craſſos, ſolida albidaque carne conſtantes; ſuccus auſterus, minimè gratus, quorum fructuum alij craſſiores & longiores, alij rotundiores quidem, & multò minores pyri formam repræſentantes, ſtruthia illa vocata cæteris poſtpoſita. temperamentum Cydonij fructus, qui in medicina tantummodò uſum reperijt, frigidum proculdubio ex omnium conſenſu eſt, quamuis odoratiſſimus; odor namque ſatis euanidus eſt, & in cortice tantùm, cùm ſuccus minimè odoratus ſit; primum tamen frigiditatis gradum non excedere creditur, ſed in eodem ſuperat ſiccitas, quæ ſecundum gradum explet, ut indè validam adſtringentem facultatem adipiſcatur. cæterùm vires medicæ plures ſunt, ſed præcipuè venenis reſiſtendi, ſuperandiſque. hiſtoriam lepidam affert Athenæus, dum ſolo Mali Cydonij odore pharici venenum hebetatum tradit, quod quamuis cuidam propi- *Lib. 3.*

natum fuerit, accipienti nihil noxæ intuliſſe, quoniam in ciſta repoſitum fuerat, in qua prius Cydonia mala recondita fuere, qui ſanè fructus eidem ciſtę odorē indiderant alexipharmacum. Succus crudus Dyſentericis, Cęliacis, choleræ & ſingultu laborantibus, ſtomachoque exſolutis maximè conducere compertum eſt; profluvia in menſibus immoderatis ſiſtit, ſanguinis ſputum cohibet; verùm cocta mala Cydonia non adeò validam vim adſtringentem retinent, quam tamen ex toto non amittunt; lanugo dyſentericis & ipſa utilis eſt; capillum reproducere facit, ſi in vino decoquatur, & cum cera in alopecijs illinatur; ſemina, quæ inſtar aliorum pomorū in fructus cavitate, veluti in quibuſdam capſulis membranaceis, duriſque detinentur, aſperæ arteriæ, ſcabriciei, necnon linguæ ardori conducunt; ſitim compeſcere comperimus, ſi ex ijs in aqua maceratis mucilago extrahatur, & adhibeatur ex pomo cum melle, aut ſaccharo condito, vel eius ſucco. multa ſub varia forma parantur, & gratiſſima, & quæ etiam utiliſſima ſtomacho ſunt; fit oleum tandem, quod melinum vocant, quod refrigerat, & adſtringit, corporique uniuerſo uſurpatum immodicos ſudores validè ſiſtit, ad ſtomachum, ventremque roborandum, ſiſtendumque conducit ſi abdomen ex eo illinatur; neruos laxos redditos, confractoſque roborat, & vim deperditam in iiſdem reſtituit.

De Myrto.

CAPVT CII.

Myrti nomen cur plantæ inditum, in coronis adhibitam quando declaratur, genera diſtinguuntur, deſcribitur. Temperamentum affertur, vires explicantur.

Myrtus eſt arbuſcula, quæ ex propria temperamenti ſui conditione ſuperiùs modò declaratis plantis ſimilis eſt, & non ſecus Veneri etiam dicata, ut iure meritò in ſui contemplationem nos trahat, non tantùm lepida ſua odoris, floriſque venuſtate, & gratia nobis comendetur, quia ſuperbo ſuo virore perpetuò vigeat, ſed quoniam uſum non leuem in medicina expleat. Myrto nomen inditum à Mirtinæ Athenienſi puella Poetæ tradunt, quæ cùm præ cęteris pulcherrima eſſet, & pro inſigni ſuo robore plurimorum in ſtadio victrix euaderet, ab inuidis victis ab eadem intercempta eſt; verùm cùm Mineruæ cara ſupra modum extitiſſet, ab ea conuerſam ferunt in huius nominis fruticem, ex qua poſtmodum inſigni plantula heroes quamplures coronari non ſunt dedignati, quod Virgilius, dum de Deorum peculiaribus quibuſdam Coronis locutus eſt, hiſce lepidis expreſſit verſiculis.

Populus Alcidæ gratiſsima, vitis Iaccho
Formoſa Myrtus Veneri, ſua laurea phœbo.

Sed etiam Baccho ſacram fuiſſe docet Athenæus lib. 5. dum eidem corrigendi, aſſerendique ebrietatem vim attribuit. Cæterùm & in mortuorum in ferijs etiam uſurpatam video apud Euripidem in Electra, dum de neglecto Agamemnonis ſepulchro loquitur hunc in modum.

Agamemnonis tumulus neglectus.
Neque buſtum, neque ramoſam myrtum,
Cepit.

Diuidit Dioſcorides Myrtum in ſatiuam, & ſyluestrem, ſiuè montanam, & ſatiuam, in albam, & nigram, quam deſcriptionem deſumpſit, quemadmodum & Theophraſtus à Baccarum colore. addidit Cato tertium genus, quam coniugalem, ſiuè coniugulam vocat, quod aptiſſimè, & elegantiſſimè in hortorum ſepibus condendis ramulos coniungat; licèt Plinius à coniugijs dictam credat, Recentiores tamen plura genera repererе, communem ſcilicet, ſiuè Italicam, exoticam, latifoliam, Romanam, primam, & ſecundam Belgicam quoque, cuius etiam variæ à Lobellio proponuntur ſpecies. deſcribitur Myrtus, quòd ſit fructicoſa arbor, cortice ſubruſſo, lentis, & flexibilibus virgulis, quibus folia innaſcuntur leuia, nitida oleæ ſimilia, & vincæ peruincæ nitore prædita, breuiora tamen, & viridiora, & in acutum deſinentia, Myrtoque albæ latiora, alteri verò æmula punici mali folijs, & anguſtioribus, quæ & myrtus Tarentina vocatur; flores candidos gerit multos, ſtaminibus in ſui medio prodeuntibus, quibus ſubſunt Baccæ hederaceæ nigræ, vinoſo ſucco grauidæ. frigidum aſſignant Myrto temperamentum, nec ultra primum gradum, ſiccum verò tradunt in ſecundo. adſtringunt folia, quemadmodum etiam baccarum illitus ſuccus, & interiùs aſſumptus, ſanguineas excretiones, & ſputa cruenta coercet, quod validè operari teſtatur Fernelius; in inſeſſu adhibita muliebria ſiſtit, alui fluoribus & dyſentericis opitulatur, & quibuſque inflammationibus à principio appoſita ſummoperè prodeſt; ol. Myrtinum utiliter adhibetur ad reprimendos morboſos ſudores, prodeſt decoctio internis eroſionibus, renumque, & veſicæ ulceribus, ophthalmiæ prodeſt; in collutione baccæ uſurpatæ dentium dolores demulcent, & gargariſmate tuſſim ſedant, ſi à calida fluxione ortum ducant. Baccæ ad roborandum ventriculum aptiſſimè exiſtimantur, quarum Archigenes ad hoc ipſum viginti vorandas exhibebat. oleo Myrtino articuli roborantur, & inunctio ex eo quoque ambuſtis ſummoperè prodeſt; illitum faciei maculas emendat, capillos detinet fluentes, & Canos denigrat; aqua ſtillaticia ex floribus odorata eſt, & mulieribus ad delendas faciei maculas, rugaſque explendas expetita.

6. Meth. c. 2. & lib. 5. c. 22.

De Cupreſſo.

CAPVT CIII.

Cupreſsi nominis varia cauſa adducitur à Plinij conuicijs, defenditur, ſublimes eius dotes explicantur, deſcribitur & temperamentum aſsignatur, vires adducuntur.

SYmbola temperamenti ratio nos cogit à fructice ſatis humili ad excelſam arborem conſiderandam tranſitum facere, immò ab hilari planta, & blando Veneris miniſterio dicata ad funebrem inferiſque nominibus

bus addictam; præcluſum namque Ditis aditum animabus exiſtimabant Veteres, niſi Cupreſſi ramulus ſepulchro fixus foret, hinc, & in rogis uſurpata ditiorum, ut cadauerum uſtrina occultaretur; hinc Lyricus Ode 14. lib. 2. ita cecinit,

Linquenda tellus, & domus,
Et placens uxor; neque,
Herum quas colis arborum
Te præter inuiſas Cupreſſus
Vlla breuem dominum ſequetur.

Et licèt Virgilius in Culice hoc verſiculo Lætam arborem vocet cupreſſum

Illius & nigræ ſpecies, & læta cupreſſus.

Inuertit tamen palinodiam, dum 6. Æneadum habet,

Ingentem ſtruxere pyram cùm frondibus atris
Incedunt latera, & ferales ante Cupreſſus,
Conſtituunt.

Cæterùm cupreſſo non deeſt propria fabula è Veteribus eruta, qua huius nominis cauſa indicetur, ex qua facilè elici poteſt, cur olim læta vocata ſit, curque feralis ominis, & lugubris; ferunt enim Veterum aliqui, quod ex Caſſiano Baſſo elicitur, Ethcoclis formoſiſſimas filias, dum in Dearum contemptum choreas ducerent, repentè validiſſimo flante vento, numinum ira extra choream actæ, in puteum miſerrimè delapſas fuiſſe, quarum miſerta terra, in arbores Cupreſſi transmutaſſe, aſpectu quidem lætas pro ut antè, ſed ex euentus lugubris mutatione, etiam triſtes, ſicque à gratia, qua ornantur Cupreſſi etiam Charites vocari aſſerunt. alteram hiſtoriam non ſecus atque tragicam habet Ouidius 10. Metamorphoſeon de Cypariſſo formoſiſsimo adoleſcente Amiclei filio, & ab Apolline ſupra modum adamato, qui cùm caſu ceruum, quem deperibat, ſagitta à ſe comfoſſum ſpectaret, præ nimio dolore ſeipſum interemit, & quem indè Apollo in proprij nominis arborē commutauit; quamuis Seruius dicat non ab Apolline, ſed à Syluano Deo mutatum, quod à Virgilio accepit dum habet.

2. Georgic. *Et teneram ab radice ferens Syluane Cupreſſum.*

Cæterùm genuinum magis huius nominis etymum è Græcis promanaſſe crediderim à foliorum, ramulorumque parilitate, quā, ut inſpectanti notū ſit, à natura conſecuta eſt. Hæc ſanè eximia planta, quamuis à Plinio pluribus impetatur conuicijs, quod ſcilicet ſit natu moroſa, fructu ſuperuacua, Baccis torua, folio amara, odore violenta, ac nec umbra quidem gratioſa, materia rara, & penè fruticoſi generis Diti ſacra, & ideò funebri ſigno ad domos poſita; nihilominus præ eximia eius pulchritudine inter præſtantiores adnumerari meretur, & multò magis ſuſpicienda ob vires eximias, quas ſalubriter obtinet ad humanam valetudinem tum ſeruandam, tum recuperandam directas. Mitto enim meritò, quod habet Plinius moroſam eſſe natu, cùm hoc minimè verum ſit; ſi ſolum ſibi propitiū inueniat, ut minimè moroſam in ortu aut in augmento cui videatur, quod etiam citato loco cogitur fateri idem Plinius, dum ſiluam Cupreſſorum, ſiliarum dotem aſſerebat, quam in aſseres, & perticas, ſingulis tredecim

Lib. 16. c. 33

annis amputari tradebat, nec dici meretur fructu ſuperuacuam, eò quia ter in anno proprium fructum ſeminibus plenum ad maturitatem deducat; quæ ſemina quidem licèt furfuracea ſint, ut ex Scaligeri animaduerſione ex Theophraſto notum; attamen fœcundiſsima ſunt, & propria eiuſdem arboris quemadmodum Filiæ platano, Barici, & cæteris proceris arboribus proprium ſemen tribuitur, nec improbandum eſt, quia folia amariuſcula gerat, nam cupreſsus inter edules fructus ſua ſemina non deſtinauit, nec inter olera folia, & abſinthij longè amariora ſint, & aliarum plantarum, quæ tamen non improbantur. Sed quæro cur vitio vertitur cupreſso id, quod mera laus eſt? odor namque minimè violentus, ſed gratus in toto ligno, arguit id ad mortuorum uſtrinam adhiberi, ut viroſus nidor cōpeſcatur. Cæterùm cur cupreſsus umbram gratam non ferat, non video, cùm ſecundùm propriam formam umbram ingratam non habeat, quamuis non ita patula ſit, ut in platanis, aut latiſsimarum aliarum arborum umbris, quæ in latum ſeſe extendant, ſic nec cupreſsi rara eſt materies, ut fruticoſi generis ſit, cùm, ſi Arriano credimus, in Alexādri Magni expeditione Cupreſsis ad naues conſtruendas uſum eſse fatetur, quæ ſanè naues ſolidam expoſcunt materiam. auget Cupreſsi exiſtimationem è Cupreſsis Deorum imagines fieri, ut ex Pauſania, & alijs Auctoribus; hanc enim arborem non ſunt aſpernati, qui ut eorum facies in odoratiſsimo ligno fabrefacta expiationibus proderetur. interim, quod ſacra Diti ſit, hoc ſanè & myſterioſum, & ſymbolicum eſt, ut quæ in terram ſic radicitùs defigatur recta deſcendens, ut ad tartarum uſque migrare credatur, tantum in metam ſeſe erigens, quantum radice ſe profundans, ut æquè propria corporis proceritate ad aerem ſe extollat, cùm alijs arboribus elatior ſit, & tartarum indè radice eadem felicitate profundum occupare credatur. aut Diti etiam ſacra cenſetur, quia lignum etiam ſucciſum æternæ durationis cùm ſit manibus dicatum euadat, quorum in Elyſium æterna duratio creditur, ſub qua ratione pro ſigno funebri mortuorum domibus appendi. Cæterùm Plinium ſibi ipſi non ſatis conſtare videtur; nam conuicijs, quibus laceſſitam voluit Cupreſsum, combinat dotes etiam ſingulares, dum inquit metæ non repudiatam cupreſsum aſpectu in ordinibus hortorum combinata cum piris, tunc elegantiſsimè exhilarare oculos ad ſepimentum in ædificijs, & delectamentum, veſtiendiſque etiam murorum parietibus deſtinatam, trabique arte veluti in picturas hiſtoriali ſuo opere, & folio tenui, ut venatus claſses, & imaginum rationes, virenti hilari ſuo folio, breuique repræſentare, & tenui, ſemperque virenti conueſtire; ut facilè in artificis obſequium cedat, & quaſcumque imitetur formas, prout de buxo nobis compertiſsimum eſt, ut idem Plinius coactus fuerit profetre, cupreſsum aſpectu metæ non repudiatam in diſtinguendis ſpinorum ordinibus, & etiam quia textilis facta in denſitate parietum adhibebatur, ut oſtendat, non ad lugubrem tantùm cauſam trahi, ſed ad delectationem, & voluptatem uſurpari, & topiario opere picturam æmulari. Ità exiſtimo à maleuolorum iniurijs ſingularem ſtirpem vindicatam, cùm præſertim cùm longæua ſit, diutinè hilaritatem ſuam ſeruat, & poſt interitum cadaueris formam recipiens, ad æternitatem uſque incorrupta, & ſuauitate odoris Lib. 1. c. 5. de hiſt. plan.

odoris fragrantiſſimi comitata ſeruetur. Deſcribitur planta cupreſſi, quod arbor ſit procera, longo, & recto caudice in acumen faſtigiato, ramis denſis circa truncum rectà ſurſum tendentibus, in fœmina minimè ſpanſis, non ſic in mare; folia perpetuò virentia carnoſa Tamariſci, ſeu Sabinæ potiùs æmula, & veluti è breuiſſimis ſquamulis, craſſiuſculiſque compacta; Conum larigno ſimilem fert, craſſiorē, & magis compactum, ferè nucis macis magnitudine, ligneis ſquamis conſtantem, in quo ſemen furfuribus ſimile, quod per coni rimas dum hæreſcit, ſpontè excidit, & formicis gratiſſimus euadit cibus; materies ligni ſolida, quæ teredines non ſentit, & ad æternitatem durabilis valdè odorata, ſubluteo colore; cortex eius ex cinereo in nigrum tendit, & veluti ſquamulis diſtinguitur: Temperamentum frigidum gerit, licèt non ſine aliqua tenui, ſed tamen ſuperficialiter caliditate, quæ tantùm ſuperficiens ſit, teſte Galeno, ad deducendam in altum adſtrictionem, qua pollet; foliorum, & fructuum frigiditas primum non excedit gradum, adipiſcitur tantùm ſecundum gradum ſiccitatis: forſan in ligno ſicco, odoratiſſimo, aliqua leuis caliditas frigiditatem primi gradus infringit. Huius plantæ fructus, Dioſcor. teſte, ex vino utiliſſimè exhibentur Dyſentericis, Lientericiſque, necnon in diarrhęis, ſic & foliorum decoctio ad herpetes ſiſtendos, curandis carbunculis aptiſſima exiſtimatur. folia trita, & impoſita ſanguinem reprimunt in vulneribus, conglutinant eadem, humiditatemque ſuperfluam depaſcuntur. Enterocelis hernijs ſuccurrunt; in collutione ſcobs ligni ex aceto dolores dentium ſoluit commendantur; folia ad eryſipelata, & eorum decoctio, cum fructu, ad vitiligines emendandas; oleum ex eorum decoctione ventriculum roborat, ventrem immodicè fluentem ſiſtit, vomitum reprimit, & pudendorum exulcerationi perutile. ex hac arbore reſudat Reſina larignæ ſimilis acerrimo ſapore, quæ vermes, teredineſque necare valet. habet Saracenus, folia contuſa epota libidinis intemperantiam coercere, at ſi ſæpiùs ſumpta ſint, in totum uſum auferre, & ſemen mulierum ſterilitati cōducere; perhibent ſuffitu folia culices abigere.

De Salice.

CAPVT CIV.

Salix cur frugiperda ab Homero vocata, & nominis ſatio adducta: genera afferuntur; uſus ruralis adducitur, vireſque Medicæ explicantur, & temperamentum.

INfęcundæ arbori cum Homero, Theophraſto, & Plinio ὠλεσίκαρπος vocatæ; frugiperdæ ſcilicet, quia ſemen, quod ad maturitatem non perducat integrā, & perficiat, vel quoniam ſterilitatem inducere cum Theophraſto, & Dioſcor. valeat, quamuis nec omninò frugiperda ſit, hunc locum libenter ob conformitatem temperamenti cum ſupra relatis concedimus. hanc arborem paluſtrem appellat Theophraſtus; & licèt in quocumque ſolo naſcatur. nihilominus in humidis locis faciliùs creſcit; dixi

hanc

hanc arborem frugiperdam non omninò eſſe, quia pro medico uſu vires ſingulares obtinet. ſalicem dictam credidere plures, licèt Feſto Pompeio reclamante, à ſaliendi facilitate, in uliginoſis namque præſertim radicata in altum facilè eleuatur, quod expreſſit Virgilius, dum inquit,

Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni.

Theophraſtus tamen ſalices ancipitem vitam agere tradit, qui ſalicis ge- Lib. 1. de
nera tria facere videtur, albam, nigram, & paruam. Plinius verò diſtinguit hiſt. plant.
eamdem in perticalem, viminalem, & fiſcilem; item albam ſalicem diui- cap. 7.
ſere alij in perticalem, & viminalem; è viminalibus ſalicibus eligitur amerina, cuius Recentiores plura genera fecere; Verùm ſalix ad varios uſus aptatur; perticalis namque præcipuè ad vitium ſuſtentaculum, viminalis ad corbes texendos, ciſtas conficiendas, vites iunciendas, ad variaque opera ruralia, & urbana, ut notum eſt, cuius conditionis datur ſalix vitellino cortice; cæterarum magis flexibilis, uſuſque varij, prout varia inſimul nectendo veniunt. cæduæ ſalici plurimam fertilitatis laudem aſſignat Plinius, cuius denſior tonſura eſt, & breuior ligno, nullus autem tutior eſt redditus, minoriſque impendij, aut tempeſtatum ſecurior. Cato tertium locum in ruris æſtimatione eidem attribuit, & priorem, quàm oliuetis, quàmque frumento, & pratis. Verùm ſalix craſſo cortice, caudicem ſcabrum in ruſſo cinereum velat, qui caudex in altum multùm eleuatur, niſi decacuminetur, ad plurium perticarum productionem, ramis non multùm expanſis, folia oliuæ ſimilia gerit, longiora, anguſtiora, graciliora, minimèque ſerrata, quæ in frigidi parte in Cana, quamuis detur ſalix folijs latis, platifila dicta, enumeratur inter ſalicum genera ſalix phœnicea, quia palmularum colorem habeat. Cæterùm longè maiorem utilitatem ex ſalice elicimus in morborum depulſione, & hoc ex temperamenti ſui vi, quod frigidum aſſerunt in primo gradu, ſed ſiccam in ſecundo. foliorum ſuccus,
cortex, & ſemen ſpiſſandi vim, ex Dioſcor. obtinet: pota folia, trita cum Lib. 1.
vino, & pipere ileo conducunt; per ſe, aut cum aqua ſumpta prohibent ne cap. 117.
mulieres concipiant. ſanguinem expuentibus prodeſt, & ex cortice eundem effectum experimur, cuius cinis aceto macerata, & appoſita, callos, & clauos extrahit; aurium doloribus prodeſt, ſi ſuccus in malicorij cortice decoctus inſtilletur cum roſaceo. articulis dolentibus medetur in podagra, ſi foueantur partes eius decoctione, dum ſalix floret. ſuccus, qui emanat, pupillis obtenebratis conducit, vitiaque cutis, ex Plinio, & taciei præſertim emendat, ex quocumque tandem ſucco oblinatur; trium enim generum ex ſalice colligi aſſerit, unum, qui ſpontè ex arbore exſudat, inſtar gummi, alterum indita plaga dum arbor ipſa floret exciſo trium digitorum amplitudine cortice, qui ſecundus ſuccus non ſolùm ad oculos commendatur, ſed ad ciendam urinam, inſpiſſandoſque humores, dum hoc ipſo egent. tertius ſuccus colligitur ex detruncatione ramorum poſt cæſuram, habet cortices & folia in vino decocta utiliter adhiberi ad neruorum corroborationem; habet enim exſiccandi vim ſimpliciter ex Gal. 2. Simplicium, ſalix conditiones ſecundùm omnes ſuas partes citra mordacitatem non ſine adſtrictione, effatu digna, idem aſſerit obtinere arboris corticem, ſed eſſe ſiccioris temperaturæ, quod omnibus arborum corticibus

commune eſt, qui cortex, ſi comburatur, & in cinerem faceſſat, maiorem ſiccitatem acquirit, & feliciori euentu adhibetur, ubi maiori exſiccatione opus ſit.

De Gramine.

CAPVT CV.

Graminum familia numeroſiſſima traditur, deſcribitur; in uſum medicum receptum, temperamentum adducitur, vires produntur.

A Celſioribus arboribus ad exiliſſimas, & humi repentes plantas, vel puſillum è terra eleuatas ratione ſimilitudinis temperamenti tranſitum facimus, ne quæ viribus ſumis prædita ſunt, exiguitate molis deſpectui tradere videamur. Eſt graminum familia in natura numeroſiſſima, cùm ſupra ducentas graminum ſpecies enumerauerit in protopinace Bauhinus, ut tanta graminum copia natura neceſſitatibus noſtris ſuccurreret, & quaſcumq; telluris partes lepidè earum virore coronaret, & hilare ſpectaculum ex ijs oculis noſtris præbetet, ἄγρωστις Theophraſto, Dioſcoridique vocata ab agris, quos ſuæ radicis mole implicat, Latinis verò gramen dicitur, quo nomine quodcumque graminis genus denotamus; uſus tantum inualuit, ut graminis nomen in illa tantummodò ſpecie à medicis uſurpata verificetur, quam tantummodò explicandam aſſumimus. deſcribit gramen iſtud Dioſcorides, quod geniculatis ſerpat ramis, à quibus radices ſpargat dulces, articulis præcinctas, cùm re vera radicibus ſerpat pluribus longis, candidis, geniculatis ſibi inuicem implicitis, ut meritò ab agricolis peſtis aruorum dicatur; repit namque per terram, & ita implicat eamdem, ut ſegetibus valdè nocere valeat, ut vix euelli poſſit; & cù n vitæ pertinaciſſimæ ſit, licèt euellatur, dum terræ rurſus adhæret, ſtatim reuiuiſcit; folia acuminata, quaſi paruæ arundinis ſunt, quodammodò lata, quibus iumenta, boueſque paſcuntur. Huius vulgaris graminis & in uſum recepti Iconem tradunt Matthiolus, Dalecampius, & Dodonæus, quod licèt diuerſam quadamtenus inter ſe collati faciem habeant, æquè tamen ſatisfaciunt, & ſimiles habere vires compertum eſt. ſiccam temperiem graminis radicem obtinere communiter à Medicis exiſtimatur in ſecundo gradu, obtinet tamen primum frigiditatis; & licet ſubdulcis ſit, habet tamen, ut notabat Gal. neſcio quid ſubacerbi. cruentis vulneribus glutinandis ſummoperè valet, & eius decoctum valde conducit in renum, & veſicæ obſtructionibus, quibus partibus peculiariter prodeſt; urinam enim & mouet, & calculos pellit, quod ex Marcello Empirico deductum video, qui radicis nodos viginti ſeptem decoquit ad dimidium in vino, & ſi febris adſit, in aqua, & feliciſſimo cum ſucceſſu ſtranguerioſis exhibetur: immò graminis tertio loco à Lobellio deſcripti ſemen idem facere profitetur. ſunt qui dicant eſſe in paſſiuis temperatam plantam; ſed quæſo qua temperamenti conditione deobſtruere poterit, qua calculos pellere, urinamq; ciere, niſi ratione præualentis ſiccitatis? ob id eam ipſam plantam cum Ophmanno autumo aſſignat a ſiccitate præſtare, ſub qua ratione febribus

Lib. 4. c. 28.

mali-

malignis ſummoperè conducit, ut in ijs, alijſque febribus innoxiè uſurpari poſſit; radices, ſi frigido temperamento valent, quomodò vermibus necandis valere poſſunt? hoc forſan ex proprietate ſubſtantiæ obtinet.

De Millefolio.

CAPVT CVI.

A quo Millefolium nomen deduxerit affertur; ambigitur, quæ è Millefolij vocatis plantis Dioſcoridis Millefolium æmuletur, quæ magis arrideat inquiritur, temperamentum conſtituitur, vires examinantur.

Millefolij planta à foliorum criſpa multiplicitate minutiſſimè cohærentium nomen à Græcis χιλιόφυλλον ſibi vendicauit, quemadmodum & ςρατιώτης, quod in caſtris neceſſaria fuerit pro vulnerum curatione, quaſi militaris dicta. Verùm circa millefolij Veterum veram cognitionem ad formam quod attinet, res magnis dubijs implicita tota eſt, non quidem noſtris tantummodò temporibus, ſed etiam Plinij æuo, quod conſtare cuique legenti facilè poterit, ſiue perpendenti cap. 5. lib. 25. de Hiſt. Natur. hoc tamen certum eſt, plãtas varias pro vero Stratiote à pluribus Auctoribus adductas fuiſſe, quas multum diſtare in temperamenti ratione inter ſe non reperere, niſi forſan aliquam differentiam cognoſcamus in millefolio illo nobili vocato, Syderiti ſcilicet, Achillea, cuius odor præ cæteris aromaticus frigiditatem temperamenti non arguit, quamuis ſiccitatem innuere videatur. utcumque res ſit, deſcripta planta Millefolij à Dioſcor. magis conuenire videtur cum millefolio noſtro umbella lutea, quàm cæteræ millefolij adductæ à Botanicis ſpecies, cùm huius magis accedant ad formam pennarum paruarum auicularum, quàm cæteræ ſpecies. color tantummodò floris à colore à Dioſcor. deſcripto diſtate videtur, vires tamen ſunt eædem: verùm compertum nobis eſt experimento millefolium vulgare tum purpurei, tum albi floris præſentiſsimum eſſe remedium ad vulnera recentia glutinanda, quod ego non ſemel ſenſato experimento obſeruaui; quapropter non admodum ſoliciti eſſe debebimus de millefolij exquiſitiori figura, delineationi à Dioſcor. factæ congruenti, licèt aliqua deſint, ut exactiſsimè eidem correſpondeant, & forſan non ità exactè ſunt accipienda; habet namque Dioſcor. millefolium puſillum eſſe fruticem, palmi altitudine, aut etiam ampliùs, folijs auium pennas imitantibus; ſunt autem foliorum exortus breues, creberrimis inciſuris diuiſa, addit folia maximè Cuminum agreſte, tum breuitate, tum ſcabritie imitari, ſed ſunt paulò breuiora; ſurculos in cacumine gerit exiguos, in quibus umbellæ in modum anethi, flores candidi, paruique. Verùm ſi oculis noſtris ſupponamus noſtrum tum album, tum purpureum millefolium, facillimè ſuadebimur diutiùs pro eiuſdem genuina probatione in ſententia ferenda non eſſe hæſitandum; nam præterquamquòd folia, umbella, floreſque deſcriptioni Dioſcorideæ conueniunt, illa foliorum ſcabrities, quam Auctor in ſuo innuit millefolio, in noſtro minimè deſideratur, & quod magis eſt, vi- *Lib. 4. cap. 103.*

Sſſ 2 res

ſes non diſſimiles gerunt. Cæterùm cùm huius temperamentum frigidum in primo gradu aſſeratur, ſecundumque ſiccitatis obtineat, meritò ulceribus conuenire maximè poteſt, ad quæ etiam ſinuoſis à Dioſcor. comendatur, quemadmodum & ſanguini ſiſtendo, & vulneribus ſanandis, cùm ſola folia appoſita contuſa hiantia vulnerum recentium labia obducere mirificè valeant ſanguinem cohibendo, & inflammationes arcendo, quod à calido haud factum, ut aliqui dubitant, crediderim; mirificè inſuper pollere tradunt in emoderatis menſibus ſiſtendis, quod opus caloris eſſe nequit; hoc idem habendum, dum ſanguineis ſpuitionibus valere tradunt, Gonorrhæamque ſiſtere.

De Nummularia.

CAPVT CVII.

An Nummularia Veteribus cognita fuerit inquiritur, negatur, à quo nomen deduxerit, & cur nominibus varijs inſignita. Temperamentum & vires adducuntur.

SVnt admodum ſoliciti Botanici, quo nomine à Veteribus conſtitutam nummulariam deſignent, fruſtrà me iudice, cùm nihil de hoc appoſitè dici poſſit; non eſt primò mimulus Plinij, vel, ut quibuſdam placet, mumulus; de qua, quia mimulus, vel mumulus eiuſdem planta eſt, quæ ſpontè in pratis naſcitur, ſecus de nummularia, quæ in fouearum ripis, & in locis uliginoſis circa fluenta, naſcitur non Dioſcoridis aliſſum, quod ex eodem ſubfrutex ſit, & in montibus, aſperiſque locis ortum ſuum ducat; nec anagallis eſſe poteſt, folia namque in anagallide non ſunt exactè rotunda, prout in nummularia, nec in hac, & eius medio cauliculi aſſurgunt, ſed per terram ſparſi viſuntur, quapropter fruticis nomen non meretur, nec cauliculi quadranguli ſunt, ut in anagallide; in nihiloque conueniant, niſi in floris colore, quo diſtat anagallis mas à fœmina, quæ cæruleum florem gerit, non luteum, foliaque anagallidis ità lata non ſunt, quemadmodum in nummularia; non eſt tandem ἐρυθρόδανον Theophraſti, rubiam vertit Gaza, quam verſionem ſequitur. Saracenus, & quam idem auctor deſcribit, folia ſcilicet hæderæ gerere, rotundiora tamen, quam humi naſci tradit, quam etiam caulem gerere, modo graminis habere, loca umbroſa amare, urinamque ciere; & licèt deſcriptio hæc minimè rubiæ conueniat, ut inſimulari à Scaligero video, notatumque à Brodeo; quibus attamen aſſentiri nequeo nummulariam hederaceum folium gerere, quod ſuo erythrodano tribuit Theophraſtus; nec apud Botanicos reperire poſſum, nummulariã ciendę urinæ vim habere, quod quidem effecit, quod Gaza enithedanum, quaſi erythrodanũ dixerit Theophraſtus; cui proprium eſt validè urinam ciere, præterquamquod idem Auctor amare umbroſa loca dixit, non verò iuxta fluenta, udaque loca, & ſcrobium margines naſci, præterquam quod nihil nummularia cum gramine habet, neque ad radices quod attinet, nec ad caulem, quem gramen eleuat, & in ſummitate arundinis inſtar ſpicatum florem

Lib. 18. c. 28

9. de hiſtor. plant. ca. 14. in princ.

florem emittit, ſiuè potiùs inſtar arundinis, aut milij iubam, vt ex ijs fruſtrà ſit quærere, quo nomine nummularia Antiquioribus denominata ſit. humi ſtrata igitur cernitur nummularia circa fluenta, ſcrobeſque vliginoſas, multos, tenueſque cauliculos à tenui radice emittit, humi ſtratos circumquaque terram ambientes, circa quos folia hincindè emergunt itá rotunda, vt nummũ repræſentent, indè nummulatriæ nomen inditũ, viridia, per breuia interualla ab utroque latere rectè diſpoſita, e foliorum alij in cauliculis itá humi iacentibus erumpunt flores lutei, breuibus pediculis innixi, ranunculi inſtar. cæterùm vocatur etiam vulgò centummorbia, quia pluribus morbis occurrere creditur; aliqui ſerpentariam appellant, quoniã vulneratos ſerpentes indè medelam accipere tradũt, huius plantæ adſtringens ſapor in ea ipſa ſiccitatem temperamenti arguit, ideò cenſetur frigida in primo gradu, & in ſecundo ſicca. proſunt trita folia cum floribus ſimul vulneribus, & vlceribus; opitulantur eodem modo appoſita vẽtris fluxionibus, & Dyſenterijs. decoctio horum ſanguineis reiectionibus conducit; profluvia muliebria ſiſtunt, interniſque pulmonum vlceribus aduerſari, vulneribuſque. Paracelſiſtarum inane refugium prædicatur, qui ſuum Mercurium ſiſtant, & Boriſſam appellant.

De Virga Aurea.

CAPVT CVIII.

Virgam auream Antiquioribus indictam aſſeritur, Temperamentum, & vires produntur.

NOn habet noſtrum ſanè æuum, quod præteritis ſæculis inuideat in ſalubrium plantarum indagatione; non modicum namque inſudarunt viri docti, ut proficuis laboribus ſuis de humano genere optimè meriti euaderent. inter plantas igitur, quæ ex horum induſtria nobis emerſere, inter præcipuas connumeratur virga aurea, ſic à forma appellata, cùm à radice fibroſa ruffeſcente ramuli, ſiue virgulæ rectæ exurgant graciles, modicè rubeſcentes, cubitales, & ampliùs, folijs Trachelij eas uſque ad ſumitatem ambientibus, aſperis, oblongis, & per ambitum leuiter crenatis, ſaturo virore coloratis, circa quas virgas ab imo ferè ad ſummum flores circumcircà inter folia erumpunt frequentes, aureo colore naturæ penicillo coloratos, qui de ſe venuſtũ ſatis aſpectum produnt, & quibus in pappos abeũtibus, ſuccedit ſemen conyzæ ſimile; faciliùs in opacis, & ſaltuoſis prouenit, non in apricis. putatur ad temperamentum, quod attinet non excedere primum frigiditatis gradum, magis tamen vigere in ſiccitate, quia ſecundum gradum adimpleat; vulneribus ſanandis, ulceribuſque, præſertim cacoethis, & ſinuoſis ſummoperè conducere non eſt è Recentioribus, qui dubitet, immò inter celebriores vulnerarias habita eſt; adſtringit namque, validèque exſiccat, ſanguinem è vulneribus fluentem ſiſtit, præſertim à labijs vulnerum, fluxiones, & inflammationes arcendo, inhibendoque, quod præſtat tam interiùs adhibita, quàm exteriùs appli-

cita.

cita. traditur à quibuſdam urinam ciere, calculoſque frangere, pellereque, immò Ioannes Barclaius in Euphormione ſuo, ut huius plantæ ad talia vigorem innuat, fingit Callionem quemdam calculo renum laborantem virgæ aureæ potione eius ſuaſu ſanitati reſtitutum fuiſſe. decoctio eius plantæ ſumpta, aut in clyſteribus uſurpata, Dyſenteriæ cohibendæ utiliſſima cenſetur, dentes mobiles firmat, fauciumque inflammationibus, oriſque cæteris morbis, collutione, dummodò à cauſa calida pendeant, opitulatur. & hæc de plantis primum gradum frigiditatis non excedentibus cum ſiccitate coniuncta.

De Plantis calidis in ſecundo gradu cum ſiccitate.
De Saluia.

CAPVT CIX.

Plantæ, quæ ſecundum gradum caloris obtinent cum ſiccitate explicantur, & à ſaluia exordium ſumitur: cur ſaluia appellata, & ab Agrippa ſacra dicta; genera adducuntur, deſcribuntur; temperamentum aſſignatur, vires explicantur; de uteri impedimentis ad conceptionem nonnulla obiter afferuntur.

HActenus de plantis frigidis ordine primo cum ſiccitate coniunctis; nunc quæ ſecundum gradum caliditatis explent cum ſiccitate percurramus, à Saluia exordium ducentes; ſecundo igitur calefacientium ordini communis Medicorum ſententia ſaluiam inſerit, ita dictam, quòd ad multa, præſertim verò fæcunditatem ſalutaris ſit, cùm grauidæ huius frequenti uſu fiant, quæ priùs ſteriles erant, adeòque Agrippa non immeritò ſacram herbam vocauit, ut quæ & morborum depulſione, & ſpeciei propagatione diuerſo modo ſaluti noſtræ opitulando proſpiciet. Aetius lib. 1. Saluiæ elogium nobile contexuit, dum probat fæcunditati ſaluiam ſummopere conducere, exemplo primum Leænæ, quæ prægnans ſaluia utatur, ut vitalem conceptum perficiat, contineatque. Deinde cùm peſtis in Ægypto graſſaretur, ad ultimam uſque populorum perniciem, qui à peſte immunes relicti fuere, mulieres coegiſſe, ut tantæ iacturæ frequenti, & certa prægnantium ſobole ſufficeretur, ſucco ſaluiæ uterentur. docet indè modũ, quo mulier à purgationibus ea ipſa planta utatur, ut à concubitu ſcil. abſque dubio concipiat Sphacũ, σφακον Græcis dicta, quia ſphacelo medeatur, eleliſphacũ etiam, ut utrumque ſaluiæ genus deſſignarent, agreſtis videlicet ἐλελίσφακον, quaſi ſyderata, ſiue ad tabem redacta, folia enim exſucca omninò videntur, & à Sole veluti torrefacta. differt Saluia tum magnitudine, tum foliorum aurita appendice, ſed præcipua in æſtimatione baccifera ſaluia eſt, quam Creta producit, cuius fructus ſaccharo conditi Magnatum lautitiæ ſunt; deindè in minorem etiam ſaluiam diſpertiuntur, quæ ſilueſtris eſt, & ipſa è facie à ſatiua valdè diſtat, & odore quoque, licèt facultates eædem ſint. Cæterùm fruticoſa planta eſt domeſtica, ſiue ſatiua ſaluia, quæ à radice lignoſa plures producit ramos craſſiuſculos, candidos

dos in quorum ſummitate flores in ſpicas emergunt, candidi coloris in cæruleo. tota planta odorata eſt, nec ingrati ſaporis; folia incana, rugoſa, oblonga, malo cotoneo ſimilia, ſed longiora, craſſioraque, & aſperiora, ut ex hac Dioſcor. deſcriptione magis ſilueſtrem deſignari ſaluiam, quàm ſatiuam appareat, ſilueſtri namque raró plures ramuli à radice emergunt, & folia ſint verbaſci magis, quàm mali cotonei, immò ſatiua gratiſſimum gerat odorem, ingratum agreſtis, & quæ duorum generum eſt, maioris ſcilicet, & minoris, quemadmodum ſatiua, quæ in folijs etiam differt, cùm minor ſaluia folio auritas appendices gerat, quæ in maiori ſatiua deſiderantur. additur tertium genus Creticæ ſaluiæ, quæ baccifera eſt, & ad folium ampliores appendices habet, non ita tamen ſeiunctas à folio maiori, cuius ſunt appendices quemadmodum in maiori videmus ſaluia; differunt etiam in florum colore, cùm alia cæruleos flores gerat, alia albos, quòd autem Plinius ſaluiam ſylueſtris lentis genus eſſe profiteatur, folio minore, & odoratiore, hoc ſanè prouenit, puto, ut quia idem Auctor mendoſum textum Theophraſti nactus ſit, in quo non sphacum, sed phacum legerit.

Temperamentum Saluiæ tam agreſtis, quàm satiuæ creditur secundum gradum caloris implere, totidemque ſiccitatis suscipere à natura. Cæterùm dum vires saluiæ expendit Dioscor. mentionem facit primò decocti saluiæ, cuiurinas, menſesque ciendi vim attribuit, quod à temperamenti conditione euenire ratio satis manifeſta suadet, dubium tamen effectum reddit, cùm eamdem ξηραντικὴν, & ἰσχαιμὸν, tradit, sanguinem scil. cohibere: at præſtare hoc ſaluia poteſt, cum iam arefacta, adeòque sanguinem densando, magisque fibrosum reddendo, præpollentibus poſt euanescentium partium tenuiorum craſſioribus, quemadmodum corticum aurantiorum puluis interiùs sumptus, Rhabarbarum toſtum, & tandem excarotica ipsa, quamuis aliquæ ſingulari hìc dote operari videantur non minùs calidæ, ut porrum, urtica, Betonica, Ruta; myrrha tamen, & Aloes priorem magis ob cauſam hoc facere censentur, atque Iaspis referri poteſt; cæterùm quia præcipuè in saluia commendatur fecunditatis effectrix virtus, non priuatim minùs expetenda, quàm bono publico conducibilis, ut apertiùs conſtat. quid ex eius usu promittere nobis queamus, ſterilitatis cauſas paucis expendamus. accidũt autẽ causæ vel circà uteri vaginam, vel ſanguinis, ac ſpermatis vaſa ad uterum pertingentia, vel ad uterum ipſum, eiuſque ceruicem propriam. ratione vaginæ ſteriles euadunt fœminæ, quibus in eius extremo, ſeu pudendo via non eſt, tales ἀρρήτοι Veteribus, ex his Gracchorum matrem recenſet Plinius; aut denſa calloſa quæ hymenis conſtitutio à membrana ab angulo pudendi inferiore ſurſum expanſa, quod utrumque ego obſeruaui, quibus ijſdem locis excreſcentiæ turpes, tumores, ulceraque ſubnaſcuntur, quibus ab ulceribus vagina coaluit. Exemplum deſumi poteſt ex Platero in eiuſdem obſeruationibus.

Vaſorum ratione duplex oritur impedimentum, & ratione ſanguinis, & ratione ſeminis: ſanguinis, cùm is ruptis, eroſis, vel apertis vaſis immodicè, & frequentiùs uterum abluit, ſimulque debilitat; vel cùm ob cauſas contrarias, debitis temporum interuallis, eumdem vel penitùs non humectat, vel parciùs irrigat. Ratione ſeminis, cùm id quantitate vel nullũ,

vel

vel paucum nimis eſt: qualitate ineptum, utpotè calidum tenue, aquoſum, frigidum, ſpirituumque adeò decenti copia non perfuſum: impurum item, ſeu virulentia quadam affectum. quamuis enim etiam lue venerea infectæ mulieres utero gerant, atque alijs afflictæ morbis, quemadmodum de uteri hydrope conſtat, attamen cùm conciperent, ſanum & ſemen, & uterum rectiùs diſpoſitum habuiſſe vero ſimillimum eſt. utraque noxa in ſemen expetit vel ætatis ratione, cùm ea puellaris, ac ſenilis, vel ob morbos contingat, ac ſæpè latentia vaſorum vitia; nam reperti ſunt quandoque tumores, quod ego non ſemel obſeruaui, & veſicas amplas uteri tubis, atque etiam teſtibus inductas. Vteri ipſius morbi varij hùc præcipuè faciunt, ac præ cæteris intemperies cuiuſcumque generis. Hipp. notum eſt oraculum, quæcumque frigidos, & craſſos habent uteros, non concipiũt, & quæ eoſdem præhumidos obtinent, extinguitur enim in ijs genitura, & quæcumque ſiccos immodicè, & exurentes habent; nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. quæcumque verò ex utriſque mediocrem habent temperiem, eæ fœcundæ ſunt, ut ex eodem Hippocr. immò per hæc vitia facultas, cùm attractrix ſeminis, tum retentrix diuerſimodè lęditur

5. Aph. 62.

his accedunt tumores à frigidis & melancholicis ſuccis frequenter oborti. idem de ceruicis uteri morbis accipiendum, quibus præcipuè enumerant laxitatem nimiam, amplitudinem, occluſionem ab ortu, vel coaleſcentiam poſt ulcerum conſtipationem, aut ſarcomaſin. addunt compreſſionem à nimia abdominis moleſtia; & cum Hippoc. compreſſionem ſpecialiter ab omento, dum lib. 5. Aphoriſ. 46. ſcribit, quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, ijs uteri os ab omento comprimitur, nec concipiunt priùs, quàm extenuatæ fuerint. hæc ipſa tamen de omento ſententia non parùm obtinet ambiguitatis; etenim omentum ordinaria conſtitutione latè quidem viſceribus, tum præcipuè fundo Ventriculi, & collo adhæret, infra verò umbilicum parum, aut raró deſcendit, quod obſeruaui in valdè obeſis habitu mulieribus, magnitudinis non ſatis amplæ. & quę quæſo à corpore molli fieri poteſt compreſſio talis, quæ impediat naturæ vim, orificium uteri ad ſeminis receptionem dilatantis, aut aperientis? cùm incumbentium inteſtinorum tota, tantaque moles incrementum uteri impedire nequeat. Clariſſimus Sennertus probabiliorem exiſtimat rationem, ſi dicamus, id ſic affectis mulieribus materiam ſeminis, & menſtruorum in pinguedinem conuerti. hoc tamen quamuis admitti queat, negandum tamen non eſt in meſenterij, aut omenti glandulis excitatos tumores duriores hanc compreſſionem producere poſſe. ex Anatomes obſeruatione uterum notaui mulieris, cuius fundus cum proxima pinguedine, & portione inteſtini recti in ſcyrrhoſam duritiem concreuerat; ex his verò omnibus colligere licet, eatenùs ſaluiam prodeſſe, quatenus ſemen ad ulteriorem coctionem diſponit, uteri frigidam, & humidam intemperiem, ſanguiniſque in defectu, & paucitate vitia corrigit, niſi credamus præterea ſubſtantiæ totius proprietate uterum roborare. Porrò Dioſcorides ſaluiæ vires tribuit extrahendi fœtus: mirum ad fæcunditatem conducere medicamentum, quod eijcit embrionem, hic verò non ad vivum, ſed ad mortuum reſpiciendum, cuius interitus varias cauſas afferunt Auctores;

Lib. 4. prax. part. 2. ſect. 4. c. 3.

vivus

vivus enim embrio, & quidem mulieris alioquin ſanæ, fortiùs hæret utero, quàm ut opera benignioris Menagogi diſtrahi queat, at verò mortuus, adeòque languidè ſecundinis uteri adhærens, ſaluiæ uſu concitatis menſibus propelli tandem poteſt. præter hæc comendatur ſaluia ad aurium ulcerum emendationem ex Plinio. menſes tum remorantes excitat, tum ſuperfluè fluentes ſiſtit, quod de diuerſo ſtatu plantæ intelligendum, recentis ſcil. aut exſiccatæ; urinas quoque ciere tradit, quod ratione proprij tẽperamenti, quomodocumque conſiderata, efficere valet. paſtinacæ marinæ ictui occurrit, torporem circa partem læſam ducenti remouendo; ad Dyſenteriam laudat cum Abſyntio; contuſã plantã appoſitã que ſanguinem ſiſtere in vulneribus affert; ſerpentumque morſibus occurrere, pruritumque teſtium ſedare, & capillos etiam denigrare valet; tandemque, ſi Dioſcoridem conſulamus, ſanguinem expuentibus, & tabidis opitulatur.

De Cappari.

CAPVT CX.

A quo Capparis nomen deductum habeat inueſtigatur, genera diſtinguuntur, deſcribuntur, vires examinantur.

SVnt qui Capparis Ethymum ab eo deductum dicant, quod in Campis, non verò in locis præruptis arduiſque naſcatur. Contrà tamen habet Dioſcoridis textus, qui Capparim aſperis locis, tenuique ſolo prouenire aſſerit, apertèque etiam aduerſatur experimentum, cùm apud nos inter ſaxa, & cõmiſſuras murorum, antiquaſque macerias etiam ſpontè proueniat ad ortum Solis & Meridiem poſitis, prout non ſemel ego obſeruaui in ſpontè natis copioſiſſimis in arcis muris ab imo uſque ad ſummum oppidi Sancti Saluatoris ſupra Collem ædificatis, ultra quadringentos, & ampliùs annos, ſic videri poteſt in Montis ſilicis arce Patauinæ ditionis in muris ad Solem expoſitis, & etiam alibi arte ſatas: ergò ſatiùs erit dicere Cappares vocatas plantas, quia melancholicis affectibus, maniaciſque opitulẽtur, quibus prodeſſe teſtati ſunt Gal. & Paulus. Deſcribit Dioſcor. Capparim, quod ſit frutex aculeatus, circà quod animaduertendum eſt, è Capparibus dari genus, quod ſatiuum dicitur, & quod parum, vel nihil aculeorum producit. addit Dioſcor. per terram eſſe in orbem ſtratas, quod de ea Cappari, quæ in murorum ſciſſuris oritur, verificari non poteſt, cùm eius ramuli pleiumque penduli ſint. pergit Dioſcor. & inquit, ſpinas, ut rubus habet, in hami modum aduncas, folia malo cotoneo ſimilia, rotunda; varietas tamen quædam in folio viſitur, cùm alia ſit Capparis retuſo folio, alia verò in modicum acumen deſinat; fructum verò ſubdit oliuæ inſtar, in quo animaduertendum, hìc per fructum non intelligi pomum illud, quod ſemen includit, & quod euaneſcẽtibus floribus emergit; ſed per hoc nomen uſurpari florẽ ipſum immaturum, turbinatum, ſaturo viridi coloratũ, antequam foliola ipſa floris, quæ alba ſunt, excludat, in quorum medio ſtaminulis albis in ſummitate luteis ornentur, & ſe exſoluant ab inuolucro Lib. 2. cap. 204.

viridi membranaceo, & explicent, quo inuoluuntur; tunc enim temporis in cuiuſdam petioli ſummitate, cui flos adhæret, globulus longiuſculus oliuæ inſtar producitur, qui ſingulis diebus collectus, vel ſale conditus, vel aceto ad uſum ſalubris lautitiæ ſeruatur. pergit deindè, ut, quid per fructum intelligat, explicet, (inquit) quæ florem promit candidum, qui cùm dehiſcens panditur, dilapſo nonnihil glandis oblongè figuram induit, quod apertum, grana inſtar punici mali, rubentia, exigua tamen, intrà ſe condere oſtendit. Radices lignoſæ ſunt grandes, & numeroſæ. & tandem ſubiungit, ut hunc fructum edulem eſſe innuat, quod Caulis, & fructus cibi gratia ſale condiuntur. Elicitur huius plantæ temperamentum ex Gal. 7. Simpl. dum in Cappare conſiderat amarorem, acerbitatem, & acrimoniã, qualitates omnes, quæ ex guſtu facilè percipiuntur. Verùm cùm amaritudo ex exuſtis terreſtreitatibus proueniat, arguitur proculdubio in eadem planta calor cum ſiccitate. acerbitas à terra quidem promanat, minimè tamen exuſta, acrimonia verò pendet è pluribus igneis, ut cùm heterogenearum partium ſit, præualent tamen calidæ cum ſiccitate, ideò ſiccam in ſecundo completo gradu conſtituere, in eodemque exceſſu calidam ab re non erit, cùm præſertim effectus ſiccitatis varij ſint, qui eam ipſam tenuiũ partium declarant; nam ſua acrimonia infarctum omnem viſcerum, obſtructiones tollendo, demit, tumoreſque diſcutit; igitur hepatis obſtructionibus reſerandis, immò lienis in primis utiliſſima: nec ſpernendus uſus in aliarum partium internis obſtructionibus, incidit enim humores craſſos, & attenuat, & ad urinam deducit; calloſa ulcera emendat; vermes ſuo amarore necat; clyſteribus indita opportunè iſchiadicis cenſetur, cæteriſque articularibus doloribus; menſibus non opportunis temporibus, aut omninò non fluentibus radices iuxta menſuram felici cum ſucceſſu exhibentur, quarum cortex in Medicina recipitur. ſi decoctio diutiùs aſſumatur, imbecillo ſtomacho, nauſeaque affecto conducit, quemadmodum & conditus ex aceto fructus immaturus. Apuleius ſtomachum tamen, & aluum ciere tradit, vomitumque excitare habet Plinius, quod de crudo, & minimè condito accipiendum. Dentium dolores tollit. Addit idem Plinius transmarina Cappari Italicam innocentiorem eſſe, & qui eas quotidiè edunt, immò qui quadraginta diebus utuntur, per urinam, & aluum totam lienem emittere, paralyticoſque eius eſu non periclitari, nec lienis doloribus corripi; radicem tollere albas vitiligines; decoctum ſemen in oleo utiliter in aurium doloribus infunditur; ſtrumas diſcutere habet, & parotidas; Cortex radicis eligitur, fructus tamen ad omnia efficax, ſed inferioris à radice præſtantiæ.

Gal. 2. ad Glaucon. 5. Auerr.

Lib. 13. cap. 23.

Lib. 20. cap. 15.

Saman.

De

De Alyſſo.

CAPVT CXL

Nominis Alyßi ratio inquiritur, an præſenti ſæculo Alyſſum ſit genuinum veterum differens, Alyßi plantam eſſe Galeni ab ea, quæ à Dioſcor. adducitur. temperamentum, & vires afferuntur.

SVbfruticem frutici annectimus, hoc eſt Alyſſum Cappari ſimili tẽperamento donatum, & eximijs viribus præditum; ſatis namque eſſe ipſi debuiſſet in ea facultate pollere, à qua denominationem accepit, medendi videlicet morſus rabidi canis, ſic Plinius, de hac planta locutus inquit, *Lib.24.c.11.* nomen accepit, quod à cane commorſos rabiem ſentire non patitur, mirum eſt ſubiungit, quod additur inſaniam conſpecto omninò frutice ſanari. hoc tamen neque ex Dioſcor. neque ex alijs Auctoribus notis elici poteſt; habet quidem Dioſcor. ſingultum, ſi citra febrem ſit, eius Alyſſi ſecocto ſanari, quod etiam ſuccedere, ſi eadem planta teneatur, vel olfiat, quod etiam Plutarchus confirmat his verbis, Alyſſos herba vèl manibus tantùm contrectata, aut etiam inſpecta, liberat à ſingultu, ut ex his textus Plinij corrigendus videatur, & loco inſaniæ ſingultus reponendus ſit, à quibus Alyſſi viribus nomen acquiſierit, prout notat Saracenus in Dioſcoridem. Dubitatur inter Botanicos quænam planta illa ſit, quæ nunc pro vero Alyſſo uſurpari debeat; manifeſtum enim eſt ex deſcriptionibus varijs plantam Alyſſi à Dioſcor. deſcriptam diuerſam eſſe ab ea, quam delineauit Gal. Habet enim Dioſcorides Alyſſum eſſe ſubfruticem exiguum, ſubaſperum, folijs rotundis. iuxta quam deſcriptionem fructus eſt duplicium ſcutulorum effigie, in quo ſemen quoquo pacto latum. Diuerſo tamẽ modo ſuum Alyſſum deſcribit Gal. dum lib. 2. de Antidotis affert ibi medicamentum ab Aſclepiade propoſitum, contra canis rabidi morſum, inquit, Alyſſum eſt herba marrubio ſimilis, aſperior tamen, & magis aculeata: circa orbiculos flores ad cæruleum vergentes producit. hanc ipſam plantam colligi docet ſub æſtum caniculæ, ſiccarique. Aetius pro Alyſſo ſyderitim exhibet, quam Eracleam nominat, & iuxta vias naſci habet, & florem purpureum gerat, foliaque craſſiora. Dodonæus tamen, Matthiolus, Dalecampius, & plures è Recentioribus alij diuerſam à deſcriptis plãtam pro vero Alyſſo obtrudunt, & quidem ea planta, quæ pro vero Galeni Alyſſo à Dodonæo oſtenditur, & quæ videtur eius deſcriptioni apprimè congruere, quemadmodum in ea, quam exhibet pro Alyſſo Dioſcoridis libenter deſideraueram foliorum rotunditatem. utcumque tamen ſit, magis fiderem ego Alyſſo illi, quod pro Galeni Alyſſo delineauit, quàm in eo, quod pro Dioſcoridis Alyſſo præbuit, quod prælatum etiam a Palmerio video, quam quidem plantam etiam diligentiſſimè à me conſideratam *Lib. de morſu canis rabidi cap. 3.* cum deſcriptione à Galeno tradita optimè conuenire autumaui. Temperamentum huius ſtirpis calidum cenſetur in ſecundo gradu, quemadmodum etiam ſiccum in eodem exceſſu. vis eius præcipua aſſeritur ad rabidi

canis morſum, quod ramen non ex vi temperamenti, ſed à forma proueni-
6. De ſimpl. re crediderim, quod habet Gal. ubi ait dictam plantam ſæpè commorſos
med. facult. à rabido cane in totum ſanaſſe, & hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine.
Lib. 3. c. 105 Cæterùm Dioſcor. ſuum Alyſſum ad ſingultum commendat, ſi citra febré adſit, quem ex tactu, & olfactu etiam ſolo ſanare prodit. hanc vim cognouit Plutarchus, qui Alyſſum manibus tantùm contrectatum, aut inſpectum à ſingultu liberare ait. habet idem Dioſcor. emendare faciei maculas à Sole contractas, Lentigineſque; ſic ex Gal. habemus etiam Vitiliginem, & Ephelim; inſuper eſſe amuletum contra faſcinum, domique ſuſpenſum ſalutare tum hominibus, tum animalibus euadat, quod illis temporibus nimiæ credulitatis commune vitium fuit; habet inſuper panno puniceo circum ligatum pecorum morbos abigere.

De Betonica.

CAPVT CXII.

Betonicam noſtram eamdem eſſe cum Betonica à Dioſcoride deſcripta affirmatur; genera à flore tantùm diſtingui aſſeritur. Temperamentum adducitur, vires afferuntur.

FAmoſiſſima præ cæteris planta à pluribus ſeculis extitit Betonica, vel ſolo Antonij Muſæ Octauij Cæſaris Aug. Medici Elogio cõtenta, de
Lib. 4. c. 5. cuius viribus integrũ conſcripſit Libellum, ſi Plinio credẽdum. Dum eiuſdem uſu solùm ſalutem tanti Imperatoris ſeruauit labantem, atque in integrum reſtituit. Hanc Κέστρον, Ceſtrum à Græcis Dioſcor. appellari voluit,
Lib. 4. c. 8. necnon pſycotrophon, ψυχότροφον, quòd in frigidiſſimis locis reperiatur; quam tamen à Romanis Roſmarinum vocari voluit, ſeu potiùs Vetonicã,
Lib. 25. c. 8. cuius poſtremi nominis cauſam tribuit Plinius loco, ubi planta uberrimè ſponiè proueniebat, apud Vetones ſcilicet Hiſpaniæ populos, qui Auctor etiam habet Italis & Serrarulam, & Roſmarinum vocari. Sunt qui ambigant, an Græcis antiquioribus, & Theophraſto innotuerit; dubitatio tamen nullius momenti eſt, cùm Theophraſtus ſub nominibus Græcis à Dioſcoride relatis, nihil de hac planta omninò ſcripſerit. Vnicum Betonicæ genus cognouit Dioſcor. Gal. verò & Paulus duo genera ſcripſere, ſed quod horum præſtantius habendum, fides ab experimento deducenda; ſat ſit nobis Betonicam à Dioſcor. deſcriptam ſua forma magis cum noſtra conuenire, & ſic vero ſimile eſſe, noſtram eamdem eſſe, quę illis temporibus pro vera Betonica habebatur; & quam conſtituere diuerſas differentias tãtummodò à florum colore comperimus, qui vel purpurei ſunt, vel albi, quam florum in colore diuerſitatem, quemadmodum nec faciem alterare, ſic nec virium differentiam conſtituere obſeruamus. Deſcribitur à Dioſcoride Betonica, quòd herba ſit caulem proferens quadrangulum tenuem ad cubitum elatum, folia gerat longa per ambitum serrata, mollia quernis ſimilia, quæ prope radicem maiora ſunt, boni odoris, ſemen in caulium ſummitate tymbre modo ſpicatum, flores in ſpica pur-

purei,

purei, quamvis floris colorem Dioſcor. ſubticuerit, ſemen gerat nigrum, longum, anguloſumque, radix verò fibroſa, & albeſcens. Temperamentum Betonicæ ex communi ferè conſenſu ſtatuitur calidum in ſecundo gradu, ſiccumque in eodem gradu, vimque habere creditur incidentem, huius quidem plantæ vires eximiæ produntur; Radix enim ellebori inſtar pituitæ excitat vomitionem cum hydromellite præſertim ſumpta, ex quo mirum adnorandum eſt, radices betonicæ ſubuerſiones ſtomachi excitare, aluumque ciere, folia verò ſtomacho conducere, ipſumque corroborare; inſuper ruptis, conuulſiſque prodeſſe; opitulatur hyſtericis betonica, commendaturque contra ſerpentum, caniſque rabidi morſus, ſi contuſa venenatis locis aptetur, aut puluis bibatur, immò præaſſumptam venenum irritum reddere; Epilepticis peculiariter prodeſt & maniacis, tonum namque capitis electiuè reſpicit, urinas excitat, utiliter opponitur lienis vitijs, ſanguineiſque ſputaminibus, ructus acidos compeſcit, doloribuſque iſchiadis ſuccurrit, & renum, & veſicæ vitijs, menſes ducit, purulentis, & tabidis auxiliatur, regium morbum ſanat, & contra faſcinum inter Amuleta à Plinio reponitur, ut dicat betonicam tantum gloriæ poſſidere, ut domus, in qua ſata ſit, à piaculis omnibus tuta reddatur. Apuleius pariter ex Muſa miras eius vires prodit, animas, inquit, & corpora cuſtodit, & nocturnas ambulationes à maleficijs, & periculis, loca ſacra, & buſta à rebus metuendis tuetur, & defendit, denique omninò res ſancta eſt. Additque præter relata, quod vulneribus capitis ità proſit, ut ea ſumma celeritate glutinet, oſſa fracta extrahat; oculorum doloribus medeatur, auribus inſtillatos ſuccos ſuccurrere dolentibus, oculorum caligini conducere, ſanguinemque in ipſis per ophthalmiam affuſum per ſedem ducere potam, & inde viſum acuere, contuſam, & naribus immiſſam hæmorrhagiam ſanare; ſuſpirioſis prodeſſe, tuſſim ſiſtere, febres quotidianas, quartanaſque exhibito certo foliorum numero ſuperare, calculos frangere, hydropicis, & ægrè parturientibus opitulari, dolores uteri à frigida cauſa demulcere, & ſciſſos neruos glutinare. præaſſumpta betonica ebrietatem arcet, carbunculos curat, vires viatorum ex itinere fatigatorum mirum in modum reſtituit. hæc quidem, & multa alia ex Muſa Apuleius retulit; Vtinam quemadmodum multa, & præclara ſunt, ſic omnia experimento congruerent, eſſet enim Betonica veluti panacea.

De Angelica.

CAPVT CXIII.

Non eſſe Angelicam Veterum Laſerpitium, nec ſub alio nomine ab ipſis deſcriptam aſſirmatur. genera perpenduntur; deſcribitur. Temperamentum definitur; vires explicantur.

AN Veterum Laſerpitium ſit noſtra Angelica, niſi nos eſſe profiteremur ex eorum hominum numero, qui credunt illos nihil latuiſse, idem aſſerere, quod falſiſſimum eſt, auſi fuiſſemus; cùm præſertim Alpini

Laſer-

Laſerpitium magis Veterum ſylphio conuenire poſſit, quàm Angelica, aut Imperatoria, ut fatentur; quo verò nomine innotuerit olim, ut ingenuè fatear, neſcio, ut qui non erubeſcam aſſerere, etiam illis doctiſſimis viris multa non viſa, aut non animaduerſa extitiſſe, quæ noſtris temporibus reſeruata fuere. Superbit Angelica, hoc nomine inſignitam fuiſſe, quaſi non tantùm ſtirpium naturam, & animalium quoque, ſed hominis conditionem ſuperare valeat, genijs æquiparata ſacris, fucatum tamen nomen, & nimis ambitioſum obtinuiſſe opinor, qualeſcumque tandem ſint Angelicæ vires, cùm multæ ſint plantæ non inferioris notæ, quæ modeſtiori nomine ſint contentæ. Plura enumerantur Angelicæ genera; diuidunt namque Angelicam in ſatiuam, ſiue hortenſem dictam, & ſylueſtrem, ſeu montanam. Addunt tertium genus Arca Angelicam vocatam, & quam etiam aquaticam appellant, quam manifeſto errore credunt non differre à Laſerpitio Alpini, cùm tamen intuenti omninò diuerſa videatur; inter has hortenſis, ſiue ſatiua Angelica, quæ etiam odoratior eſt, cæteris generibus præfertur, quamuis forſan niſi ſatione differat. Arca Angelica verò cùm minùs odorata ſit cæteris, minùs valere opinandum. Omnia tamen Angelicæ genera ad idem commendãtur; eſt igitur ſatiua Angelica craſſo, & elato caule, geniculato, leui, ferulæ inſtar cauo; ſunt ampla folia, & veluti multis folijs ſimilibus unico petiolo adhærentibus compacta, altè inciſa, & per ambitum crenata, odorataque. Ramulos per genicula plures emittit, in quorum ſummitate umbella lata floſculis albicantibus concinnata, ſubflauo ſemine oblongo odorato, lato, membrana obducto. Radix ſubeſt craſſa inſtar napi longa, quæ magis interiùs, quàm exteriùs candicat, gratiſſimi odoris, radiculis ſiuè fibris tanquam appendicibus ſtipata, ex qua ſuccus exprimitur ſubluteus, pinguiſque, & eodem odore ſcatens, quo planta. Sylueſtris verò Angelicæ forma non adſimilis eſt, partes tamen omnes eam conſtituentes minores ſatiuæ ſunt, ut diſtingui inter ſe poſſint addito nomine Angelicæ maioris, & minoris. Arca Angelica, ſiuè Aquatica, Angelica vocata, ut minùs odoris habet, & forſan eſt virium non ità valentium, aſſignant Auctores eidem pro temperamento infrà ſecundum gradum caloris, ſylueſtrem verò ſecundum poſſidere autumant, & ſic etiam ſatiuam, cui etiam tribuunt exceſſum ſecundum ſiccitatis, vel paulò ſuprà. Sunt eius vires meatus aperire, craſſos humores incidere, eoſque diſcutere, ac ſubindè per ſudorem extrudere; addunt venenis utiliter aduerſari, & ob id in antidotis recepta, peſtilentibus halitibus reſiſtere, & ſimiles morbos ſuperare; immo aiunt detentam in ore radicem, & leuiter cōmanſam à peſte præſeruare, quod ſobriè ſatis credendum, & cautè fidendum, ne pęnas nimiæ temeritatis luamus; ſtomacho conducit, & Anorexiæ; expurgat à pituita caput, Thoracem, & pulmones; exanthematibus apparentibus in febre maligna, aut quibus in peſtilenti febre ſudor ſit prouocandus, drachma eius radicis in aqua Cardui benedicti cum modico Theriacæ, aut Aquæ Theriacalis utiliter exhibetur. Menſes euocat, ſecundinas expellit. ad canum rabidorum morſus ſummo cum iuuamẽto exteriùs contuſa, & applicita vulneri, interiùs ſumpta cum Ruta adhibetur; calculos quoque pellere traditur. Radix cæteris plantæ partibus

præ-

præpollet, ex hac deſtillatur aqua in affectibus cordis utiliſſima; eſſe Amuleium contra faſcinum plures, more Antiquorum, nimis ſuperſtitioſè credunt. Cæterùm quoniam nimia quorumdam credulitas Angelicam eſſe Antiquorum Laſerpitium ſuaſit, non erit præter rationem hìc aliqua de Laſerpitio ſubtexere.

De Laſerpitio, ſiuè Silphio.

CAPVT CXIV.

Opiniones circa Laſerpitij noſtrì ſaculi carentiam expenduntur, An ſit Aſa inquiritur, Benzoinumvè, aut ſitne in rerum natura adhuc, & ſi ſit, cur non deferatur diſquiritur; obtrudi tamen pro veterum Laſerpitio ex Alpino plantam affertur.

INter medicamenta Veterum præcipuè ex plantis deſumpta, Magnificum, ex Plinij teſtimonio, & auctoritate, clariſſimum Laſerpitium fuit, quod Græci σιλφιον, ſilphium appellabant, ut refert idem Plinius, cuius deſcriptio habetur apud Dioſcor. *Lib.19.c.3.* An in rerum natura ſit, dubitant Claudius Salmaſius, *Lib.3.c.94.* & Ioannes Parchinſonius, ille Exercitationum Plinianarum in Solinum folio 1124. hic in Theatro Plantarum. Mouentur hi viri docti ad id varijs rationibus ſuaſi. *Cap. 36.* quia Plinij æuo in Cyrenaica regione deficiebat, & Caulis unicus Neronis temporibus ſupererat, quia ſemen foliorum auri inſtar flavum, quia animalium eo veſcentium carni ſuauitatem conciliabat. quia impatiens erat curæ. quia pretioſum valdè erat. & à triumphantibus in ærarium deferebatur: ergo, inquiunt, ſuccus quoque Laſer dictus, non rêperitur. Hunc alij Aſam exiſtimant, quia uſu apud Indos tum aſſeruatione ratione puritatis & odoris ſimilis: quod repudiat Salmaſius, quia Aſa eſt ſuccus fruticis Corylo ſimilis, quia quoque viribus alienæ concludunt potiùs amiſſam eſſe, quemadmodum & Acaciæ ſuccus, pro quo ſuccus prunorum uſurpatur. Alij Laſer, Benzoinum exiſtimant. adeòque Aſam dulcem vocatum, quia Aſam, & Laſer inſcribendo facilè unum pro alio ſupponi poſſunt, & Serapio in puram, quæ odoratior, & non puram, quæ parum odora diuidit. Id autem iure negat Parchinſonius loco citato, quia notum eſt, Benzoinum arboris ſuccum eſſe; perijſſe ex integro tamen Laſerpitij plantam, & alicubi non reperiri vix hoc eſt credibile. Philoſophos namque eſt aſſerere ſpecies rerum naturalium ex toto deleri; non enim tantummodò vetuſtis illis temporibus è Cyrene, ſed etiam ex Armenia, Media, & Syria, quamuis non ita valens, teſte Dioſcoride, deferebantur, quibus in regionibus tanquam in naturali loco oriebatur. an verò Aſa fœtida ſit ſuccus ſilphij harum regionum, non eſt ita facilè decernere; aliqua tamen dicenda venient dum Aſæ temperamentum ad eius diſquiſitionem nos aduocabit. Cur autem ex regionibus illis modò nobis non comportetur ſub Silphij nomine, & cur eius uſus exoleuerit ignotum omninò eſt: ſed forſan hoc euenit, quia cum Silphium illud, quod ex piceo imbre repentè natum perhibet Plinius in Cy-

rene, quod cæterorum præſtantius exiſtimabatur eſſe deſijſſet; ceſſauit etiam Silphio omnis exiſtimatio, & cum deferentibus lucri ſpes. Theophraſtus cumulatiſſimè de Laſerpitio pertractat, & varijs Laſerpitij partibus varia etiam nomina aſſignat, cùm tamen in aliquibus diſſideat à Dioſcor. nam folium Maſpetum vocat, Dioſcor. verò nomen Maſperi Cauli tribuit, quem etiam Silphium ab aliquibus vocari tradit, & radicem Magudarim, folia verò Maſpeta. Omnes Silphij partes in maximo uſu apud antiquos fuiſſe conſtat, magnoque pretio habitas, ad varios Medicos uſus Dioſcorid. Laſerpitium commendat, ad quos efficaciſſimum prodit fuiſſe ſuccum, quem ex radice, & folijs colligebant, mox folio ſecunda exiſtimatio, & poſtrema Cauli; facultates tamen Laſerpitij percurrere cum Dioſcor. inopportunum duxi, cùm iam eius cognitio per tot ſæcula deſierit; fatetur tamen Alpinus à ſemine ex Syria ſibi delato, ſibi natam plantam in horto publico Laſerpitio veterum optimè correſpondentem, & illius Laſerpitij figuræ, quæ in nummo argenteo Cyrenaico in poſtica parte viſitur, nam in antica parte cuſa eſt effigies Batri, ut videre eſt apud me in nummo eiuſdem conditionis. Planta tamen Laſerpitio æmula ab Alpino delineata, & in horto publico ſata, ſi per hyemem rigidum eſſe deſierit, facilè quotannis reparatur ex Monte Baldo agri Veronenſis, ubi ſpontè naſcitur.

Lib. 6. ca. 3. de hiſt. plan.

De Carduo Benedicto.

CAPVT CXV.

Cardui Benedicti hiſtoriam à Theophraſto afferri ſub nomine ſilueſtris inniti creditur, deſcribitur. Temperamentum adducitur; vires conſiderantur.

LIceat nobis è Carduorum numeroſa familia, illud genus ſeligere, quod ob eius beneficas vires Benedictum Carduum vocant, quæ planta ſanè non imparibus iuribus, ac ſint Angelica, & Laſerpitium nobis ſe commendat, ut hinc notum ſit non immeritò cognomen tale ſibi uſurpaſſe. hanc atractylidis alterum genus faciunt Ceſalpinus cum Dodonæo, nec ineptè quidem, cùm propria forma non admodum diſſimilis videatur. exiſtimat Ceſalpinus Carduum benedictum à Theophraſto deſcribi ſub nomine Cnici ſylueſtris, qui ſonci caules ferat, ſit hirſutum, & quodammodo humi procumbat, fructum gerat amarum, & barbæ modum hirſutum. quæ quidem ſylueſtris Cnici delineatio apprimè congruit cum Carduo noſtro benedicto, qui quamuis rectè aſſurgere videatur, nō recti Caulis tamen dici poteſt, cùm gerat etiam ſurculos humi ſtratos, & procumbentes ad differentiam alterius Cnici ſylueſtris, cuius ramuli omnes recti ſunt. habet igitur carduus benedictus caules teretes, obſequioſos, ramoſos, rubeſcentes, qui aliquando conciſi purpureum humorem, veluti cruorem, fundunt, alios humi procumbentes, alios ſeſe attollentes; folia gerit hiſpidula, non tamen aculeata, utrinque laciniata, Cnico longiora, capitula in ſummitate cauliu m gerit hiſpidis aculeis obſita acanaceorum more.

6. de hiſt. pl. cap. 4.

more. flos luteus, & alicubi purpureus moſchũ redolens. ſemen oblongũ, ſuperiori ſua parte capillatum. tota planta hiſpidula eſt, & amara valdè, radix fibroſa, alba, inutilis, folia, & ſemen in uſu ſunt apud Medicos; Cæterùm negat Matthiolus ramulos contuſos humorem cruentum reddere, affirmat Ruelius, ſed Fabius Columna Matthiolo fauet, nam hoc fieri obſeruauit, ſi Caulis excidatur in ſuo cacumine antequam flores pandantur, cuius teſtimonio excitatus ego, hoc ipſum non ſemel in horto noſtro obſeruaui. ſapor in tota planta amarus cum quadam acrimonia percipitur, quæ terreſtrem ſiccitatem cum aerea caliditate, tenuique indicant non ſine ignis portione, ut aperire validè poſſit, penetrandoque diſſoluere, & attenuare, ſecundum tamen gradum caliditatis, ſiccitatiſque non excedere exiſtimatur. Si vires cardui benedicti ſpectemus, creditur venenatis omnibus qualitatibus reſiſtere poſſe, adeòque in febribus malignis optimum remedium, ſudores enim excitat, & exanthemata acutim apparentia protrudit. commendatur ſummoperè ad peſtem, ſiue in puluere ſumatur, aut ſucco, ſiue eius aqua ſtillatitia elicita exhibeatur. verùm, quod mirum eſt, adſtrictoria etiam facultate non caret; ideò hæmorrhagiam narium feliciter ſiſtere traditur indito, aut attracto ſucco; ſtomachũ anorexia laborantem ſumma cum efficacia corrigit. Ceſalpinus hydropicis mederi fatetur, ſi folia decocta in impuberis urina exhibeãtur. Cõmendari traditur eius decoctio ad febres chronicas fugãdas, quo Carcinomatoſis affectibus ſuccurrit, & carbunculis peſtilentibus ſummoperè confert, ſi folia contuſa cum aceto calente parti imponantur.

De Carlina.

CAPVT CXVI.

A quo nomen deduxerit Carlina recenſetur, & cur Chamæleon vocata, cur etiam Ixia dicatur, deſcribitur; temperamentum, & vires afferuntur.

EX Acanaceorum generibus non infimum gradum obtinet Carlina, ſeu Carolina; ferunt enim hoc nomen accepiſſe à Carolo Magno, qui eadem planta uniuerſo ſuo exercitui peſte periclitanti, admonente Angelo, ſalutem reſtituit. Græci χαμαιλέων λευκός, Chamæleon album vocabãt, ut hanc plantam à Chamæleone nigro diſtinguerent. habet Dioſcor. Chamæleon dici à foliorum coloris mutatione, & ixiam vocari, quia viſcum ferat. Cæterùm hæc, quæ habet Dioſcor. non ita clara ſunt, ut pro certo affirmare poſſimus Chamæleonem Veterum, eſſe Recentiorum Carlinam, cùm Priſcorum chamæleon album acaule ſit, & ea planta, quæ à Dodonæo, Matthiolo, Fuchſio, & pluribus alijs pro Carlina exhibetur, Caulifera ſit, quamuis etiam eam plantam Carlinam dicant, quæ cum à caulis ſit, quodammodò chamæleoni aſſimiletur; & à Dodonæo Carlina altera vocatur, qui exiſtimat utramque plantam commodè Carlinam vocari poſſe, cùm utriuſque radices amaræ ſint, viribuſque ſimilibus prædıtæ reperiantur, adeòque quemadmodum Carlina altera ſic vocata facilè reduci poſſit Lib. 3. c. 8.

ſit ad Chamæleon album Dioſcoridis,& Theophraſti: ſecus tamen dicendum de eorum Carlina, primo loco exhibita, Leucocantha dicta. Verùm, quę harum in uſum venerit contra peſtem, Caroli Magni temporibus, cùm omninò ambiguum ſit, ad experimentum confugiendum eſt. utriuſque tamen plantæ facultates conſimiles conferuntur, adeò ut neque ambarum uſus ſit ſpernendus, nec error incidere poſſit. deſcribit Dodonæus Carlinam Leucacantham dictam ſpinoſis folijs, profundis, in ſciſſuris diſſectis, duris, coſtis ſubrubentibus, caule Dodrantali unico ut plurimum contenta, capitulo ſpinoſo, caſtaneæ exteriori corticę echinato non admodum abſimili, ex quo flos in Diſci medio ſtaminibus oblongis compactus albicans erumpit, & quandoque purpuraſcens, cui ſemina ſubſunt tenuia, & anguſta, radix oblonga digiti craſſitie, ramoſa, nigricans, odorata, & amariuſcula. alterum verò Carlinæ genus ſub nomine Carlinæ alterius deſcriptum, à Recentioribus minor Carlina, ſiue humilis vocatur, & quę *Dioſcoridis* chamæleon album, & ixia à pluribus creditur, deſcribitur ſimilibus folijs à radice promanantibus, & circum terram procumbentibus, capitulumque ſpinoſum, in meditullio amplexantibus, in eo flos panditur, ſtaminulis crebris rubicondis efformatus, albidulis undequaque foliolis vallatus, ſemen priori generi parum, aut nihil diſsimile eſt. radix odorata, longa, ſubſtantia ſolida alba, cuius tamen plantæ vires imbecilliores creduntur; non diſsimilibus tamen facultatibus prædiram eſſe exiſtimant. circumferuntur aliæ duæ ſpecies Carlinæ, quarum uſus vix admittitur, quapropter eas deſcribere erit inutile. Exiſtimatur temperamentum hujus plantæ calidum in ſecundo gradu, quos gradu in ſiccitate excedere autumant. interim Carlina tenuium partium eſt, idcircò ſudoribus promouendis aptiſſima, vermibuſque enecandis optima cenſetur; ſed quod eiuſdem virium caput eſt, peſtem validè ſuperare aſſerunt, immò opportunè propinatam etiam ab eodem pernicioſiſſimo morbo præſeruare. mẽſibus, urinæque ciendæ efficaciſſima cenſetur, & opportuna tollendis viſcerum præcipuorum obſtructionibus; dentium dolores tollit, renumque affectibus occurrit, & hydropicis ſummoperè confert. Radix præcipuè adhibetur, & eius ſuccus, non deſpectis interim cæteris plantæ partibus.

6. de hiſtor. plant. c. 14. & 9. de hiſt. plant. c. 15.

De Contrahierua.

CAPVT CXVII.

Contrahiervam & recentioribus innotuiſſe affirmatur, notatur Brodeus, adducuntur temperamentum, & vires.

DRachenam etiam vocant Hiſpani Contrahieruam, quibus primùm ex Indis Peruvianis hæc planta innotuit; nomen enim ſeruat eius eximij & nobilis viri, qui ex Indicis regionibus ſecum detulit ipſam, & indè etiam multis communicauit, quamuis dubitatum video à Carolo Cluſio, an illa, qua nunc utimur, ſit eadem, quam vir ille detulit: an verò hæc ſit contrahierua, de qua Monardes, adhuc dubia res eſt. vires tamẽ &

4. Exoticor. cap. 10. cap. 17. Simplic. ind.

& aſpectus, necnon pretij conditio illis temporibus ſimilis unam, & eandem eſſe commonſtrant. Cæterùm nobis tantummodò radix affertur, cùm cæteræ plantæ partes venenatæ ex relatione credantur quaſi ex unica ſtirpe natura & Venenum, & Antidotum elici voluerit. putat Doctiſſimus Brodeus Contrahieruam unam & eamdem eſſe plantam cum Antiptora, falli tamen virum ſummum ex eo manifeſtum euadit, quia huius nec folia, nec caulis, nec flores venenati ſunt, immò neque radicis forma ſimilis cum Drachenæ radice, aut contrahieruæ. eſt igitur Drachena, vel Contrahierua, ſi idem ſunt, nam ex guſtu, & etiam forma non diſſident, radix minimi digiti craſſitie longiuſcula, nodoſa, inæqualis, in qua extuberantiæ quædam prominent, quaſi denſis ſquamulis conſtantes, externa ſui facie nigricans, & rugoſa, intus alba, nullo manifeſto odore, quæ tamen manducata, neſcio quid ſuauitatis expirat, modicumque aſtringit. ſecundum gradum caloris cum eodem ſiccitatis gradu eidem aſſignant Botanici. huius radicis vires præcipuę ſunt cor roborare, & ab inſultibus malignis tueri, ac proindè valenter venenis omnibus reſiſtere. ſumitur eius puluis in vino albo per plures dies contra peſtem, immò in febribus peſtilentibus utiliſſima cenſetur.

De Caryophyllata.

CAPVT CXVIII.

Ab odore radicis Caryophyllatæ nomen deductum creditur. genera adducuntur. an ſit Geon Plinij. Deſcribitur. Temperamentum aſſignatur. Vires afferuntur.

QVo nomine Caryophyllata ab Antiquioribus appellata fuerit, incognitum omninò nobis eſt; dicere enim eſſe Geon Plinij, eſt nimis ſupinè diuinari, cùm nihil de Gei forma ex eodem Plinio elici poſſit. Cæterùm Caryophyllatæ nomen accepiſſe videtur à Caryophylli odore aromatico, quem lepidè ſatis, ſed modicè tamen à radice expirat. huius plantæ plura aſſignantur genera; diſtinguunt enim Botanici eam in vulgarem, & Montanam: ſed Montanæ varia genera ſunt, prout differunt à florum forma, coloreque, & etiam folio quodammodò diuerſo, & ſic à flore nutante purpuraſcente, nutante variegato, flore luteo amplo à vulgari Caryophyllata diſtinguuntur. addit quartum genus Pena, aſpectu à cæteris longè diuerſum, quam ego potiùs ad ſaniculas referri poſſe crediderim; gerit enim eum illis ſimile folium, & quam ipſe etiam Pena putat eſſe Geon Plinij, ea ſuaſus coniectura, quia radiculas benè olentes habeat. Cæterùm Caryophyllata folia hirſuta gerit, Eupatorium Dioſcoridis æmulantia, forma non admodum diſſimilia, duriora tamen, & in ambitu crenata, quæ longiori pediculo utrinque cauli hærent, & in eius ſummo latiora viſuntur, ſed quæ cauli propinquiora, longè minora ſunt; Caules habet cubitales, tenues, in ramulos diuiſos, faſtigiatos, in quorum ſummitate floſculi lutei Tormentillæ non adſimiles, quibus abeuntibus ſemina conglomerata, quaſi Capitulum effingunt, acinis minutiſſimis congeſtum; quæ ad maturi-

Lib. 25. c. 9.

 turi-

tutitatem deducta ſpontè decidunt, & obuijs veſtibus inhærent. radix fibroſa, ſubruffa, multis appendicibus capillitijs ſtipata, Caryophyllorum odore leuiter ſcatens. Montana verò rotundiora folia habet, craſſiora, & hirſutiora, in ambitu ſerrata. caules tenues habet haud ramoſi, qui florem in ſummo gerunt ampliorem, luteum, ſi de Caryophyllata amplo flore luteo loquamur, aut colore, qui veluti purpureus nutat, vel leniter variegatus apparet, ſemina gerit ſimilia vulgari, radix longiuſcula, digiti minimi craſſitie pauciſſimis fibris donata, ruffeſcens, odore grato Caryophylli ſapore ſubadſtringenti. huic plantæ communi ferè conſenſu ſecundus aſſignatur caloris exceſſus, nec diſſimili ſiccitatis gradu præditam eſſe autumant. traditur corroborare, radicemque præcipuè validiſſimam vim obtinere venena ſuperandi. ſunt qui obſtructionibus reſerandis efficacem dicant, quibus ſanè aſſentiendum puto, cùm temperamentum eidem aſſignatum non difficulter id operari poſſit. colicis doloribus opitulari, & ventriculum roborare, ac proindè coctionibus iuvandis utilem ſe præbere aſſerunt; ſic & renum vitijs occurrere, & concretum ſanguinem diſſoluere, vulneribuſque, & ulceribus etiam cachoetis opponi; interniſque tandem contuſionibus ſummopetè prodeſſe creditur.

De Calendula.

CAPVT CXIX.

An Calendula ſit Poetarum Caltha. non eſſe Chryſanthemum Dioſcoridis; deſcribitur, temperamentum, & vires adducuntur.

NOn longè forſan à ſcopo aberrabimus, ſi Calendulam dixerimus cum viris doctiſſimis eſſe Poetarum Caltham, dictam nobis ſic Calendulam, quia ſingulis floreat menſibus, huius ſanè meminit Virgilius ſub Calthæ nomine, dum Egloga 2. inquit:

Mollia luteola pingit vacinia Caltha,

Idem exprimit Columella in hortulo, dum ait.

Candida Leucoia, & flauentia lumina Calthæ;

Et alibi

Preſſaque flammeola rumpatur Fiſcina Caltha:

Vt ſic floris colorem exprimat, quaſi eidem auctori iucundę, & familiaris notitiæ fuerit Calendula. ſunt tamen qui opinantur Calendulam noſtram eſſe Chryſanthemon Dioſcoridis, quamuis eiuſdem littera omninò diſciepet; afferunt tamen differens quoddam manuſcriptum, quod ipſis fauere videatur, & vulgatiùs corrigat; retinendum tamen vulgarem exiſtimamus cum viris doctiſſimis, & præſertim cum accuratiſſimo Iano Saraceno. cui folia multifida ſunt, ſecus in Calendula, in qua etiam apparent mollia, & veluti quodam tomento obſita, in viridi albicante, quod quidem in Chryſanthemo deſideratur. ſic nec Caules Calendulæ leues ſunt, quemadmodum Chryſanthemi, ſed aſperi potiùs, & magis albicantes. Cæterùm Calendula hortis familiariſsima planta tota odorata, grato quidem, ſed

In ſcholis ad Dioſcorid. Chryſant.

graui

graui odore, quæ à radice caules plures emittit, ſtriatos, aſperos, foliatos, folia gerit oblonga, latiuſcula, virore maximè diluto prædita, numeroſa, tomentoſaque; flos eius elegantiſsimus in Caulicorum ſummitate multiplicibus foliolis luteis conſtat, orbem ſtaminulis repletum complectentibus, tenuibus, nitentibuſque, quibus ſubeſt ſemen recurvum; floris figura variat & magnitudine, & foliorum multiplicitate, quorum in ſatiua amplior eſt numerus, & color eſt magis viuidus, qui in Calendula non culta in luteo palleſcit. Temperamentum Calendulæ calidum aſsignat non ultra tamen ſecundum exceſſum; habet enim planta in ſe aliquam acrimoniam, odorque ſatis valens in ſuo genere percipitur, ut etiam ſint, qui excedere in calore autumant, cùm tamen nos non ità libenter admittamus, cùm odor nec vehemens, nec ad modum aromaticus ſit, & in planta leuis acrimonia percipiatur. exiſtimant tamen aliqui contrarium à ſtatuto temperamento poſsidere, qui adſtringere tradunt, & ex amaritudine frigiditatem arguunt. Interim tamen adſtrictio illa, qua pollet, à ſiccitate prouenire autumandum eſt, & leuis illa amaritudo, quæ tamen non ſine aliqua dulcedine eſt, frigiditatem effatu dignam arguit, ut caliditatem vincentem non cognoſcamus, à qua temperamentum denominari debet; quapropter doctos viros Dodonæum, & Præuotium non erraſſe autumo, qui ſecundum gradum caliditatis eidem plantæ aſsignarunt. hinc eſt, quod non libenter audiam Fabium Columnam, Penamque, qui Calendulam frigidam faciunt, & menſibus immodicè fluentibus ſiſtendis adhibent, & ſemina narcoticam vim habere perhibent, fluxionibus etiam albis cohibendis conuenire tradunt. quod ſi hæc vera ſunt, cur experimenta in contrarium decernunt, cùm menſibus ducendis Calendulæ vtiliſſimè exhibeantur, necnon ſecundinis obſtinatè remorantibus pellendis, ſi earum decoctio exhibeatur, aut ſuccus propinetur; nec me iudice, effugium illud ſatis eſt, dum dicunt, tantummodò conuenire in menſibus ex ſanguinis exuſtione detentis, cùm hoc manifeſtiſſimè contrarium deprehendatur, his, quæ in praxi obſeruantur. operari enim idem obſeruamus à quacumque cauſa menſium detentio proueniat. Cæterùm eius vires ſunt præcipuæ corroborare, veneniſque omnibus reſiſtere, & magno cùm fructu contra febres peſtilentes adhiberi. Fuchſius ad icterum commendat, dolores dentium tollit. ferunt etiam reddere capillos flauos: ſunt qui addant ophthalmiam curare, aciemque oculorum acuere, & aquam per elambicum elicitam ex eadem planta quamcumque oculorum phlogoſim emendare.

De Chamæmelo.

CAPVT CXX.

Chamæmeli nomen à quo deriuetur inquiritur; genera recenſentur; deſcribitur; temperamentum affertur, vires examinantur.

VTiliſsima planta humano generi euadit Chamæmelum, ſub quo etiam nomine à Dioſcoride cognitum fuit, & ſic etiam ſub Anthemidis,

midis,& Leucanthemi denominationem à floris colore,licèt putetur Chamæmelum dictum ab odore mali. planta quidem Antiquioribus magni, & utiliſsimi uſus fuit, quo nomine etiam inter nobiliores ſtirpes recenſitas, ut ea præſertim, quæ ab Ægyptijs illis ſapientiſsimis, Galeno aſſertore, Soli conſecrata fuit. Cæterùm tria Anthemidis genera à Dioſcoride recenſentur, & totidem habet Plinius, odoratum quod magis proficuum, ſiue hoc ſit romanum appellatum, vel potiùs quod vulgò uſurpatur, & vulgare; cui ſunt tenues cauliculi, cubito quandoque maiores, circa quos erumpunt ramuli; folia ſunt tenuia, numeroſa, minutiſsimè diſſecta; flores in ſummitate ramulorum ſoli, orbiculati, quorum diſcus in medio ſtaminulis breuiſſimis ſaturo luteo refertis componitur, quem foliola alba circumambiunt, ſtaminulis ſubſunt exiliſſima ſemina; radix fibroſa, tenuis, odoratior. Chamæmelo tribuitur temperamentū calidum in 2. gradu,& in eodē gradu ſicco: minùs tamen odoratū chamęmelum à pluribus Botanicis primum caloris gradum non excedere, non ſine ratione exiſtimatur, cùm præſertim Galenus loco citato dicat, Chamæmelo ſimile temperamentū aſſignari deberi, quod oleo aſſignatur, & roſis, at laſsitudini conferre tradit doloreſquè demulcere; quæ tenſa ſunt laxare, mediocriter dura mollia reddere, vimque obtinere rarefaciendi, & digerendi, viſcerum etiam noxas emendare, dummodò inflammatione non laborent, & tandem febres ſanare, quæ à bile, aut à cutis denſitate proueniant. hæc Galenus, quæ omnia ferè deſumpſit à Dioſcoride. Cæterùm etiam menſes in inſeſsione etiam Chamæmelum uſurpatum, & in decoctione ſumptum excitare, ſecundinaſque, & fętum pellere, calculos trudere cognitum eſt; urinam quoque ciet, & doloribus cholicis à flatibus, aut pituita opitulatur. Ictera ſanat, & in clyſteribus frequentiſsimè uſurpatur, quemadmodum & flores, & oleum ex floribus paratum, cōmanſa chamæmeli folia ulcera oris emendant, contra ſerpentum morſus, ex Plinio, utiliter adhibetur.

3. Simplic.

De Artemiſia.

CAPVT CXXI.

Nominis Artemiſiæ variæ cauſæ adducuntur; cur herba S. Ioannis vocetur à Belgis ex Fernelio ratio affertur. Genera referuntur; Ægyptium alterum genus explicatur; Temperamentum & vires expenduntur.

PArthenion, παρθένιον Artemiſiæ plantam priſcis ſæculis dictam autumant Recentiores, quòd de ea virgo Diana, quam fęminarum morbis medendo præeſſe putarunt, cognomen indidiſſe, quaſi planta virginalis appellata ſit. Artemiſiam etiam vocarunt ab Artemiſia Mauſoli regis uxore, quæ hanc ſtirpem proprio nomine inſigniuit. Alij tamen à Plinio ſuaſi, qui ſcribit hanc plantam viatorum pedibus alligatam cum Eleliſphaco laſsitudinem arcere, nec ſentiri, ſic appellatam putant, quaſi pedū iuvamentum, & præſertim quia experimento conſtare tradunt, ſi Artemiſiæ decoctione pedes foueantur, laſsitudinem omnem tolli. Belgis Artemiſia

temiſia vocatur herba S. Ioannis, cuius nominis rationem ex Fernelio rimari poſſumus; hic enim in conſilio pro puero Epileptico meminit cuiuſdam carbonis anteepileptici, qui in æſtiuo ſolſtitio, & ea ipſa die, quæ D. Ioannis Baptiſtæ feſtum præcedit (ait) ſi Artemiſia euellatur, ſub eius radicem reperiri carbonem ad epilepſiam depellendam ſingulare remedium, qui in quocumque alio tempore fruſtrà inquiritur, quod pericula à pluribus facto innotuiſſe traditur. de hoc tamen veritas penes experimentum ſtet. Cæterùm quemadmodum Veteres plura Artemiſiæ genera repererere, ſic etiam Recentiores. vulgatior tamen Artemiſię planta eſt, quæ à Dioſcoride deſcribitur, herba fruticoſa Abſynthio ſimilis, quæ tamen pinguiora, maiora, & non leuiter odorata folia gerit, altè quidem laciniata inſtar vulgaris abſynthij lati folij dicti, ſed minora, ſuperna parte ſaturè virentia, aduerſa verò albicantia; caules habet ſexcubitales, & ampliùs, iuxta ſoli, ubi naſcitur, conditionem, rectos, ramoſos, rotundos, ſtriatos, rubentes: circa caules minora folia, floſculi inter foliola erumpentes, præſertim in caulium ſummitates, exiles, candidi Abſynthio non diſsimiles; radix admodum fibroſa. Proſper Alpinus recenſitis Artemiſiæ generibus, aliud genus addit, quod ex Ægypto ſecum detulit, & in horto noſtro Patauino condidit, quod huc uſque adhuc perdurat. hanc Artemiſiæ ſpeciem Recentiores Iacobeam Marinam appellant, & Iacobeam cinerariam à colore cinereo, qui folium occupat, quæ & nullius odoris eſt, & flores luteos Iacobeæ ſimiles producit. hanc plantam Ægyptij, prout ipſe fatetur, vocant Acoauam abiat, quod Artemiſiam albam ſonat, magni uſus apud ipſos. Verùm Artemiſiæ vulgaris temperamentum calidum gerit, ad ſecundum uſque gradum, remiſsiorem tamen ſiccitatem à quibuſdam habere traditur. utcumque ſit, non excedit ſecundum exceſſum, & tenuium partium eſt. huius herbæ ſummus honor tribuitur in muliebribus affectibus depellendis, præcipuè ex uteri frigiditate promanantibus. in inſeſſu uſurpata ad menſes educendos utiliſſima, ſecundinas, & fœtum pellit, calculos expellit, urinam ciet, ſuccus cum Myrrha ſubactus quodcumq; moleſtum in utero ſtabuletur educit, ad hoc inſeſſio prodeſt, aut foliorum ſemicoctorum impoſito cataplaſmate.

De Botride.

CAPVT CXXII.

Botridis nomen plantæ tributum à ſeminis forma affirmatur, malè confundi cum Ambroſia: deſcribitur; temperamentum, & vires aſsignantur.

BOtridi apud Græcos Auctores ſemen nomen dedit, quod racematim circa ramulos innaſcatur, pendeatque. idem nomen Latinis retinuit, quamuis à quibuſdam ambroſia vocetur; malè tamen, cùm Ambroſia plāta alia ſit ab ea, quæ hic deſcribitur. Botris apud Cappadoces etiam artemiſia vocabatur, ut habet Dioſcorides, forſan quia odorata eſt, etenim olim odoris gratia à mulieribus expetebatur, ad odorem veſtibus interpoſita

poſita conciliandum, quod habet Dioſcorides: miror tamen Auctorem noſtrum totam hanc herbam ſuauiter olere dicere, cùm Botridis odor, meo iudicio, minin è ſuauis dici poſſit. datur tamen quædam planta folio non admodum diſſimili prædita ex America delata, quæ odorem acutiſſimum gerit, ſed æquè ſuauem, nobis appellata Americana Botris, ſiue ambroſia Americana; Verùm utcumque ſit, quemadmodum de guſtibus, ſic nec de odoribus, diſputandum eſt. Cæterùm Dioſcorides, dum deſcribit hanc plantam, vocat eam totam luteam, quod de botride verificari nequit, niſi dum ſemen ad perfectam maturitatem perduxerit, tunc enim eſt veluti tota lutea. Botris igitur recto dodrantali caule ramosè fruticat, folia utrinque laciniata ſunt, altis inciſuris diuiſa, quæ quercus folia æmulantur viridia, non dura tamen, quæ dum adoleuerint in viridi palleſcunt, & quaſi ad luteum accedunt, inferna tamen earum parte rubeſcente. ſemen in racemulos diſpoſitum circa ramulos nigricat exile, ſplendidum, & in viridibus folliculis reconditum. radix fibroſa ſubeſt. tota planta lento, & glutinoſo ſcatet ſucco. Ad temperamentum Botridis quod attinet, traditur calidam, & ſiccam Botridem in ſecundo utriuſque qualitatis exceſſu, ac proinde aiunt attenuare, incidere, & aperire, ob id ad pectoris vitia commendant, & pulmonum infarctus à catarrhali materia, optimè que mederi cum vino exhibitam tradit Dioſcorides orthopnœis, & ſuſpirioſis ſuppuratiſque, cui etiam Plinius fauet; commendant ad uteri dolores à cauſa frigida, ſi folia vino cretico irrorentur, & in cataplaſmatis modum apponantur imo ventri. Valet in ſuffitu ad menſes ducendos, & puerperis quoque ſummoperè conducit in doloribus à partu excitatis, ſi cum oleo liliorum alborum, & Gallinarum ouis in ſartagine excipiantur, & uteri regioni applicentur.

De Farfara.

CAPVT CXXIII.

Farfaræ nomen unde à Latinis deductum, cur Tuſsilago appellata, Plinius notatur. deſcribitur. Temperamentum inquiritur. vires aſsignantur.

NOn eſt barbarum farfaræ nomen, aut plebeium, ut quidam autumant, ſed à Latinis uſurpatum, Plautus populum albam farfaram vocat in Penulo hoc verſiculo. *Viſcum legioni dedi, fundiſque eos proſternam, vt folia farfara*; ſic etiam à Plinio appellata eſt, qui eam quoque Chamæleucem vocari tradit, quia ſcilicet farfara populi albæ folia gerat, licèt ampliora, quaſi ratione coloris foliorũ humilis populus dici debeat. Dioſcoridi Bechium dicitur, prout etiam alijs Antiquioribus Græcis ab Lib. 26. c. 6. effectu, quia tuſſi medelam afferat, ſub qua ratione, Plinio teſte, tuſsilago etiam dicitur, qui tamen vir ſummus in eius deſcriptione hallucinatur eſt, dum Tuſſilaginem ſine flore, ſine caule, ſineque ſemine eſſe tradit; Lib. 3. c. 126 contrarium tamen fatetur Dioſcor. cui ſenſatum etiam experimentum fauet, cùm primò erumpente vere, antequam folia proferat, florem producat

cat

cat loco caulis; quod idem Dioſcor. admonuit in totius operis præfatione, vt errorem de medio tolleret eorum, qui Bechium nec Caulem, nec florem, nec ſemen ferre putabant. deſcribitur farfara, ſeu Tuſſilago, quòd in irriguis locis vtplurimum naſcatur, quinque, ſex, aut pluribus folijs humi ſparſis, folio rotundo, lato, hederæ maiore, anguloſo, ſuperna ſui parte dilutè virente, aduerſa verò candieante, albidoque tomento inſtar folij populi albæ obducta. Caulis ante foliorum eruptionem prorumpit, ſub qua conſideratione à quibuſdam dicitur filius ante patrem, breuis tamen eſt, palmum non excedens, teres, in cuius cacumine flos luteus, foliaceus, Taraxari æmulus, qui breuiſsimo tempore conſiſtens, celerrimè in pappos abit, & ſimul cum caule ad foliorum aduentum perit. radix tenuis, candida, geniculata, ſarmentoſa, & quæ latè ſerpit. Temperamentum variat, prout folia; diuerſo in tempore conſiderantur viridibus namque exiſtentibus inflammationes arcēt, ſi imponantur, quod ſequitur ab aquea quam poſsident humiditate, ſecus de ſiccis habendum, quæ acrimoniam ferunt, & calorem cum ſiccitate in gradu ſecundo. cęterum folia viridia cum melle trita, ex Dioſcor. igni ſacro alijſque inflammationibus vtiliſsima ſunt, ſiccata verò, & ore hiante in ſuffitu vſurpata, aut per infundibulum vapore recepto, Aſthmate laborantibus opportuniſsima cenſentur; Vomicíſq; pectoris diſrumpendis, quod etiam radicem efficere tradit. ſiccex ijs manifeſtum apparet, eos nimis oſcitāter Dioſcoridis textum animaduertiſſe, qui radicem inutilem habet: ſic conducere eamdem aſſerit ad fœtum mortuum educendum cum hydromellite ſumptam. habet Ceſalpinus Tuſſilaginis radices exſiccatas à percuſſo ſilice ignem facilè concipere: Cordus tamen, & Matthiolus non radices id operari tradunt, ſed quædam albida lanugo, quæ radicis ſummitati inhæret, quod veriſimilius eſt, ſi colligatur, inquiunt, & repurgata diligenter linteolis inuoluta in lixiuio decoquatur, addita ſalis nitri leui portione, & indè ſolis calore exſiccata; aſſerunt enim, ad primum chalybis ictum ad ſilicem vèl minimè excitata ſcintilla ignem concipere.

De Petroſelino, ſiue Apio hortenſi.

CAPVT CXXIV.

Apium à Plinio commendatum, quod noſtrum Petroſelinon erat; Veteribus ex Apio Coronas deſumptas, epulis feralibus olim dicata planta, malum Apij omen à Timoleonte in bonum conuerſum. Cur ſic vocatum Ethymon nominis. à Macro Poeta diuerſimodè conſideratum, algoſis delectari eſt Omero: Nicandro cur Selinon dictum. Apij genera referuntur, adducitur temperamentum, eius deſcriptio, & vires adductæ Petroſelini vulgaris.

NOn eſt Veteribus unicum Apij genus, nihilominus inter illa forſan noſtrum vulgare Petroſelinum principem occupat locum, quod etiam priſcis temporibus eſt commendatum in primis, quod ex Plinij verbis ſatis manifeſtum apparet (dum inquit) Apij gratia vulgò eſt, namque

Xxx rami

rami largis potionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent, quod de Petroſelino noſtro dici non eſt ampliùs qui dubiter. Cæterùm olim ſummus honor Apijs habebatur, quamuis funebris planta putaretur, cùm afferat idem Plinius epulis feralibus dicatam fuiſſe, & ex Apio coronas ſepulchris imponi ſolitas. Antiquioribus tamen temporibus ex viridi Apio Nemeorum ludorum, ex ſicco verò Iſthmicorum coronari victores mos fuit, qui pòſteà exoleuit. Verùm, ut ex Plutarcho notum, priſtinum honorem reddidit Apio Timoleon, quod etiam ex Diodoro Siculo comprobari poteſt: quo milites ſuos ex infauſto omine perterritos, dum mulos faſciculis Apij onuſtos obuiam reperiſſent, eos ex eodem Apio coronari iuſſit, ſpondens breui temporis ſpatio ſe malum in bonum omen commutaturum, quod euentus facilè commonſtrauit; nam cùm alacriter eadem planta coronati in inimicum obuium decurrerent, victoriam celebrem potiti ſunt; & forſan Macer Poeta rationabiliter hinc Apij nomen deductum eſſe voluit, quod Veteribus conſuetum fuit hac ſtirpe capitis apicem coronari, quod hiſce expreſſit verſiculis.

Plin.loc.cit. 5.Simpoſiac. Lib.16.hiſt.

Eſt Apium dictum, quod Apex hanc ferre ſolebat
Victoris, veterum fieret dum more triumphus,
Ipſe ſibi talem impoſuiſſe coronam.
Dicitur Alcides, morem tenuere ſequentes.

Licèt alia etiam de cauſa Apium vocatam dictam dum ſubdit.

Aſt alij dictum credunt, quod Ape vehementer,
Illius ſoleant auidè decerpere flores.

In Theriac. Vel tandem ut putauit cum alijs Nicander, dum Apium etiam ſelinum vocat, & ſic in paludibus naſcatur, & Apij ſelini nomen ſumpſiſſe, ut verſiculo expreſſit.

Algoſas Apij naſcentis ad undas
Semina.

In 2. Illiad. Quod etiam expreſſum videtur ab Homero, dum ait

Equi verò apud currus proprios unuſquiſque
Lotum comedentes, in palude nutritum Apium
Steterunt.

Verùm nec ſelini nomen, quod Apio copulari ſolet, ſuo Ethymo caret, quaſi lunare dictum ſit, quia Epilepſiæ lunari morbo appellatæ obnoxijs de facili comedentibus morbum ſuſcitet, quod Plinius citato loco innuere voluit, & hac de cauſa ab Alexandro Tralliano, & ab Auicenna epilepticis interdictum fuit. Cæterùm Apij plura ſunt genera temperamento non admodum diſſimilia, prout Apium hortenſe dicitur, quod noſtrum vulgare Petroſelinum eſt, Eleoſelinum, Petroſelinum Veterum, Petroſelinum Macedonicum, & Hyppoſelinum. deſcribitur à Dioſcoride hortenſe Apium, & ſic noſtrum vulgare petroſelinum, quod folia à radice lepidè virentia producat, foliolis exiguis uno petiolo tripartitè ramoſo diuiſis, & per ambitum leui criſpitudine inciſis, & laciniatis, cui caulis ſit cubitalis, tenuis, leuiter ſtriatus, anguſtioribus folijs eidem inhærentibus oblongis, formamque cæterorum foliorum non ſeruantibus, in cuius ſummo panditur umbella exiguis floſculis albis compacta. ſemen paruum, nudum,

nudum, acri guſtu. radix longa albeſcens, quæ digiti minimi craſſitiem explet, non ingrati guſtus, quemadmodum tota planta odore grato, ſed leuiter graui. Ad temperamentum quod attinet, Dioſcorides hortenſe Apium coriandro æquiparat, adeòque Apium iſtud calidum ſtatuendum eſt. viride tamen folium niſi primum caloris gradum excedit, ſecus de ſemine, quod ſecundum explet exceſſum cum pari ſiccitate, immo etiam excedere creditur; radix verò parum diſtat à ſecundo caloris gradu, quamuis in ſemine tertium copulari credatur ſiccitatis exceſſum, in radice verò, & folio, quæ humiditatem non leuem coniunctam habet, non ità viget ſiccitas. Ad uſus varios adhibetur petroſelinum vulgare, folia præſertim in condimentis expetita ſunt; ex earum namque commixtione Tuceta longè ſapidiora euadunt: ſemen verò non ſpernendum obtinet in medicina uſum, aperit namque, & extenuare valet, quemadmodum & radix, urinas ciet, calculos pellit, vomitiones tamen excitare creditur; ad menſes excitandos, fœtumque, & ſecundinas extrahendas utiliſſimum traditur; flatus diſcutit, & ex Dioſcoride venenis aduerſatur, tum venenatis morſibus, ictibuſque opportunè occurrit, ſed peculiariter opitulatur ijs, qui argenti ſpumam ſumpſere. Semen ingreditur in Theriacalibus compoſitionibus. addit idem auctor oculorum inflammationibus utiliter adhiberi, Alvum nimis laxam cohibere, & mammas grumoſo lacte turgentes reprimere diſſoluereque; tum utiliter medicamentis admiſceri, quæ dolorem lenire valeant.

De Anetho.

CAPVT CXXV.

Anethum expetitum Antiquioribus præſertim in Coronis, nominis ratio inquiritur, adducitur, delineatur à Theophraſto, aſsignatur temperamentum, vires expenduntur.

ANethum odoris gratia in coronis uſurpatum in conuiuijs, cuius rei teſtem afferam Theocritum, qui me non errare fatebitur, dum inquit. *Idil. 3.*

Egoque illo die Anethinam, vel roſaceam,
Aut ex albis violis coronam in capite geſtans.

Quòd verò odoris gratia expetitum fuerit Anethum, afferam Virgilium ſic loquentem.

Narciſsum, & florem iungit bene olentis anethi, *Eglog. 2.*

Multi ſic dictum volunt, quaſi (inuictum) quia coctionem iuvet, & incommoda in ſtomacho laſſitantia ſuperare valeat. Alij verò putant ita appellatum, quòd rectè ſacillimè aſſurgat, adeòque calidum obtineat robur. *Gal. 7. Simpl.* minùs verò cautè ſe gerunt, qui autumant ita vocatum, quia ignauæ Veneri ſuppetias ferat, cùm contrarium à Dioſcoride ſtatuatur, qui Anethum genituram extinguere tradit. Theophraſtus verò hanc ſtirpem inter plãtas oleraceas reponit, ut Anethum utrumque officium, & medendi, & alē- *7. de hiſt. pl. cap. 1.*

di ſibi arrogare glorietur; ideò rectè Plinius dicebat, Anethum culinis, &
Lib. 19. cap. 28. Medicis naſci. Cæterùm non deſcribitur anethum à Dioſcoride tanquam omnibus illo æuo notiſſima planta, eius tamen delineatio colligi facilè poteſt: tum ex eo, tum etiam ex Theophraſto. Anethum videlicet eſſe plantam cubitalem, & ſuprà rotundis, & geniculatis ſurculis, folijs denſiſſimè diſſectis, & extenuatis fœniculo ſimilibus, in quorum ſurculorum ſummitate muſcaria obſeruantur, floſculis luteis referta, ſemine rotundo, plano, tenui, & veluti foliato, dilutè flauo, nec inſuaui; radix fibroſa, lignoſaque. Anetho temperamentum calidum aſſignatur à Galeno, & in ſecundo exceſſu intenſo, remiſſo tamen in ſiccitate. cæterùm ad vires quod attinet ſeminis decoctio, & foliorum ſiccatorum aduocat lac deperditum, & vrinas excitat, tormina ſedat, & inflationes diſcutit, ſingultum vèl etiam ſolo odore reprimit, in quo caſu Dioſcorides addit roſas rubras, & abſynthium in vino, ex quibus omnibus paretur fotus: inſuper oculis claritatem inducere tradit. habet deinde aſſiduo eius uſu geniturā ext ingui ulceribus humidis, ex Galeno, pudendorum præſertim, Anethum uſtum ſummoperè conducit. ex eo oleum dolores colicos ſedat, ſomnumque cōciliat, & internis doloribus maximè proficuum eſt.

De Roſmarino Coronario.

CAPVT CXXVI.

Species Libanotidis, ſiue Roſmarini Coronarij diuerſæ; cur ita vocatum; deſcribitur temperamentum, & vires adducuntur.

Libanotidis variæ ſunt ſpecies, ſi Theophraſti, Dioſcoridisque doctiſſima conſulamus documenta, ſed duæ præſertim ſic appellatæ, Gal. teſte, ab odore Thuris, quem planta exhalat confricata, præter hæc inſignem locum obtinet Roſmarinum coronariū, quod Romanis ab hanc ipſam cauſam Libanotis vocatur, & in coronis uſurpata à Græcis poſterioribus vocatur:

Quia tum Thuris odorem habet, tum arboreſcit,

quamuis arbor non ſit, ſed tantummodò frutex. Verùm an Veteres ante Theophraſti tempora quidquam de roſmarino coronario habuerint dubium eſt. ſunt qui affirment, & Pindarum Nemeorum marini roris feciſſe
Ode 2. mentionem dicant, hoc tamen vix perſuaderi poteſt; nam præterquamquod id ex litera difficulter eliciatur, quæ minimum fauet horum coniecturæ, ſi Pindaro roſmarinum notum fuiſſet, nec Theophraſtum latuiſſet, qui de hac planta nihil omninò habet; ſed quod præcipuè hoc diſſuadet eſt, quia Dioſcorides Libanotidis iſtud genus roſmarinum coronarium à Romanis appellari tradit; ergo non à Græcis. igitur ijſdem ſub hoc nomine minimè cognitum fuiſſe opinandum, ſub quo prorſus ignotum erat; Cæterùm Romanis Roſmarinum in coronis uſurparum fuiſſe præter Dioſcoridis teſtimonium etiam Latini Poetæ manifeſtè fatentur, quod lepidè expreſſit Ouidius dum (inquit) ut modò rore marinis modò ſe violare, roſa.

roſaque implicat, interdum canentia lilia geſtet. habet etiam luculentiùs aliqua de roſmarino Poeta Venuſinus, dum ait. *12. Metam. Carm. 3.*

Paruos coronantem marino
Rore Deos fragilique Myrtho:

Quod de cæteris libanotidum generibus non eſt habendum. Verùm roſmarinum coronarium frutex eſt, qui ſæpè ad duos, tres, vel ampliùs cubitos aſſurgit, pluribus virgulis à radice lignoſis, cortice ſcabro, & ſquamoſo, anguſtis duriuſculiſq; folijs oblongis, ſuperna ſui parte hilari virore nitentibus, aduerſa verò albicantibus; flores hinc indè circa caulium supernum ambitum è foliorum ſinu emergentes, copioſi, dilutè cærulei, qui à Græcis poſterioribus per Antonomaſiam anthos vocantur peculiari ſic efficto nomine; ſemine nigro parvulo, quamuis hæc planta ramulo potiùs defoſſo ſeratur, propagetur que, quàm ſemine. radix tenuis eſt, fibroſa, totaque grato odore ſcatet, nec ingratum ſaporem habet, ſubdulcem ſcil. & adſtringentem, non ſine leui aliqua acrimonia, floret bis in anno. Calidam hanc plantam voluit eſſe Dioſcorides, & Recentiores pari concordia eidem aſſignant ſecundum gradum caliditatis, & ſimilem etiam ſiccitatis, quod etiam affirmat Galenus, incidere namque ait, & abſtergere. Commendant Neoterici roſmarinum ad ſiſtenda uteri profluvia, & immodicas eius ſanguinis euacuationes, ferunt utiliſſimum eſſe ſtomacho, frigidiſque eius affectibus opitulari, ac proinde anorexiæ, Lientericis, Cœliaciſque, vomitumque ſiſtere. conducit, ex Dioſcoride, morbo regio, viſcerum obſtructiones emendat, ventri, ſtuporique, & paralyticis utiliter opponitur, quemadmodum & Apoplecticis; tonum enim capitis reſpicit, eiuſque vitia emendat, memoriæ deperditæ ſuccurrit, & in deſtillationibus frigidis opportuniſſimũ cenſetur; in peſtilenti conſtitutione ex roremarino nidor excitatus aeris intemperiem corrigit, recentia vulnera glutinat, vitijſque ſtomachi, & capitis à frigiditate ſuboleſcentibus occurrit, Tonum capitis ſeruant flores ſaccharo conditi. *7. Simpl.*

De Anagallide.

CAPVT CXXVII.

An Anagallis ſit Corchorus Theophraſti inquiritur, adagium ex Suida circa Corchorum explicatur, à Nicandro inter Antidota relatus. Dioſcoridis, & Plinij indicia, quibus idem eſſe Corcorum cum Anagallide ſuadetur. quæ diſsuadent rationes à tamen potiores eſſe aſſeritur; Deſcribitur, temperamentum, & vires produntur.

VTrum Theophraſtus Anagallidem cognouerit, à doctis viris non ſine ratione dubitatum video, cùm ſub Anagallidis nomine, quod Græcum procul dubio ſit, nec in libris de hiſt. plantar. nec de cauſis earũ, quidquam de ea planta dictum reperiatur; ſunt tamen qui putent eſſe eiuſdem Theophraſti corchorum, de qua planta idem auctor loquitur lib. 7. de hiſtor. cap. 7. inter oleraceas reponit, & quæ ob amaritudinem in prouerbio

uerbio eſt, & cuius folium ſubdit ocimum æmulari: declarat Suidas hoc adagij genus, inquiens, corchorus ſylueſtre olus eſt, inde natum prouerbiũ (etiam corchorus inter olera) quaſi dixerint ea, quæ maximè deſpicienda ſunt, quandoque etiam inter utilia reponi, & ſæpè vilia nimis petulanter inter laudabilia ſe immiſcere contendere. Nicander in Theriacis de Corchoro meminit aduerſus Serpentum ictus, ubi Scholiaſtes Corchoron eſſe vile oleris genus habet, inquitque in adagium ceſſiſſe, etiam inter olera Corchon. Plinius videtur rem ipſam definire, ait enim Anagallidē aliqui Corchon vocant eamque commendant ad ſerpentum venenum, & ad oculorum vitia, ob quam actionem corchori nomen adeptam fuiſſe opinandum. idem habet Dioſcorides de Anagallide, oculorum namque hebetudini occurrere aſſerit, ictibuſque viperæ prodeſſe, cæterum ad formã quod ſpectat huius plantæ, Scholiaſtes Nicandri ait Corchoron in terram declinare, quod ex Nicandro ipſo elici poteſt, & conuenire cum *Dioſcoridis* deſcriptione, ut omnibus ſimul collectis Corchoron Theophraſti & Nicandri eſſe Anagallidem Dioſcoridis, & Plinij aſſeri poſſe videatur; ego tamen, ut liberè dicam, nõ auſim pro vero affirmare Corchoron Theophraſti, & Nicandri eſſe Anagallidem Dioſcoridis, cùm ea, quæ pro affirmatiua ſententia allata ſunt, tanti non ſint, ut ad id fatendum me inuitum trahant, cùm videam Anagallidem nec eſſe oleraceam plantam, nec amaram, nec accipiendum eſſe amarum hìc pro ingrato, & inſuaui à Theophraſto acceptum, qui ſaporum, ut notum eſt, intimam cognitionem habuit ſcientificam; Corchoron enim famoſo adagio anſam oron præbuiſſet, niſi aliquam qualitatem valdè excedentem, & animaduerſione dignam habuiſſet. Veneror tamen virorum ſummorum laudabilem coniecturam, ingeniumque ſuſpicio, quòd ex antiquiſſimis latebris, & reconditis aliqua effatu digna eruentes, nobiliſſimam hanc ſcientiam illuſtrare conantur. Cæterùm Anagallis cauliculis dodrantalibus parvulis humi procumbit, quibus bina foliola ordinatim adhærent, non exactè rotunda, elxinæ (inquit Dioſcorides) ſimilia. Flores verò per ſingula genicula diſpoſiti petiolo longiuſculo erumpunt cærulei, aut phœnicei iuxta proprium plantæ genus. Dioſcorides ſiquidem Anagallidis duo conſtituit genera, à quo Plinius non diſſentit. à floribus cauliculus rotundus ſubcreſcit, qui ſemen nigrum includit, quod ad maturitatem deductum, diſrupta ſuperna calycis parte, effunditur. Appellàt Dioſcorides Anagallidem & marem, & fœminam, ut duo Anagallidis genera conſtituat; marem ſcil. eam Anagallidis plantam, quæ phœniceum gerit florem, fœminam verò, quæ *cæruleũ*, quod etiam habet Plinius; ſunt tamen qui dicant fruſtrà Anagallidem *in* duplici genere à Dioſcoride diſtributam, cùm color floris mutare ſpeciẽ non valeat. Verùm ſi quis attentè intueatur plantam, ſatis euidens diſcrimen etiam in forma obſeruare poterit; immò aliqua differentia in viribus manifeſta. Temperamentum huius plantæ ad ſecundum caloris gradum accedit; affirmatur etiam in eodem gradu ſicca: proditurque eſſe adſtringentis facultatis. illita contuſa planta inflammationibus prodeſt, & ſerpentia ulcera compeſcit, quod a ſiccitate obtinere traditur; caput purgat, ſi per nares attrahatur ſuccus, vel in gargariſmate decoctio ſumatur:

Lib. 25. c. 13

Lib. 3. c. 109.

ſic etiam pituitam ducit, caligines oculorum emendat, cùm non leuiter etiam abſtergat. à vipera commorſis cum vino ſuccurrit, & quoque Nephriticis opitulatur. ferunt maris Anagallidis folia contuſa ſedis prolapſum excitare, fęminæ verò folium, quæ florem cæruleum gerit, contrarium effectum producere.

De Vitice, ſiue Agno caſto.

CAPVT CXXVIII.

Vitex cur Agnum dicta. uſus apud Antiquos huius plantæ in Theſmophorum ſacris, & cur. Genera adducuntur. deſcribitur, temperamentum, & vires afferuntur.

Viticem, λύγον, Ligonque, necnon etiam ἄγνος, Agnon, mediocrem quamdam arbuſculã antiquiores Græci appellauere, ut ex nominis varietate etiam eiuſdem exprimerent officia; Vitex enim & Ligon dicta, quia eius ramulis ligaminum uſum explebant, agnos verò, ut eiuſdem ſingulares effectus ad libidinis venereæ œſtrum arcendum explicarẽt; Agnos etiam Græcis Caſtum ſignificat, quaſi libidinis Auerſor: hinc Botanici latini Agnum, quaſi caſtum dixere. Imperiti verò è duabus hiſce vocibus unum nomen, Agnum caſtum ſcil. compoſuere, & arbuſculæ pro unico nomine aptauere. Habet Dioſcorides, Athenienſes mulieres Theſmophorum ſacris incumbentes Cereri dicatis è viticis folijs lectulos ſibi ſtrauiſſe ad quamcumque arcendam veneream libidinem. Galenus habet plantam hanc caſtitatem ſeruare, quibus eſtur, aut bibitur, aut ſubſternitur. Cæterùm Plinius præter florum colorem aliam diſtinctionem inter vitices cognouit, cùm & fruteſcentem Agnum, & arboreſcentem conſtituerit, non attulit tamen Dioſcorides diſtinctionem aliam, niſi petitam à florum colore, ut gerat vel purpureos, vel diluta purpura coloratos. eſt igitur Vitex frutex caulicem lignoſum habens, non admodum craſſum, ramulis crebris, oblongis, flexilibus, lentis, fractuque contumacibus, gerereque folia, ait, ſalicis inſtar, vel cannabi ſimilia petiolo longiori adhærentia, ut plurimum quina, aliquãdo tamen etiam ſeptena, oblonga potiùs anguſta, & acuminata; flores verticillatim per virgularum ſummitates prodeuntes, Roſmarinum coronarium æmulantes, vel purpurei, vel diluta purpura colorati, vel etiam cærulei, prout in horto noſtro viſuntur; ſemen inſtar piperis rotundum, odoratum, cinerei coloris. Verùm Viticem Dioſcorides calidam, & adſtringentem pronunciat plantam. Gal. eidem tertium gradum caliditatis conſtituit, licèt non ſibi benè conſtare videatur, dum libro (ait) eius ſemen alimentum ſiccans, & refrigerans præbere, quod etiam fatetur libro ubi conuenire in doloribus capitis aſſerit; loquitur tamen ibi ex Archigenis ſententia; forſan conſiderabat Gal. ſemen Viticis corpus humanum exiccare, & abſumere, & ſic per accidens refrigerare, quod notabat Clariſſimus vir Ianus Saracenus in Scholijs ad Dioſcoridẽ. ego quidem licèt calidam & ſiccam viticem exiſtimem, opinor tamen ter-

tium

Lib. 1. c. 116
6. Simplic.
Lib. 1. c. 9.
6. Simpl.
De alim fac. 2. de compoſ. per loca c. 1.
In lib. de medic. facult.

tium gradum caliditatis non attingere, ſed ſecundum gradum, tum etiam ſiccitatis. Commendat Dioſcorides ſemen Viticis ad ſerpentum morſus; lienoſis ex eodem confert, deobſtruit enim validè, ob id hydropicis utile, flatus validè diſſipat; hinc forſan facultas eius contra venereos actus pendet; interim cùm ſit tenuium partium facilè lac aduocare in mamillas poteſt, & menſes cum pulegio excitare aſſerit idem auctor, uteri inflamationibus, & phreniticis prodeſſe, ſed cum aceto, & oleis refrigerantibus remiſtum, ut vi penetrante ſua cæteris medicamentis viam ſternat. tandem habet, folia vulneribus conducere, quod exſiccanti ſua facultate, qua pollent, id operari opinandum.

De Cannabe.

CAPVT CXXIX.

Cannabis nomen unde deductum affertur, diſtinguuntur eius genera, uſus adducitur, temperamentum, & vires afferuntur.

CAnnabim vitici ſubnectimus, quòd eo modo, quo vitex ſemen humanum abſumeret & exſiccare valeat, & eiuſdem cannabis ſemen etiã viticis ſeminis formam gerat. quorum Galenum ipſum aſſertorem facimus; & ante ipſum expreſſit Heſychius, qui habet ſuffitum cannabis apud Scythas vim obtinere genitale ſemen exſiccandi, quod neque Plinius ſubticuit, dum ait, Cannabem genituram virorum extinguere. dicitur Græcis κάναβις, Cannabis, quod quidem nomen apud Latinos etiam retinet, quia ſata prope ſcaturigines planta maximè luxuriet. Cæterùm Dioſcorides diſtinguit Cannabem in ſatiuam, & ſylueſtrem, & quidem ſatiuam multi uſus eſſe non eſt qui ambigat; quod etiam ex Dioſcoride fit notum, dum ait, ad funes quæſitas eſſe ob firmitatem, ob id mortalium generi apprimè utilis: immò uſurpatur ad omnia ea, ad quæ linum. Et quamuis linum delicatiora opera exhibeat, firmiora tamen cannabis præſtat; ex hac enim planta Thraciæ populi conficiebant, teſte Heſychio, veſtimenta, quemadmodum etiam nos: ſic & nauium funes, quibus & motiones machinarũ perficiuntur, immò ex hac retia fiunt ad piſcium aucupium magis durabilia, utiliſſimaque euadit pro linteis, & ſtragulis craſſioribus conficiendis. Satiuam cannabem diuidit Dioſcorides in marem, & fœminam, quæ deſcribitur herba bicubitalis, & tricubitalis etiam, quæ caulem à radice rectum emittit, cauum, inanem, rotundum, modò pluribus, modò paucioribus ramulis ſeſe erigens, folia dura, ſubnigra, aſpera, graueolentia. Dioſcorides folia fraxini habere ſcribit, dum ſex, ſeptemve foliolis unico petiolo adhærentibus componitur, oblongis, acuminatiſque, & per ambitum crenatis. ſemen ex alarum, & foliorum ſinibus emergit, ubi nullo præeunte flore adhæret, duro cortice, nitidoque conteſtum, rotundũ, albaque medulla radice fibroſa. Satiua verò fœmina Cannabis caule inani, folioque mari non abſimilis eſt, graciliori tamen, minoribus folijs, tenuioribus ſine ramorum ſerie producit, flores albos, qui inani ſuo conatu

Lib.20.c.23

ſine

ſine fructu euaneſcunt, cùm ſeminis à floribus nullum veſtigium ſuperſit, radix verò magis fibroſa. Dalecampius vir ſummus delineat cannabem ſylueſtrem à ſe viſam, quam fatetur notas omnes ſuæ ſylueſtri cannabi attributas à Dioſcoride habere, quam tamen plantam non obſeruaui. Cæterùm ſemen cannabis abſtergit, & aperit, ideò obſtructionibus reſerandis aptum cenſetur; huic tribuitur ſecundus caliditatis gradus, & eamdem ſiccitatis menſuram poſſidere creditur; ſuccus foliorum indolentes aures, inſtillatus, dolores tollit, vermiculoſque ibi, ex ulceris putrilagine genitos, enecat; ſemen flatus diſcutit, & geniturам extinguit; capitis tamen dolorem excitare compertum eſt. Radix cocta, ex Plinio, contractos articulos emollit, & podagræ impetum cohibet; cruda folia ſuperimpoſita ambuſtis valdè proſunt, ſi ſæpiùs repetantur; foliorum puluis utiliter Dyſentericis exhibetur; ſemen caput tentat, & Coriandrorum ritu commeſtum inebriat, quemadmodum lolium, & farina traditur ictero ſummoperè conducere, nec mirum, cùm eius temperamenti conditio tollendis obſtructionibus aptiſſima ſit.

De Arundine.

CAPVT CXXX.

Vſus Arundinis varius apud Antiquos inter Muſica inſtrumenta locum ſibi vendicaſſe oſtenditur, genera recenſentur. Deſcribuntur præcipua genera, temperamentum, & vires afferuntur.

ARundini inter aquaticos frutices gloria ſumma debetur, quibus principatum tribuebat Plinius, quod belli, paciſque experimentis neceſſaria ſemper extiterit, atque & in delicijs grata. De Arundine plura habet Theophraſtus; antiquitus namque, quemadmodum etia n hic ſce noſtris temporibus, ex phragmitide, quod arundini commune nomen eſt, præſertim eius, quæ humilis, & flexilis videtur populi Septemtrionales, Plinio teſte Mapalia conſtruebant: ſic & in Lyciæ Ciuitatibus, ut teſtis eſt Herodotus in Perſicorc, habet enim ſummus hiſtoricus Sardia ab Ionibus obſeſſam, & vi captam direptam non fuiſſe, quia à quodam milite una domorum incenſa, tota ciuitas repentè conflagrauit, atque ignē ſpem prædæ militibus eripuiſſe. exhibebat ſubinde priſcis illis temporibus Arundo Calamorum copia pro paginis conſcribendis: nec minoris pretij eadem planta habebatur in bello, materiam ſagittis exhibendo; ſed tandem in delicijs etiam habita, inter muſica inſtrumenta recepta, grataque; ex eadem enim inſtrumenti genus fiebat, quod fiſtulas vocabant, ruſticis expetitiſſimum, cui quidem muſico inſtrumento fama eſt, initium dediſſe Pana ex nota Syringæ fabula puellæ in arundinem conuerſæ, ut inſidias pudori ſuo à Deo paratas vitaret, ut fatentur Poetæ. hanc fabulam expreſſit lepidè Ouidius dum inquit 1. Metamorphoſ. *Lib. 16. c. 35* *4. De hiſt. Plant. c. 12.*

Panaque cum prenſam ſibi iam Syringa putaret;
Corpore pro nymphæ calamos tenuiſſe
Paluſtres;

Dumque ibi ſuſpirat motos in arundine ventos,
Effeciſſe ſonum tenuem, ſimilemque querenti.
Arte noua vocis qua Deum dulcedine captum.
Hoc mi conſilium tecum dixiſſe manebit.
Atque ita diſparibus calamis compagine ceræ.
Inter ſe iunctis nomen tenuiſſe puella.

Idem habet Virgilius, dum inquit.

Pan primus calamos cera coniungere plures,
Inſtituit.

Sunt tamen qui Marſiam fiſtulæ inuentorem faciant, ut in Athenæo, alij alios credidere: ſed de hoc ſatis ſuperque, cùm ad rem noſtram ſeriam parum, aut nihil faciant. Cæterùm plura Arundinum genera recenſet Theophraſtus, necnon & Plinius; Dioſcorides tamen quinque tantùm, tanquam notiora, enumerat, & magis in uſu; quædam enim, inquit, ſolida eſt, plenaque, & ob id Naſtos dicta, ex qua olim ſagittæ conficiebantur; alia verò fœmina vocata, & ex ea Tibiarum ligulæ concinnabantur; tertia ſyringioſa appellata, quod fiſtuloſa ſonat, quæ & multa carne prædita eſt, & geniculis denſior, ex qua ſcriptorij calami parabantur; quarta craſſa, & concaua circa amnes prodiens cypria etiam vocata; & poſtrema, quæ phragmites, quaſi ſepicularis, aut ſepiaria ab officio dicta gracilior, candicans, ſepimentis idonea: ſunt tamen qui hanc poſtremam etiam vallatoriam cognominant, Theophraſtus Caracion appellat: nobis verò duo genera in uſu ſunt, phragmitis, & Cypria, quæ Donax à Dioſcoride appellatur. Eſt igitur Arundo, quæ vulgaris eſt Dodonæo, & domeſtica dicitur Matthiolo, quam phragmitem Dioſcoridis exiſtimat, nec malè, planta, quæ in paludoſis naſcitur, cui geniculatæ radices inſunt in latum expanſæ, numeroſæ, à quibus caules exurgunt recti cæteris Arundinum generibus longè minùs craſſi, inanes, & caui, geniculati, cortice viridi ſquamoſo contecti in ſingulis geniculis, ſi infra annum non ſecentur ramuli etiam germinare ſolent, folia circa geniculos aſpera, longa, lata, viridia, à latitudine ſenſim decreſcentia, uſquequo in folij ſummitate in acutum deſinant, in caulis ſummo iuba mollis, & veluti lanuginoſa expanſa. Alterum verò Arundinis genus nobis obuium magis eſt; ex craſſioribus enim huius radicibus, & geniculatis in latum expanſis, culmi craſſiores emergunt, & elatiores, folia circa geniculos & latiora, & longiora conſimili virore colorata, in caulis verò ſummo iuba ſimilis, ſed amplior viſitur, caules interim, licèt caui, firmiores adeò ſunt, ut alicubi apti euadant ad vites ipſas ſubfulciendas. ſi temperamentum Arundinum uſualium inquiramus, ſtatuitur à Dodonæo calidum in tertio gradu, cui viro inſigni, quamuis in temperamenti qualitate faueam, in gradibus ſtatuendis diſſentire cogor; nullus enim utrique arundini amaror, nullus odor, nulla acrimonia, aut aromaticitas, ut aſcẽdere ad tertium gradum caloris exiſtimemus. non excedit igitur Arundo ſecundum gradum, cui copulatur in eodem gradu ſiccitas. Hippocrates Phragmitem Arundinem in uſum reuocauit, veluti inſtrumentum aptum ad introducendum innoxiè ignem in anum. Gal. verò ex alto trahere aſſerit, & latentia in carne ſpicula contrita radice, & appoſita educere; abſtergit

Lib. 4.

Lib. de Hæmorrhoid.

ſtergit ulcera ſine acrimonia, renumque dolorem demulcet. habet Dioſcorides, Luxatis ſuccurrere cum aceto, recentia folia trita inflammationibus prodeſſe, corticemque Alopeciam curare cum aceto, idemque effici ex Cypria arundine; tandem cauendum admonet ab eorum paniculis in Pappos abeuntibus, ne eorum aliqua portio, quamuis minima, in aurium foraminibus penetret, cùm ſurditatem inducere valeat. Antipathiam, quam cum filice habent arundines, cum ſimultate conſiderabimus alibi.

De Buxo.

CAPVT CXXXI.

Buxum ſuſpectæ conditionis eſſe ad Medicos uſus quod attinet affirmatur. Cur tale nomen adeptum ſit. eius uſus deſcribitur, delineatur planta.

QVidni in ſenſu calidorum Buxum commemorem, quam Theophraſtus cæterique Græci antiquiores πύξον à ligni denſitate vocant, cùm præſertim ab aliquibus dicatur ex eodem contra Celticam virulentiam inſtar Guaiaci optimum elici remedium; paucula tamen nobis dicenda veniant, quia potiùs nos, qui ſuſpectam plantam habemus à cenſu ſalubrium medicamentorum expungamus, quàm amplecti videamus, cùm præſertim multa, & varia pro lue venerea ſuperanda, & omninò innoxia nobis obuia ſint, quæ paſſim ſummo cum iuvamento uſurpamus. adeòque buxum potiùs ad opera illa manualia laboranda relinquendum ſit, quàm intra medicorum ulnas collocandum. Eſt igitur Buxus frutex, qui quandoque ad patuæ arboris metam aſſurgit, ramoſus, folijs myrthi ſaturo virore coloratis, nitentibus, craſſis, rotundis, parum acuminatis, cuius flores lutei ſupra ſemen inter foliola elaborantur; materia buxi denſiſſima, radices implicatæ, quæ ſimul cum ligno Cariem non ſentiunt, ideò tibijs concinnandis, aliiſque ſimilibus operibus Ethniciſque antiquioribus, imagunculis Deorum, & Idolis parandis ob denſitatem, durabilitatis gratiâ aptiſſima; nunc verò in diſtinguendis areolis in viridariis, opereque Topiario contexendis expetitus. quamcumque enim flexibilibus ſuis ramulis formam induit, & figuram imitatur, ſuo enim virore perpetuo ſummam hilaritatem oculis exhibet. amara planta eſt, & odore ingrato, caputque valdè replet, adeòque manifeſtum euadit à quibuſdam in decoctionibus ſudoriferis malè uſurpari, quæ pro Epilepticis parantur. ſunt qui dicant, iis utiliter adhiberi, qui gallica lue laborant, quod fruſtraneū omninò crediderim, cùm multa alia millies experta in promptu nobis ſint, quibus tutò ad eam debellandam uti poſſumus.

De Balſamo.

CAPVT CXXXII.

Balſamum adhuc in rerum natura extare ex eius arbuſcula cum viris clariſsimis aſſeritur. Locus natalis proprius eius cum Strabone & Pauſania Arabia aſſeritur ex Alpino, & Veslingio. balſami genera ad ſuccum quod attinet diſtinguuntur; ac proinde nos balſamo genuino non carere. Temperamentum conſtituitur, vireſque ex Dioſcoride afferuntur.

NObiliſſimam arbuſculam à ſeculorum ſerie concelebratam tot clariſſimorum virorum encomijs, explicandam modò aſſumimus, ut calidarum in ſecundo gradu plantarum, cum ſiccitate copulatarum agmẽ concludamus; deſideratum non ſolùm ad primas ſuas qualitates quod attinet, ſed quoniam à Dioſcoride diureticis, & menagogis adſtipulatur, in Iudææ quadam valle, & in Ægypto eam deſiderantibus olim obuia fiebat, utiliſſima planta ſua lacryma nobilitata, adeòque tum medicamentis, tum ungnentis expetita, cuius genuinæ notæ, & probatio, qua ſincerum à ſpurio diſtinguitur, petuntur notæ à Dioſcoride. dubitatur an in rerum natura modò reperiatur. affirmaſſe hoc Manardum ſcribit Odo, ut liquorem quemdam ex India balſami nomine allatum laudibus in agnis commendaret, quamuis nullam occaſionem aſſertioni dederint hi, qui per hęc tempora obuiam in Paleſtina balſami plantam nullam habuerunt, quemadmodum etiam certũ eſt iam ab annis ferè nonaginta in Mataria Ægypti nullam cultam fuiſſe, at hæc nobiliſſimæ ſpeciei perditio abſurda non immeritò videbitur ijs, quibus ex ſacris literis notum diuino iuſſu rerum generabilium ſpecies ſui multiplicatione perennare; aut cum philoſophis rerum ſpecies æternas eſſe contendunt; immò ſeriò, & verè demonſtrat Proſper Alpinus cum Pauſania, & Strabone, pluribuſque alijs natale balſami ſolum Arabiam eſſe, & ex ea frondes, fructus, ſuccum, immò plantam ipſam ſe obtinuiſſe, quam etiam nunc incolæ, Baleſam, & ſuccum Baleſam indigitant, cui opinioni Clariſsimus Veslingius præceſſor noſter in horto publico in ſuis obſeruationibus ad Alpinum lubens ſubſcripſit, ab eodemque producti ſunt teſtes, qui allatum ex Arabia balſamum viderint. Cæterùm quemadmodum olim, Auctore Theophraſto, raro in Græciam ſincerũ deferebatur balſamum; ità nunc in Europæ prouincias pleraſque triplici differentia comportatur, nam vel exſpontanea, & purioris concretionis, lacryma habetur, quæ tamen tantùm in Dynaſtarum manus peruenit, vel ex frondium, fructuumvè expreſſione, vel decoctione prolicitum, quemadmodum de balſamo Indico occidentali ex hiſtoria Indorum refert Bauhinus in Pinace; ità de Arabico hoc, teſte Busbechio de rebus Turcicis. Optimè Meſ. & ſtillatitij, & factitij balſami meminit, cui conſentit huius Commentator Chriſtophorus de Honeſtis, qui id per decoctionem factum balſamellum nuncupat, fateturque copioſum eſſe, nec priori virtute parſ at hoc etiam cùm purus, & genuinus ſit balſamici ſuccus, minimè ſpernendum

Lib. 1. c. 18.

Lib. de med. Ægyptio. & de Balſamo.

dum eſt. Tertium verò adulterinum dicitur, & hoc ipſum Terebinthina, ſimilibuſque remixtis conflatur. His itaque conſtitutis, quæritur iterum, an quod è Mecha Arabiæ in Aegyptum hodie, atque indè Europæ infertur, balſami liquor ſit genuinus. Si ſermo ſit de eo, qui copioſior eſt, & in mercatorum manus incidit, his vel genuinus eſt, ſi ſit balſamellum verum, vel non eſt, ſi adulteratus, at etiam prius illud adulterinum eſſe, & è Theriaca profligandum uſque adhuc clamant pharmacopęi aliquot Romani, & eorum propugnator Stephanus de Caſparis, immò etiam alij, propterea quod ſuauiſſimum non ſit, lac non coagulet, veſtibus hæreat maculoſum, copioſum afferatur Venetijs, in Theriaca non accipiatur, vel ſaltem ſyluestris plantæ haud ætate iam obſoletæ ſuccus ſit. his meritò ſe oppoſuit B. Baldus, cui ego memini Ioannem Veslingium tribus Epiſtolis ſuffragatum fuiſſe, & è pharmacopęis Campij lucenſes, & Donzellus Neapolitanus, quorum ſcripta Apologetica extant. Effectus Balſami eximij ſunt apud Dioſcoridem, & Galenum cui gradum ſecundum caloris, & ſiccitatis attribuit, quibus gradibus ætatis mutatio alterationem infert intenſiorem. tribuunt eidem abſterſiuam facultatem, quemadmodum reſinis, & lacrymis omnibus, ut abſtergat ea, quæ oculis tenebras afferunt. Prodeſt quinimò etiam à cauſis internis dependente noxa, cùm calorem nativum excitet, & collectum humidum craſſius remolliat, & diſcutiat, quorum utrumque incipientibus ſuffuſionibus neceſſarium. promouet menſes, urinaſque, & calculos pellit, à calore agens, & ſpiritu acido, ut chymicè loquar, quo recens abundat; relinquit enim in renibus oleaginoſam ſui partem, qua regenerationem arenularum inhibet. horrores febriū illitu reſoluit, fugatque, immò & aſſumptum paroxyſmos febrium, adeòque febres ipſas tollere habet; ex his enim quædam frigida ſunt effectiuè, quædam calida, quod facit tum abſumendo, tum mouendo materiam; calida enim interna quandoque proſunt; diſcutiendo materiam proximè putredinem ſuſcepturam, aut eamdem loco mouendo, vel attrahendo ad dorſum, & lumbos, vel qualitatem ſanguini per venas ad cor remeanti demulcendo, moderandoque, quemadmodum de externis Topicis Harueani credunt. difficulter ſpirantibus quidni proſit, in bolis, & linctu, dum attenuat pariter, ac remollit. Tuſſientibus item leniendo immodicè exaſperatam Tracheam. Eſt Antidotus ſingularis Aconiti, vel proprietate totius ſubſtantiæ, vel ſaltem ut oleum; immò præſtare poteſt utrumque. Vulneribus in primis optimum, utpotè neruis accommodatiſſimum, ſquamas oſſium extrahit, natiuum calorem lentore ſeruando, immò augendo, quidquid obloquantur Magatus, & Septalius in obſeruationibus Chirurgicis; eſt Coſmeticum mulierum, prout ex Cælio notum. an funeribus condiendis adhibitum ſit cumulatè ſatisfacit Veslingius in obſeruationibus ad Alpinum.

5. Simplic.

Lib. de Met.

De

De calidis plantis in ſecundo gradu cum humiditate.

De Ficu.

CAPVT CXXXIII.

Antiquioribus ſæculis ficus victum locum glandium præbuiſſe ex Athenæo aſſeritur, & Ethymi ratio nominis affertur ex eodem, quis fuerit inuentor inquiritur, Temperamentum diſquiritur, vires explicantur.

PAuciſſima ſunt in plantarum generibus ea, quæ gradum ſecundum caloris obtinentes, qui quidem ſenſibilem impreſſionem in corporibus facit, coniunctam habeant humiditatem. Aliqua tamen in hoc cenſu reperiuntur, inter quas reponuntur ficus, & pruna non omnia, ſed ea, quæ dulciſſimo ſapore prædita ſunt, quamuis aliorum prunorum temperamentum diuerſum habeatur, de quibus egimus, dum eorum qualitatem leuem, quã ipſam alvum purgandi habent, conſiderabamus, tunc copulantes cum hujuſmodi prunis pruna Sebeſtena; ſic etiam mucilago Meliloti calida, & humida cenſetur, de quá planta iam verba fecimus, quemadmodum de ſatyrio poſt ficum agemus, quæ quidem planta eiuſdem Temperamenti harmoniam habere iactat, & inter Aphrodiſia, hoc eſt ſemen generantia non infimum locum obtinere traditur; à ficu tamen tanquam à fructu præſtantiſſimo exordium ſumentes, quæ ſanè arbor non tantùm fructu ſuo iucundiſſimo mortalibus utiliſsimam ſe præbuit, eo præſertim tempore, quo victus frugalitas homines nondum morbis obnoxios fecerat, aut ſaltem ingruente ciborum opiparorum inexplebili luxuria, tunc enim nondum ſimpliciori victui valedicto, præter alimoniam etiam medelam non leuem à ficu recipiebant. ferunt enim humanum genus glandium quercus fagique tædio correptum, cognita ficu, ex eius fructu præ glandibus probatum in cibum quotidianum admiſiſſe, quod Magnus quidam ex Athenæo profitebatur, quem ità loquentem introducit; ficus ò Amici viri, mortalibus elegantioris vitæ magiſtra fuit, vel hoc argumento, quod locum ubi primum arbor hæc reperta eſt ſacram ficum Athenienſes vocauere, ipſiuſque fructum ἡγητήριον, ideſt unctionis, & cultioris vitæ ducem (rationem ſubdit) quod antè mitiores cibos omnes inuentus fuit. Pauſanias in Atticis primam ficum apud Cephiſum inuentam fuiſſe ait, ubi Plutarchus Cererem hoſpitio ſuſcepit, à qua hanc arborem dono habuiſſe tradit. alia tamen opinio eſt Soſibij Lacedæmonij apud eumdem Athenæum, qui putat Dionyſium Melichium Simaricum vocatum, fici inuentorem fuiſſe. Tanta fuit apud Veteres fici exiſtimatio, ut Ananius Iamblicus apud eumdem Auctorem citato loco auro pretioſiorem faciat, dum ita loquitur.

g. Gymnoſophiſt.

In ædibus auri multum ſi quis concluſerit,
Et paucos ficus duoque, vel tres homines
Quanto ficus auro ſint præſtantiores intelliges.

Sunt, qui dicant. Ficos dictos eſſe à Sicea ex Titanibus uno terræ filiis à matre

matre dono, ut tanto fructu ſolaretur, arborem accepit; Alij à Siccæ Oxili filia, utcumque tamen ſit, ſiue relatis nomen acceperit, vel à fructus rudimento, dum erumpit, quaſi cum impetu exploſo, certum eſt ab omnibus ob ſui præſtantiam cognitum, & æquè expetitum, cùm præſertim (ſaltem apud nos) bis in anno fructus edat, & ad maturitatem perducat. Cæterùm ficuum variæ ſpecies à forma fructus, colore, loco, & eius differenti bonitate diſtinctæ; quorum variæ conditiones abundè ex Athenæo, citato loco, peti poſſunt, quemadmodum etiam ex Plinio, Columella, Theophraſto, Galeno, Dioſcoride. *In hortu.lib. Lib.1.c.18; Lib.1. de hiſtor.*

Diuiduntur genericè ficus in ſatiuas, & ſylueſtres. ſylueſtrium fructus Groſſi vocantur, immò ita etiam appellantur illi, qui licèt ex ſatiuis ſint arboribus, nondum tamen maturitatem acquiſiuere. Vrbanorum ſiuè ſatiuorum alij recentes ſunt, & maturi fici appellantur. horum verò alij, qui exſiccati ſunt, Caryc æ dicuntur, licèt aliqua ficorum differentia nomine carycarum inſignita ſit. Voluptas quæ ex ficorum maturorum ſuauitate percipitur, omnibus guſtantibus manifeſta, utilitas tamen non omnibus nota, ſed medicis tantummodò, ſub utraque tamen formalitate ficus expetitus, qui fatetur anno..... & octauo ſuæ ætatis agens ſe horeis omnibus bellum indixiſſe, ficubus exceptis egregiè maturis. Eſt igitur ficus arbor non admodum procera, neque elata, ſed per ramos in latum expanſa, trunco modicè craſſo, cortice cinereo contecto, leui potiùs quàm aſpero, intus medulla alba referto, ligni materia carnoſa, mollis, lenta, tenax. à tota planta etiamſi cortex leuiter incidatur, aut diſrumpantur folia, vel immaturus fructus diſcerpatur, emanat ſuccus lacteus, glutinoſus, acris. folia ampla, magna in quinque partibus diuiſa, aſpera, dura, ramis mediante petiolo adhærentia oblongo, craſſiuſculo: circà ramorũ ſummitates tenerrimorum fructus erumpit piriformis ſine flore, quem tamen in ima ſui parte à principio uſque ad maturitatem gerit, & qui fructu matureſcente hiat, paruo oſculo patefacto, ex quo quædam mellea humiditas exſudat, cortex leuis, rugoſus, & hiantibus rimulis per longum ſtriatus. ficuum tam ſylueſtrium, quos Caprificos vocant, quàm urbanorum temperamentum, quamuis de ſiccis tantùm hoc pronunciauerit Galenus, magna viget caliditas cum ſiccitate. Groſſi quoque eiuſdem conditionis ſunt, quemadmodum & ex arbore cinis, & ex cinere lixiuium: ſi verò de recenti ſatiuorum fructu ſermo ſit, hic cum caliditate humiditatem habet, & ex communiori ſententia ſecundum gradum humiditatis, & caliditatis non excedit; ſecus tamen de ſucco immaturi fructus foliiſque, arboris ramis, & caule, vel horum cinere, quæ parum recedunt in calore à ſylueſtri arbore, & Caprifico eiuſque Groſſis, quæ acri, & cauſtica vi ſunt prædìti, quod quidem dedit anſam Plutarcho quærendi, cur planta, quæ ſucco acri viroſoque tota ſcatet, fructum melleæ dulcedinis producat; qui ſoluens problema ingenioſè ſatis adducit iecoris exemplum, eò enim prorſus modo fieri in ficus fructu ait, quo fit in iecore, quod detruſa bile in proprium locum ſanguinem dulciſsimum producit: ſic de ficu dicendum ait, quæ omnem amarorem in ſe tota retinet, aduocatque, & dulcem illam portionem, quæ diſperſa in uniuerſa planta repetitur, ad fructus perfectionem tranſmittit, *5.Simpoſiac. qu.9.*

mittit, congeritque. Quòd autem planta optimi ſaporis portionem in ſe ipſam includat, experimento probat, quia inquit ruta prope ficum ſata & ſuauiùs olet, & meliorem ſaporem acquirit. ſunt tamen viri docti, qui Plutarchi rationem improbent, infirmamque putent, quia aiunt, Groſſi acrimoniam habere non debuiſſent, ſecus autem obſeruatur, cum ratio non correſpondeat. in Caprifici fructu, qui nunquam maturationem adipiſcitur, ideò habent eamdem conditionem, quam ficus immaturi fructus, quamuis à Sole, dum ficus ad maturitate m perducitur, illam prauam qualitatem ſuperari ſtatuendum ſit, & euinci, adeòque in plantarum diuerſarum diuerſas proprietates referendum. Iam ad vires explicandas accedamus. Habet Dioſcorides maturos ficos recentes ſtomachum lædere, forſan quia in eodem diutiùs morantur, ſub qua ratione fit, ut tenuitate, & lentore ſuo, licèt ante alios cibos commeſtus, ultimò tantùm euomatur, quod obſeruauit Hippoc. & quod Ariſtoteles in ficuum grauitatem refert dum reſpondet, an quia cæteris eſculentis genus pomorum longè grauius eſt, quod argumento ficuum conſtat, quæ nouiſſimè hæſitatæ ultimæ tamen excernuntur. Verùm ſiccas recentibus calidiores pronunciat Dioſcorides, & alui ſtomachique Rheumatiſmatibus aduerſari, & quemadmodum recentes ſitim ſedare habet, ſic ſiccas, licèt magis alibiles ſint, eã ipſam excitare, quamuis aluo ſoluendæ idoneæ ſint. pronunciat ſiccas arteriæ, gutturi, veſicæ, & renibus utiles, ſic & hydropicis, & comitialibus morbis, & aſthmatibus; veteri quoque tuſſi, cæteriſque pulmonis vitijs profligandis opportunas; in gargariſmate uſurpatæ, aſperæ arteriæ, & tonſillarum inflammationibus apprimè utiles; decoctæ tumores emolliũt, parotidaſque diſcutiunt, & malignis tibiarum ulceribus aduerſantur. exẽplum depromendum eſt in Ezechia Rege ex ſacris literis. perniones ſanat, tinnitumque aurium tollit. ſuccus ille lacteus cùm fici, tum caprifici corpora exulcerat, ora vaſorum aperit, alvum citam facit, uterum relaxat, & menſes ducit. aſſerit idem Dioſcorides pſoras, vitiligines, Lichenas, ulceraque capitis manantia compeſcere, adeòque & ictibus ſcorpionum cæterorumque venenatorum animalium, morſuique rabidorum canum valenter opponi. Lacteus eius ſuccus lac coagulat. quæ omnia de ficus viribus luculentiùs habet Plinius.

3. De inter. affect. 2. Problem. problem. Lib. 23. c. 7.

De Satyrio.

CAPVT CXXXIV.

Mira Theophraſti hiſtoria circa Satyria refertur. diſquiritur an noſtra Satyria ſint ea, quæ à Dioſcoride produntur, vires, & temperamentum ſtatuuntur.

PLures vires, & eximias quoque in plantis non ex earum temperamento emergere, ſed à tota ſubſtantia, ſiue forma, in exemplum cedat utrumque Satyrium à Dioſcoride deſcriptum, cùm multæ aliæ ſint plantæ ſimili temperamento prædítæ, quæ inſignes Veneris proliciendæ vires, vel ſaltem mediocres, aut minimas, pro ut Satyria gerant, Theophraſtus miram

Lib. 3. cap. 143. 144. 9. De hiſtor. plant. c. 20.

miràm affert cuiuſdam Indi hiſtoriam, qui quamdam radicem ex regionibus ſuis attulerat, quæ non ſolùm eam edentibus, ſed ea ipſa tantum modò genitalia tangentibus, libidinem non ſolùm inexplebilem excitabat, ſed etiam eos aptos ad coitum frequentiſſimum reddebat. hanc ipſam hiſtoriam accepit Plinius à Theophraſto. An verò hæc radix à Theophraſto relata ſatyrij genus ſit, incertum eſt, cùm nec eandem plantam, nec alias ſimiles deſcribat. Cæterùm plures putant conſimilibus plantis in actione ſatyrij nomen inditum fuiſſe, quaſi ijs utentibus ſatyrorum libidinem excitare valeat, quam illis Poetæ maximam attribuunt. Duplex eſt ſatyrij genus Dioſcoridi, alterum quod Triphilon vocat, alterum quod Erhitronion. primum terna folia, inquit Dioſcorides, ad terram vergentia profert, rumici, aut lilio ſimilia, minora tamen, atque rubeſcentia; caulem gerit nudum, cubitalem; florem lilij effigie, candidum, radice bulboſa, mali magnitudine, ruffa, intus verò alba, ari inſtar, ſapore dulci oreque grata. indè deſcribit idem Auctor ſequenti capite Erhitronion ſatyrion à ſemine exordium ducens, nulla foliorum figuræ allata delineatione, aut caulis, habetque gerere ſemen lini, ſed magis firmum, leue, & ſplendens, & eius radicis cortex ſit gracilis, & ruffus; radix interna ſui parte alba, & dulcis, ut ex ijs conſtet in alijs ſimillimum eſſe Triphilo deſcripto. utut tamen res ſit, non ſatis apud Botanicos conſtat, quas plantas pro utroque ſatyrio genuinas exhibere debeant. Lobellius has plantas vidiſſe putat, Matthiolus hoc ipſum diuinatur, at cùm vires ſatyriorum noſtrorum, orchiden ſcilicet, non correſpondeant ſatyriorum viribus à Dioſcoride deſcriptorum, ſi vera ſunt ea, quæ de utroque ſatyrio habet, nos procul dubio in harum vera cognitione cæcutire fatendum eſt. licèt Vir ſummus, ad effectum eorum quod attinet, loquatur ex aliorum relatione, nihilominus uſus etiam apud nos obtinuit, ſatyriorum noſtrorũ radices, orchidon ſcilicet, in compoſitionibus pro ſegni Venere roboranda recipi. Sa dicit idem Auctor, radicem Triphili ſatyrij in vino decoctam, & ſumptam, ad Opiſthotonon commendari. Satyria communi ferè conſenſu calida in ſecundo gradu ſtatuuntur, humida in primo. Lib. 26. c. 10

De frigidis plantis in ſecundo gradu, & humidis.

De Cucurbita.

CAPUT CXXXV.

Frigidarum & humidarum plantarum natura explicanda aſſumitur, à Cucurbita exordium ſumentes. Priſci Colocynthidis nomine tam ſatiuam, quam ſylueſtrem cucurbitam indigitabant. plures dari cucurbitæ differentiæ aſſeritur. deſcribitur ſatiua, & quodnam edulij genus præſtet oſtenditur. temperamentum adducitur, vires explicantur.

TAm ſylueſtrem Cucurbitam, quàm ſatiuam unico Colocynthidis nomine priſci Græci vocauere, addito tamen ſylueſtris, aut ſatiuæ cognomine; eſt enim Cucurbita planta annua, cui niſi adminiculum, quo ſe

erigat porrigatur, humi latè ſerpit; ſecus ſi id nacta ſit, vaſtiſſimas arborum namq; metas tunc trimeſtri ſpatio ſuperare poteſt; natura enim eius, inquit Plinius, eſt ſublimitatis auida, alioquin per terram repit, fructum ſiquidem craſſitiei magnæ, & molis, niſi arctè ſuis adminiculis viticulis ſe alligaret, ſuſtinere nequiret, quin potiùs ad terram uniuerſam plantam ſecum non traheret. Cæterùm ſatiuæ differentiarum plura genera à foliorum magnitudine, florum, fructuſque forma, & colore, moleque eiuſdem diſtincta, dicitur Latinis Cucurbita, quod facilè ſi obicem inueniat curuetur; radicem habet candidam in multas propagines deciſam, extenſam; folia gerit ampla Perſonatæ ferè ſimilia, minùs tamen longa, aſpera, & aculeata, quæ ſurculis longo petiolo innituntur ſcabro, intus cauo, ab uno Caule numeroſa ramorum emergit propago, è geniculis, & caule ipſo pluribus clauiculis, ſeu viticulis erumpentibus, ut in altum horum beneficio ſe arrigere valeat; flores vel albi, vel lutei, ampli; fructus pro conditione proprij generis varij, oblongi alij, alij rotundiores, vel intorti, perſmulti, quorum frequentes, qui ampla ſuam magnitudine cubitum excedant etiam in ambitus menſura: Cortex flauus utplurimum, vel albus, aut colore variegato ex luteo, & viridi, ſemper tamen, dum emergit, viridis eſt ad maturitatem uſque, tunc enim cortex, qui tenerrimus erat, *lignoſus*, & durus euadit; caro intus alba, ſiue ad luteum vergens, quæ ſemen includit album, latum, longiuſculum, & in quibuſdam generibus vel acuminatum, vel anguloſum. Cæterùm cucurbita longa dicta à forma diuerſas figuras etiam arte ſuſcipere valet, plerumque namque (*inquit* Plinius) æmulatur intorti draconis figuram, eſtur cucurbita, & iuxta diuerſa genera alia pro fructu melioris, aut inferioris conditionis, alia minùs, alia magis expetitur. Cucurbita ſatiua quæcumque aqueæ ſubſtantiæ eſt, & frigidum, & humidum temperamentum habet ad ſecundum utriuſque qualitatis gradum & ad vires quod attinet, commendat Dioſcorides, ad œdemata, & abſceſſus, & ad infantium capitis ardorem, ſi trita, cruda applicetur: ſic ait & inflammationibus oculorum utiliter adhiberi, & aurium doloribus tum per ſe, tum aceto permixtam, illitamque podagricis *prodeſſe* ait, immò corporis ſuperficiem ardoribus exuſtam emollire, *aſſerit* ad alvum molliendam utilem euadere, ſi in ea excauata priùs quis vinum impoſuerit, & ſub dio per noctem expoſuerit, vinumque biberit, leniter effectus ſubſequi aſſerit. addit, quod mirum euadit, ſi dormienti infanti febricitanti cucurbita, pari cum corpore longitudine lateri iungatur, à febre ipſum liberare; huius tamen rei certitudo ab experimento *ut eliciatur* opus eſt.

Lib. 29. c. 5.

De

De Cucumere.

CAPVT CXXXVI.

Diſquiritur Cucumerum natura, & noſtrum non eſſe Cucumerem ſatiuum Dioſcoridis aſſeritur, Saracenus vindicatus, cur citrulus vocatus, deſcribitur, Temperamentum aſſignatur, vires traduntur.

INter fructus edules, qui ex plantis annuis petuntur, connumerantur cucumeres omnibus ferè noti, & in cibum reuocati, quamuis inſipido guſtu præditi ſint, & pauciſſimum, pravumque nutrimentum præbeant, quorum varia genera ſunt, fructus figura differentia, ſingula tamen eodem temperamento prædita. Olim Cucumis Veteribus de pluribus generibus accipiebatur, nunc in una tantùm ſpecie verificatur; an verò Cucumeres cognouerint Theophraſtus, & Dioſcorides, anceps ſum: certè noſter Cucumis non eſt Cucumis ſativus Dioſcoridis, qui potiùs eſt pepo, & Melopepon Galeni; in Cucumere namque vulgari nullus odor, in Dioſcoridis optimus, & qui olfactu defectas animas recreare valeat, igitur Cucumis ſativus eiuſdem Auctoris erit forſan pepo noſter: malè igitur carpitur Saracenus, quia cucumeres in duo capita diſtinxerit, cùm ex verbis Dioſcoridis facilè hæc diuiſio deduci poſſit, qui quidem Auctor Cucumerem ſatiuum Sitynm vocat, peponem verò in ſequenti capite appellat πέπωνος. Immò video etiam malè confundi à Ceſalpino Sityum Antiquorum cum noſtro Cucumere, ut notum euadet attentè perpendenti. Cæterùm Cucumis noſter Citrulus, vel Citreolus etiam vocatur à colore fructus citri, & ab æmula quodammodò figura. viticulas à radice fert humi ſtratas, ſarmentoſas; cucurbitæ minores è ramis aſperis erumpunt, folia aſpera circa ramos, & caules in ambitu crenata, anguloſa: è foliorum ſinu vel clauiculas, vel flores edit in luteo pallidos; fructus craſſi ſunt, oblongi, angulares, & veluti per ambitum quibuſdam tuberculis exaſperati, ante maturitatem virides, quo tempore ſunt edules, dum verò maturaſcunt, luteum colorem acquirunt; nulla odoris ſuauitate præditi, circa quod non poſſum non mirari virum doctiſſimum Ceſalpinum hallucinatum fuiſſe, dum Cucumerem noſtrum Dioſcoridis Sityum facit, & carnem dulcem habere aſſerit, immò etiam olfactu deliquio animi affectos recreare, & ſic noſtrum cucumerem cum Antiquornm ſatiuo cucumere idem facit, licèt à cucumere noſtro longè diſtet, qui nihil iucundi odoris in ſe habet. ſemen gerit intra fructus intimam pulpam oblongum, anguſtum, albeſcens, planum. Temperamentum cucnmeris frigidum eſt ad ſecundum uſque gradum, cũ non diſſimili humiditatis menſura. uſurpantur ſemina apud Medicos pro refrigerio indendo, venoſo præſertim genere, dum hoc remiſceri ſolet cum melonum ſeminibus, cucurbitæ, anguriæque, appellantur quoque quatuor ſemina maiora. calculoſis quoque cucumeris ſemen prodeſt, renumque vitijs ex calore ſuſcitatis, harumque partium præſertim inflam-

mationibus, abſtergunt, unàque demulcent; ideò in urinæ ardoribus, & meatuum eroſionibus utiliſſima perhibentur.

De Anguria.

CAPVT CXXXVII.

Anguriam non eſſe Cucumeris ſpeciem, nec habere corticem ſulcatum, ut aſſeritur à Dodonæo, deſcribitur cucurbita, vires aſsignantur.

MAlè ſanè à quibuſdam impoſitum eſt Anguriæ citruli nomen, noſtra namq; Anguria nihil cum huius nominis Etymo habet, prout vulgaris Cucumis, qui colore, & forma cùm citrum æmuletur, citrulum vocatur; Anguria enim fructum circinatæ rotunditatis gerit, ſemina nigra, licèt in quibuſdam ruffa, minimè tuberoſa, ut cucumis, aut ſtriata, ut delineat Dodonæus; melones enim ſulcati ſunt, non Anguriæ. eſt igitur noſtra Anguria planta humi repens viticuloſa, aut ſarmentoſa, folijs profundè inciſis, colore in viridi albeſcente; flores lutei cucumeris æmuli; fructus magnus eſt circinatæ rotunditatis, exteriori cortice viridi, pellucidoque, quo contegitur interna pulpa aqueæ ſubſtantiæ, flaccidæque, parum ſapido dulci guſtu prædita, rubicunda, vel albeſcens; ſemen nigrum, aut ruffum, oblongum, latum, cucurbitæ ſimile, quod & ipſum; ut dictum eſt, inter quatuor maiora ſemina connumeratur, & idem cum his temperamentum habet, ijſdemque viribus pollet.

De Sityo, vel Melopepone, aut Pepone Italico.

CAPVT CXXXVIII.

Nomen Sityon priſcis Græcis commune Cucumeribus, & Cucurbitis, Peponibuſque. quid pepon ijſdem indigitaret. Galenus Melopepones à peponibus diuerſos facit. ſententia Matth. reiecta, deſcribuntur.

EſSt Veteribus Græcis σικυὸς, ſiuè σικυον cucumis, ſi nomen Sityon tam cucumeribus, quàm peponibus, & cucurbitis eſt vulgare; πέπων enim Hippocrati, necnon Theophraſto, & Dioſcoridi, Galenoque maturum ſonat, ideò Melopepones antiquioribus Græcis ſunt Cucumeres cuiuſque generis ex relatis maturi. Cæterùm ad pepones, & melopepones quod attinet, Gal. 2. de alimentorum facultatibus diſtinguit melopepones à peponibus, quia inquit pepones ſint fructus, à cuius intimiore carne, quæ immediatè ſemen includit, homines abſtineant, ſecùs verò de melopeponibus, qui etiam intimam carnem edant, & ſemini proximiorem. Putat tamen Matthiolus pepones, & Melopepones apud Veteres unum & idem eſſe, abſtinuiſſe tamen in peponibus ab intima carne ſemen immediatè recludente, quando minùs matura, carnem tamen omnem eſitaſſe, quando omninò matura eſt, tuncque fructum Melopeponem vocaſſe. hoc

tamen

tamen apud me dubium eſt, cùm vix credibile ſit leue hoc accidens nomen variaſſe: exiſtimauerim potiùs ego ex tot peponum differentijs unam apud eos fuiſſe, quæ forma, & magnitudine malo accederet, ſicque etiam mali odorem gereret, ſic ab iiſdem melopeponem, quaſi malo peponem dici, aliam verò, quæ nihil cum malo ſimilitudinem gereret, peponem vocaſſe; utcumque tamen de hoc ſit, nihil per nos certi elici poteſt. Melonibus igitur ſic à noſtris vocatis forma Cucumeribus ſupra deſcripta ſimilis, tum ſarmentorum conditione, tum viticulorum, foliorumque, necnon floris colore, & magnitudine; fructus tamen magnus torulis ſulcatus, cortice leui, odorato contectus, quemadmodum etiam caro quæ dulcis eſt, & admodum ſapida, aquoſa tamen in intima parte, ubi ſemen recluditur, quæ pars non eſitatur; idem ſemen oblongum eſt, anguſtum, cortice albo cartilaginoſo, ſiue luteo pallido contectum, medulla intus alba, ſolida, ſapidaque, eodem modo huiuſmodi ſemen inter quatuor ſemina frigida comprehenditur, quo ſuperiora, cui vires quoque, & temperamentum ſimile.

De Blito.

CAPVT CXXXIX.

Qua ratione Bliton in prouerbium abierit apud Antiquos, Bliti genera referuntur, deſcribuntur, temperamentum aſsignatur. adducitur de Bliti viribus Dioſcoridis ſententia ſuſpecta, perpenditur.

BLiton ſic cognitum Veterum comicis fuit, vt nominis Etymo perpenſo apud eos in prouerbium abierit, immò in conuicium eorum hominum, qui inertes, & nullius pretij erant, quos Veteres Blitos, & Blitomamas vocabant per iocum, Bliti inſulſam naturam ducentes, & veluti per ſoporem ignauiam. Plautus in truculento hoc ipſo nomine Meretricem notat, dum inquit.

Blitea, & lutea eſt meretrix; quaſi ſtolida, & inſulſa dicat; eſt enim olus Bliton inſulſi, & fatui ſaporis, ut de eo Plinius, Bliton iners videtur, aut ſine ſapore, aut acrimonia ulla; undè apud Menandrum Mariti conuicium fœminis deſumpſere; quamuis apud priſcos illos inter olera recenſitum ſit, præter inſipiditatem etiam exigui nutrimenti cenſebatur. Cæterùm quāuis plura ſint Bliti genera, Bliton vulgare tamen videtur diuidi ratione coloris plantæ in album, ſiue potiùs viridem, & rubrum. præter hæc dantur etiam duo peregrini Bliti genera, unum maximum, purpureo caudice, craſſo, ſtriato, intus vacuo, rubris folijs paniculiſque, ſæpè humanam ſtaturam excedens; folia ſunt vulgaris bliti, ſed longiora, & latiora, ſaturè rubentia exalis, & etiam in ſummo caule erumpunt paniculæ longiſsimæ pendulæ, nullius odoris, roſei coloris Amaranti inſtar, ubi ſemen copioſum ineſt, candidum, panico ſimile; radix fibroſa, quæ potiùs in latum, quàm in profundum ſe extendit. Alterum peregrini Bliti genus humile eſt, quadrangulari caule vacuo, gracili, cubitum non excedente, cuius folia miro modo colorata videntur, unumquodque enim horum tribus diuerſis, Lib.20.c.22

uerſis,

uerſis, & diſtinctis coloribus inficitur, rubro videlicet, albo, & luteo, ſub qua etiam ratione Amarantus tricolor ab herbarijs vocatur. Verùm nuperrimè ex Indis quoddam genus delatum eſt, quod ſolani folia, Miniaci ſcilicet, ſeu belledonnæ ſimilia gerit, erigitur ad tricubitalem altitudinē, & flores habet racematim collectos, in oblonga veluti ſpica albidos, è veſtigio inuicem aduerſantes, lauri floribus ſimiles, minores tamen, duriuſculi, quibus cadentibus Baccæ emergunt hinc indè diſpoſitæ iuxta florū ſeriem, initio virides, dum verò ad maturitatem perducuntur, purpureo ſucco, ſiuè potiùs violaceo elegantiſſimo turgeſcentes, in quibus ſemen nigrum parvum leniter compreſſum, pellucidum, quam quidem etiam plantam quidam Botanici non Bliton, ſed Amarantum Indicum bacciferum vocauere. habet Bliton, ſi eiuſdem temperamentum inquiramus, in ſe humiditatem aqueam cum frigiditate, adeòque differit Galenus Bliton eſſe cæteris oleribus aquoſius, immò 6. Simplicium magis præcisè ſtatuit eſſe in ſecundo frigidum, & in eodem gradu humidum. Ad vires huius plantæ quod attinet, commendat Dioſcorides Bliton tantummodò ad laxandam alvum, ac deinceps inquit nullum habere in medicina uſum, quæ tamen facultas etiam ſuſpecta eſt, cùm ex Galeno nihil ex ſua natura alvum prioritare valeat, niſi ſumatur cum aceto tanquam alimentum; quod cognouit Hippocrates, qui calidum Bliton pronunciat, nihilominùs ſiſtere fluxum muliebrem ait, qui morbus, ſi à cauſa calida ortum ducat, eius ſententiæ ſubſcribi poterit, quapropter ſi ſiſtentis facultatis Bliton eſt, alvum laxare nequibit: Arabes tamen Bliton ad plura valere crediderе; hoc enim adhibent ad externas inflammationes, & ad dolores capitis ex cauſa calida, necnon etiam tuſſi à calore humorum excitatæ. ſunt, qui Bliton commendent ad ſecundinas, & menſes educendos, & in ſuffitu, & in peſſo paratum, forſan cum Hippocrate Bliton calidum exiſtimantes, quod tamen temperamento ſtatuto à Galeno repugnare videtur, ſed veritas ab experimento eliciatur.

Lib. 1. Aliment.

2. de Diata. 2. de morbis à ulier.

De Solano Veſicario, ſiuè Halicacabo.

CAPVT CXL.

Solani nomine diuerſa genera importari aſſeritur, oleracei ſcil. & deleterij. contraria ſententia Dioſcoridis & Plinij examinantur, deſcribitur Solanum Halicacabo, temperamentum adducitur, vires expenduntur.

INter oleracea à Veteribus eſui deſtinata connumeratur, præſertim à Theophraſto, Solanum, qui hoc inter illas plantas reponit, quæ cruдæ, & coctæ manduntur: Dioſcorides verò magis diſtinctè ex diuerſis Solani generibus hortenſe tantummodò, ſiue ſatiuum inter comeſtibilia reponit, & halicacabum Solanum, quamuis deleterium non ſit, à comeſtibilibus Solanis ſecludit. Cæterùm de Solano ſermonem inſtituere eſt res ambiguitatis plena, uno namque, & eodem Solani nomine & olus, & planta deleteria ſignificatur. Verumtamen tam Theophraſtus, quàm Dioſcori-

Lib. 7. de hiſt. plant. c. 7.

ſcorides varia Solani genera notis etiam varijs diſtinxere, ut faciliùs adhibito nobis neceſſario ſtudio internoſci poſſent. Dioſcorides etenim diſtinctis capitibus horum diuerſa delineauit genera, ſic & Theophraſtus unicuique notas diſtinctiuas aſſignauit & expreſſit. Difficultas maior emergit à Plinio, qui Solani plura genera confundit, quæ diſtinctè eſſent accipienda, dum primò tam hortenſe Solanum, quàm Veſicarium coronarias plantas facit; Dioſcorides verò ſolum halicacabum coronarium eſſe voluit. Plinius utrique Solano tam hortenſi, quàm halicacabo nomen Veſicarij tribuit, ſecus Dioſcorides, qui duo genera diuerſa facit, quamuis dicat Solanum maniacum à quibuſdam etiam Veſicarium appellari. Somnificum tandem ſolanum opio velocius ad mortem eſſe dicat Plinius: hoc tamen falſum eſſe ex Dioſcoride elici poteſt, qui ſomniferum ſolanum opio mitiorem eſſe aſserit, ſed miſſis cæteris lethiferis ſolani generibus, & etiam hortenſis ſolani conſideratione, quia cùm dicatur tertium obtinere frigiditatis gradum, ratio ordinis à nobis hucuſque præſcripta non ſinit hic nos de eodem ſermonem inſtituere, qui inquirimus eas plantas, quę non excedant ſecundum gradum frigiditatis cum humiditate coniunctum. licèt igitur utrumque ſolanum, tam Veſicarium, quàm hortenſe in foliorum figura conueniant, differunt tamen in aliquibus, præſertim in temperamenti conditione; igitur halicacabi ſolani genus Græcis vocatur στρύχνος, ἀλικάκαβος, ſiue φυσαλλίδα, Veſicarium videlicet, & fructex eſt folijs ocymi, ſed maioribus, & latioribus, ſaturo virore præditis, cuius Caules poſtquam adoleuerint, proni terram ſpectant. flores albidi hortenſis ſolani paulò maiores. huius fructus orbiculatus, dum maturaſcit, intra folliculos purpuraſcentes, veſicæ valdè ſimiles, coccineus rotūdus, uvæ acinis pari magnitudine reconditur. Addit Dioſcorides hanc plantam in corollis, in cibum tamen minimè recipi, refrigerandique vim habere: Galenus verò validè adſtringere aſserit, aitque ſe nullum olus cognouiſse inter ea, quibus veſcimur, quod tantam obtineat adſtrictionem. Cæterùm Recentiores quemadmodum hortenſi tertium gradum frigiditatis aſſignant, ſic halicacabo ſolano ſecundum tantummodò gradum attribuunt cum humiditate conſimili. Interim utrique ſolani differentiæ pares vires medicæ à Dioſcoride aſſignantur; eryſipelatibus namque, & herpetibus prodeſse, ſtomachoque exæſtuanti; ſic & doloribus capitis aduerſari, & parotidibus cum ſale opitulari, contraque acres fluxiones utiliſſima cenſeri, & aurium doloribus mitigandis; contuſa folia, & applicita carcinomatoſos tumores demulcere, cohibereque progredientes; ſiſtere muliebres fluores habet, & optimè ſe gerere in ægilopibus ſanandis.

Lib. 21 c. 31

2. de Alim. facult.

De Lenticula paluſtri.

CAPVT CXLI.

An ſit paluſtris lenticula Theophraſti Ipnon dubitatur; deſcribitur, temperamentum aſsignatur, vires examinantur.

NVllus ſanè locus eſt, aut nulla magni orbis exillima portio, quæ licèt abiecta cenſeatur, & ab omni bono ſecluſa, omniparenti naturæ tamen plurimum non debeat, & in illo ſuo ab entis ferè nomine quaſi repudio aliquid non poſſideat, quo ſe famæ efficaciter commendet, ſaltem quia in humanum præſidium directa ſit, ſub quo nomine aliquod ſingulare priuilegium poſſidere ſe iactat, ob quam etiam cauſam eam homo ſuſpiciat, veneretur que ſupplex, immò in receptæ ſalutis gratum teſtimonium veluti votiuas tabellas appendat. huius generis eſt lenticula paluſtris, Græcis φακὸς vocata, plantula quidem, ſi plantæ nomen meretur, quæ exillis. in aquarum ſtagnantium, paluſtriumq; ſummitate naſcitur. ſed quæſo, cui perſuaſum iri poterit, ſemiputres aquas, & ab uſu probo repudiatas in ſui ſuperficie ſtirpem generare, quæ in uſum optimum reuocata, conuicia quæque, & probra tam in plantam, quàm in locum, ubi naſcitur, prolata, redarguere valeat, & exiſtimationem iamdudum amiſſam abundè recuperare mereatur? Eſt igitur Lenticula paluſtris, Dioſcoridi muſcus, lenti ſimilis, qui in ſtagnantium aquarum reperitur extima ſuperficie, ut ferè totam aquæ peripheriam tegat, pratum enim viride æmulatur. dubitant plures an ſit Ipnon Theophraſti, de quo meminit lib. 4. reperirique tradit in Orcomeni lacus ſummitate. circa tamen hoc nihil certi deduci poteſt. folium viride gerit Lenticula, craſſum, rotundum, lentis leguminoſi magnitudine, à cuius forma nomen accepit. emittit inferna ſui parte villoſa quædam filamenta, quaſi radiculas, quibus ex aquis nutrimentum ſibi comparat & exhaurit. habet Dioſcorides temperamentum frigidum gerere, & Recentiores eidem aſſignant ſecundum gradum frigiditatis cum pari humiditate, quod ex Galeno deſumpſere. idem Dioſcorides ad inflammationes, & ignes ſacros ſuperandos, reprimendoſque adhibet lenticulam, glutinare etiam aſſerit, & faciliimè in pueris Enteroceles hernias ſanare; podagricis doloribus demulcendis cum fructu adhiberi, & aquam ex eadem per alembicum elicitam in internis inflammationibus, & in febribus etiam peſtilentibus conferre ſummoperè, adhibent; ad teſtium tumorem cum caloris ſenſu, & pruritu, & ad ruborem oculorum; habent enim humores fluentes validè repellere, quod quidem poſſe ex propria temperamenti vi facilè admitti poteſt; recens ex aqua extracta, & fronti appoſita capitis dolores ex cauſa calida tollere tradunt.

Lib. 4. c. 83.

4. de Hiſtor. cap. 11.

8. Simpl.

De Nymphæa.

CAPVT CXLII.

Locum ubi Nymphæa naſcitur, & degit, eidem nomen dediſſe exiſtimatur. lepida fabula circa originem adducitur. cognomine Theophraſtum Nymphæam ſub Loti nomine aſſeritur. Affertur Dioſcoridis deſcriptio. temperamen tum aſsignatur, vires explicantur.

IN hac noſtra Nymphęæ conſideratione non eſt, cur recurramus pro huius nominis Etymo indagando ad Poetarum fabulas; ſatis enim cõſtat hoc à loco ubi naſcitur, degitque adeptam eſſe, quod etiam ex Dioſcoridis teſtimonio comprobatum video. non eſt tamen ut damnemus pulcherrimum Poetarum figmentum, quo alluſiſſe videntur natalitio nymphęæ loco, dum Nympham huius nominis Herculis zelotipia intimè agitatam marcore tandem confectam perijſſe tradunt, & inde in huius nominis plantam muratam; quod felicius comprobant ex ipſius plantæ radicibus inſpectis, forma ſua Herculis clauam æmulantibus. Verùm plantam hanç cognitam fuiſſe à Theophraſto, dum huic aſſignat vires, quas loto ſuo attribuit, familiaremque eſſe ait Orcomeni lacui in Bęotia, ut ex his opinaremur & nos cum alijs viris doctis, quod etiam alibi diximus, Theophraſti lotum eſſe noſtram Nymphęam, cum habeat idem Auctor lotum noctu florem retrahere, mergereque in aquæ profundum, ſub diem verò ad Solis uſuram extra aquas producere, & priſtino loco, quaſi poſtliminio reſtituere; quod quidem in Nymphæa manifeſtè ſuccedere obſeruamus. Deſcribitur luculentè Nymphæa à Dioſcor. folijs Ægyptiæ fabæ ſimilibus, colocaſiæ videlicet, ſed minoribus, pluribus ab una radice prodeuntibus, quarum ſupra aquam alia, alia ſunt demerſa. florem gerit album lilio ſimillimum, in floris verò meditullio emergit exuberans caliculus rotundus, in quo ſemen includitur nigrum, latum, denſum, atque guſtanti glutinoſum. Caulis, in cuius ſummitate flos reſultat, leuis eſt, & minimè craſſus, Radix nigricat craſſa inſtar clauæ nodoſa, cui plures inſunt fibræ, guſtanti inſipida. Idem Dioſcorides alterum etiam Nymphęæ genus deſcribit, quod ſolummodo colore floris differre ait, qui totus luteus eſt, & ſuaueolens. Statuitur Nymphæa in gradu ſecundo frigida, & humida, adeoque Dioſcor. opitulari tradit affectibus calidis, doloribus etiam capitis, & aliarum partium ab eadem cauſa promotis, dyſenteriiſque quoque, & cęliacis paſſionibus: fateturque deinde comminuere lienem, quod peculiari eius a tota ſubſtantia facultate potiùs tribuendum, quam temperamenti viribus, ait ſtomachi doloribus, veſicæque ſummopere conducere, dummodo, ut opinor, cauſam calidam agnoſcant. Alopeciis quoque mederi aſſerit impoſitam cum pice; & quod vim eiuſdem plantæ temperamenti confirmat, habet, potam radicẽ non tãtùm venerea inſomnia arcere, ſed pluries adhibito eius uſu ita languidam Venerem reddere, ut genitale arrigi minimè queat, quod etiam Nymphææ ſemen efficere docet, Lib.3.c.148

habet mulieribus immoderatos fluxus cohibere, ſi præſertim albi floris radice utamur; magis enim eas ſiſtit, quam ruffa. ſunt qui commendent, & præſertim Arabes ad cordis demulcendas paſſiones; hoc facilè ſuccedere autumauerim, dum cor nimium ex æſtuet, & à vaporibus feruidis opprimitur, quemadmodum exæſtuantibus renibus ſi folia, aut ſupponantur ſupra ſtragula, ubi patiens decumbit, vel trita apponantur; coarceri fatentur inuoluntariatum pollutionum ſymptoma; creditur ſemina ſomnum conciliare. ex Nymphϛæ floribus ſyrupus fit ad calorem in febribus bilioſis, ſitimque extinguendam.

De Vmbilico Veneris.

CAPVT CXLIII.

Cur Veneris umbilicus planta ſit appellata inquiritur; ſtatuitur cum Dioſcoride deſcriptio, & eadem adducitur, & delineatur. Temperamentum & vires recenſentur.

QVemadmodum Vmbilici Veneris planta nomen Vmbilici Latinis ſibi arrogauit à forma proprij folij, quæ umbilicum, quidquid à quibuſdam dicatur, reprehesentat, ſic Veneris pronomen accepiſſe opinandum ab uſibus, quibus forſan ab antiquioribus pollere creditum eſt ad Venerea, non quidem ad robuſtam efficiendam Venerem excitandam, ſeruandamvè, quia temperamento proprio potiùs aduerſatur; ſed forſan quoniam olim ea ipſa tanquam amuletum ad hunc uſum dicatum veteres ſecum deferebant; huiuſmodi namq; remediorum generibus plurimum tribuebant, ut cum amaſijs, vel nullum interciderer iurgium, vel faciliùs ſuccederet amoris redintegratio, ſi fortè diſcordia inter amantes oborirerur, quia plantam vel ex peculiari aſtrorum influxu obtinuiſſe crediderint, vel à tota ſubſtantia, aut à conformationis modò promanaſſe autumauerint. utcumque tamen ſit, ad talia uſurpatam fuiſſe credibile eſt, ac proindè ab uſu ſic denominatam, prout Dioſcorides in calce textus aſſerere videtur, dum ad amatoria uſurpatam ait. nec multum laboro, an folia concavum, an conuexum umbilicum reprehesentare debeant; hæc enim conſideratio nimis leuis eſt, ut circa ipſam enodandam immorari debeam; nec Dioſcorides licet Cotyledon vocet, quod coxendici concavum Græcis ſonat, tamen etiam appellat & ſcytalium à ſcutiforma, & Cymbalium, quæ inſtrumenta umbilico non ſunt diſſimilia, & quod ex Dioſcoridis deſcriptione facilè elicitur, dum folium gerere inquit inſtar acetabuli orbiculatum, & in meditullio leniter cavum, quod ſanè vmbilici formam reprehesentat, & figuræ Cotyledi noſtri, ſiue vmbilici Veneris à Dodonæo in primo loco figurati, apprime congruit, ut in formoſis fœminis, & mediocriter carnoſis obſeruare licet, quibus non elatus eſt Vmbilicus, aut extuberans, ſed leniter cavus; ſecus verò in gracilibus deprehenditur. nec opinandum eſt Latinos huius plantæ denominatores ad aliud alluſiſſe, quam ad humanum vmbilicum; deas enim olim humana forma mortali-

Lib. 4. c. 92.

bus

bus apparuiſſe Veteribus creditum eſt, prout ſexcentis illorum teſtimonijs manifeſtum, præſertim Paridis illius Phrygij in liuidinantium dearum de forma decertantium iudicio ferendo. eſt igitur Vmbilici Veneris elegans plantula, quæ folia in orbem diſpoſita humi ſtrata gerit, rotunda per ambitum, leuiſſimè crenata, ſuccoſa, viridia, in centro ſuo leuiter caua, pediculo breuiſſimo; in foliorum medio caulis dodrantalis erigitur in ſummitate ramulis diſpertitus, in quibus flores emergunt parvuli, albidi. Radix tuberoſa, parua, candida, fibris varijs in ima ſui parte donata. Temperamentum frigidum gerere aſſerit idem Dioſcorides, eſſeque adſtringentis facultatis; non excedit enim ſecundum gradum frigiditatis cum humiditate. Vires ſunt, ex Galeno, abſtergendi, repercutiendi, adſtringendi, & refrigerandi. inflammationibus omnibus occurrit ex propria natura, tam Eryſipelatoſis, quàm phlegmonoſis. trita folia, & impoſita æſtuanti ſtomacho ſummoperè proſunt. à quibuſdam creditur calculos frangi. commendant contuſa folia, cum Dioſcoride, ad ſtrumas, & ad phymoſim, hoc eſt, ad laxanda pudenda, & hydropicis etiam tandem cum mulſa vtiliter adhiberi.

De plantis frigidis cum ſiccitate conuincta, & primo de Seridum generibus.

CAPVT CXLIV.

Frigidæ plantæ in ſecundo gradu cum ſiccitate adducuntur, à Seridum generibus exordium ſumentes, & à cichoreo præſertim. Cichorei genera diſtinguuntur, Cichoreumque eſſe ſilueſtre genus, endiuiam ſatiuum, vtrumque expetitum & pro alimento, vt oleraceum, & pro medicamento. deſcribitur, & diuerſitas à colore floris conſideratur. deſcribitur intubus. vtrorumque conſideratur temperamentum, vires perpenduntur.

DE cichoreo, & intubo, frigidis & humidis plantis in uſum receptis, ſecundum frigiditatis gradum non excedentibus in unum congeſſimus, rudique quadam Minerua Theophraſtum, Dioſcoridemque ſecuti, necnon recentiores Botanicos, eaſdem plantas delineauimus, tum ægrorum utilitati, tum Medicorum commodo ſtudentes, quibus præſertim laborioſum nobiliſſimæ Artis negotium otium non admittit, diligenti indagatione ſingulares earum vires ſcrutari; quæ quidem ex proprij temperamenti conditione, iuxta diuerſorum morborum ingruentiam, diſtinctam collationem deſiderant. modò igitur ad eas plantas explicandas accedimus, quæ cùm non excedant temperamenti ſecundum frigiditatis gradū, ſiccitatem ſibi combinant, à cichoreo exordientes notiſſima planta, quæ cùm ſæpiſſimè in acetariorum uſu recepta veniat, etiam diuerſorum morborum noxios inſultus innoxiè propulſare valet. Non mirum igitur ſi inter excellentiores, & eximiæ exiſtimationis planta connumeretur, nam cùm cunctis oleribus Natura duplicem indiderit uſum, licèt unaquæq; plāta alijs gloriam præripere deſideret, & ea magis exultet, quæ uſus maiores, & crebriores obtinuit; illa tamen, quæ & in cibis expetita eſt, & mor-

bis etiam expellendis efficaciſſima, ad gloriæ faſtigium peruenire fateri neceſſe eſt; inter quas, & inter Seridon genera Cichoreum ſublimius viget, quod utplurimum, cum medicati cibi vires, & munia expleat, ſtomachum tamen in acetariis ſumptum à ciborum varietate, & condituris nauſea affectum ad viuidiora ſua munia reducere valet. Cæterùm Dioſcorides Seridon genera in duo diſpertiri viſus eſt, in cichoreum, quod quaſi ſylueſtre nuncupat, & in ſativum, quæ procul dubio noſtra, & herbariorum endiuia eſt; etenim quæcumque harum plantarum ferè omnibus notiſſima videtur, quia natura eas etiam & ubiq; locorum naſci, & etiam pedibus conculcari paſſa eſt, ne tam neceſſaria humano generi planta ob eui raritatem deficeret, aut cuique deſideranti præſto non eſſet. eſt igitur Cichoreum omnium ferè regionum incola, quamuis ſæpè folio, radice, & floris colore variare videatur; radix enim vel craſſa eſt, vel magis gracilis, aut etiam bulboſa; folium magis, vel minùs amplum, magis vel minùs altè laciniatum, aut etiam ſpinis obſitum, ſi de Gaſtiuida cichoreo ſcil. ſpinoſo cretico loquamur. Flos vel cæruleus ut plurimum, quandoque albus, vel lepidiſſimo carneo colore, vel etiam luteus, ſi Taraxa cum viribus, aut diuerſum ad cichoreorū genera reducamus, ut Seridon numerum cum Recentioribus auctiorem faciamus, quàm quod fuerit temporibus Theophraſti, Dioſcoridis, Plinij, cæterorumque veterum auctorum. eſt igitur utrumque cichoreum planta notiſſima, quæ in febribus præſertim humoralibus ad uſum præcipuè reuocatur, locumque primum inter alterantia obtinere ſolet; nam præterquamquod ratione proprij temperamenti febri ex directo opponitur, multis etiam aliis de cauſis commendabilis euadit, ut inferiùs patebit. Deſcribitur igitur cichoreum, foliis digito latioribus, fimbriatis, longis, anguloſis, & à principio circa radicem ſtratis, ſaturo viridi coloratis, quandoque glabris, ſæpiſſimè tamen aliqua hirſutie donatis; caulis cubitalis, circa quem folia minora, breuiora, minuſq; laciniata per caules, & ramulos diſpoſita. eius cichorei vulgatioris, quod ſpontè ubique naſcitur, flores cærulei ſunt, & quandoque, sed raró, candidi circa ramulorum alas emergentes, multis foliolis compacti, ſolſequij; radix alba, longa, craſſa, quæ non perit, ſed creſcit, & ſecundo anno, detracto lignoſo meditullio, cocta cum ſale, oleo, acetoque condita eſtur, additis etiam paſſulis ad eorum amarorem, quamuis gratum, demulcendum, qui cum aliqua adſtrictione lepidè in planta viget, nihilominus expetitū, & ſtomacho gratum, quemadmodum etiam eius tenerrima folia cruda, & in acetariis recepta eumdem obtinent locum; hinc Horatius ad *frugaliſſimi* cibi ſeriem reſpiciens Ode 31. dicebat.

Me paſcunt oliuæ
Me cichorea leueſque Maluæ.

a. De Cauſis Plant. c. 15. Cæterùm, cùm feris ex Theophraſto (& hortenſis & ſylueſtris ſit, & de ſylueſtri hactenus dixerimus, de hortenſi modò cichoreo agendum eſt, quod duorum generum aſſeritur; primum genus eius eſt, quod folia gerit ad lactucæ accedentia, ſubamara, longa, lata, dilutè viridia, inſupernaque ſui parte leuia; Caulis ſatis elatus, ſtriatus, brachiatus, floribus cæruleis ſylueſtri cichoreo dicto ſimilibus; radice longa, alba; ſemen album. Aliud

verò

verò intubi ſatiui genus folia fert minora, & magis anguſta per oras leuiter crenata; caulem gerit rotundum; flores cæruleos habet; radix alba, longa, ſuccoſa. diſcrepant tamen Auctores recentiores in his plantis deſcribendis, & circa earum differentias plures, immò varias earum oſtendunt diuerſitates, dum inter ſatiuas anguſto folio inſerunt ſcariolam; putant quidem hoc nomen vernaculum à Græco, & à ſeride fluxiſſe, ſic deductum, quia viribus, & temperamento à latifolia endiuia non diſcrepet, ſed admodum adſimilis ſit forma; lis tamen non eſt magni momenti; Verum cùm apud nos utra que ſatiuæ ſpecies notiſſima ſit, cæteras facilè ad eas reducimus, ut fruſtrà ſit tempus in hiſce futilibus conterere. addunt quidem Recentiores intubi ſatiui tertium genus, eius ſcilicet, quæ criſpa folia gerit, & quæ quidem planta à radice ceſpite amplo, & folioſo ſatis propagare ſe nititur. Hoc intubi præſertim genus ab olitoribus aduentante hyeme cabulo, terra, ſtraminibuſque tegitur, cuius modico interiecto temporis ſpatio folia albiſſima euadunt, & tenerrima, quæ cruda cichorei more parata in acetariis auidè ſatis expetitur; nouiſſimè tamen etiam per æſtatem primi, & ſecundi generis endiuia eodem modo paratur. Cæterùm ad temperamentum ſeridon quod attinet, Gal. 8. Simpl. frigidum pronunciat, videtur tamen crediðiſſe non excedere primum gradum frigiditatis; nihilominus experimentum comprobauit ad ſecundi gradus exceſſum deuenire, ſi præſertim de ſatiuo loquamur cichoreo, quod licèt amarum ſit, & partium heterogenearum, partes tamen in eo frigidæ magis præualent, igitur ſub hac temperamenti ratione in calidis iecoris affectibus utiliter uſurpatur. At cùm ſylueſtre cichoreum amarius ſit ſatiuo, minorem etiam frigiditatis menſuram obtinere opinandum eſt, in adſtrictione tamen præpollere; ſic enim ſuccus ſylueſtris cichorei à ſtomacho languido exæſtuantibus hypochondriis faciliùs fertur, quàm intubi. quod genus tamen remedii ſemper cautè uſurpandum eſt; nam ſi ſtomachus ſit valdè imbecillis, & gracilis, ſuccorum frigidorum medelam non ita feliciter recipit; quod obiter dictum ſit in eos, qui nulla habita ratione, & cõſideratione indiſcriminatim huiuſmodi ſuccis utuntur, nimis fidentes in adſtringenti facultate, qua præditum eſt cichoreum; nam in quocumque à natura compoſito ex qualitatibus ingruentibus priùs conſideranda actiua, & vincens, quæ ſemper efficaciùs operatur, & ſic cauendum, ne hæc intentioni noſtræ contraria, vel ſaltem parum proficua ſit.

Seridon igitur genera etiam ex ipſo Dioſcoride refrigerant, & adſtringunt, ob id obſtructionibus etiam reſerandis iecoris utiliſſimam operam ferunt. idem auctor aſſerit alvum ſiſtere, ſi coctum cum aceto ſumatur, & cardiacos affectus ſanare ſubdit, ſi præſertim cor æſtu afficiatur: ſucco ex folijs expreſſo, vel ex radicibus, oculis appoſito eorumdem inflammationes tollere, & ſcorpionum ictibus aduerſari, & podagricis prodeſſe habet; hoc tamen de ſylueſtri verificatur, quod à nobis propriè cichoreum dicitur; verificatur etiam de ſatiuo cichoreo, hoc eſt, de intubo, cùm horum unumquodque ubiq; locorum in uſu reperiatur. ſub hoc interim cenſu cichoreorum veniunt Conſtantinopolitanum, verucoſum, ſtrumoſum, ſpinoſum, creticum, Andriolam maiorem, minoremque, Theſiam, corcolon,

lon,& plura alia genera,quæ vel viribus eum deſcriptis conueniunt, vel ob facultatem languidam iam ſunt ab uſu exploſa, de quibus agere conſultò omiſi, licèt aliqua à cichoreis nomine decidentia in medium proferre in poſterum etiam incongruum non ſit.

De Chondrilla.

CAPVT CXLV.

Chondrillam eſſe è ſeridum generibus affirmatur, cur Chondrilla Græcis ſit appellata, genera eius afferuntur, & vires non diſsimiles à cichoreis habere, vireſque poſsidere affirmatur.

SEridibus ex Recentiorum conſenſu tum forma,tum viribus Chondrilla adſtipulatur,nō ſine Dioſcoridis, & Galeni teſtimonio huius, illius 2.Simpl. verò lib. 2.cap. 126; forſan cautum hoc à rerum Opifice, ne ubi naſci ex aeris conditione cichoreis prohibetur, Chondrillæ locus ſeruaretur, ne humana natura fatiſceret, aut eius inopia premeretur, dum remediorum conſimilium pro ſalute comparanda opus habet. Hæc ſanè planta Græcis Chondrillæ nomen adipiſcitur, à Gummi, quod inſtar maſticis in ramulis colligere ſolet, Condron Græci appellant. Admittitur in ſectarijs non ſecus ac cichoreum, & huius ſtirpis plures ſunt ſpecies; harum aliqua latè turget lactucæ inſtar, omneſque Chondrillæ ex Galeno adſtringentis facultatis ſunt, & cichoreo amariores, quod quidem arguit minus frigiditatis, magiſque ſiccitatis poſſidere. Dioſcorides Chondrillarum genera duo facit, alterum huius folia caulis & flores cichoreis ſimiles ſunt, eſt tamen cichoreo tenuius,circaque ramulos gummi exſudat,Maſtiche ſimile,quod collectum granum fabæ magnitudine non excedit. Alterum verò genus, de quo meminit in calce textus, folio eſt circumroſo, oblongo, & humi ſtrato, caule ità ſucco pleno, ut laticinoſam innuat Chondrillam, afferitque radicem leuem gerere, vegetam, rotundam, flaueſcentem, ſuccoſam. Chondrillarum vires temperamento correſpondere videntur, concoquendi facultatem habent; contuſa enim folia, & appoſita materiam erudam maturant, palpebrarum pilos deficientes reparare ſolent. primi generis Chondrilla ſimiles cichoreis vires gerit, adeòque affectibus, quibus debellandis cichoreum admittitur, exhibetur, quod ſubticuit Dioſco.ne in textu ſuperfluà admitteret. adducit tamē quædam peculiaria,ad quæ chōdrilla dirigitur; habet quod Gummi in linteo concluſum cum Myrrha, & in peſſum ſubditum, menſes aduocat, fierique aſſerit paſtillos cum melle, quibus dilutis, & addito nitro ad vitiligines ſuperandas utiliter adhibitis intentionem adipiſcitur, Gummi verò per ſe ſumptum pilos glutinare, quod etiam de recenti radice verificari fatetur, ſic & ſuccum plantæ exhibitum alvum ſiſtere, & morſibus viperarum aduerſari; ſunt tamen è recentioribus Botanicis, qui utili conatu Chondrillarum ſpecies augent, alias adducentes inter relatas,ut rem herbariam locupletiorem reddant,

De Hieracio.

CAPVT CXLVI.

Cur Hieracium Accipitrina herba appellata ſit adducitur. eius genera deſcribuntur à Dioſc. opiniones variæ perpenduntur, Temperamentum affertur, vires explicantur.

EX temperamenti affinitate potiùs, quam ex propria natura Recentiores Botanici Seridon generibus anneƈtunt, Hieracium, cum ex illorum familia ex veterum teſtimonio minimè ſint. Accipitrinam herbam vocant, quod Accipitres eius urantur ſucco ad acuendam viſus aciem. Hieraciorum duo genera propoſuit Dioſcorides, recentiores verò plura, ſed quæ tamen commodè ad illa Dioſcoridis genera reduci poſſunt, quæ eidem ſunt magnum, & parvum. Magnum deſcribit caule aſpero, ſubrufſo, ſpinoſo, concauo, folijs per interualla rarè laciniatis inſtar Sonchi; addit flores gerere luteos in capilis oblongis. parvum Hieracium habere ait folia diuiſa per interualla, caulicolos gerere teneros, & virentes, à quibus flores emergunt lutei in orbem circinati. Cæterum recentiores Botanici rem totam dubijs implicant; ſunt enim qui pro Hieracio maiori exhibent minus, alij verò contra; Dodonæus duas Hieracij differentias tradit, quæ magis maiori Hieracio Dioſcoridis aſſimilari putat, quorum exhibet Ichonem, reducitque cæteras Hieracij differentias, quas ibi conſiderat, ad parvum eiuſdem Dioſcoridis Hieracium, cuius opinioni, & ego acquieſcendum puto; cum præſertim illa, quæ magnum Hieracium æmulantur, ſonchi quodammodò imaginem repræſentent. Verùm ſi Hieracij temperamentum inquirimus, habet Dioſcorides frigidam obtinere naturam, ſubadſtringendique conditionem poſſidere: Recentiores eidem aſſignant tam frigiditatis, quam ſiccitatis ſecundum gradum. & ad eius vires quod attinet, aſſerit idem Dioſcorides, tum æſtuanti ſtomacho prodeſſe, tum inflammationibus aduerſari, eiuſque ſuccum ventriculi eroſiones mitigare, commendarique ſumptum contra ſcorpionum iƈtus. *Lib. 3. c. 63.*

De Soncho.

CAPVT CXLVII.

Sonchi genera à Dioſcoride recenſita afferuntur; plures ſpecies à Recentioribus cognita deſcribuntur; temperamentum, & vires adducuntur.

SOnchus olus quidem & ipſe eſt, qui cùm folijs tenerrimis emergit, & nondum ſpinis inhorreſcit, crudus inquit Galenus eſtur, huius ex Dioſcoride ſunt duo genera, alterum, ut ipſe ait, agreſte, atque ſpinoſus, alterum verò tenerius, & mollius, quod facit eſculentum; quamuis ſint, qui dicant ſpinas acquirere ſonchum dum adoleſcit; attamen etiam in te- *8. Simpl.* *Lib. 3. c. 159*

nerrimo

nerrimo hæc intuenti attentè differentia facilè apparebit, quemadmodũ inſeneſcente amaror inſignis percipitur; Addit idem Dioſcorides in calce capitis quoddam tertium Sonchi genus tenerum, molle, arboreſcens, & latis folijs, quibus caulis in ramos diſtinguitur, de quo Sonchi genere dubitatum video, an tertium ſeparatum genus conſtituat, an potiùs ſit idem cum Soncho mollis generis, qui hyemis iniuriam effugerit, ut non ſemel ego obſeruaui in locis ab aeris inclementia tutis, ſequenti namque anno duorum cubitorum excreſcit altitudine ramulis hinc indè expanſis. Sunt quoque aliæ ſonchi ſpecies à Recentioribus relatæ, quæ ad recenſita duo genera facilè reducuntur, cum ijſdem viribus prædita ſint, & facie parum diſſimili. maior Sonchus ex Dioſcoride caulem anguloſum gerit inanem, & quadamtenus rubeſcens, folia habet virentia, leuia, lata, per margines altis inciſuris diuiſa, & ſpinis carentia, in cauliculorum ſummo flores producuntur pluribus foliolis luteis conſtantes, quibus decidentibus pappi albi ſubſtituuntur, queis vento diſſolutis, ſubſunt ſemina, oblonga alba, plana, paruula, radice pluribus fibris diffuſa, tota planta candido lacte, leniter turget. Minoris verò Sonchi folia anguſtiora ſunt, nec ita laciniata, ſpinis pungentibus, exilibus per ambitum referta, ſed in cæteris ſuperiori ſoncho ſimilis. Refrigerat Sonchus ex Dioſcoride, & modicè adſtringit. Galenus citato loco ait conſtare Sonchum ex aquea, & terrea ſubſtantia; aſſerit tamen exſiccatum eam ipſam ſubſtantiam aqueam amittere, totumque terreſtrem euadere, & indè caloris portionem aliquam ſibi arrogare. opponit Dioſcorides Sonchum ſtomacho exæſtuanti, & inflãmationibus, ſi folia contuſa illinantur; ſic etiam eiuſdem ſtomachi eroſionibus opitulari, ſcorpionumque ictibus proficuum eſt; lac eius orthopnoicis utile aſſerit, inſuper calculos pellere, oris graueolentiam corrigere cõmanducatum, partus mulierum facilitare cum oleo, lactis abundantiam in mammis excitare, ſi in decoctione bibatur; eodemque modò propinatum ſtrangurijs mederi. habet quoque ſuccum cum oleo in corio punici mali decoctum aurium doloribus prodeſſe, ſic & Plinius ad multa alia commendat. Lib. 1. c. 22.

De Hepatica, ſiue Lichene.

CAPVT CXLVIII.

Nomina ſæpè indita plantis ab earum effectibus aſſeritur: ſic & Licheni deſcribitur. diſquiritur difficultas à Ceſalpino excitata, ſoluitur. Brodæo non aſſentitur, qui Bryon marinum duplex facit, non unum terreſtre, alterum marinum. Temperamentum & vires explicantur.

E Recentioribus plurimi, quemadmodum etiam Veteres ſæpè maluere plantas ab effectu denominare, ob quam cauſam in morbis depellendis inſignem ſibi gloriam vindicarunt, neglectis cæteris nominibus diuerſa alia ratione congruentibus, quod in Lichene non tantum, ſed in infinitis propemodum alijs verificari videtur; ſub qua quidem ratione etiam nobis

nobis quædam planta Hepatica appellatur, quia hepati, eiuſque noxis depellendis proſpiciat. Cæterum Lichenis nomen, quod etiam conſecu-ta eſt à Græcis ad Arabes migranit, quod Lichenibus, quod genus morbi eſt, extimam partem cutis exedentis, & in proximas partes in latum ſe extendentis aduerſaretur. Deſcribit Lichen Dioſcorides dum petris innaſci roſcidis locisque nmbroſis, & humectis tradit, quod ſit planta, quæ *Lib.4.c.53.* foliola craſſa ſpargit, villis minutiſſimis aduerſa parte donata, quibus arctiſſimè loco, ubi naſcitur, ſe alligat, & à petris, quibus iungitur, ſibi alimentum comparat, geratque folia quaſi lactueæ viridia, intenſo tamen magis colore, in extremitate fimbriata inuicem ſibi ſquammatim ſuccedentia, & ita ſe diffundentia, ut ſæpè integros parietes occupent: ſub iiſdem folijs exigui cauliculi procedunt, leuiter, nec amplius quam digiti minimi craſſitie ſe attollentes, in quorum ſummitate flores emergunt ſtellati, herbidique. Cæterum Ceſalpinus difficultatem magni momenti mouet, dum dubitat, an Lichen, quæ nobis in præſenti tali nomine inſignitur, ſit Lichen Dioſcoridis & antiquorum, eò quia Dioſcoridi Brion, ſiue Lichen ſit muſcus capillamentis in unum congeſtis, ſed folio emergat; igitur Lichen, quæ ex Dioſcoride muſcoſa eſt, non erit noſtra Lichen, quæ ex folijs humi repentibus, & exiliſſimis cauliculis tunc componitur. Quod ſi verum eſt, alia planta quærenda, quæ Lichenis Dioſcoridis æquè correſpondeat. Cæterum Ceſalpinum Virum alioquin ſummum in hoc hallucinatum facilè crediderim, cum Dioſcoridis Brion ſit ipſiſſima Lichene, & hepatica noſtra; dum inquit Dioſcorides etiam Brion ab aliquibus denominari Lichen, ergo ex eiuſdem ſententia unum, & idem erit, cum nullo modò muſcus marinus eſſe poſſit; immò Galenus aſſerit neminem in Botanicis ſe diligentiorem Dioſcoride vidiſſe, qui ipſum ferè in omnibus ſe- *7.Simpl.* cutus eſt in deſcriptione Lichenis hæc habet. Lichen, qui in petris naſcitur, eſt (veluti muſcus quidam) ubi non muſcum abſolutè appellat, ſed veluti muſcum ſubdit, ſed rectè ex plantarum genere cenſeri poteſt; deinde paulò poſt habet, Lichenis nomen deſumpſiſſe à Lichenibus, ſeu impetiginibus, quas curare aſſerit. Præterquamquod Dioſcorides diſtinctè vocatum alibi Brion aſſerit capite nonageſimo nono eiuſdem libri, ubi cum Theophraſto, de marino Brio verba habet; ubi non habet ex capillamentis folia componi, quemadmodum de muſco propriè dicto verificatur; ſed roſcidis petris inhæreſcere, veluti muſcus: non apparet tamen per hoc cæteras conditiones muſci poſſidere. Sed quod magis eſt, nec Theophraſtus, dum de muſco loquitur, unicam deſcribit plantam; ſed primò mari- *4.de hiſt.pl. cap.7.* nam, deindè etiam terreſtrem; quam non capillamentis compactam voluit, ſed folia lata habere, prout ipſe ſe explicat verbis; eſt inquit aliud Brion dictum folio coloris herbidi, amplo, nec lactucis diſſimile, rugoſiori tamen, & veluti contracto caret caule, ſed ab uno initio plura huiuſmodi folia exeunt, & rurſus ab alio; ubi idem non marinum, ſed terreſtre Briō indigitat, cui & folia tribuit inuicem naſcentia, unum ſcil. ab alio, ampla, coloris herbidi, non lactucis diſſimilia, rugoſiora tamen, quod verò huiuſmodi Brion à caule dicat, hoc quidem non magnum faceſſit negotium; villi etenim illi, qui ſtatuto anni tempore ex ima folij parte prodeunt, & in-

quorum ſummitate emergit flos exilis,in principio ferè vix apparent,diligentiſſimè ſeruanti, ideò non eſt impoſſibile, vel ipſum cauliculum latuiſſe; cum præſertim illud minimum, quod viſitur, vix caulis nomen mereatur, vel illo tempore Doctiſſimum virum non interfuiſſe, dum Lichen florem emittit, exemplum perhibeat Epimedium deſcriptum à Dioſcoride, quod nec florem, nec caulem gerere aſſerit, licet, & florem, & caulem proferat, qui erumpunt antequam folia emergant, quod etiam de alijs plantis factum video: igitur quemadmodum ex dictis Hepaticam ſiuè Lichenem noſtram à Lichene antiquorum diſſimilem non exiſtimo; ſic opinioni Clariſſimi Brodæi aſſentiri nequeo, dum ait Theophraſtum vnum genus tantummodò Brion conſideraſſe, & marini duo diuerſa genera conſtituiſſe, non maritimum unum, alterum terreſtre, quod noſtra Lichen eſt. Verum ſi temperamentum Hepaticæ, ſiuè Lichenis inquiramus, frigidum proculdubio ſtatuitur ex omnium ferè conſenſu ad ſecundum vſque exceſſum; ſed difficultas conſiſtit in paſſiua qualitate combinanda; plurimi namque Hepaticam humidam eſſe, alij ſiccam exiſtimant. Galenus citato loco ſiccitatem à petra, cui inſideat exhauſiſſe habet, cùm adſtringentis facultatis ſit, quemadmodum ex guſtu percipitur; immò etiam viribus manifeſtum ſit; & licet ex humido loco humidam impensè ſibi alimoniam comparat; nihilominus cùm unaquæque planta hoc idem faciat, quæ ſiccioris ſunt naturæ, propriam ſuam ex accidenti non mutant; quapropter Galeni opinioni adſtipulandum cenſeo, & ſiccam plantam cum frigiditate coniunctam pronunciandam autumo. Cæterùm ſi vires eius perpendamus, habet Dioſcorides Lichen ſanguineas eruptiones ſiſtere; & licet de hoc dubitatum videam; dubium tamen apud me nullum eſt: nam ſi propria ſua natura frigida, & ſicca eſt, cur etiam ex proprij temperamenti conditione hoc obtinere non valet? inflammationibus, & iecoris calidæ intemperiei præclaram opem ferre ex omnium ferè conſenſu conceditur, quod ex temperamenti, conditione efficere valet: obſtructionibus hepatis conducere aſſeritur, quod tamen à frigido promanare nequit, ſed forſan quia abſtergit, & ratione ſiccitatis penetrat, tonumque partis viuificat. affectibus cutaneis utiliter adhibetur, intemperiem calidam iecoris emendat, & præcipuè viſcus iſtud reſpicit, dum deobſtruit, abſtergit, roboratque, & ſic ſanguinem corrigit, & refrigerat, ut cum probus euaſerit ad cutis affectiones corrigendas apta euadat; cum præſertim exuſtos humores, quibus ut plurimum affectus cutanei generantur, emendent. icteriæ quoque idem auctor ſummoperè conducere ait, contuſis folijs, & cum melle exterius illitis. quod ſi obſtructiones iecoris tollit abſtergendo, etiam colorem fœdum abſumere valebit, ſuccurrere tandem aſſerit oris, & linguæ fluxionibus calidis, quod opportunum foret ex temperamenti conditione opinandum.

De Hepatica trifolia herba trinitatis dicta.

CAPVT CXLIX.

Affectibus iecoris aduerſariam trifoliam Hepaticham eſſe aßeritur. deſcribitur temperamentum, & vires aſsignantur.

ALtera planta non minùs iecori utilis, ac ſit ea, quæ modò conſiderata fuit, modò nobis explicanda venit, quamuis à veteribus non deſcripta; deducunt etiam huius plantæ nomen ab effectu, utilitate ſcilicet, quam iecori opitulando præbet, ſic etiam à foliorum furma trifolia appellata eſt. Tripartitum enim folium cohæret unico petiolo, viride in ſuperna parte, in aduerſa verò albicãs, & veluti quibuſdam lituris in rubro commaculatum, vocatur à quibuſdam trifolium aureum; forſan à virium præſtantia. Huius plantæ flos apparente vere è foliorum ſerie ſine caule emergit in extremo teretis cauliculi vertice ſubhirſuti, pallidè rubentis, cæruleus. Septenis ut plurimum foliolis conflatus; ſtaminulis candidis in medio refertus, indo ſemen in capitulo oblongum, aſperum, quaſi cæruleum reconditur. radix numeroſis conſtat fibris nigris, vel ſubrubentibus. aſſignant huic plantæ temperamentum frigidum cum ſiccitate coniunctum, affirmantque eſſe ſatis vegeta adſtrictione præditum, & affirmãt non excedere ſecundum gradum frigiditatis, & ſiccitatis; quibus conditionibus cum prædicta ſit planta, ſummoperè prodeſſe aiunt iecori ex æſtu debilius reddito. Cenſent eſſe ramicibus ſanandis opportunam, & adhibitam in faucium inflammationibus collutione utiliter adhiberi. variat quandoque in florum colore cæruleo, ut plurimum albo, rubello. Lobelius Polyantos hæpaticam trifoliam exhibet, non minùs florum elegantia raram, quam præcocitate ſua in veris prima parte apparitione, qua viridaria per hyemem collapſa aſpectu formoſo ſuo exhilarat, & reficit.

De Burſa Paſtoris.

CAPVT CL.

An Burſa Paſtoris ſit veterum Thlaſpi inquiritur. deſcribitur temperamentum contrauerſum definitur, vires adducuntur.

INdictam veteribus plantam, vel ſaltem ipſis ſub alio nomine cognitã, quod tamen nobis adhuc incompertum eſt, noſtri æui Burſam paſtoris eſſe, non eſt ferè è Botanicis, qui dubitet; quamuis horum plures ad Tlaſpi genera vel reuocent, vel ipſis ſubſtituant; idque conantur probare, quia habeat planta Burſæ paſtoris ſeminum receptaculum tlaſpi ſimilitudinem. Verum cum Tlaſpi ſeminis formam thecam, diſco ſimilem gerãt ex Dioſcoridis verbis, noſtraque burſa paſtoris Thecam marcupiolo non diſſimilem habeat, quæ minimè diſco correſpondeat; non eſt,

cur

cur in eadem identitate multum immoremur; nec quod de tlaſpi veteres habent, ad burſam paſtoris referamus. Eſt igitur ſtirps hæc, quæ paſſim circa vias, & in ruderibus ſponte naſcitur, folijs inſtar erucæ diſſitis, & laciniatis; licet alia huius nominis planta detur, quæ folia integra gerit à radice oblonga & modicè fibroſa ſternuntur circa terram folia, à quibus cauliculi plures, tenues, alati, ſemicubitales, quibus foliola parua, minimè diſſepta in ambitu innituntur, in quorum cacuminibus flores emergũt albi, à quibus indè thecula, ſiue marſupiola triquetra figura, anguloſa, depreſſa emergunt, undè nomen ſibi comparauit, quæ quidem ſemen includunt, flaueſcens. Verum quod humanam oſtendit imbecillitatem, non de gradibus tantum huius plantulæ temperamenti lis eſt; ſed de eiuſdem tota actiua qualitate conſtituenda. ſunt enim inſignes Auctores, qui eius temperamentum frigidum aſſerant; ſunt, qui calidum affirment: prioris opinionis aſſeclæ pro ſe plantæ vires adducunt, quæ citra controuerſiam adſtringentes ſunt, & ſatis quidem validè. Valet enim Burſa paſtoris, quod experimento ſenſato conſtat, ſanguinem ſiſtere, quod effectui caloris tradi nequit; deindè inſipidi guſtus eſt, & tandem nullius odoris; guſtus enim, & odoratus ſummoperè confert ad temperamentum perſcrutandum, quando præſertim Antiquorum auctoritas tanquam fax nobis non præluceat; hoc enim fatebatur, ubi Dioſcoridi noſtro elogium prætexens dicebant. De omni medica materia Dioſcorides quinque libris ſatis ſuperque ſcripſit, à quo tum alia diſces, tum & notas, guſtu, olfactuq; perceptas, quibus medicamenta certiſſimè cognoſci queant. Accedit plantæ ſubſtantia glutinoſa, & emplaſtica, quæ ſanè caloris non eſt indicium; denique, & fluxiones cohibere aſſeritur, & inflammationes reprimere, vulneribuſque tam internis quam externis ſanandis aptiſſimam cenſeri. quæ profectò conditiones à plantæ viribus deſumptæ frigidam temperiem, non calidam arguunt; quamuis ſint, qui dicant non ſolum calidã burſam paſtoris, ſed in tertio gradu calidam cum æquali ſiccitate, & temperamento æqualem eſſe Tlaſpi generibus, à quo virium ſuarum directionem accipiant, eaſque, ratione ſiccitatis adnexæ; quam poſſidere nemo ambigit, exercere valeat. Ego tamen bona pace clariſſimorum virorum rationibus ſuperius relatis adductus frigidam in ſecundo gradu plantam autumo, & in eodem gradu ſiccam; quod ſi aliqua caliditas, ut in compoſitis heterogenearum partium obſeruatur, in ea conſiderari debet hæc in maturo ſemine, quod continet in ſe aliquam acrimoniam; ſecus de tota planta; effectus enim, quos edit, ſunt frigiditatis cum ſiccitate coniuncti, non verò caliditatis: quapropter reponitur non ab re inter vulnerarias plantas, quia non ſolum in vulneribus diducta labia, & hiantia obducit; ſed à vulnere etiam inflammationẽ arcet, & ſanguinem à quacumque parte fluentem ſiſtit, ſiuè per os à pulmonibus, trachea, aſpera arteria, & thoracis partibus, & alijs, ſiue per nares effundatur; ita etiam in dyarrhęis optima cenſetur, & dyſenterijs. Sunt enim, qui dicant trita folia cum aceto ventri appoſita quemcumque ſanguinis fluxum ſiſtere, & eodem modò uſurpata febris tertianæ rigores compeſcere, ita ſuccum mirum in modum proficuum euadere ſi eriſipelatibus illinatur. mirari tamen non deſino, cur

Galen. 1. de antidot.

chimici

chimici inſpecto huius plantæ marſupiolo, in quo ſemen includitur, & caulem undiq; conſimilibus thecis refertum inſtar caducei, Mercurio ſuo plantam ſacram non exiſtimauerint,& ſic metallorum tranſmutationi non adduxerint; immò mercatores fortunatos fore prædixerint, ſi de collo ſuſpenſam eam plantam geſtare antiquorum more non recuſauerint.

De Cyano.

CAPVT CLI.

Cyanum cichoreis non eſſe accenſendum, & cur Hermolai opinio reiecta. non ſtruthium Theophraſti eſſe affirmatur. deſcribitur, temperamentum, & vires afferuntur.

SVnt, qui Cyanum cichoraceis adnumerent, malè tamen meo iudicio, cum neque olus ſit, nec eius plantæ forma cichoreo ſimilis videatur; & licet ſolio inciſo, & florum colore quoquomodo aſſimilari poſſit, nec temperamento longè impari prædita ſit, ac proindè quoquo pacto cichoreo aſſimilari poſſit; nihilominus cum folia gerat quaſi incana, & veluti tomentoſa, in ſtructuraque folia cichoreo non leuiter diſtet, eum non ita facilè cichoreis aſſignauerim. Solus Plinius inter veteres de Cyano locutus eſt, dum eiuſdem flores inter coronarios, ſi Hermolao credimus, reponit, dum Cyanum noſtrum aſſerit eſſe Leucoium floribus cæruleis Dioſcoridis; quod quidem parum ſolida coniectura innititur; quemadmodum etiam non ſatis laudabiliter aſſerunt, qui eſſe ſtruthium Theophraſti credunt, quam potiùs plantam inter acanaceorum genera poſitam video, ac proinde circa cognitionem huius plantæ apud Veteres nihil certi affirmari poſſe crediderim. Cæterum Cyani folia, quæ humi ſtrata videntur à radice prodeunt oblonga capillitio mediocri ſuffulta, folia altis inciſuris diſſecta Erucæ modò, & albicanti virore ſuffuſa, cauliculis angulofis, in quorum ſummitate turbinatum capitulum erigitur paruulum, aſperum, ſquamulis veluti ſibi inuicem ſuccedentibus ad metam vſque compactum, à quo flores tandem emergunt foliolis fimbricatis lepidiſſimo cæruleo coloratis, in quorum meditullio ſtaminula quædam florem complent, ſemen rude, parvulum, figura oblonga, leue, & quod in ſuperiori ſui parte veluti barbulas gerit. Cæterum etiam flos variare ſolet; nam præter cæruleum, quem præcipuè induit colorem, etiam purpureum concipit, atque album quoque pro regionis, aut ſolis varietate. naſcitur communiter inter ſegetes, ſed felicius viſitur in hortis duplicis ſpeciei, maioris ſcil. & minoris; maioris folia maiora ſunt, & magis incana, & flores ferè ſemper cærulei. cæterum communiter Cyanus frigidæ naturæ exiſtimatur, & ad ſecundum frigiditatis gradum, & ſiccitatis ad eamdem menſuram. exiſtimatur oculorum inflammationibus prodeſſe, refrigerat enim exſiccatque, abſtergit quoque, & repellit; adhibetur pro fotu ad inflammationes repellendas. elicita ex Cyano aqua ſtillatitia, vel ex eiuſdem ſucco, & ad eryſipelaceas compeſcendas; traditur cordis affectus emen-

 dare,

dare, palpitationes præſertim eiuſdem, & alijs tanti viſceris noxis, febribuſque peſtilentibus aduerſari, ſub qua ratione cordialem aquam Saxoniæ ingreditur. Exiſtimatur æſtum in febribus compeſcere, putredinique reſiſtere; deobſtruere etiam aiunt, cum neſcio quod amaroris in ſe contineat, ut tantum caloris poſſidere videatur, quantum ipſius penetrationis neceſſarium ſit.in feruoribus iecoris utiliſsima cenſetur planta, eidemque gratiſsima, cum eiuſdem tonum benignè reſpiciat, ſeruetque, & reſtituat, ob id hydropicis etiam utilis.

De Acetoſa recentiorum, ſiue Oxalide.

CAPVT CLII.

Acetoſam recentiorum eſſe quartum Lapathi genus à Dioſcoride deſcriptum aſſeritur, deſcribitur; deſcribitur & ſatiua, perpenditur temperamentum, vires afferuntur.

DOmeſticis oleribus adſcribitur acetoſa, ſiue oxalis, quam Dioſcorides lapathis accenſet, & forſan ab inaniendo nomen lapathi ſibi uſurpauit, cum ex ea commeſta alvus lubrica fiat; oxalis verò vocata non ab acuto folio, prout oxilapathum denominatum ſcio, ſed à ſapore acido quem in ſucco gerit; oxilapathum enim omninò hoc acido ſapore caret, quapropter ſub hac ratione oxilapathum dici nequit. Accipitur à Dioſcoride pro quarto lapathi genere ab eodem deſcripto, quod etiam ſilueſtre dicitur, quamuis modò noſtris ſatiua ſit, & in hortis colatur, *forſan* cultura, & mangonio mollior reddita. Cæterum ſylueſtris oxalis, ſiuè quartum lapathi genus Dioſcoridis eſt plantula illa pratenſis, quæ quidem lapathi folia gerit, molliora, & in ſummo acuminata, in ima verò ſui parte, ubi petiolo annectitur, quaſi lunata eſt atriplicis paulo longiora, caulis dodrantalis ſtriatus rubet, ſemen verò cernitur in folliculis, quemadmodum in cæteris lapathi generibus ſaturo colore rubeſcens, & acutũ; Radix fibroſa, quæ tamen lutea non eſt, prout aliæ lapathorum radices, quæ ſimul cum caule, & folio acido ſucco refertæ ſunt. quæ verò oxalis in hortis ſeritur, oxalide ſylueſtri minor eſt, & folia quoque minora veluti lanceolata, mollia, leuia, ſuccoſa magis, magiſque ſylueſtri acida, & qua medici frequentius utuntur; caules tenelli non admodum à ſylueſtri diſſimiles, ſuccoſi, nec in radice, aut in ſemine diuerſam formam ſeruat. reperiuntur aliæ, præter dictas, differentiæ oxalidis, quarum una candidis, & incanis folijs; altera folijs minoribus, & lanceolatis, tertia radice tuberoſa, quæ omnes differentiæ, aut ſi quæ dantur aliæ, in effectibus non ſunt diſſimiles. Plinius ſuæ oxalidi folia candida betæ aſſignat, vt proinde non benè conueniat cùm oxalide noſtra. Verum Acetoſa, quà nunc paſſim utimur, eſt proculdubio frigido temperamento prædita, & cæteris ſpeciebus magis acida, vt ſecundum gradum frigiditatis obtinere credatur, & totidem ſiccitatis. Galenus qui Acetoſam oxilapathum vocat, *7. Simpl.* eſſe compoſitæ virtutis aſſerit, vt & repercutiat, & digerat, vires tamen huius

huius plantæ longè præpollere frigiditatem oſtendunt; ideò quamuis digerere dicatur, repercutit tamen, & potiùs repercutiendo digerit; nec aquea ſua ſubſtantia, quà præpollet, caloris iura ſe extendere ſinit; quapropter acorem ſuum non à calore, nec digeſtionis cum niſi per accidens obtinere autumo, ut quidam putant; ſed à frigiditate potiùs modò, quo ſuperius conſiderata. refrigerat igitur acetoſa, ob id in febribus ardentibus rationabiliter uſurpatur. Ex eius ſucco in officinis fit ſyrupus, qui in febribus malignis ſummoperè prodeſt; ſuccus ventriculum nimio æſtu laborantem refrigerat, & ſolatur, & nauſeatum refouet, & appetentia alimenti collapſam reſtituit; ſemen verò ex Dioſcoride utiliter bibitur contra Dyſenteriam, commendatur in cœliacis paſſionibus, & ſuccus ictibus ſcorpionum utiliter apponitur. Calidam iecoris intemperiem, obſtructioneſque tollit, ſanguinem expuentibus optimè ſuccurrit; oxalidis radices eodem modo, quo radices lapathi uſurpatæ in aceto decoctæ lepris, impetiginibus, vitiliginibus, ſcabiei, alijſque affectibus cutaneis adhibentur cum fructu, ſed præſertim ad ſcabiem, ſi foliorum ſuccus cum aceto, ſale, & modico ſulphuris viui remiſceatur; immò eò magis iuvare creditur, ſi hæc omnia cum oleo laurino copulentur. Succus aurium, & dentium dolori inſtillatus, aut collutione adhibitus prodeſt; aſſerunt plantæ decoctionem cuti per modum fotus appoſitam obſtructiones eiuſdem tollere, quod ex placitis Galeni elici poteſt, aiunt præterea ſuccum in peſſo ſubditum albas fluxiones mulierum ſanare, & rubras etiam ſiſtere.

De Oxitriphilo, ſiue Trifolio acetoſo.

CAPVT CLIII.

Trifolij acetoſi natura perpenditur differentiæ afferuntur, vires adducuntur cum temperamento.

INter Trifolij genera oxitriphilo, ſiuè trifolio acetoſo à Botanicis locus gratis conceditur ob folij formam, quæ à cæteris trifolij generibus non eſt admodum diſſimilis; quod faciliùs fit ratione temperamenti, & virium conſimilium; quamuis trifolij acetoſi planta ad multa alia etiam commendetur, ad quæ cæteræ trifolij ſpecies non adhibentur. Plinius lib.27.c.12. hanc ipſam plantam ſub nomine ixis deſcripſit his verbis: Ixis folia terna habet, & datur ad ſtomachum diſſolutum; edunt & qui entherocelem habent. Verum huius plantæ duæ ſunt differentiæ à colore floris tantummodò diſtinctæ, quem vel album gerunt, vel luteum, licet frequentiùs luteus inueniatur. eſt igitur acetoſum trifolium humilis planta, quæ in ſiluis, & humectis locis primo erumpente vere vt plurimum naſcitur, cauliculis tenuibus, in quorum ſummitate ſunt folia tenuia dilutè virentia, tripartita, ſapore acido, & ad pediculum, cui innituntur, modicè reflexa, cordis figuram ſingula ſua parte æmulantia; flores à radice inter folia erumpunt quinque foliolis concinnati, utplurimum lutei, quandoque tamen etiam albi; poſt hos capitula pẽtagona emergunt, in quibus exiguum

includitur ſemen colore ruffeſcente, quemadmodum, & ipſius radix ſquamulis veluti contexta rufeſcit. Cæterum circà ſemen etiam aliqua differentia conſtituitur, quia in oxitrifilo floris lutei conceptaculum ſeminis oblongiùs eſt, parvulum, tereſque. Temperamentum huius plantæ frigidum in ſecundo gradu aſſeritur, & in eodem ſicco, pollereque omnia credatur eã, quæ oxalis, ſitim ſedare, & oris ulceribus mederi, illituque ſuo eryſipelatoſis, alijſque inflammationibus prodeſſe. ſunt qui dicant eius ſuccum, aut exſtillatam ex planta aquam corroborare, putredinem arcere, febribus ardentibus, peſtilentibuſque ſummum leuamen afferre.

De Lyſimachia.

CAPVT CLIV.

Ratio nominis Lyſimachiæ diſquiritur, concluditur ſic Theophraſto deſcribitur; genera recenſentur, temperamentum adducitur, vires afferuntur.

LYſimachiam, aut Lyſimachium antiquioribus ſeculis cognitum fuiſſe non eſt, qui dubitet; quãuis nihil de ea ex Theophr. colligi poſſit; ex nomine tamen ipſo manifeſtum euadit, ſiuè eiuſdem etymon ſumamus à Lyſimaco Rege Agatoclis filio, cui debetur eius inuentio, vel ab eiuſdem plantæ facultate, qua pollet, Diſſidia ſcil. inter animalia bruta conciliandi, quam quidem virtutem tam validã in ea cognoſcunt, ut tradant iumẽta ſub eodem iugo poſita, licet feroci odio excandeſcant, inuicemq; ſe laceſſant; lyſimachię tamen fruſtulo eodẽ iugo alligato, iram omnem cohiberi volunt, ſimultateſq; conciliari, quæ nominis utraque ratio Plinium non latuit. & quamuis hæc poſtrema nominis ratio omninò fabuloſa credatur, cum limites virium à natura inditarum in plantis excedere videatur; nihilominus cum ab antiquioribus credulis admiſſa ſit, quamuis non pro vera; attamen pro admiranda ſtirpium qualitate non eſt prætereunda, ut de Baharas, Acmenide, Æthiopide, & ſimilibus plantis. Heſiodo tamen magis ſenſata quidem ratione viſum eſt, nomen acquiſijſſe à Lyſimaco. plantarum namque cura priſcis regibus appropriata cenſebatur, quæ ab inuentore, ſiue cultore deſumere maluere in teſtimonium earum virium efficacium; Dijs enim ſimiles ſe putantes ſi herbarum inuentione humanæ ſaluti proſpicerent. Cæterum ſatis accuratè lyſimachiam deſcribit Dioſcorides; habet enim à radice caules cubitales, & amplius emittere, (Lib. 4. c. 3.) tenues, fruticoſaſque, in quorum geniculis folia prodeant ſalicis ſimilia, adſtringenti guſtu prædita, flos plantæ fuluus eſt, vel potiùs aureus. addit idem auctor in paluſtribus naſci, & ſecùs aquas. Cæterum quamuis hoc ex Dioſcoride non colligatur, plura Lyſimachiæ genera produntur, foliorum, & florum forma, coloreque ſatis diſparia. horum multi purpurei, & ſpiſſati viſuntur, alij cærulei; ſi de lyſimachia galericulata loquamur, folia quoque minora ſunt, rugoſioraque, & magis viridia. Attamen quia à Dioſcoride deſcripta, genuina cenſetur; radices in obliquũ ſerpunt, & ab eadem per ſe, & ſponte ex pluribus particulis adiacentibus

noua

noua planta progerminat, pluribus rubentibus germinibus à terra prodeuntibus; folia gerit circa geniculos ſalicis, aut potiùs perſicariæ, ſed latiora, virore pallido donata, in alarum ſummitate floſeulos producit luteos, frequentes, inodoros, indè ſemen rotundum, parvulum, coryandro æmulum, locis udis frequens, ac in fouearum marginibus. interim Plinius quamuis videatur Lyſimachiæ delineationem à Dioſcoride deſumpſiſſe, tribuit tamen ipſi plantæ flores colore purpureo, & odoratos; quo dicto anſam præbuit inueſtigandi Lyſimachiam purpureorum florum odoratorum. & licet in pſeudo Lyſimachia à diuerſis auctoribus delineata flores ſint purpurei, nec vires ab alijs admodum diſſimiles, attamen is odor reperiri non potuit, niſi de illo teterrimo loquamur, quo in ſuffitu ex lyſimachia tradit Dioſcorides ſerpentes fugari, ut non niſi optimo iure ſuſpicemur Plinium codicem Dioſcoridis in hac parte corruptum inueniſſe, vel ipſum ſuum ſcriptorum incuria deficientem. Lyſimachiæ interim aſſignatur temperamentum frigidum, & ſiccum à Galeno in gradu ſecundo, qui eidem adſtrictoriam aſſignat qualitatem ſuperantem, quod à Dioſcoride accepiſſe conſtat, quemadmodum etiam ab effectu; ait enim pollere lyſimachiam ad ſanguinis reiectiones, & ad dyſenteriæ incommoda, ſi ſuccus aſſumatur in potu, aut infundatur in clyſtere; habet deinde in peſſum adhibitum fluorem muliebrem ſiſtere, & è naribus ſanguinis profluvium compeſcere; habet quoque eſſe vulnerariam, quod ſanguinem fluentem ſupprimat, & partem ad inflammationem properantem repellendo corroboret. Addit in ſuffitu acerrimum nidorem exhalare, quo ſerpentes abigantur, muſcaſque tandem necare, quæ quidem omnia habet etiam cum Galeno Plinius. 7. Simpl.

De Symphyto, ſiue de Conſolida maiori, & minori.

CAPVT CLV.

Symphyti genera cum Dioſcor. conſiderantur. difficultas de colore florum in Symphyto aſsignato ab eodem, ſoluitur. Deſcribitur: temperamentum ſtatuitur, vires expenduntur.

SYmphyta Græcis nota, & deſcripta à Dioſcoride, & Galeno, & in magno uſu habita, internis, & externis præcipuè vulneribus conſolidandis, ideò Latini conſolidas vocant ab effectu, in continui videlicet ſolutione. Recentiores Symphytum diuiſere in maius, & minus, quamuis Dioſcorides præterquam de petræo ſymphyto, de quo locutus eſt capite nono eiuſdem libri; quod quidem an apud nos ſit, controuerſum video; de alio ſymphyti genere non eſt locutus, niſi de maiori ſymphyto cap. 10. Sunt qui addant ſymphytum maculoſum, pulmonaria m ſcilicet vocatum; nihilominus quamuis hæc planta à ſymphyto viribus non admodum differat; tamen quia putatur ſpecificè pulmonibus opitulari, ob hanc ipſam cauſam pulmonariæ potiùs nomen ſibi magis proprium aſſumpſit. Deſcribit ſymphytum ſatis clarè Dioſcorides ut noſtrum 8. Simpl. Lib. 4. c. 10.

ſtrum ſymphytum non eſſe ſuum diffiteri incongruum ſit. vnica tamen ſoluenda circà hoc remanet difficultas, quia idem Dioſcorides ſuo ſymphyto flores luteos aſſignat; in noſtro verò ſymphyto maiori flores albos cernimus, & in minori purpuraſcentes. ſed cùm iam à Botanicis viris magni nominis ſymphytum maius etiam floribus luteis repertum ſit, quod cæteris etiam notis maiori Dioſcoridis ſymphyto correſpondeat; difficultas facilè ſoluitur. Pullulat Dioſcoridis ſymphytum, & maius noſtrum à radice craſſa, longa, exteriùs nigra, interiùs alba, ſucco glutinoſo inſtar altheæ plena, folijs amplis, longis, latis, pungenti hirſutie conueſtitis, quæ tactu ſolo inſtar borraginis ſua aſperitate pruriginem excitat; caules inde erumpunt anguloſi, bicubitales, & ampliùs, craſſi, hirſuti, & inſtar ſonci caui: per caulis verò interſtitia folia minora, anguſtiora, hirſuta, oblonga bugloſſo ſimilia, & ab alarum prominentijs circà caulem ramuli emergunt, in quorum ſummitate flores albidi erumpunt, è quibus ſemen nigrum. radix interim, ut dictum eſt, ſucco glutinoſo ſcatet, qui præcipuum habet in medicina uſum; Minor verò conſolida ijſdem ferè folijs emergit, à radice intus alba, foris nigra, cuius appendicibus annectuntur quædam veluti tubercula; folia colore, & forma maiori conſolidæ ſimilia, minora tamen, & æquè hirſuta; caules anguloſi, caui, hirſuti, breuiores, ſed in reliquis maioris ſimiles. ſic & flores non abſimiles, ſunt tamen colore purpuraſcentes, nec diſſimilia ſemina. uniuſcuiuſque ſymphyti radix diutinè viget, quamuis folia, & caules per hyemem marceſcant; Cæterum ad temperamentum quod attinet, in utroque genere ſymphyti idem tribuitur. Sunt qui calidum putant, & ſiccum in exceſſu; immò ſunt etiam qui aſſerant radices acrimoniam habere, & ſic indicium eliciant maniſeſtioris caliditatis; nos tamen ſemper inſipidam, & aquoſi ſaporis obſeruauimus. ait Galenus qualitates paſſiuas habere compoſitas, nt utriuſque qualitatis particeps ſit. quomodocumque tamen res ſit, effectus ſymphyti ſunt frigiditatis cum ſiccitate coniunctæ, ut indè mihi ſatis perſuaſum ſit temperamentum frigidum obtinere, nec longè à ſecundo gradu, & fateor quidem cum Galeno glutinoſam humiditatem poſſidere, ſiccitatem tamen præpollere, ut ab effectu conſtat; autumo, & ſic in paſſiuis quidem compoſitam ex utraque qualitate temperiem gerere, præpollente tamen ſiccitate; in actiuis tamen frigiditas longè contrariam ſuperat qualitatem. Trita radix recentia vulnera impoſita, vel contuſa glutinat; hanc miram qualitatem maniſeſtant carnes, dum crudas in minima fruſtula contusa decoquunt cum symphyto, priſtinam unitatem acquirere aſſerunt; ſanguinem ſiſtit à vulneribus fluentem, & repellendo inflammationes cohibet; recentes enterocelas appoſita ſanat, ſputum ſanguinis ſiſtit, tuſſim ſedat, ulceribus pulmonum opitulatur; paratus ex radice syrupus febrium fætuorem demit, & ad ulcera renum commendatur, fæminarum ſuperfluos ſupprimit menſes, & ſummoperè conducit ad hæmorrhoidales fluxus, ſedisque inflammationes, internis viſcerum vulneribus, ulceribusque, & contuſionibus mirè, & ſalubriter proſpicit; & in potionibus vulnerarijs primas obtinet partes.

De Cauda Equina herbariorum.

CAPVT CLVI.

Equiſeti ex Dioſcor. duo genera, quorum alterum equiſeto noſtro non conuenire aſſeritur, cur planta pratis vituperata a Plinio deſcribitur, equiſeta ſcandentia ignota nobis, temperamentum, & vires produntur.

QVod à Latinis equiſetum, & ab herbarijs cauda equina à foliorum ſtructura equorum caudæ ſimili, appellatur. Dioſcoridi, & Plinio hippuris dicitur. eſt enim inquit Plinius, pilus terræ equinæ ſetæ ſimilis, & eſſe vituperatam plantam pratis ait; quia ſi cæteris herbis admiſceatur pro iumentis alendis, quibus fœnum laudabile fieri ſolet, id ipſum ingratum, & noxium reddit, aſpero namque folio eſt, & palato equorum ingratiſſima planta. Cæterum duas equiſeti, ſiue hippuri differentias enumerat Dioſcorides, & quidem duobus diſtinctis capitibus, quarum prima controuerſa, & ex eiuſdem Dioſcoridis textu difficultas elicitur; vix enim eadem planta ibidem deſcripta cum equiſeto noſtro congruere poteſt; ſecunda verò differentia ab eodem allata facilè cum noſtris conuenit, quamuis & à Lobellio, & à Dodonæo, aliiſque celeberrimis auctoribus plures ſpecies ſubalternæ prodantur. Cæterum equiſetum planta eſt, cuius folia exigua ſunt, & veluti iuncea, item, & ſcabra, quæ caulem conueſtiunt virides pilos oblongos, quaſi (inquit) Plinius equorum caudam æmulantes; caulis nodoſus, geniculis varijs pyxidatim, per ſingula genicula coniunctis, veluti unum in altero, circa genicula folia emergunt in orbem diffuſa. Caulis ſimplex eſt, rectus, concauus, circa quem differentia quædam emanat, cùm quoddam equiſeti genus in cacumine caulis ferat capitulum oblongum, in quo granula nigra, aſperaque reperiuntur; aliud verò equiſetum fructum non fert. differt etiam caulium color, quorumdam enim viridis eſt, aut rubeſcens; in aliquibus verò candidus, & aliqua parte nigreſcens, in aruis & uliginoſis frequens. Verum equiſeta ſcandentia, ut ingenuè fatear, in noſtris hiſce regionibus nondum obſeruaui; quod ſi datur, erit prima Dioſcoridis equiſeti differentia. Huius herbulæ, inquit Plinius, vires ſunt admirabiles, valenter enim, Dioſcoride etiam teſte, adſtringere valet, & agglutinare; huic plantæ citra controuerſiam video aſſignatum pro temperamento ſecundum exceſſum frigiditatis cum conſimili gradu ſiccitatis. quare ſub eadem ratione Dioſcorides dyſentericis opitulari habet, & profluuia narium ſanguinis ſiſtere: amplificat Plinius, & idem fieri aſſerit ſolo plantæ tactu. interim Dioſcorides tradit cruenta vulnera glutinare, ſi contuſa folia applicentur; urinam ciere, & radices cum folijs tuſſientibus orthopnicis ſuccurrere, ructuſque; hoc de planta mirum habet, ſed potiùs ex aliorum relatione habere profitetur; ex foliorum decoctione in aqua, diuiſa etiam inteſtina, & diſciſſam veſicam reſtitui, & agglutinari; Enteroceles etiam ad vnionem integram deducere; habet Plinius eadem decoctione integrè

Lib. 26. c. 13. 4. cap. 47.

grè

grè curſorum lienem abſumi, ut valentius in curſu metam attingere valeant, aſſerit etiam iſchiadicis prodeſſe.

De Polygono mare, & fœmina, ſiue Centinodia, aut ſanguinăria.

CAPVT CLVII.

Cur Polygonum à veteribus planta hæc appellata ſit, & cur ſanguinaria à Celſo, & Columella. Iiſdem ſummo pretio habitam aſſeritur cum Plinio. Deſcribitur utrumque Polygoni genus. temperamentum ſtatuitur, vires explicantur.

LIcet differentiſſimà facies polygoni maris ſit à polygono fœmina, quorum diſtinctis capitibus hiſtoriam tradidit Dioſcorides; *nihilominus* de utroque polygono mari, & fœmina unico in loco paucula adducemus, utramque plantam unico hoc capite coniungentes; quia licet polygonum fœmina ex Dioſcoridis monitu inefficacius operetur; utrumque tamen polygonum ſimili temperamento eſt, vireſque non diſſimiles, licet fœminæ aliquanto inefficaciores. Polygonum dictum putant à feminis copia, prout à ſanguine ſiſtendo ſanguinaria, ſic eam vocat Celſus, & Columella; ita etiam Centinodia appellatur à frequentia genieulorum, quibus, licet ſerpat graminis more, nec ab humo attollatur; tamen cauliculi conſtituuntur. Huic plantæ tanta exiſtimatio à veteribus tributa eſt, inquit Plinius, ut nulla alia planta ab illis copioſius arida ſeruaretur ob miras, quas obtinet facultates, quas ferè innumeras enumerat idem *Plinius*. Polygonum igitur mas ex Dioſcoride exiles, & teneros cauliculos habet, flexibiles, numeroſos iunco ſimiles, quamuis humi proſerpat; ſingula folia iuxta genicula producit rutæ hyperieoidi ſimilia, molliora tamen magis longa, anguſtiora, quaſi lingula. è geniculis floſculi exigui emergunt in rubro palleſcentes, quibus ſemen ſubeſt copioſum, minutum, & triangulare. Radix tenuis, fibroſa, longa. Polygonum vero fœmina ad formam quod attinet, nihil habet commune cum mare, cùm *potiùs* equiſetum æmuletur; nam à radice articulata, quæ in latum ſerpit, cauliculos producit leues, inanes, rectos, cubitales, ab immò vſque ad ſummum caulis per interualla, & circà genicula rantum, quibus *componitur*; foliola producit anguſtiſſima, piceæ inſtar, viridia, in orbem expanſa; naſcitur ut plurimum in aquis, & irriguis; femineque, *& floribus* variat etiam à polygono mare; quæ tamen planta, niſi magno ingruente æſtu viſitur, & quæ etiam citò contabeſcit; utriuſque plantæ polygoni temperamentum ſimile eſt; tradunt enim obtinere ſecundum tam frigiditatis, quam ſiccitatis gradum: vires habet adſtringendi validè, Dioſcoride teſte, & refrigerandi, quod ſuccum præſtare ait. idem auctor polygonum commendat in cruentis expuitionibus, & alui fluxibus, cholericiſque quoque affectibus, & ſtranguriæ quidem; validè enim urinam *ciet*, inquit, ſeroſitates cogendo, augendoque id operari opinandum; habet inſuper, & morſibus venenatis ſuccurrere, & per circuitus recurrentes febres

Lib.11.cap. vltim. 6. De re ruſtica cap.12.

Lib.27.cap. 121.

bres ſuperare, dummodò una hora antè acceſſionem exhibeatur. cohibet fluxus muliebres ſuccus in peſſo ſubditus cum lana, idem tamen operatur etiam iniectione. auribus dolentibus, vel purulentis inſtillatus prodeſt. conducit ad genitalium ulcera cum vino, & melle deuoratus. commendat folia utilia eſſe exæſtuanti ſtomacho, & eiuſdem reiectionibus, ſtrangurijs, eryſipelatibus utile, ſic & herpetibus cohibendis, ſiſtendiſque recentibus, demendis tuberculis erumpentibus, & inflammationibus quoque illitus opitulatur, vulneribus etiam recenter inflictis. plures polygoni differentias Recentiores exhibent, vidit tantummodò duas Dioſcorides, & deſcripſit; Plinius plures, quàm duas, nam tertium genus facit, quod ad iſchiadicos commendat, immò addit etiam quartum, de quo mira habet, dum coronam ex huiuſmodi polygono factam dolorem capitis arcere, & collo alligatam plantam epiphoras ſanare.

De Quercu.

CAPVT CLVIII.

Quercus ex Antiquioribus mira utilitas & exiſtimatio explicatur. à Dijs ad homines Coronarum ex ea uſum transijſſe. ad quot genera nomen commune ſit adducitur, deſcribitur. Temperamentum definitur, vires adducuntur.

HActenus de humilioribus plantis frigidum temperamentum obtinentibus in ſecundo gradu, iunctum cum ſiccitate; nunc arbores eiuſdem temperamenti contemplandæ veniunt, ut etiam ipſæ vires ſuas humano generi gratis conferant. præmittemus quercum, à qua primum alimentum quondam mortales deſumpſiſſe plurimi credidere ab Arcadibus ſuaſi. Eſt igitur quercus procera longæuaque planta, ſic Virgilius eam vocat 4. *Aeneid.*

Annoſam valido cum robore quercum,

dum

Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras,
Æthereas tantum radices ad Tartara mittit.

Eſt quidem Quercus multi uſus, & neceſſarijſſimi, cùm etiam ad Medicinam complendam dicata ſit; huius ſanè arboris apud Antiquos veneratio ſumma, cùm etiam diuinos honores Dodona ſylua adepta ſit; in hominum tamen utilitatem, quorum tempora quernis coronis præcingi, & gloriam, poſtſecuta ætas deſtinauit, ceſsit; & ſic quod Dijs tantummodò antiquitùs debebatur, humanum genus ſibi uſurpauit. Cæterùm ex quercu utilitatem ſummam hauſit humana ſolertia, cùm ad conſtruendas Caſas, quibus rigidi boreę inſultus & ferarum inſidias euitarent, tum nauigijs texendis; ut quercus ipſa etiam ſuffoſſa, fluctibus, & flatibus impulſa, utiliſſima euaſerit, cuius poſtremi egregij operis præſtantiæ Argo ipſa loquax, celebre teſtimonium perhibeat; nec minor ex ea utilitas percipitur concepto in ſe luculento igne ad frigora per hyemem arcenda. Cæterùm quod pretioſiſſimum, & expetitiſſimum eſt noſtræ ſaluti etiam ſeruandæ, reſti-

tuendæque manum efficacem porrigit. Interim quercus nomen videtur omnibus glandiferis arboribus eſſe commune; differentiæ tamen præcipuæ ad ſex à Plinio reducuntur; ad quercum ſic propriè dictam, ad robur deindè, eſulum tertio ſiue ſagum, cerrum quarto, ilicem quinto, & ſuber poſtremo. immò plures recenſitarum differentiarum ab auctoribus referuntur, quæ tamen commodè ad prædictas referri poſſunt. Deſcribitur à Dioſcor. quercus, quæ quidem etiam delineatio ex pluribus locis Theophraſti colligi poteſt; quod ſit procera arbor elata, & in latum expanſa, brachijs intortis faſtigium ſuum componentibus, craſſo caudice materia ligni dura, denſa, robuſta ad flavum vergens, cortice aſpero, & ſatis craſſo, ſub quo immediatè ſecundus quidam cortex reperitur membranaceus, ruffus, qui præcipuè ad uſum medicum inſeruit, & qui lignoſam partem contegit. folia ex Dioſcoride Chamædrys, aut Betonicæ viridia, leuia, duriuſcula, per ambitum ſinuata, leuiter crenata; aduerſa verò parte albeſcentia interſtitijs aliquot diuiſa. glandes fert loco fructus oblongas, breuiores fago, non tamen ut fago dulces, leui membrana, fulua, dura, contectas; interius medulla tegitur inſtar auellanæ, altera membranula rugoſa, fulua, medullæ auellanæ inſtar. Verum præter glandes quercus ipſa etiam gallas producit, quas de eſſentia naturæ ſuæ vegetatricis eſſe non putatur, ſed quid monſtroſum creditur. Cæterum in temperamento quercui aſſignando diſſident inter ſe auctores; Galenus enim adſtringentem vim ſatis validam obtinere aſſerit naturam quercus, tamen eſſe tepidiuſculam; hinc ſtatuendum veniret eſſe temperatam in actiuis; ex effectibus tamen videtur ſtatuendum eſſe frigidæ naturæ potiùs, cum non leui ſiccitate. Aliqua difficultas eſt in temperamento fructus, cui aliquis ineſt amaror; nam ſi de ſecundo cortice, qua tegitur plantæ caro loquamur; materiam plantæ frigidiuſculam eſſe exiſtimo, folia verò tenerrima, cum Prauotio frigida in ſecundo gradu, & ſicca in tertio conſtituenda veniunt; ac proinde magis fauendum eſt auctoritati Auicennæ, quam aliorum auctorum; qui quidem auctor quercum frigidam & ſiccam abſolutè pronunciat; membranam verò illam, ſiuè ſecundum corticem, qui immediatè ligneam plantæ ſubſtantiam conuertit, magis adſtringere, quemadmodum etiam cuticulam rugoſam, quæ fructus medullam ſub membrana tegit. Si vires igitur quercus perpendamus, quemadmodum tenerrima folia utiliter exhibentur in potu ad ſiſtendum ſanguinem per vomitū, ſi excernatur, aut per inteſtina; ſic fluxionibus contumacibus, & cœliacis, & lientericis quoque. Ex his quoque euadit utiliſſima ſic in clyſtere, ut in peſſo excepta; ſuccoſa decoctio ad profluvia muliebria commendatur; adhibet Hippocrates ad uterinas præfocationes coercendas, præſcribitque phlegmonis, alijſque inflammationibus loco affecto in principio inſtar cataplaſmatis uſurpata; vulneribus glutinandis, ſiſtendoque ſanguinem medius ille cortex præſentaneum remedium euadit; glandium eſu, aut exhibito earum puluere urinam cieri experimento comprobatum eſt. tradunt valere contra venena, & febres peſtilentes; immò ex tenellis folijs deſtillatas aquas ad calculos imminuendos uſurpant; ſic ad iecoris inflammationes valere, & veneni vim eludere, & ſuperare, ſitimque in

Lib. 3. cap. 109. *Lib. de hiſt. plantar.* *8. Simpl.* *Lib. de morbis mulier.* *Lib. de affec.*

æſtibus

æſtibus magnis ſedare, aquam ex quercu elicitam. Ad contumacem ſcabiem cõmendant; ſed præſertim ea aqua, quæ inueniri ſolet in cauitatibus quercuum putridarum, igni ſacro conducit, ſi infuſa folia in aqua, & aceto applicentur, quæ etiam puſtulis opitulari aſſeritur, immò Plinius habet ex quercu factos carbones carbunculorum remedium eſſe; tunicæ internæ portio, tenella folia, & immaturæ glandes ſi in decoctione uſurpentur aliquo dierum ſpatio, ſiſtunt omnes fluxiones, ut etiam gonorrhææ antiquatæ ſummopere proſint; ſcorpionum ictibus, ſerpentum morſibus, cantharidarumque venenis è quercu remedia elicita utiliſſima exiſtimantur, ſi opportunè exhibeantur. Cortex glandis puluerizatus ad vermes puerorum utiliter adhibetur: exhibet Galenus lac ad ventriculi dolorem, in quo carbo ex quercu factus extinctus ſit, ex tuſis glandibus oleum etiam ad lucernas utile extrahi poteſt. *Lib. de remedijs paratu facilibus.*

De Pomis, piriſque ſylueſtribus.

CAPVT CLIX.

Pomorum, Pirorumque ſilueſtrium natura ſumariè conſideratur.

POma ſatiua, piraque quamuis frigido temperamento ſint, cùm humiditatem adnexam habeant, pro eorum explicatione præſentem locum non occupant. opportunè tamen hìc ad medicum quod attinet uſum conſideranda veniunt ſylueſtria tam poma, quam pira, quæ frigidum, & ſiccum temperamentum habent, licet à ſatiuis ſolo guſtu, & temperamẽti conditione diſcrepare videantur; adſtringunt enim validè, quod ſatiuis non competit, quæ humiditatem cum frigiditate iungunt; at ſylueſtria loco humiditatis, ſiccitatem ſibi aſciſcunt; ſunt valdè auſtera, cum modica dulcedine, quapropter in omnibus morbis, in quibus valida adſtrictione opus ſit, horum ſuccus utiliter pro opportuno medicamento uſurpari poterit.

De Sorbo.

CAPVT CLX.

Deſcribitur Sorbum; afferuntur ex Plinio, & Theophraſto genera; temperamentum adducitur; vires examinantur.

INter arbores, quarum fructus non leuiter adſtringunt, connumeratur Sorbum, planta quidem, quæ proceritate ſua non inter infimas, ſed conſpicuas eſt collocanda. Theophraſtus arborem magnitudine, & rectitudine præſtantem eſſe ſcribit; ſua namque ſeſe eleuat faſtigioſa rotunditate, nec vertice tamen caret, dum arbor iuuencula eſt, truncus, & rami cortice leui teguntur dilutè flauo; dum verò annoſa fit, nigro, & ſcabro: materia ligni robuſta, nodoſa, colorata; rami ſatis recti, multiplicibus folijs unico petiolo coniugat ita diſpoſitis. poſtrema in petioli ſummitate

te ſolitaria remanente ornantur, prolixis, lauri proximis, breuioribus tamen, & tenuioribus per ambitum leuiter ſerratis, non mucronatis, ſed potiùs ouali forma productis, neruoſo pediculo innexis; flores candidi in ſummo quidem petiolo racematim prodeuntes, quibus ſuccedunt poma malorum inſtar colorata, colore ſcil. flauo, aliqua parte rubente, forma piri, fructus ſæpè inter ſe differre obſeruatur; nam vel ouali forma ſunt, vel orbiculari; poſtremi odoratiores euadunt; ſed ſi ad maturitatē perducti ſint, ſucco dulci ſubauſtero imbuuntur; quod ſi immaturè decerpantur, tanta auſteritate præditi ſunt, ut comeſti fauces comprimendo ſtrangulent: ſemen intus reconditur quemadmodum in malis ſatiuis, aut piris in quodam cauo membranulis diſtincto; arbor tota vaſtis radicibus innititur, non admodum tamen diffuſis, ſed profundis: huius duo genera obſeruarunt Botanici, fructiferum unum, quod fœminam appellarunt, alterum mas ſterile; quamuis multi ſterilitatis cauſam referant ad locum, ubi moratur; nam ſi in apricis, aridiſque locis naſcatur, & per conſequens etiam calidis (amat enim loca humecta, & frigida) haud fructum fert. Plinius, quod accepit à Theophraſto, quatuor ſorbi genera enumerat, quorum unum diſtinguit ſcil. in mali rotunditate, aliud verò piri formæ turbinatum fructum gerit; addit ouatam deinde mali ſui tertij generis faciem inſpectari, tandem ſorbum torminale vocat, & differens à fructus forma, quemadmodum hæc genera omnia inter ſe diſtingui ſolent, nam acidi, vel minus odorati, quem ſaporem ouatis tribuit; vel rotundi, quibus, & odor, & guſtus ſuauitas; vel tandem ſapore vinoſo præditi apparent, prout in tertio genere; ſicut differentes fructus forma, ita vult etiam ſapore ab alijs quodam modo diſtingui: torminale verò ſorbum elatior arbor eſt, folio platani, ſed breuiore, anguloſo, unico pediculo inſerto, flores ſimiles cæteris ſorbi generibus; in hoc verò differt, quia fructus parui ſunt, racematim collecti ruffeſcentes, & qui, dum ad maturitatem peruenere, intus oſſicula bina includunt inuicem coherentia, quaſi ſeminis conceptabulum, in quibus totidem ſemina etiam latitant; Torminaleque ait idem auctor denominari ſorbum, quia torminibus aduerſetur, ſunt qui torminale ſorbum Crategono Theophraſti aſſimilent; immò unū etiam & idem eſſe ſuſpicentur. Cæterùm ſi ſorbi temperamentum inquiramus, aſſerit Dioſcorides, adſtringentem validam facultatem gerere, ſic habet etiam Galenus, & 8. Simplicium meſpilo æquiparat, ſi immaturus idem conſideretur fructus, nihil eò aſperiùs, aut magis auſterum; maturo tamen ſecundum gradum frigiditatis aſſignat, & tertium ſiccitatis, ſed quo fructus immaturior, eo frigidior cenſetur. Succum alvum ſiſtere traditur, quæ facultas anſam dedit Martiali ſcribendi, dum ſorbum ipſum loquentem inducit, hoſce lepidos verſiculos.

2. De alim. cap. 25.

Sorba ſumus molles nimium durantia ventres;
Apiùs hac puero, quam tibi poma dabis.

Aluinis igitur profluvijs aduerſatur; paratur ex fructibus decoctum ad ſorbendum, proſunt ſtomacho nimis laxo, & dyſentericis opitulantur, vomitum reprimunt, ſanguineaſque fluxiones cohibent, & partes roborant.

De Meſpilis.

CAPVT CLXI.

Meſpilorum deſcriptio. Temperamentum varium variè conſideratum; vires examinantur. deque Meſpilo Aronia.

MEſpilus arbor eſt non admodum procera, & ramis tortuoſis, carnoſis, folijs mali vulgaris, longioribus tamen, & quadamtenus anguſtioribus, duriuſculis, floribuſque albis, foliolis quinque conſtantibus; quibus poma ſuccedunt parte ſuperna rotunda, qua petiolo adhæret, inferna verò concaua, & umbilicata, quam ambiunt in extremo margine quinque folliculi recti inſtar coronæ radiati. pomum carne albida conſtat interius, exterius verò primo viridi, deinde rufeſcente, auſtera, quæ dum ad maturitatem perducitur, dulcis euadit cum eadem auſteritate, ſed mitiori. Galenus meſpilorum qualitates cum ſorbo coniunxit, quamuis dicat guſtus ſuauitatem maiorem in ſorbo, quam in meſpilo reperiri, & minus adſtringere; libroque de attenuante dieta Cap. 10. afferat quod nemo in ſanitate meſpilis utatur, ſed tantummodo quando aluus fluidior fuerit, quod etiam alibi repetit: nobis tamen ad guſtus quod attinet, contrarium videtur, quia meſpila inter bellaria reponuntur, & magis ſapida euadunt dum integram maturitatem adepta ſit, quod quidem in ſorbo mihi deſiderari videtur; ſed de guſtibus diſputandum non eſt. Aſſignant huic fructui Botanici præſertim immaturo vim validam adſtringentem, ſub qua ratione meſpila immatura in officinis uſurpantur pro unguento comitiſſæ concinnando; & validius etiam adſtringunt, ſi inſita fuerint in cydonio malo, aut in ſylueſtri piro, in quo caſu euadunt etiam maiora, ut contra Cardanum obſeruauit Scaligerus in exercitationibus. Temperamentum varium gerit, ſi circa tempus varietatem fructus conſiderauerimus; optimè namque maturum nunquam minus frigidum eſt, & minus exſiccat; immaturis verò fructibus accedit frigiditas, & ſiccitas ad tertium gradum, ſi parum ante maturationem excerpatur; & ſic ſemimaturum frigiditatis ſecundum gradum obtinet, tertium verò ſiccitatis. Commendari ſolent meſpila in malacia, & vomitibus in utero gerentibus ſiſtendis, ſi ante cibum comedantur; ſunt qui laudent ad urinam ciendam: Auic. tamen id negat. ſed quemadmodum oſſiculorum puluis eorumdem pro calculis frangendis, & à renibus expungendis ſummoperè commendatur; ſic eodem modò vel renes roborando, ut validius ſerum trahant, vel ſiccitate ſua compingendo etiam urinam vel ciere valebunt, vel non præſtabunt, utrumque. ſed hoc conſiderandum venit, quod ex ijs elicitum, qui calculoſis oſſiculorum puluerem exhibent; in petroſelini decoctione: igitur multum tribuendum videtur vehiculo, quod pulueri oſſiculorum admiſcetur: in faucium interim inflammationibus collutione prodeſſe aſſerunt. Galenus commendat ſuccum in capitis doloribus à cauſa calida cum roſaceo; tradunt quoque in inſeſſione menſtruorum profluvia ſiſtere;

Lib. de alim. cap. 45.

ſtere; idem tamen operari poteſt exſiccati meſpili pulvis, qui laudatur etiam in ſputo ſanguinis, & dyſenteria. Verum ſub meſpili nomine altera planta conſideranda venit vulgò aſarola vocata, veteribus meſpilus aronia, ſiue epimelides; eſt quidem arbor meſpilo ſimilis, caudice exterius albeſcente, intus flauo, ramis tortuoſa, quadamtenus rigeſcens, ſed minus quam in ſylueſtri aronia meſpilo; miteſcit enim arbor inſitione, & poma maiora edit guſtu non ingrato, ſapido, & dulcacido; folia inquit Dioſcorides mali ſimilia ſunt, quod tamen in noſtra non apparet, quæ apij inſtar per ambitum ſciſſa ſunt, ut habet Theophraſtus; ut ſuſpicandum ſit in Dioſcoridis textu mendum ſubeſſe. fructus petiolo inhæret ex floribus emergens, quibus euaneſcentibus candidis, rotundiſque pomi figuram repræſentat, qui rubent, dum matureſcunt, in ſuperna ſui parte turbinati, in ima verò leuiter compreſſi, ubi adeſt etiam umbilicus; in centro oſſicula dura conduntur tria, in quibus includitur ſeminalis medulla. Temperamentum huius fructus aſſeritur frigidum in ſecundo gradu, in eodem etiam ſiccum; frigidius tamen ſi immaturus ſit. oſſiculorum pulvis, & urinam ciere traditur, & calculos pellere; ſuccus immaturorum validè adſtringit, ob id Dyſentericis opportunus, & in cruentis expuitionibus ſanguini ſiſtendo aptus; alvum ſiſtit, & menſium immodicas fluxiones, cholericis, & inopportunè vomentibus opportunus, ſitim extinguit, ſtomachumque roborare creditur.

De ſylueſtri Pruno.

CAPVT CLXII.

Pruni ſylueſtris uſus ad hortorum tutelam, & ad medicinam faciens examinatur, deſcribitur, temperamentum ſtatuitur.

INter fructices potius, quam inter arbores reponendum eſt ſylueſtris prunus, quem vocat Virgilius in Georgicis ſpinum, dum inquit,

Et ſpinos pruna ferentes.

In ſepimentis potius adhibitus, quam ad alia commendatus, à rei quidem ruſticæ cultoribus ob ſpinas acutiſſimas in hortorum tutelam adhibetur ad ſepes effingendas, quibus aditum prohibent, ne quis inſcio *domino*, aut viridarij cuſtode ingredi poſſit; fructus tamen fert, ſiue potius baccas, quas prunulos vocant ruſtici, auſtero ſapore, & primo tempore coloris viridis, hiſque maturis nigro. Caules plures à radice emergunt nigro cortice contecti, hinc indè ramuli eleuantur ſpinis horreſcentes; flos candidus, ex quo baccæ illæ emergunt nitido cortice contectæ, exigua quidem carne; in qua reconditur oſſiculū oblongū, quod ſemen includit, parvulæ amygdalæ ſimile, fulua membranula contectum; radix gummoſa, & in nodulis intorta, quæ tamen planta mangonio quandoque in pruni ſatiui magnitudinem ſe extollit, & pruna quidem parit, quæ licet parua ſint & rotunda; attamen, & maiora euadunt, & optimum ſaporem nanciſcuntur. Germanici Medici hoc ipſo utuntur pro vera Acacia; prunorum ſylueſtriū

baccæ

baccæ adſtringunt, & alvum nimis laxam cohibent; fructus in decoctione vel radix, aut cortex vini auſteri ad duarum vini partium diminutionem, alui tormina tollunt; cum ſapa conditæ baccæ ſtomachum roborant; ramis ex ſtolonibus huius fruticis quædam rubigo ineſt, lichenis inſtar, quæ condylomatibus, & rhagadibus utiliter adhibetur.

De Malo punica.

CAPVT CLXIII.

Vtiliſſimam lepidamque arborem eſſe malum punicam oſtenditur; deſcribitur balauſtium, non unicum eſſe genus oſtenditur. differentiæ ratione ſaporis fructus aſſignantur. Temperamentum pro diuerſitate ſaporis ſtatuitur, vires produntur.

EſT non minus Punica malus ratione decoroſi fructus ſuſpicienda, quam nobis veneranda noſtræ utilitatis gratia; ita vocata, quia punicis populis familiaris planta fuit, præſertim Carthagineſibus, à qua regione in Beticam translata nomen ſumpſit ſuum, & à granorum fructus multitudine, quæ in fructu ſuo includuntur. Veteribus cognita, nec minus à Poetis celebrata, præſertim in illa Proſerpinæ fabula à Plutone raptæ, quæ ad inferos deducta, cum tria tantummodò grana punici mali guſtaſſet; ad Cererem matrem reditum quadam lege vetitum fuit liberum. quod expreſſit Ouidius his lepidis verſiculis.

Rapta tribus dixit ſoluit ieiunia granis,
Punica, quæ lento cortice poma tegunt.

humilis arbor eſt punica malus, & penè fruticoſi generis, quamuis ſi ſtolones ſæpiùs amputentur, unicuſque caulis relinquatur, in moderatæ magnitudinis arborem etiam aſſurgat. huius caudex intortus eſt, quemadmodum, & rami, qui ſpinis, licet raris, horrent; cortice aſpero albeſcente, intus materia flaua, folijs myrthi, ſed breuioribus, dilutè virentibus, per hyemem deciduis. florem edit puniceum, fructumque in flore fert, qui flos citinus vocatur, & balauſtium; licet balauſtium in duplici genere ſitum ſit, ut importetur, & ſylueſtris mali punici flores, qui citino colore, multiplicique folio in flore omnem ſuam pompam explicant, & in cuius maieſtate terminatur omnis ſua gloria, cum fructum nullum edat: ſecus verò de ſatiuo, in quo calyx, qui ex maiori parte balauſtium componit, ſenſim manifeſtatur, & in pomum ſatis magnum euadit; cuius externus cortex corium flavum modico rubore reſperſum inficit, in ima vaſculi parte umbilicus dentatus viſitur, quaſi in coronam faceſſat; pulpa eius interna alba, in qua innumera ferè inſeruntur grana nitida, viuido rubini colore, anguloſa, ſucco vinaceo, rubicundo repleta. grana membranulis tenuibus albis diſtincta ſunt, per claſſes diuiſa. Verum ſub ſuccoſo illo liquore adeſt oſſiculum pallidum, duriuſculum; liquor ille vinaceus eſt dulcis ſaporis, vel acidi, aut mediam quamdam inter hos conditionem obtinentis; ut ſic ex ſaporis diuerſitate totidem etiam malorum differentiæ reſultent:

ſultent: radix non multum profunda, ſed quæ per terræ ſummitatem ſpargit. huius pomi temperamentum variat pro ſucci differenti conditione; nam dulcia non ſunt ità frigidæ naturæ, acida verò ſecundum gradum frigiditatis complent, & quoque ſiccitatis; ſyluestre verò ſiue balauſtium, propriè dictum magis adſtringit; ex eius namque fructu paratur ſuccus hypociſtidi ſimilis; tota tamen planta frigida, & ſicca eſt, & non modicè adſtringit, ſed ſuccus præſtantior eſt. Ex malo punico paratur alicubi medicamentum, quod bilem flauam purgat, ſi fructus totus cum cortice contundatur, & exprimatur, & ex eo, quod exprimitur, utamur. idem ſuccus ſi coctione denſetur, ad polypos narium ſanandos utiliter adhibetur; abſterſionem namque non leuem acquirit ex amarore corticis, ut fungoſam polypi carnem abſumere valeat. in uniuerſum granati ſuccus refrigerat, & exſiccat, exæſtuanti ſtomacho ſummoperè conducit; & ille fructus, qui dulcem ſuccum affert, pectori amicus eſt, qui acidum, urinam ciet, bilis feruorem compeſcit, ſtomachum roborat, & vomitiones prohibet; ſiſtit aluum ex Ruffo, in ſyncope utilis, & Dyſentericis opitulatur; peculiariter contra leporis marini venenum adhibetur, quemadmodum & ad aranei muris morſum. ſuccus ex fructu dulcis elicitus ſanguinem expuentibus utilis, auſterus verò ſuccus ad fœminarum fluxiones cohibendas opportunus, quemadmodum & eiuſdem fructus cortex cum ægri utilitate adhibetur; ſic & flores commendantur ad hernias puerorum conſolidandas; ſuccus verò acerbus ex toto fructu expreſſus ad ſcorpionum ictus conducit, ad oculorum imbecillitatem arcendam efficax euadit: corticis, aut balauſtium puluis per integrum annum adhibitus, puſtulis, & ulceribus manantibus exſiccandis utiliter apponi tradit Plinius; de balauſtio quædam ſuperſtitioſa habet, quæ apud ipſum videri poterunt.

De Plantagine.

CAPVT CLXIV.

Aſſignantur Plantaginis temperamentum, & vires; Planta deſcribitur, & adducitur nominis ratio.

INter Plantas, quæ ſaluti humanæ ſummoperè conducunt, Plantago eminet, ità forſan à Latinis vocata, ut quidam opinantur, quia lata folij ſui figura plantam pedis æmuletur, ſi de maiori plantaginis genere loquamur, Græcis vocatur ἀρνόγλωσσον, quaſi agninam linguam forraſſis mollitie ſua æmuletur, licèt ad latitudinem, quod attinet, de minori potiùs, quàm de maiori plantagine verificari poſſit, immò & à neruorum per folia diſcurrentium numero, & Trineruia, & Heptaneruia, & Penthaneruia, & Polineruia, & Aneruia vocetur. Dioſcorides plantaginis duo genera facit, maioris ſcil. & minoris: ſub maioris genere tres continentur differentiæ, lati folij, longioris folij, & roſeæ dictæ. deſcribit Dioſcorides latifoliam plantaginem, quam in medicina utiliorem eſſe ait, immò etiam tamquam olus uſurpatam, dum huic caules anguloſos tribuit,

buit, ſubrubros, cubitales, tenui ſemine in exilibus acceptabulis condito, viridibus à medio caule uſque ad verticem, quaſi ſpicam componentibus. radices digitales, craſſiuſculæ, hirſutæ, candidæ. Minorem verò Plantaginem ait eſſe folijs anguſtioribus, ac longioribus, tenuioribus, & leuioribus, minùſque neruoſis, quod ferat cauliculos ad terram propendentes, anguloſos, floribus pallidis in ſpicam conglomeratis, & in ſummo ſemine intus collecto in exiguiſſimis conceptabulis. Non deſcribit Plantaginem roſeam Dioſcorides, quàm in medio foliorum à radice emanantē, quaſi roſam foliolis congeſtam gerit herbido colore, & quæ in reliquis maiori plantagini primo loco deſcriptæ ſimilis eſt. Cæterùm Dioſcorides ait ipſam plantam exſiccatoriam, & adſtringentem vim poſſidere. Recentiores aſſignant eidem ſecundum gradum frigiditatis, immò & ſiccitatis. Galen. 6. Simpl. partes aqueas, & terreas poſſidere ſtatuit, ut in temperamento conſtituendo huic plantæ nulla lis emergat; Verùm plantaginis ex eodem Auctore vires experimento ſenſato, & auctoritate Viri Clariſſimi Dioſcoridis ſcilicet ſunt eximiæ, quamuis ſua copia vileſcat, immò paſſim conculcetur, qua ratione debitum exiſtimationis locum non aſſequitur; cachoetis ſi quidem ulceribus optimè opponitur, & elephantiaſi, alijſque affectibus, qui ab acrimonia humorum, & caliditate, eorumque repentino influxu excitari ſolent, aut inflammationem inducere valent, his enim ſummam utilitatem afferunt in ſtillicidio, fotu, & frequenti ablutione, quod ego ſæpiùs obſeruaui. cohibere habet eruptiones ſanguineas, Nomas, carbunculos, herpeteſque, & obducere cicatrice antiqua ulcera, eamq; obſtinatè renuentia, quãuis chyronia ſint; agglutinareque vulnera, & earum reſpuentia labia. laudat ad morſus canuum, igneque ambuſtis prodeſſe vult; inflammationibus quibuſcumque, & parotidibus quoque; ſic & ſtrumis ſubuenire; & Cęliacis habet more oleris voratam cum ſale, & aceto, & Dyſentericis profiteri, tradit & ſuſpirioſis, leucophlegmatię, & comitialibus morbis opitulari. ſuccum plantæ in collutione adhibitũ oris ulcera ſanare, utilitatemque afferre eryſipelatibus, & fiſtulis; ad aurium dolores, oculorumque inflammationes, ſiſtereque cruorem è gingiuis emanantem: immò opem fert huius plantæ decoctio per clyſterem iniecta Dyſentericis; Tabidis quoque in potu prodeſſe, & vulvæ ſtrangulationibus, ſanguiniſque excreationibus, & alui profluvijs. radix dentium dolorem ſedat, & ad dolorem renum, & veſicæ ulcera conducit.

De Cynogloſſo.

CAPVT CLXV.

Cynogloſſi affertur nominis ratio, & deſcriptio; temperamentum aſſignatur, vires produntur.

QVamuis ſint aliqui, qui cynogloſſo tertium frigiditatis gradum aſſignent, cùm tamen ex guſtu, immò ex effectu vix hoc verificari poſſit, potiùs in ſerie frigidorum in ſecundo gradu ipſam plantam

reponere libuit, quàm in cenſu eorum, quæ in tertio gradu collocata ſunt. igitur Arnogloſſo, Agninæ ſcil. linguæ Cynogloſſum, caninam linguam videlicet, libenter ſubnectimus: Græcis igitur, & Dioſcoridi vocatur Κυνόγλωσσον, quod Latinis canina lingua ſonat ob quamdam ſimilitudinem, quam huius plantæ folia cum huius animalis lingua habere opinati ſunt, quod ſanè nomen etiam Latinis retinet. deſcribit Dioſcorides loc. cit. Cynogloſſum, cuius unicam cognouit ſpeciem, quod folia habet latifolio plantagini ſimilia, minora tamen, breuiora, & anguſtiora, & lanuginoſa, humique ſolijs ſterni, ſed caule vacare; ex ijs enim colligitur partes huius plantæ, flores ſcil. & ſemen, & caulem Dioſcoridem latuiſſe, nec cynogloſſum vidiſſe, niſi antequam caulem emiſerit, in quo non ſemel hallucinatus eſt, ut de Epymedio conſtat, deque Petaſite: ſed, me iudice, idē Author meretur veniam, quoniam Cynogloſſum non caulem, ac ſubinde neç flores, nec ſemen primo anno emittit, ut notauit etiam Dodonæus, in quo forſan anno Cynogloſſum à Dioſcoride obſeruatum fuit. huius plantæ *licèt* unicū genus idem Author cognouerit, Recentiores tamen Cynogloſſum Creticum adiunxere, in totoque planta minor à Dioſcoridis delineatione conſtat. Cæterùm Cynogloſſi folia veluti tenui lanugine ſunt obducta, & tactu mollia, & leuia, lenta, nonnihil albicantia, & in glauco virentia, linguæ canis & magnitudine, & mollitie æmula. cauliculi ſunt cubitales, ſatis exiles, incani, in alas diuiſi, circa verò alarū ordinem digeſti flores puniceum colorem emergunt, & à *floribus* ſingulis ſemina quaterna ſimul cohærentia, hirſuta, lapparum modo veſtibus dum decidunt cohærentia. radix craſſa inſtar ſymphiti. In temperamento huic Cynogloſſo aſſignando variant Auctores: Dodonæus etenim parum à temperie deflectere voluit; alij, inter quos Præuotius frigidum in tertio gradu enūciant, forſan ex eo ſuaſi, quoniam pillulæ de Cynogloſſo, quæ in Pharmacopæis proſtant, ſunt narcotica facultate donatæ. Verùm ſi quis obſeruauerit (eſto) quod tamen dubium eſt, quòd vis narcotica à frigiditate pendeat, compoſitionem pillularum de cynogloſſo à Nicolao deſcriptarum, necnon à Meſue, licèt diuerſo modo deſcriptæ ſint, ut notauit Donzellius, earum narcoticam vim non à Cynogloſſo pendere, ſed à vi *opij*, & ſeminis Iuſquiami, quæ in doſi ſatis magna in pillularum harum maſſam ingrediuntur, quæ cōmendantur ad deſtillationes tenues à capite; ad dolores leniendos, & ad ſomnum conciliandum. Exiſtimo igitur ego *Cynogloſſum*, quamuis viroſo odore ſcateat, ſecundum gradum frigiditatis non ſuperare, & eſſe in æquali ſiccitate. vires ex Dioſcoride *præcipuè* ſunt ambuſtis mederi, & morſibus canum opitulari, quod ſanè poſtremò forſan à tota ſubſtantia promanat, prout à Dodonæo notatum video. Permixtis ſolijs contuſis cum veteri adipe ſuillo tunc uſurpari, & ſic eodem modo adhibitum Alopecijs opitulari. habet plantæ decoctum in vino, & epotum aluum emollire. addunt nonnulli coctas radices eiuſdem plantæ ſub cineribus, & applicitas ſedi, dolores hæmorrhoidum cœcarum lenire. incraſſat Cynogloſſum, & ſiſtit, ſub qua ratione ad cohibendas tenues deſtillationes adhiberi poteſt, ut ex ijs concludendum, in frigiditate temperatam Plantam eſſe nequire, aut paululum à temperie deflectere.

Lib. 12. cap. 129.

De Rubo.

CAPVT CLXVI.

Rubum non à fructu denominationem accepiſſe oſtenditur, deſcribitur, temperamentum ſtatuitur, vires recenſentur.

INter frutices connumeratur Rubus ſpinis acutiſſimis horreſcens, non ſolùm per virgas diſpoſitis, ſed etiam in folio; ità vocatus, quia virgas rubeſcentes à radice emittat, non verò à fructus colore, ut quidam autumant; nam ſi fructum eius maturum inſpectemus, niger eſt, niſi conſiderare velimus fructum Idei Rubi, quæ tertias Rubi differentia alpeſtris eſt, & tribus tantummodò acinis fructum ſuum componit rubicundis. naſcitur Rubus prolixis ſurculis, lentis, & obſequentibus, viridibus, & ut plurimum quadrangularibus, medulla repletis. folia ſunt ex pluribus folijs cohærentibus conſtituta, in ambitu ſciſſis, ſuperna parte viridia, aduerſa verò albicantia, aſpera, & circa coſtas ſpinoſa; fert flores in ſurculorum ſummo albos; indè fructus ſequitur primò viridis, mox rubeſcens, & poſtremò niger; ſecus autem de Rubo Ideo, qui rectà per ſe aſſurgit, nec alteri innititur, prout de priori obſeruamus, & ſine ſpinis eſt, vel ſaltem minimè importunis. ſurculi medullares ſunt, habet folia tamen alteri deſcripto ſimilia, non ita aſpera, nec aculeis ſtipata. flores, & fructus non abſimiles, præterquam in acinorum numero, qui vel ſunt albi, vel rubentes grato ſapore. Temperamentum Rubi frigidum in ſecundo gradu eſt, & eò magis, ſi fructus ante perfectam maturitatem colligatur. adſtringit, & ſiccitatis etiam ſecundum gradum obtinet. reprimunt fructus inflammationes oris, & tonſillarum. Quintus Serenus ad idem Rubi fructum commendat, dum inquit

Manditur apta Rubus gingiuis, & bona labijs.

in anginis optimum præbet uſum, cæteriſque oris partium inflammationibus. fluxum alui ſiſtunt, & in cholera utiles. ſerpentum morſibus aduerſantur, & ſcorpionum, aranearumque ictibus; Cordis affectibus opitulantur, Cęliaciſque proſunt, & Pleuriticis. Dentes mobiles collutione firmant, fœminarum profluuia ſiſtunt; immò contra venena colchici ephemeri pollere affirmatur. radix Rubi adſtringit quoque, & tenuium partium eſt, renumque calculos comminuere traditur, & utiliſſima cenſetur ad inflammationes coercendas. ex fructu maturo conficitur ſyrupus, quẽ Dyamorrhon vocant Seplaſarij; ad gutturis inflammationes compeſcendas præſertim utiliſſimus.

De Rhoe, ſiue Rhus.

CAPVT CLXVII.

De nomine Rhus nonnulla conſiderata, Arabibus & Græcis poſterioribus Sumach vocata. Expenduntur Coriarij Rhus, & obſoniorum nomina, an diuerſa genera importent. an detur tertium genus Syriacum appellatum; & ſoluuntur difficultates. Deſcriptio ex Theophraſto & Dioſcoride colligitur. diſtinguuntur genera; temperamentum ſtatuitur; vires conſiderantur.

EST Rhus, ſiue Rhoes non vulgaris conſiderationis planta. non ſolùm
quia etiam apud Antiquos medicum uſum obtinuerit, quemadmo-
dum apud nos etiam obtinet; ſed quia & Coriarijs utiliſſima, & olim in
Lib. 3. de hiſtor. cap. 18. menſis pro condimento uſurpata. Theophraſtus in capitis veſtibulo,
cùm de Rubo agit, de Rhu diligentem ſatis tractationem ſubnectit. Gaza
autem vir doctus, ut Rho græco huius plantæ nomine latinum nomen cõ-
gruè exprimentem inueniat (fluidam) vertit, neſcio qua ratione ductus,
ut notauit Clariſſimus Dodonæus; nam à ῥέω, quod eſt fluo, deduci nequit,
niſi per antiphraſin, contrarios enim potiùs effectus edit, ut videbimus;
ſed potiùs autumandum, dictum à voce ῥο, à colore videlicet acinorum ru-
bro. Salmaſius in Galenum aliqua de Rho, ſed leuiſsima tangit, & non
ſecus atque Ægyptij canes Nili aquam fugiendo lambit: hinc eſt, quod
Plinius, dum de Rho agit, nullum Latinis habere nomen ait, quod ei im-
poſitum ſit, officinæ tamen Sumach vocant, mutuato nomine ab Arabi-
bus, quo etiam Græci poſteriores uſi ſunt. de generibus Rhu indagandis,
fateor cum Plautino illo viro, quòd plenus rimarum ſum. Theophraſtus
Coriarijs utile eſſe tradit, quòd facit Dioſcorides. Columella autem, &
Plinius etiam obſoniorum Rhus appellant. numquid ergo plura Rhus ge-
nera ſunt? ut aliud ſit coriariorum, aliud obſoniorum, eò quia, ut habet
idem Plinius, loco ſalis condiendi ciborum gratia iiſdem inſpergeretur:
Lib. 3. c. 6. immò & Galenum, & Plinium ipſum tertium genus Rho addidiſſe vide-
tur, Syriacum ſcil. lib. 24. cap. 11. diſtinguere unum ab altero videtur,
dum inquit, & herba ſylueſtris eſt folio myrti, cauliculis breuibus, quæ
venena, & tineas pellit, & fructus coriarius appellatur. & paulò inferiùs
6. de Compo. per loca c. 2. ait, cuius aridis folijs, ut malicorij, coria perficiuntur. Galenus verò lau-
dat ad tonſillarum inflammationes decoctum Gallarum, & Rhois culina-
riæ, & coriariæ: & ſic apparet, unum ab altero diſtinxiſſe. & idem Gale-
nus longè clariùs in eodem libro, capite primo de Confection. pharma-
ci hæc habet: maximè verò aptus eſt Rhus. Eſt autem duplex, alterum
obſonijs inſpergitur ſtomacho commodum, alterum à præparatoribus
coriorum expetitur. Ego tamen cum viris doctiſſimis exiſtimo Syria-
cum non conſtituere diuerſum genus Rhoes, nec puto coriarium differ-
re ab obſoniorum Rho; nam loci natalis diuerſitas quaſdam qualitates
augere, aut imminuere valet. genus autem mutare haudquaquam igitur
Syriacum erit idem cum obſoniorum, & coriariorum Rho. neque tamen

per hoc exiſtimo coriarium Rhus differre à Rhu obſoniorum, ſed unum ab altero diſtingui tantummodò penes plantæ partes, non genere, aut ſpecie, ut folia ſcil. & aliæ fruticis partes in coriariorum uſum ceſſerint, fructus verò in culinæ miniſterium, quatenus fructus collecti, & in puluerem redacti gratiam cibis indderent inſperſi. Plinius pro ſale in culinis uſurpari tradit. Cæterùm ſi in ijs aliqua concinna aciditas, prout videtur, ineſt, non pro ſale habitum puluerem tunc temporis tenendum, ſed eo modo cibis, quo ſal ijſdem inſpergi; & ſic adhibitum Rhus condimenti gratia à ſale diuerſa. Verùm non poſſum non mirari Athenæum diligentiſſimum ſcriptorem, præſertim omnium rerum ad lautiſſimam cœnam attinentium, & è penu Antiquitatis harum omnium ſolertiſſimum excerptorem, huius obſoniorum Rhoe haud meminiſſe, quod ſanè inopportunum non fuiſſet, & forſan longè magis curioſum, quàm quædam alia, quæ gratis in ſuo ſingulariſſimo opere inſeruit. Cæterùm variat Rhus in foliorum formà; nam illa, quæ deſcribitur à Dioſcoride, eadem eſt planta, quæ in obſonijs inſpergebatur, ut manifeſtum eſt ex eiuſdem capitis principio, & quod etiam Rubrum appellari tradit, & quod à coriarijs uſurpabatur. fructus enim, inquit, Rhois coriarior ſi eſt, ſic vocata planta; quod ea coriarij ad ſpiſſanda, perficiendave coria utantur, ergo ex eodem obſonaria Rhus, & coriaria idem ſunt. interim malè carpitur Dioſcorides à quibuſdam, ut qui dixerit ſpiſſanda, & perficienda coria, cùm ſufficiens ipſi fuiſſet, ad perficienda coria dixiſſe: malè tamen ab iſtis nimis rigorosè criticis carpitur Vir ſummus; quia exprimere in mente habuit, quomodo coria perficiantur, eò quia priùs debuerint denſari, & inſpiſſari antequam perfectionem ſuam adipiſcantur, ſine quibus conditionibus ad uſū reuocari nequit. Deſcribitur Rhus à Dioſcoride; ait eſſe arbuſculam in petris naſcentem, altitudine duorum cubitorum, folijs oblongis, ſubrubentibus, in ambitu ſerratis, fructu rubro in racemis collecto, ſiue racemulis ſimili, denſo, terebinthi magnitudine, quadamtenus lato, tunica corticoſa, ſiue membranula, quæ acinos ambit, & quam utilem eſſe ait. Cæterùm cum ſatis ex Auctore doctiſſimo conſtet præcisè, quæ folia gerat planta; nihilominus videndum, an Theophraſtus circa hæc aliquid magis diſtinctè afferat, ad Rhois cognitionem concipiendam; is enim, citato ſuprà loco, Rhus in marem, & fœminam diuidit, quarum unam plātam ſterilem vocat, alteram fructiferam, & quas nec virgas longas gererē, nec craſſas aſſerit, & ulmea folia habere, parum tamen longiora, & aliquantulum denſiora, in internodijs paria coniugatim petiolo adhærentia, quibus ſubdit coriarij inficiunt alba coria; florem deinde candidum gerere ait racematim erumpentem, cui ſuccedit fructus, qui cum labruſca rubeſcit, quaſi lentis tenuis, congeſtæ in modum uvæ figuræ, in quibus medicamentum aſſeritur contineri. radice, quæ per ſummam expanditur tellurē, ut lignum ſit facilis avulſionis, ſine medulla internè, incorruptumque perdurare. Ex igitur allata Theophraſti deſcriptione elicitur, deſcriptam ab eodem Plantam ulmi folia habere, fructum rubrum racematim collectum, floribus albis abeuntibus. Verùm Plinius citato loco Rhoem deſcribit folijs myrti: verùm cùm manifeſtum ſit Botanicis inueniri etiam Lib. 1. c. 147

Rhus

Rhus folijs Myrti, vt videre eſt in horto noſtro publico, duo eſſe Rhois genera conſpicuum euadit, alterum ulmi folio, quod deſcribitur à Theophraſto, & à Dioſcoride, & Boranicis notum, alterum myrti folio à Plinio deſcriptum; quamuis idem Plinius videatur in eodem capite paulò inferiùs deſcribere etiam Rhus humi folio, dum fruticem coriariorum delineare tentat, quod Erron vocat, & etiam ſic à Dioſcoride vocatum video, & ſubrutilum deſignat, caule digitali craſſitie; ſic igitur credendum duo diuerſa genera Rhois in hoc capite deſcribere, & ſic ſyriacum non conſtituere tertium genus, quod ſuprà declarauimus. eſt igitur noſtrum Rhu, ſeu Rhus frutex, ſiue arbuſcula, quæ ad tres uſque cubitos aſſurgit, & magis etiam, ſi ſolum propitium inuenerit; quod ſi de myrti folio loquamur, iſtud in virgas plures, & ſtolones à radice emergentes ſe diffundit, plura ab uno pediculo folia ad nouem, vel etiam undecim numero, & ex aduerſo coniugatim eidem adhærentia, unico in ſuprema parte petioli exiſtente, myrti forma, ſed leuiora, minora, quadamtenus latiora, oblonga, in acumen tamen non deſinentia. flos albus, racemoſus, fructus figura rotundus uuæ modo, quam plantam eam ipſam eſſe credimus, quam Lobellius apud Lani amnem propè Monſpellienſes, & Narbonenſes fruticare ſcribit folijs myrti, aut iuiubi, quod in horto publico colimus; illa verò Rhois arbuſcula ulmi folio dicta à folijs ulmo conſimilibus, unico conſtat caule magis elato, cortice ruffo, materia ligni durabilis, verſicolor, ſine medulla, brachij humani craſſitie, non digitali tantummodò, ut innuit Plinius, ramulis quamplurimis diffuſa, folio coniugatim petiolo adhærenti, ſerrato, ex aduerſo rubeſcenti villoſo; flores candidi racematim diſpoſiti, quibus decidentibus emergit fructus latus lentibus ſimilis terebinthi; fructus magnitudine in racemos collectus, & ad obſonia aptus; radix latè per terram ſe diffundit, & ſtolones hinc inde nouos propagare nititur. Ad temperamentum huius plantæ quod attinet, habet Galenus tertium gradum exſiccationis obtinere, in frigiditate verò ſecundum exceſſum non ſuperare, quod ferè ab omnibus conceditur. Vires Rhus, inquit Galenus, ſunt adſtringere, & exſiccare, quod confirmat, deſumpto à coriarijs exemplo, qui adhibent Rhu ad adſtringenda, ſpiſſanda, exſiccandaque coria, qua de cauſa coriariorum Rhus dicitur. Subdit deindè in primis Medicis in uſum ceſsiſſe fructum, & eius ſuccum multum ſanè qualitatis auſteræ, quod ex ſenſu guſtus manifeſtum; concludit, inde medicamentum hoc in tertio ordine exſiccantium eſſe, & in ſecundo

Lib.1.c.147 refrigerantium; ſic Dioſcorides, ut vim ſuam adſtringentem exprimat & refrigerantem, Acaciæ effectus edere aſſerit, & ad ea conuenire, quæ Cicium, ac proindè Dyſentericis ſummoperè conferre & in potu, & in inſeſsione uſurpatum, immò & iniectione, aptarique fructum optimo cum ſucceſſu in cibis, & obſonijs Cœliacorum: ſic & ſuccum plantæ purulentis auribus inſtillatum prodeſſe; illitum gangrænas, & pterigia cum aceto cohibere, foliorum decoctum capillos denigrare. contuſa, liuida, deſquamataque oſſa iuvare, & partes ab inflammatione vendicare; cum melle linguam aſperam ab ſtergere; alba fœminarum profluuia ſiſtere, & hæmorrhoidas uberiùs ſanguinem profundentes, ſi præſertim ſuccus parti illinatur

natur remixtus cum carbone quercus trito. quodſi huius plantæ fiat decoctio, quæ in ſpiſsitudinem coeat, efficaciùs ipſo fructu operari aſſerit. Succus decoctus, & coactus faciliùs ſeruatur ad uſum. è Rhus planta gummi exſudat, quod ſi dentium dolentium cauis indatur, dolores tollit. Ab Arabibus, & officinis Sumach vocatur, cuius infuſa ſemina in aqua roſarum in variolarum, & morbillorum eruptione, oculos puerorum immunes à tanto morbo, ſi ſæpè illinantur, & foueantur, ſeruari compertum eſt.

De Ribes.

CAPVT CLXVIII.

Ribes ab Arabibus cognitum affirmatur cum Dodonæo, differentiæ afferuntur, deſcribitur, vires adducuntur.

RIbes elegantiſſima planta, vel potiùs frutex apud Recentiores Botanicos non ſine controuerſia ſtat. plures autumant proximis ſeculis tantummodò innotuiſſe; alij verò, inter quos connumeratur Vir ſummus Rambertus Dodonæus, aſſerunt, eſſe Ribes noſtrum idem cum Ribes Arabum, & Serapionis, mordicus tamen reclamante Fuchſio, Matthioloque cum alijs Recentioribus multis. & profectò vires, quæ Ribes ſuo Arabes cum Serapione aſſeruere, omnes in noſtro reperiri compertum eſt; ex Ribes enim fructu Rhob de Ribes conficiebant, & ad omnia adhibebant, ad quæ & nos noſtrum valere comperimus; quemadmodum fructus eo modo, quo illis condiuntur, idem emolumentum percipientes, hoc licèt concedant: contendunt tamen noſtrum fruticem eumdem non eſſe cum illo, qui reſultat à Serapionis deſcriptione, quia cum figura ab eius Auctore deſcripta minimè conueniat; Serapio enim ſuo Ribes aſſignat folia magna, noſtri verò Ribes folia magna dici nequeunt. inſuper habet, Capreolos emittere; in noſtro nulli bi capreolorum ordines obſeruantur; & tandem arborem eſſe tradit Serapio, noſtra verò Ribes puſilla planta eſt, nec unquam conditionem fruticis excedit. Verùm Serapionis textus ex verſione Nicolai Mutoni non arborem habet, ſed plãtam; quod nomen commune eſt tam arbori, quàm frutici, & etiam herbæ; unde ex his prima difficultas ſublata videtur. ad folia verò quod attinet, quamuis Serapio ea magna dicat in Ribes, hæc tamen magnitudo foliorum non eſt abſoluta, ſed reſpectiua, in reſpectu ſcil. alterius exilioris folij plantæ. in cæteris tamen conditionibus foliorum conuenire videtur, ſunt enim viridia, lata, & rotunda: at quod de capreolis tradit, ſuſpicor Serapionem per capreolos intelligere pediculos illos tenuiſſimos oblongos, minimè rectos, qui ex foliorum alis exeunt, floribus hincinde refertis, quibus floribus ſuccedunt acinuli virides, qui dum ad maturitatem deducti ſunt, rubicundi euadunt; quod ex eodem Auctore veriſimile eſſe colligitur, dum ita loquitur: porrò ſuccus eius medicatus, quem Rhob Mauritani appellant, cardialgiæ, vomitioni, aluique profluuio, quod bilis, & alij conſimiles humores excitant, validiſſimè auxiliatur; appetentiã quoque excitat;

eſt

eſt enim ſubacidus, & nulla valida adſtrictione inſignitus, ex contuſis autem preſſis, & probè tritis capreolis cum acinis ſuis, necnon eouſque coquitur, quouſque denſam nactus fuerit, craſſamque conſiſtentiam quibus verbis apparet Serapionem per Capreolos fructus racemulos intelligere, ex quo ſuccus elicitur ad Rhob conficiendum. Igitur cùm & fructus forma, color, & ſapor viribus noſtri Ribes correſpondeat, ita præſertim, quo ovum ab ouo diſſidet, ſequitur, quòd noſtrum Ribes cum Dodonæo ſit Ribes antiquorum, præſertim cum id à Serapione putatum ſit dum inquit: Ribes eſt planta habens capreolos rubros ad viriditatem tendentes, & folia magna, lata, rotunda, viridia; grana, quorum eſt ſapor dulcis cum acetoſitate. Verùm notandum noſtri Ribes duplicem dari differentiam, alteram, quæ fructum rubrum gerit, alteram verò ſimillimam primæ in omnibus, præterquam in colore fructus, qui albus eſt, & minùs acidus, & magis dulcis, & in noſtris collibus Euganeis non ita copioſus, quemadmodum rubri fructus inuenitur. Sunt etiam, qui addant tertium Ribes genus baccis nigris, ſed huius vires prædictis non æquè correſpondent. Eſt Ribes fruticoſa planta flexilibus ramis, ſurculiſque bicubitalibus, fuſco cortice, folioque lato inſtar vitis rotundo, diſſecto, ſed vitis minori in ambitu crenato; è foliorum alis pediculi pendent capreolorum inſtar, *longitudine* trium, vel quattuor digitorum, floribus hinc indè per pediculos erumpentibus, in viridi palleſcentibus, à quibus baccæ, ſiue acini inſtar piperis magnitudine granorum, primò virides, poſtremò rubentes, nitido ſucco purpureo ſubacido pleni, cum aliqua tamen grata dulcedine remixto. Radix craſſiuſcula, fibroſa, per latum ſeſe diffundens. Succus huius fructus ab Arabibus, & à noſtris quoque non ſine grato emolumento recipitur; iubentes enim, & maturæ baccæ opportunę cenſentur in acutarum febrium ardoribus extinguendis; ſuccus enim ſitim ſedat, & nauſeam tollit, æſtumque ſtomachi corrigit, & bilis acrimoniam demulcet, ſanguiniſque feruorem moderatur, ad ea denique omnia valet, ad quæ ſupra Serapio commendauit.

De Vua Criſpa.

CAPVT CLXIX.

Vuæ Criſpæ affertur deſcriptio, Temperamentum & vires adducuntur.

FRuticem ſimilem ei, cuius rationem dudum reddidimus, ex acinorum ſaporis elegantia, foliorum figura, & virgultorum forma ſubnectimus, temperamentum etiam non diſſimile gerentem. An Veteres huius plantæ meminerint, quacumque diligenti indagatione facta, incertum eſt, nec quidquam apud Recentiores Botanicos emicuit. aliqua habet Plinius, ſub nomine vitis preſſiæ, quæ quorumdam animos mouere valuere, vt crederent uvam criſpam ſub eo nomine à Vito ſummo deſignari; attamen hoc potiùs eſt diuinari, quàm quidquam certi afferre. Cæterùm è radice lignoſa, nec fibris deſtituta, caules plures, etiam lignoſi, aculeati pul-

pullulant, fuluo colore in albidum propenſi; folia rotunda ſunt, ſed in ſciſſuris ſatis profundis diuiſa, vitigineis ſimilia, ſed valdè minora, mollia, villoſa, viridia; flores ex foliorum alis in albo vireſcentes, à quibus baccæ ſubſtituuntur, initio virides, & ad maturitatem perductæ modicùm flaueſcentes, nitidæ, & ſucco dulceacido repletæ, in quibus ſemina reconduntur uvæ gigartis ſimilia. Baccæ dum ferè maturæ ſunt, in condimentis obſoniorum recipiuntur, ob earum lepidam aciditatem, ſecus verò ſi maturitatem omninò adeptæ ſint. Temperamentum ſi huius fructus requiramus, præſertim eo tempore, in quo præcipuè in uſu recipiuntur, ex omni ferè conſenſu ſtatuitur tum frigidum in ſecundo gradu, tum in eodem ſiccum. variat tamen temperamentum in baccis, ſi vel maturè, vel acerbè conſiderantur, ſecundùm magis, & minùs, facultatem habent adſtringendi, & refrigerandi; bilem enim compeſcunt exæſtuantem in ventriculo, iuſculiſque gratiam indunt, palato namque ſapiunt, & medicinæ obſequuntur refrigerando, ut etiam febribus conducant, fluxibus, Cœliacis, Dyſentericis opitulantur, immò & collyricis affectibus utiliſſimę, & vomitibus ſymptomaticis ſiſtendis opportunæ; ſanguinis profluvia cohibent; & carum ſuccus eryſipelatibus admotus, cæteriſque inflammationibus utiliſsimus euadit, quemadmodum & urinæ, & calculis educendis.

De Virga Sanguinea.

CAPVT CLXX.

Tyliccorniam Theophraſti eſſe Virgam Sanguineam Plinij, & cornum feminam Recentiorum, deſcribitur. Cur Virga ſanguinea dicta, temperamentum adducitur, vires ex Plinio explicantur.

FOeminam cornum, quam Theophraſtus Tylicorniam appellat ratione temperamenti ſimilitudinis, fruticoſam hanc ſtirpem ſuperiùs iam dictis plantis adſcribimus, licèt Medicis uſum non præbeat, forſan quia ita uberrima ad ſtringentium, & refrigerantium familia eſt, ut huius plantæ vires inquirere, & ad uſum reuocare infructuoſum exiſtimetur, nihilominùs, ſi Plinium conſulamus, ſuas vires habet medicas, & etiam inſignes, qui quidem Auctor hanc plantam Virgam ſanguineam appellat; & licèt pauciſſimis ſe expediat, eſſe tamen Cornum Theophraſti fœminam ferè ab omnibus conceditur. eſt igitur Cornus fœmina, ſiue Virga ſanguinea frutex virgulis, & radice fibroſa in latum expanſis, rubeſcentibus, geniculatis, medulla fungoſa albida intus repletis, leuibus, ſanguineo colore rubentibus, à quo virgæ ſanguineæ nomen deſumpſiſſe à quibuſdam exiſtimatur, vel potiùs, ut alijs placet, quia parricidæ antequam in ſacco inſuerentur, virgulis geniculatis ex hac planta deſumptis, ad effuſionem uſque ſanguinis flagellarentur, quod elici poteſt ex Modeſtino Iuriſconſulto in l. penultim. ff. ad leg. Pompeam de parricid. quod notauit Dalecampius in Adnotationibus ad Plinium. gerit folia ſimilia corno mari, viridia, lata, aliquantulùm in longum porrecta, neruoſa, ſtolonibus rubentibus

3. De hiſt. plant. c. 12.

 tibus

cibus pediculis innixa, in quorum faſtigio umbella emergit floribus albeſcentibus, quibus ſuccedunt baccæ virides ſanguineis pediculis cohærentes orobi magnitudine, quæ nigredinem acquirunt dum ad maturitatem ſunt deductæ, ſaporeque ita ingrato, ut à Theophraſto inguſtabiles dicantur. Cæterùm plantæ huius temperamentum à Recentioribus ſtatuitur frigidum & ſiccum in ſecundo utriuſque qualitatis exceſſu. Verùm medicas vires, qualeſcumque eę ſint, ex Plinio colligimus, qui aſſerit eius interiori cortice applicito ulcerum, vulnerumque cicatrices, quæ iam calluerint, aperiri; licèt de huiuſmodi effectu dubitatum videam; utcumque tamen ſit, adſtringere plantam creditur, & florum decoctionem fructuſque, & ſuccum ad ea omnia adhiberi poſſe, ad quæcunque eodem temperamento prædita ſunt valere cenſentur; niſi aliqua occulta reluctentur nobis incognita; Baccas decoctas, & prælo expreſſas oleum reddere aſſerit Plinius ruſticis Ananienſibus utile.

Lib. 24. c. 12

De Oxyacantha Galeni, ſiue Arabum Berberi, vel Spinacea Recentiorum.

CAPVT CLXXI.

Oxyacantham pluribus controuerſijs urgeri ſtatuitur. non Veterum oxyacantham eſſe Berberim Arabum, & ſic oxyacantham Recentiorum aſſeritur. non eſſe Criſpinum, aut Crategen Theophraſti, aut Crategonon Dioſcoridis affirmatur. deſcribitur. temperamentum aſſignatur, vires explicantur.

INter frutices ſaluti noſtræ à natura deſtinatos, qui frigiditatis exceſſum ſecundum cum eodem ſiccitatis gradu obtinent, connumeratur oxyacantha, de qua meritò dubitatum video, an ea ſit, quæ noſtris temporibus pro Arabum Berberi protruditur, ſitque Dioſcoridis, & Theophraſti oxyacantha: huic ſanè opinioni plures fauent, & inter cæteros Fuchſius, & Tragus cum pluribus alijs ex Recentioribus deducti tum ab acido fructus ſapore, tum à ſpinarum conſepimento. Verumtamen animaduerſum rectè video oxyacanthæ nomen inditum eidem non ab acutie ſpinarum, ſed ob aliam potiùs cauſam, & ſic ſuſpicantur multi Berberim Veteribus omninò vel incognitum fuiſſe, vel ſaltem ſub hoc nomine non deſcriptum. ſunt plures qui diſtinguant oxyacantham Galeni ab *oxyacantho*, quarum unam eamdem eſſe cum Dioſcoridis autumant; alteram verò quæ ab Arabibus, & Recentioribus ſub Berberis nomine oſtenditur, & Theophraſti, Dioſcoridiſque acuta ſpina, non ſit oxyacantha Galeni, ſed diuerſa, & illa Galeni ſit Berberis officinarum, & Arabum, cùm præſertim idem Galenus de oxyacantho agat, tanquam de differenti planta; neque deſunt qui uvam criſpam cum oxyacantha confundant, aut cum criſpino, ſiue ſpina alba. In tanta rerum ambiguitate, ut verum fatear, vix filum inuenire poſſum, quo à labyrintho hoc me expediam, cùm nihil certi habeam, quod afferam. Verùm ut aliquid veriſimilius adducam, in primis eorum opinionem explodendam autumo, qui Veterum oxyacantham cum noſtra, videlicet cum Berberi, unam & eamdem plantam faciunt;

longè

longè namque diuerſas plantas eas eſſe puto. nam dum Dioſcorides ſuam oxyacantham deſcribit, eam arborem, non fruticem facit, & quidem ſimilem ſylueſtri piro, ſpinis tamen valde horreſcentem; nullus enim vocauit abſolutè arborem plantam illam, quæ fruticis naturam non excedat; multò minùs Criſpinum erit, quod à quibuſdam pro veteri oxyacantha aſſeritur; quia nihil habet cum piro ſylueſtri; præterquam quod Theophraſtus ait oxyacantham, ſiue oxyacanthum perpetuo folio vireſcere. Arabum verò, & noſtræ folia quotannis ſunt decidua. accedit quòd Dioſcorides citato loco ſuæ oxyacanthæ fructum aſſignat baccis myrti ſimilem, at in noſtra oxyacantha, ſiue Berberi omninò diſſimilis eſt fructus. Dioſcorides idem ſuum fructum plenum, rubrum, fragilem, nucleo intus eſſe præditum vult, quod in noſtro non reperimus. igitur explodenda omninò videtur eorum opinio, qui exiſtimant Veterum oxyacantham eſſe Arabum noſtrumque Berberim; cùm præſertim Galenus, ut dictum eſt, oxyacantham, ab oxyacantho diſtinguat, tanquam diuerſas plantas; licèt eodem Capite utramq; complectatur; ait enim: *oxyacantha hæc arbor, ut piro ſylueſtri ſimilem habet ſpeciem, ita & vires non diſſimiles; quin & ipſius fructus, piro quidem ſylueſtri proximus, abſolutè eſt amarus.* Ex ijs Galeni verbis manifeſtè contradicitur ijs, qui Veterum oxyacantham eamdem cum noſtra berberi faciunt, cùm noſtræ fructus nec piriformis ſit, nec amarus. Subdit deindè, ut de altera planta à prima diuerſa ſcribere oſtendat. *Ceterùm oxyacanthos eſt tenuium partium, & paulùm quidem inciſionis obtinent; porrò arboris huius fructus piri ſylueſtris fructui ſimilis non eſt, verùm myrtis, rubens ſcilicet & rarus, & nucleos habet*, & quæ ſequuntur. ſic ex ijs verbis patet, Galenum manifeſtè duas plantas deſcribere, primam, quæ oxyacantha Veterum eſt, & ſic ab eodem appellatam, alteram verò differentem, & quam oxyacanthos vocant, quæ certè noſtro Berberi, ſi eius verba conſideremus, non aſſimilatur, niſi aliqua verba in textu deſint, aut mendum ſubſit, & ſubeſſe etiam eſt credibile; quia idem Gal. reponit oxyacanthæ Aſparagos; ita vocat nouella germina, quæ primo vere circa plantæ radices erumpunt, quæ tunc tenella, acidaque, & grati ſaporis ſunt, inter edulia reponit. ſunt poſtremò, qui confundant oxyacantham cum criſpino, ſed malè me iudice; cùm criſpinus ſit omninò differens planta tum ſpinarum ordine, tum foliorum figura, fructuſque forma, colore etiam, & ſaporumque venuſtate, & quam criſpini arborem, ſeu potiùs fruticem Dodonæus ſpinam acutam appellat. nec tandem oxyacantha eſt Cratego Theophraſti, aut Crategonon Dioſcoridis, cùm primum ſit arbor, poſtremum ſit herba. Concludendum igitur diuerſam eſſe Berberis plantam ab oxyacantha Theophraſti, Dioſcoridis, & Galeni, licèt vires conſimiles eſſe poſſint; nec aliud ampliùs etiam ex Serapione colligi poſſit. Deſcribitur noſtra oxyacantha, ſiue berberis, quòd ſit frutex, quia radice lignoſa, multifila in latum expanſa, non unico conſtet ſtolone, ſed pluribus exurgat virgulis bicubitalibus, angulosis, ſpinis horridiuſculis circa nodos, ubi erumpunt folia, prodeuntibus, triplici in ſerie diſpoſitis numero, quorum duo utrinque reſpiciant, tertia verò ſpina medium occupet, indicis digiti latitudine longa prorumpunt folia, ubi ſpina erumpunt.

Lib. 3. cap. 4. de hiſt.

8. Simpl.

In lib. de facult. alimen.

Ffff 2 viri-

viridia, leuia, & per ambitum non modò crenata, ſed etiam in folijs adultis aculeata, pollicis latitudine longa, duorum digitorum craſſitie, non acuminata, ſed leuiter obtuſa, aduerſa ſui parte dilutè virentia; virgulæ cortice albeſcente teguntur, materia intus flaua, tenuis, guſtanti folia inſtar oxalidum acida; ſic etiam tenelli ſtolones, aſparagi vocati, eamdem aciditatem obtinent; floſculi lutei, longiuſculis pediculis caulibus adhęrent, quibus ſuccedunt baccæ oblongæ, tenues, in luteo rubeſcentes ſapore acidæ, ſemine nuclei inſtar oſſeo. Cæterùm ſi huius fruticis temperamentum inquiramus, prout ſupra tetigimus, ex communi ferè conſenſu in frigiditate & ſiccitate non excedit ſecundum gradum, quod ab Auicenna, alijſque Arabibus ſimul cum Serapione decretum video; ſed hic obiter animaduertendum eſt, quòd licèt Auicenna ſuo Berberi fructus nigros attribuat, dum etiam fructus noſtræ berberis exareſcit nigrum colorem adipiſci, ut notauit Dodonæus. interim validiſſimis viribus affectibus noſtrũ corpus obſidentibus ſe berberis opponit; fructus enim, & foliorum decoctio ſummoperè commendatur ad acutas, & ardentes febres, ſitim enim extinguit, & non leuem refrigerationem venoſo generi infert. folia ſimul cum fructu contuſa fluxiones cohibent, utiliterque in decocto in mulierũ profluvijs uſurpantur, & lientericis, Cęliacis, Dyſentericiſque affectibus ſummoperè conferre poſſe ſenſato experimento confirmatur.

De Corallio.

CAPVT CLXXII.

Corallij nomen à quo deduxerint Veteres inueſtigatur, & à quo lapidea durities, diſquiruntur cauſæ concretionis, an ſcil. à colore, vel à frigore, aut ab alia cauſa, ſtatuitur, temperamentum adducitur, vires explicantur.

MIrabilis in plantarum genere coralliorum mutatio è fruticis mollitie in lapideam duritiem, & gemmeam, ut Theophraſtus habet libro de lapidibus; etenim ut canit Ouidius lib. 5. Metamorph.

Quo primum contingit auras
Tempore dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.

hanc quoque plantam Botanici frigidis adnumerant, & ut ex Sennerto, Prævotioque colligitur, frigidis in gradu ſecundo. Verùm Plinius Corallium dici exiſtimat, quòd in mari tondeatur, κῦρη ταῖ ἱμαλὶ. Gorgoniam etiã hanc plantam appellarunt quidam, tanquam fabuloſè obiecta fuerit, Gorgonis illius mutationi quaſi ex planta in ſaxeum abierit rigorẽ, inſpecta Gorgone. hinc Dioſcorides ſatis aptè λιθόδρον appellat. eius differentiæ
Pag. 367. emergunt à ſuperficie, & à colore, ut notauit Bauhinus pinacis. Plinius Baccas Corallio tribuit, exiſtimans eas naturæ opus, quod artis eſt. Indi non minùs in pretio habebant, quàm Europei Indorum uniones. Cæterùm cauſæ durationis repentinæ haud parum hominum doctorum ingenia exercuit non una via perueſtigantes; quidam frigori hanc vim tribuunt denſanti, induranti, ut patet in metallicis ſub terra, lapidibuſque omnis

generis tanta ſerie productis. Id tamen negandum videtur; concreſcit enim Corallium magis ſub aquis, quàm extra aquas; at intenſius, & congelatiuum frigus ijs in locis non eſt, quibus Corallium naſcitur. ſic nec per æſtum, ut facit, concreſceret, immò calore denuò ſolueretur, ſi à frigore conſtiparetur exemplo metallorum. Alij probabiliùs ad calorem reſpiciunt humidum reſoluentem: Ab hoc tamen ſi eſſet effectus, corallia humida iterum ſoluerentur; hyeme, & temperatioribus locis non concreſcerent; nec corallia ſolùm, ſed & fungi, ſed & omnes propinquæ plantæ ſic afficerentur. Chimici ſalem hìc agnoſcunt, utpotè cuius proprium eſt in ſicco concreſcere, in humido copioſiore ſolui. Divus Auguſtinus ſcripſit conuerſionem uxoris Loth ex parte naturalem fuiſſe in ſtatuam ſalis, cùm à potente rerum Moderatore ſalis portio, quæ in abditis corporis partibus deliteſcebat, in ambitum corporis transferretur, ſiccitate ſalis, omnibus induratis; quæ res Chimicorum ſententiæ fauet; at hæc de ſale ſic propriè nominato, ac vulgari accipi non poſſunt; huius enim in Corallio veſtigium haud eſt; quamuis negari nequeat terreas partes ſalſo humore perfuſas firmiùs compingi. Prudentiùs loquuntur ac ſentiunt, qui in his mentionem faciunt ſucci lapideſcentis, è quibus Georgius Agricola de Cauſis Metallorum in Præfatione, & Matthiolus in quintum Dioſcoridis librum huius ſucci copiam poſſident aquæ fontium, & lacuum, in quibus iniecta ligna, vaſa, & cætera petrificari vidimus; item in cauernis montium ſtillantes aquæ protinus in ſtirias, & columnas concreſcentes, aut in albicantes particulas, quæ bellaria referunt. idem in alimentis, & quibuſdam vinis plùs, minùſvè copioſis, undè homini noxæ. mihi cauſæ omnes coniungendæ videntur, & primò quidem ambientis ſiccitas omninò ad concretionem uti ſalium, ſic corallij neceſſaria eſt, ſiuè cum frigore coniuncta ſit, ſiuè calore, hinc corallium ſub aquis mollitiem ſeruat ambientis humiditate concretioni aduerſante; & omni anni conſtitutione cauſarum externarum occurſu: & à frigore, & à calore illo vel denſante, vel ſiccante, hoc verò ſiccante lapideſcentia promouetur. præcipuè tamen requiritur interna ad concretionem diſpoſitio corallis, fungis, cæteriſque lapideſcentibus, aut maritimis, aut non indita; eaque conſiſtit in humore, cui partium terreſtrium diuturna alteratione, atque aduſtione calor concreſcendi promptitudinem tribuit: fieri id poſſe arguit ſalium generatio plantarum, vel decoctione, vel combuſtione; hunc itaque ſuccum, vel humorem, quiſquis ἀναλόγως tantùm appellarit, nos faciunt cautiores chimici; item ab effectu ſuccum lapideſcentem, aut tartarum à ſimilitudine concretionis, cùm eo pugnandum haud cenſeam. Iam qualitatem Corallij quod concernit, Viri docti id in ſecundo frigiditatis gradu pronunciant. Cæterùm cùm huc pertineat, quòd valentiùs calorem obtundere debeant, in Corallio ſanè niſi ab externis productum frigus, ſiue integrum, ſiue contritum linguæ febricitanti admoueatur, refrigerationis ſenſus aut nullus habetur, aut is penè obſcuriſſimus: malim itaque cum Dioſcoride mediocritatem tribuere refrigerandi, quàm exceſſus maiores: nam adſtringendi facultas, quæ potiſſimùm induxit ſcriptores claros, ut Corallio frigidam intentionem dederint, utpotè ſubſtantiæ terreæ,

Lib. 1. de Miraculis.

rex, etiam cum impensè calidis conſiſtit. dicitur à Dioſcoride excreſcentias coercere, & oculorum cicatrices, ſiue ſiccando, vel abſtergendo. & præparatum, ſi verò non lauetur, ulcera oculorum caua explet; minimè tamen ſarcoticum eſt Corallium, immò ſarcoticæ qualitati contrarium; attamen ulceri partium frigidarum, ſiccarum ex temperamenti conueniētia exſiccando conuenire poteſt alijs calidioribus permixtum; aliàs cicatricem potiùs ad carnem diſponit, ut in prudenti uſurpatione cauitatem, & foueam relinquat. Aduerſus ſanguinis reiectiones, excreationeſve efficax eſt. reijcitur ſanguis ſcreatu, tuſſicula, tuſſi, vomitu; à pectore nihil reijci poſſe videtur, quin vel intra pulmones contineatur, vel in eodem attrahatur. prodeſt ſic incraſſando ſanguinem, & oſcula claudendo aſſumptum, & linctu urinæ difficultatibus prodeſt, ſi mingendi difficultas vel ab ulcere renum, & veſicæ, cum conſerua hyperici, roſarumve, aut conſimilium; vel à ſemine corrupto per Gonorrhæas, cum malua, aut flore caſſiæ, aut conſeruis ex floribus maluarum. ſplenem tandem abſumit non obſtructum, aut induratum, ſed immodica aquarum potatione laxatum, quod per febres frequens. uſum Coralliorum in epilepſia ſummoperè commendatum video à Plinio, & in Dyſenteria à Vechero, ubi præcipuè laudat Tincturam Coralliorum, quamuis Tinctura à menſtruo potiùs rubicundo fiat, præſertim aceto, quod multos decepit.

De Aceto.

CAPVT CLXXIII.

An acetum frigidum pronuntiandum ſit cum Dioſcorid. an calidum cum antiquioribus. inquiritur, ſtatuitur cum Gal. diuerſarum partium eſſe, & temperamentum definitur, vireſque explicantur.

CОntrarias morborum cauſas contrarijs oppugnandas eſſe remedijs & experientia docet rerum magiſtra, & conſenſus arguit ſcholæ medicæ receptus; igitur vt adverſus frigidos calidorum uſus proficit, ità calidos effectus frigidorum opera profligamus: & cùm non minùs quàm calida quattuor vulgò limitibus diſtinctorum graduum refrigerantia opē ferant, quæ ſecundum exceſſum explent frigiditatis cum ſiccitate modò introducta aceti diſquiſitione compleamus cum ijs, quæ dudum expendimus combinantes, ut ſeriem frigidorum compleat; eorum ſcilicet, quæ euidenter, citra tamen moleſtiam, frigoris ſenſum linguæ inducunt: eo modò ſcilicet acetum, quo efficit acetoſa mali aurei medici, punici, acidus ſuccus, cuius ſanè aceti naturam, quia paſſim uſitatiſſimum eſt, in præſenti declarandam aſſumimus. Acetum recens ὄξυ appellant Græci, undè oxymelliti, oxyſaccharo, oxalmæ, ſeu acidæ muriæ, oxyrrhodino ſimilibuſque nomen eſt. quod tamen perplexum inter auctores videmus eſt, an propriè frigidum ſit, tum quo frigidorum ordine collocandum veniat. frigidum eſſe ſimpliciter pronunciat Dioſcorides lib. 5. cap. 21. & ita Plinius lib. 23. cap. 1. aceto ſummam refrigerandi vim tribuit; nec minorem

diſcu-

diſcutiendi. Verùm antiquiores contrà, Acetum inſigniter, immò ſummè calidum crediderunt, quod diſcuſſum à Gal. fuit diligentiſsimè à capite decimo nono de Simplicium medicamentorum facultatibus ad caput vigeſimumtertium incluſiuè; quia ſanguinis erumpentis impetum coercet, quemadmodum ignita omnia, & cruſtam inducentia, quia exulcerat, ac veſicas excitat. Adde quòd maximè penetret, incidat, ſoluatque. Contrarium autem contingit à frigido; fatetur enim Dioſcorides eo lac, & ſanguinem coagulatum attenuare, & orthopnoicis prodeſſe ſcribit: immò non ſecus ac ſal, & nitrum, aliaque calidiora, putredinem arcere, ut patet in condimentis. Galenus media videtur incedere via, & acetum calidum partibus aliquot exiſtere concedit, perpollere tamen frigidas, idque effectis, & experientiæ rationabili conſentaneum eſt, quod habet citato loco. dubium tamen ipſi eſt, in quibus partibus utraque qualitas conſiſtat, & calidam in terreſtribus quibuſdam forſan adhærere, quæ fęcem in liquoribus alijs conſtituunt, frigidam autem vim in tenuioribus dominari; quod verò mixtæ ſubſtantiæ ſit acetum, omnia ſe pericula ſubire velle profitetur, ſi machinam inuenire poſſet, aut artem, qua contrarias aceti partes ſeparet, quemadmodum in lacha fieri ſolet. ut ex ijs Galeni verbis tunc temporis deſtillationem, qua homogenea cuncta ab heterogeneis ſeparantur, in uſu non fuiſſe videatur: calorem tamen aceti etiam in tenuioribus conſiſtere ſcribit lib. 8. Simpl. cap. de Aceto. Recentiores Hermeticorum ſectæ ijs addicti, & præſertim Iacobus Clauius longè exactiùs ſe naturam aceti cum ijs perueſtigaſſe contendat, & machinam illam artemve poſſidere fateantur, quæ Galeno ignota fuit, contrarias ſcilicet partes ſeparandi. *In Thyre Chimica.* Itaque Acetum accurata deſtillatione tum à partibus ſulphureis, ut chimicorum ſtilo loquar, terreiſque depuratum, cum operoſiore circulatione tenuius redditum, partibus omnibus calidis vacare aſſerunt, & ſic ignem extinguere, potentiſſimèque refrigerare: Quamuis autem obijciatur acetum purius affuſum Corallijs, aut margaritis ebullitionem quamdam excitare, & ardorem inditum, item acido vitrioli liquori tartari, ſalem pariter extrahere; qualitatem tamen, & caloris vim à corallijs, margaritis, è tartaro eſſe, quippe nondum in puriorem ſtatum redactis; potior tamen ſententia Galeni eſt, Acetum diuerſarum eſſe partium, & calidarum, & frigidarum, abſque cæteris præpollere; ineſſe autem aceto partes calidas, partim eius generatio docet; fit enim ex ijs, quę calida ſunt, & à calore interno debili coctionem rei putreſcentis iterum aggrediente: partim oſtendit deſtillatio, nullum adeò tam debile acetum eſt, ex quo, facta conuenienti deſtillatione, aliquid ſpiritus ardentis, ſeu aquæ vitæ non poſſit elici; in quo non immerito fundamentum probationis præcipuum Galenus collocabat, utcumque rationem ſeparationis ignorauerit. frigidas in aceto partes præpollere tum aquea arguit ſubſtantia copioſa, tum effectus refrigerandi cognitiſſimi. Sciendum tamen eſt Galenum non de aceto deſtillato, ſed ſimplici agere, de mediocri item, quodque ex debiliore vino, vel cereuiſia paratum, non de forti, quod ex generoſiore. attenuatio verò, penetratio, & cætera partibus tenuibus & ſpiritoſis accepta ſciẽda eſt, quę non minùs caloris, quàm frigoris exceſ-

ſum

ſum ſuſtinere queunt, quemadmodum eę ipſæ in aceto frigido diſſolutionis auctores ſunt, ſic terreſtres in eodem repulſionis, & adſtrictionis, utraque verò diſcutiendo denſant, & putredinem ulteriorem prohibent. de gradu frigidi, quem acetum occupat, pro eius diuerſitate diuerſimodè pronunciandum eſt, & quemadmodum id, quod mediocre in ſecundo refrigerantium loco ſiccum vendicare poteſt, ita quodcumque generoſius deſtillatũ in tertio, immò quarto; nam ut aqua ſtygia ſummè alterat, quàuis minùs acris videatur, non deſtillatum idem tantò magis à frigiditate recederet, quantò plus calidorum ſpirituum à vino poſſidet. Vires Aceti perſequitur Dioſcorides loco citato, acetum (inquit) refrigerat, & adſtringit, utilem deinde eſſe ſtomacho dicit, & appetentiam cibi excitare ἀνορεξίαν, duplices agnouit cauſas, ut notum eſt; proderit igitur ſtomacho calido, & bilioſo, ſub qua forſan ratione Attici condimenti ſpeciem appellabant tantummodò, ut auctor eſt Athenæus; prodeſſe ſcribit inſuper vulneribus cruentis. non prodeſt ratione temperamenti partium, aut quod glutinet, immò inimicum neruis & conuulſivum quà frigidum, ut notum ex Hippoc. 5. Aphor. at intemperie calida præſente, & profluvio ſanguinis enormi conferre poteſt; quo nomine non mirum, ſi inflammationibus proſit, & cùm adſtringenti facultate polleat, non inutile profectò euadet ad uteri, ſediſque procidentiam; ad Nomas quoque efficax dicitur ab eodem auctore, Nomæ ſunt ulcera corroſiua, ut Goreum conſulentes inuenimus definit. 315. at cur hoc? cùm acetum cauſæ morbi ſimile ſit, prodeſſe poteſt refrigerando, & abſorbendo, ſiue diſcutiendo humorem malignum. venenis proficit, at illorum pleraque frigida, & virulentia diuerſa? iuvat ſecundùm Dioſcoridem ut Vomitorium. ſed optimè Mechonio, & Cicutæ reſiſtit, non tamen ſpecialiter, ſed prohibendo venenatam euaporationem: fungorumque virulentiæ, ixiæ, Taxique conducit; ſic lactis coagulati incommodis ſuperandis opportunum, quemadmodum tanquã alterans craſſam materiam in ventriculo, quem ſubinde roborare valet.

8. Deipnoſophiſt. (margin)

17. & 18. (margin)

De calidis gradu tertio cum ſiccitate.
De Hyſſopo.

CAPVT CLXXIV.

Hyſſopus antiquiſsimis ſæculis cognita Planta, an eadem cum noſtra ſit dubitatur. nominis ratio affertur. vires expenduntur.

Tertium calidorum gradum, quæ contingunt euidentiùs, licèt aliqua cum moleſtia ſenſum guſtus afficiant, citra tamen noxam continuique ſolutionem, ijs adſcribitur à Galeno Hyſſopus planta eximię virtutis, quam dictam Hyſſopum volunt Græci, quaſi ſuper vultum effundatur, ὕω, Græcè perfundo ſignificat, quæ quidem antiquioribus ſeculis exactè cognita fuit, Regius namque Vates pſalmo 51. peccatorum expiationem Hyſſopi aſpergimine deberi ait. ſic & tradunt ſacræ paginæ Salomonem Regum ſapientiſſimum diſputaſſe à cedro, quę eſt in Libano vſque ad Hyſſopum,

8. Simpl. facultat. (margin)

3. Regum cap. 4. (margin)

ſopum, quæ egreditur de pariete. Dioſcorides herbam dicit nulli non cognitam, an eadem tamen ſit, quam vulgò in officinis Hyſſopum appellamus, difficultate plenum eſt; etenim Dioſcorides agens de origano, ſcribit ipſum folia obtinere Hyſſopo non diſſimilia; noſtratis verò folia, quis neſcit longiuſcula, & exilia eſſe, linarijſque æmula, & longè diuerſa ab origani folijs? idem lib.4. cap.55. Chriſocomen, inquit, obtinere comam corymbaceam inſtar hyſſopi, quibus verbis hyſſopo umbellam aſſignat, qua uſitatus hyſſopus deſtituitur. Iſaac Serapionis teſtimonio adſcribit hyſſopo folia maioranæ, ut & Crateuas, notante Anguillario. Præterea Plinius lib.26. baccas hyſſopo aſſignare videtur, quibus comitiales morbos curari ſcribit. his commori peritiſſimi Botanici exiſtimant genuinum hyſſopum eſſe veterum origanum creticum umbella comavè candida inſtructum. quidquid eſt, hodierna hyſſopus egregiam præſtat operam in affectibus omnibus, quibus Dioſcoridis notatu deprehenditur. Meſue hyſsopo purgandi attribuit naturam, & quidem humorum pituitoſorum, cum Irione remixto, Naſturtio, & melle trito. maluit feliciùs Saracenus Cardamo, quod ex textu colligit, licèt Meſue, & Serapio aliter legerint; ſed hæc blandè fiunt, nec proprio dicendi modo. vires eius in pituitoſis affectibus ſingulares, pectoris præſertim, quod annuit Dioſcorides, ſum idem peripneumoniacis, Aſthmaticis, orthopnoicis, diuturnæq; tuſſi, conficijs, ructaque, decoctum prodeſse tradit, ſed tamen cum melle. De peripneumonia dubia res videtur, cùm à ſanguine bilioſo ſit, intemperiemque adeò calidam ſecum trahat; prodeſse poſse tamen opinandum in peripneumonia non exquiſita admixtis temperatioribus cauſam reſpicientibus: immò conferre proprietate totius naturæ, ut Abſynthium in bilioſis, quamuis vox ipſa græca communi ſignificatu quemcumque pulmonū morbum, adeòque & intemperiem frigidam, & ab ea reſultantem diſcraſiam denotare queat. inter alios verò pectoris affectus poſt peripneumoniam grauiſſimum ſymptoma eſt orthopnois, qua afflicti niſi erecto pectore, & ceruice ſpiritum ducere non poſſunt; cuius cauſa eſt vel diuturnior obſtructio à lento phlegmate, aut conſimili cauſa cum acceſſione materiæ recentis magis periculoſum; confert ergò huic morbo utplurimum calore, & tenuitate partium, exterſioneque pituitæ. Exhibetur ergò & eius decoctum, & linctus ex ſucco; efficacius illius extractum eſt, liquidius redditum, & cum ſpiritu vini paratum addito ſaccharo, vel melle puro, tam abſumptum, quàm linctu inſinuatum. Pararunt ex eo Veteres vinum hyſſopites dictum; at præcipuam laudem obtinet hyſſopus in capitis, & articulorum affectibus frigidis, & potiſſimùm in epilepſia, ut prodidit Meſue, ſed pituitoſa; alij verò in quacumque eiuſdem cauſa opitulari tradunt, prout habet Camerarius in Matthiolum. Verùm iam dudum obſeruatum eſt, epilepſiam dependere à noxis externis, & internis; externæ ſunt vulnera ad neruos pertingentia, dolores enormes, adeòque coli inteſtini cruciatus, dentium in puerulis moleſtiæ, ſuctus, ac morſus circa ventriculi orificium à vermibus, aſſumpta acria, & rodentia medicamenta, & venena; ex prioribus ſunt elleborus, ſtibium, ſcammonium, & huiuſmodi validiſſima. Internæ cauſæ poſſunt eſſe humores, vaporeſque corrupti,

Lib. 3. c. 3.

rupti, aut venena in homine producta ex humoribus, ſanguis corruptus, bilis flaua, viridis, atra, pituita ſalſa, & acris, non tamen opus eſt, ut ipſis cerebri ventriculis adhæreſcant illi humores, ut Veterum placita innuunt, ſed ubicumque cerebri membranas, præcipuè circa baſim, adeòq; neruoſum genus ferire, & vellicare poſſunt: Vapores pernicioſi aſſurgere eodem queunt à putridis, corruptiſque cibis, excrementis, humoribus, præcipuè ſemine, & menſtruo ſanguine retento. Vermibus in ventriculo, inteſtinis, vtero, venoſo genere, Meſerço, aut habitu quoque corporis conſiſtentibus: venena tandem, quæ & in cerebro, & habitu corporis, & viſceribus produci volunt. Medetur ergo hyſſopus vel formæ proprietate, ut Alcis ungula, corallia, pæonia, & huiuſmodi alia, vel temperamenti conditione; neceſsaria præmiſsa animaduerſione, cùm à corruptis frigidis cibis, humoribus, vermibus, & vaporibus, cùm ab his non ſublatis vitium dependet.

De Ariſtolochia.

CAPVT CLXXV.

Nominis ratio varia diſquiritur. tria Ariſtolochiæ genera ex Dioſcor. deſcribuntur dubia. circa deſcriptionem Clematis afferuntur, conciliantur. Temperamentum adducitur, vires explicantur.

QVod puerperis ægrè parturientibus Ariſtolochia proſit, tale nomen accepiſse fertur; Græcis namque ſic nomen iſtud ſonare Botanici tradunt, vel quod iiſdem mulieribus abſolutè ex propria ſubſtantia opituletur, dum menſes, & ſecundinas ducere tradunt, vel potiùs tale nomen ſibi acquiſierit, prout à Cicerone proditum video ab Archilocho ſcil. inuentore, vel ob utramq; cauſam. utcumque tamen ſit, res dubia eſt, hoc tamen certiſſimum, hoc ipſum Andromachi verſiculum affirmare, dum ait

Lib. de Diuinat.

Et tenuem Archilochi radicem.

Gal. 1. de Antido.

licèt & utrumque verum eſse poſſit. Latini retento frequentiùs Græco nomine, Ariſtolochiam appellant; vocant tamen interdum etiam malum terræ à figura fructus, quem gerit, huius tria genera facit Dioſcorides. à foliorum ſcil. facie, à radicis præſertim forma, necnon à florum colore diſtincta: fœminam, quam Ariſtolochiam rotundam vocat, à radice orbiculata malo ſimili, marem verò & longam dictam à longiori, & turbinata radice; tertium verò clematitidē appellatam, hoc eſt ſarmentoſam à ramulorum tenuitate. Addit Plinius piſtolochiam, & filyrion nominatam. Recentiores Saracenicam addidere. deſcribitur fœmina Ariſtolochia à Dioſcoride citato loco folijs hederaceis cum acrimonia odoratis, ſubrotundis, caulibus ſarmentoſis à radice germinantibus, rotunda, Rapo ſimili, colore intus buxeo, guſtu amaro, & viroſo, cuius formam lepidè expreſſit Nicander, dum ſic canit.

Lib. 3. c. 4.

Lib. 25. c. 8.

Tuberibus radix innixa rotundis.

huic plantæ idem Dioſcorides aſſignat flores candidos, quos tamen nos ſubluteos, & potiùs ſatura purpura coloratos obſeruamus, pileolorum forma, in quibus quod rubicundum cernitur grauiter olet. in fructu qui à flore deriuatur, cortice fungoſo obducto, includũtur ſemina, de quibus nihil habet Dioſcorides, ſex ordinibus diſtincta, membranaceo corio diſſecta. longa verò, & mas Ariſtolochia deſcribitur à Dioſcoride folijs rotundis, & fęminæ dictæ dudum longioribus, tenuibus ramulis, & dodrantalibus; flore purpureo graueolente; quo euanido reddito, fructus pyriformis emergit, ſenſim excreſcens; radix longa digiti craſſitie: quod tamen de iuniore radice interpretari debet, nam ætatis iam prouectæ longa Ariſtolochia non tantùm ſua magnitudine baculi craſſitiem æquat, ut Plinius aſſerit, ſed etiam brachiali craſſitudine obſeruatur, cuius radicis longitudinem etiam Nicander hoc verſiculo expreſſit.

At maribus longè cubito ſub alta
Defoſſa terra: buxeus color intus vtrique.

Deſignatur demum ab eodem Dioſcoride clematitis Ariſtolochia, quam etiam longam appellat à radicis in longum prolixitate, craſſo aromatico cortice contectæ, quod habeat ſcilicet ramulos tenues ſubrotundis folijs refertos, ſemperuiuo minori ſimiles, floreſque rutæ gerat. Verùm Dioſcoridis deſcriptio huius tertij generis Ariſtolochiæ meritò Viris doctis ſuſpecta eſt, nam quod habet de foliorum ſemperuiui ſimilitudine contra ſenſum eſt; indè opinantur in textu non leue mendum ſubeſſe, ut loco ἀσάρου poſitum ſit ἀειζών, cùm eius folia potiùs Aſaro, quàm ſemperuiuo aſſimilẽtur, quod etiam placuit Saraceno in Notis ad Dioſcoridẽ. Similiter urget, quod de floribus habet, dum eos Rutæ aſſimilat, qui longè diuerſi ſunt. ſunt qui è Botanicis ſuperiorem lectionem, quemadmodum & poſtremam ſeruandam exiſtiment. Verùm quomodocunque, & quicumque tandem eius conatus ſit, qui ad ſenſum verba Dioſcoridis trahere volunt, vix aliquid probabile afferunt; igitur quemadmodum de folijs ſupra allatam lectionem corrigendam cum Viris doctiſſimis ſentio, ſic hanc poſtremam reſtitui poſſe autumo, pauciſſima mutatione verborum facta, vt dum Dioſcorides habet ἀντὶ πηγάνω πιλίσκω, legatur πιλίσκω, eò quia quãuis flores Ariſtolochię in unoquòq; genere differant forma, tamẽ eadem eſt; obſeruantur enim pileorum inſtar, ut idem Dioſcorides habet. Temperamentum ex omnium horum trium generum ſimile eſt, ſtatuiturque in tertio caliditatis gradu, quod & Dodonæo, & Præuotio placuit; quamuis Matthiolus tantum calorem in Ariſtolochia non cognoſcat, quia non in ea acrimonia, inquit, non amaror tantus, nec tanta odoris acuties, ut ſuadere poſſit, tertium obtinere caliditatis gradum. effectus tamen ſunt ignei caloris: in radice adeſt odor, & perſentitur amaror, ex ijs facilè deducitur vires ſuas exerere ſupra ſecundum caloris gradum, nec minorem ſiccitatis exceſſum poſſidere. Cæterùm ad vires Ariſtolochiæ quod attinet, habet Dioſcorides præcipuè venenis omnibus rotundam reniti, longam verò etiam contra ſerpentum morſus, ſed præſertim ex Doctiſſimo Poeta Nicandro viperarum, qui utriuſque Ariſtolochiæ in Theriacis deſcriptionem exhibet, hæc deinde ſubdit.

Haud temerè inuenies medicamen morſibus ullum
Vipereis prodeſſe magis.

Cæteiùm Dioſcorides de longa Ariſtolochia protulit, contra ſerpentum valere noxas; rotundam verò magis ad cætera venena conducere; addit partus, & ſecundas exrrudere, & hinc nomen ſibi acquiſiuiſſe, ut ſupradictum fuir. cum Myrrha & pipere menſes in peſſo ſubditam excitare, quod tamen officium utrique Ariſtolochiæ aſsignatur; menſibus namque copioſiùs fluentibus morbos contingere, eoſdem etiam contingere non fluentibus Hipp. decretum veritatem abundè manifeſtat; ſie ſymptomatum grauiras, ſie affectæ ægræ premunrur; cauſæ ſuppreſsionis variæ. in ſanguine deficienre, vel craſſefacto, vel tracto in vaſis obſtructis, vel conſtipatis, vel coalitis; necnon ſuſpirioſis, & ſingulrui obnoxijs opitulari. Veiùm quomodò Dioſcorides Ariſtolochiam ſingulrui ſanando aptat, ſi ex inanirione eſt, aut ab humore acri, ſitque Ariſtolochia medicamenrum calidum, & ſiccum, & ſecundùm Meſ. opinionem, medicamenrum purgans, ergo tantum utilis erit in ſingultu excitaro à flatu in ventriculo ſubſiſtente, ut annuebar idem Meſ. aut à pituita ſalſa; quamuis de alijs poriùs irritamenris & à vermibus, & à ſimilibus accipi queat, quàm de flatu, qui ventrieuli motu facilè ſurſum erumpit. lateris dolorem mirigar, qui attrahit ad ſuperficiem; immò & ſpicula determinatè attrahir; an ob calorem dubium, quia ſimilia ipſi temperamento non faciunt idem. ulcera excedir, ſed hactenus, ut radix præuſta ſir; ulcera caua ſordida emendar, quia exedit uſtulata, cùm indè & melle ea etiam explet, horroribus febrium aduerſari, validèque lienis affectibus; quidni? abſtergir enim; pollere tamen inefficaciùs cæteris clematitem ait, ſed magis valere ad unguentorum ſpiſſamenta, ut quæ odoratiorem radicem gerat.

De Gentiana radice.

CAPVT CLXXVI.

Contra peſtilentes Morbos & venena Gentianam pollere, immò cæteris huius conditionis plantis præpollere aſſeritur. deſcribitur, temperamentum aſsignatur, vires adducuntur.

HErbas medica virtute pollentes vel ijs ipſis, vel heroibus tanquam inuenroribus grata quondam Antiquiras adſignabat; ira Gentianam Gẽtio Illyricorum Regi attributa. quod Dioſcoridem non latuit, nec Plinio ignotum fuit. *Lib. 3. c. 3.* Celebri memoria non minùs ſuſpicienda planta, quã ſui uſus præſtantia, ut dubium ſit, an Gentiana decoris magis Regi addiderit ſui inuentione, an verò Rex plantæ proprium nomen communicando; cùm hæc ſtirps ſingularis tum putredini ſuperandæ, tum peſtilentibus morbis, peſteq; ipſa, profligando, cæteris medicamentis ſuperior ſit, & ſingulare Antidotum venenis, & venenatis omnibus, ſiue curationem, ſiue præcautionem ſpectemus, exhibeat. folia gerit plantagini, vel potiùs albo elleboro ſimilia, molliora tamen, viridia, ſed quæ circa radicem ſunt

ampliora, & ſubrubentia, nervulis ſtriata, complicataque. caules promit à radice craſſa buxeo colore amariſſima, bifida, ut plurimùm inanes, digiti pollicis craſſitie bicubitales, & quandoque amplius; per caulem gerit folia minora inter genicula bino ordine erumpentia, & caulem ipſum per ambitum circumambientia; flores ex interuallis nodoſi, coronæ modo ſcapum circumambiunt, duplici, vel triplici ordine per interualla diſpoſiti, colore lutei, foliolis ſex in orbem explicatis è cauliculis exeuntibus conſtantes, in quibus ſemen compreſſum, tenue, leue leucoij, vel ſpondilij ſimile ſubruffo colore. Ad temperamentum quod attinet, radici, quę ferè ſola in uſu eſt, ab omnibus exceſſus tertius caliditatis tribuitur, habet enim Dioſcorides citato loco, radicem, quam longæ Ariſtolochiæ aſſimilat, habere vim calefactoriam, & detergentem; A uic. verò eidem tertium gradum caliditatis tribuit, & ſiccitatis quoque in eodem gradu. Auerroes verò in actiuis Auicennæ conſentit; qualitatis tamen paſſiuæ unum gradum demit. Galenus valenter ait attenuare, abſtergere, extenuareque, & ab obſtructionibus liberare. Vires Gentianæ aduerſus morbos eximiæ quidem ſunt, ſed præſertim contra venena, cùm etiam bruta animalia à venenorum iniurijs vindicare valeat. ingreditur item tanquam præcipuum medicamentum Theriacam Diateſſeron, & eiuſdem baſis eſt, quæ quidem Antidotus ab Aetio tantoperè commendatur, pręſertim cõtra peſtem, & omnes frigidos affectus, & eam vocat myſterium non ſine myſterio. opponitur valenter canis rabidi morſibus ex Galeno. radicem cum aqua potam ſtomachum roborare tradit Dioſcorides, lumbricoſque ita ſumptam necare. ex ea idem Auctor ſuccum extrahit, & modum extrahendi docet, cuius pondere unius drachmæ ad laterum dolores exhibet; ſic ex alto cadentibus, ruptis & convulſis, ſic & hepatis vitia, & obſtructiones mirificè emendare trahit: ſic additam in peſſo radicem fœtum extrahere habet, quod de mortuo habendum: vulnerariam eſſe aſſerit, & cuniculoſis ulceribus utiliſſimam; valet ſuccus quoque ad oculorum inflammationes, & ad vitiligines validè abſtergendo.

6. Simpl.

5. Simpl. 6.

De Ditamo.

CAPVT CLXXVII.

Dictamum Veteribus ad vulnera & plura alia commendatum aſſeritur. cur ſic appellatum. Plutarchi locus conſideratus circa Dictami deſcriptionem. Dioſcor. notatus. temperamentum definitur; vires conſiderantur.

Dictamum decantata Virgilio planta in vulnerum curatione, & ſagittis extrahendis mirabili proprietate naturæ nobis meritò hic locum expoſcit, ubi præſertim dudum de Gentiana planta venenis validè occurrente verba fecimus; quibus etiam profligandis Dictamnum ipſum in primis commendatur, & inter præcipua alexipharmaca non ſecus atque Gentiana ab Andromacho, & Democrate reponitur. ita autem tamà Græcis vocatum, quod parientibus mulieribus peculiarem opem ferat,

quam

quam facultatem Plutarchus in libro de Solertia animalium à capris homines didiciſſe ait, ſpicula infixa gerentibus; Capellæ (inquit) Cretenſes, quod Dictamo eſt facilè eijcient infixa ipſis ſpicula; ſtatim enim ſauciatę eam herbam, & nihil aliud ſectantur. grauidis item mulieribus occaſionē dederunt obſeruandi, eam plantam vim eijciendi fętus habere. hoc etiam repetit in Gryllo. idem habet Cicero de natura Deorum, quod quidem ab Ariſtotele, & Theophraſto deſumpſiſſe habendum, quorum ille hoc
9. De hiſt. plant. c. 16. ipſum refert, hic verò. diſſidium appatet inter hos Auctores, & Plinium,
9. De hiſt. animal. c. 6. qui non capras, ſed ceruos monſtraſſe Dictami vires in extrudendis telis
lib. 8. c. 27. infixis ex Dictami paſtu mox eiectis; quod tamen de ceruis verificati poteſt, cùm una & eadem planta ex propria innata ſua virtute ſpecifica non unicæ ſpeciei animalium proficua ijſdem viribus eſſe poſſit. hoc quidem lepidè, ut ſemper, expreſſit Virgilius, dum inquit.

12. Aenead. *Non illa feris incognita capris*

Gramina cùm tergo volucres hæſere ſagittæ:

Facilitatem autem eijciendi partus in Dictamo cognouit etiam pluribus in locis Hippocrates, & expertus eſt loco citato & Theophraſtus, &
Lib. 3. c. 37. Dioſcorides, qui tamen & hiſtoriæ Theophraſti, & veritati refragatur, dum Dictamum nec florem, nec ſemen gerere, dum Theophraſtus de Dictamo locutus (inquit) vſus foliorum, non ramorum, nec fructus eſt) ergò & ramos, & fructus gerit, licèt eorum vſus tunc temporis non probaretur. experimentum etiam contrarium eſſe conſtat nobis videntibus, qui quotannis Dictamum creticum in vaſe fictili colentes inſpectamus in horto publico, florem quidem gerere, & quandoque etiam ſemen, quod ſpontè deciduum, & inciſi parietis loco clanculum adhærens, propè vas, ubi Dictamum alebatur, etiam ibi natum effloreſcere vidimus, ramulosque floridos collegimus: quod quidem Virgilium non latuit, dum inquit loco citato.

Dictamum genitrix Cretea carpſit ab Ida,
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo.

Hinc opinandum eſt Dioſcoridis temporibus radices Dictami tantùm, & folia, non caules, non flores, ad Europeos deferri, quod etiam innuere videtur Theophraſtus, dum inquit citato loco; uſus foliorum, non ramorum, aut fructus eſt. eſt igitur Dictamum planta aromatico odore eleganti prædita, ſemicubitalibus ſurculis è radice emananti bus, in quorum ſummitate erumpunt quaſi ſpicæ ſquammatim compactæ, in quarum interſtitijs flores emergunt purpurei; ſemen in ſquamulis à flore ſuccreſcit; folia ſunt rotunda, parum acuminata, veluti lanugine quadam obducta, qua viridis color parumper obtunditur, Pulegio, ex Dioſcoride, non diſſimilia, ſed ampliora. Radix multifida. calidum, & ſiccum Dictamum in utriuſque qualitatis exceſſu tertio creditur: immò ex effectibus, & ex exhalante odore, ſaporeque acri facilè colligi poteſt. huic plantæ vires efficaciores Dioſcorides, quàm Pulegio, tradit. Potum dictamum, vel appoſitum, in ſuffitu adhibitum, efficax remedium, ut mortuum fætum eijciat; ſic & partum accelerare, & dolores parturientium mitigare habet. contuſa to-

ta planta, & appoſita, ubi ſpicula infixa reperiantur, validè extrahere experimur: qua autem facultate id efficiat, ſi non admittimus ſpecificam, quæ proculdubio prævalet, præſtare hoc idem poterit, partem calefaciendo, facultatem irritando, & eamdem roborando. at quoniam æquè calidæ, & ſiccæ plantæ id non operantur, neceſſarium eſt ad ſpecificam facultatem confugere. lienis dolores imminuere habet, ut quibus doloribus demendis conueniat in liene planta calida, & ſicca in tertio, non æquè conſtat, ut inde proprium huius viſceris an ſit remedium, ambiguum ſit, quia viſcus iſtud neruos poſſideat perpaucos, flatuum conceptabula non obtineat, & aliquando dolor à cibo ſumpto in latere dextero oboriatur, & exercitijs validioribus, veroſimilius eſt, dolorem hunc, cui prodeſt, à flatibus fieri ob peritonęi diſtentionem, aut muſculorum abdominis diuulſionem. utcumque ſit, Dioſcorides ad dolorem lienis Dictamum commendat, tandem pauciſſimis verbis, ſed elegantiſſimis plantæ elogium ſingulare concinnar, dum ſubdit; Herbæ verò tanta vis eſt, ut ictu venenato ſæuientes beſtias & olfactu abigat, & contactu perimat: ſuccumque ex eo expreſſum, concludit, vulneribus ferro illatis, aut venenatis morſibus, deſtillatum, aut in potu ſumptum eſſe præſentaneum remedium. Hanc plantam in antidotis uſurpari, magis manifeſtum eſt, quàm ut ego declarare valeam.

De Mentha.

CAPVT CLXXVIII.

Cur Mentha ita Veteribus appellata diuerſæ cauſæ adducuntur. Affertur ex Oppiano eiuſdem plantæ fabula. Ariſtoteles notatus, vindicatus ab Hipp. genera afferuntur, deſcribuntur. temperamentum & Gal. definitum, vires explicantur.

MEntham, ut odoris ſuauitatem eiuſdem Theophraſtus inſinuaret, ἡδύοσμον vocabat; hoc tamen magis expreſsè declarauit Dioſcorides. hinc deducendũ, Mentham appellatam, non quòd mentem percellat, ut quidam opinati ſunt, cùm ſuo odore ſuauiſſimo ſpiritus animales & recreare, & exhilarare valeat; odor enim eius, inquit Plinius, animum excitat, & ſapor auiditatem in cibis; ſed forſan potiùs ſic dictam, quia aliquæ eius ſunt differentiæ, quæ pulla hirſutie obducta videntur, quæ forſan Veteribus magis in uſu erant; etenim μίνθος Græcis lanuginem quamdam ſignificat colore cinereo, qualis in liquoribus, quandoque ex nimio humido mucidam conditionem in ſuperficie contrahentibus obſeruari ſolet, palleſcentia in menthæ ſylueſtris folijs cernitur. Cæterùm Antiquiores, ut in celebrioribus plantis nominis etymon colligerent, ut plurimùm ſpecioſam quamdam fabulam aptauere; ferunt enim Plutoni formoſam quamdã Pellicem fuiſſe Mintham nomine, quæ in hanc odoratam plantam conuerſa fuerit, quod nec Strabonem latuit, nec Ouidium, dum hic cecinit.

7. De hiſt. plant. c. 7. Lib. 3. c. 41. Lib. 20. c. 19 8. Geograph. in lib. Metamorph

Femi-

Fœmineos artus in olentem vertere mentham
Perſephone licuit.

In Alieutico pag. 275. quod tamen magis diſtinctè ab Oppiano lepidis verſiculis explicatum video; quem locum integrum ex Rhuteruſij verſione integrum hìc inſerere non grauabor.

Cùm his ſimul mintham ſcilicet odoram, quam olim puellam
Perhibent ſubterraneam fuiſſe Cocytidem Nympham.
Recubuit verò in captum Pluto; ſed cùm filiam
Vnicam Proſerpinam rapuit ab Ætneo monte,
Tunc ſanè ipſam ſtrepentem ſuperbis dictis
Aemulatione inſanientem proteruè irata.
Ceres obtriuit conculcans plantis.
Dicebat enim ſe illuſtrioremque genere, & forma præſtantiorem
Proſerpina eſſe nigricula: ad ſe verò ipſam
Gloriabatur rediturum Plutonem; hanc verò ex ædibus
Exacturum. talis ipſi in linguam inſiliſje noxa.
Herba verò nihili, & cognominis exilijt è terra.

Verùm varij uſus planta olim mentha fuit, immò, ſi Ceſalpino eredimus, à Theophraſto inter olera ſub ſiſimbrij nomine, quod aquaticam mentham fuiſſe opinatur, repoſita. Hippocrates in medicis operationibus eadem non ſemel uſus eſt, & ad plura ab eodem commendata; ut mirum ſit, quomodo Oppiani interpres mentham malam herbam appellauerit, ſtirpemque ſingularem ſuauiſſimo odore ſcatentem conuicijs onerauerit. Cauſa tamen nobis facilè innoteſcet, ſi conſiderauerimus quod habet Ariſtoteles; quærit enim ibi Philoſophus, cur in antiquorum prouerbium abierit tempore belli neque mentham edito, nec ſerito; adeòque cùm ex problematis huius ſolutione mala cauſa intercidere videatur, non immeritò ab Oppiani interprete etiam malam herbam mentam vocari potuiſſe. Soluit igitur problema Ariſtoteles, & reddens antiquæ parœmiæ rationem, inquit, an quia refrigerat corpora, ſubiungit, ſatis docet autem id ſeminis corruptio; hoc autem eſt contrarium fortitudini, & animoſitati. reſponſio ſanè Ariſtotele digna eſt, & quæ cur cauſam prouerbij dederit mentha, declarat, ut quæ animoſitatem tollat, ac ſubindè fortitudinem, quibus ambabus opus eſt in bello; deregitque ſimul, cur ab Oppiani interprete mala herba vocetur. Carpitur tamen ſeuerè nimis Ariſtoteles à quibuſdam viris doctis, quaſi ipſe menthæ temperamentū ignorauerit, & frigidam autumauerit plantam, quæ & ſenſus teſtimonio, & virorum ſublimiorum decreto calida in tertio, & in ſecundo ſicca conſtituta eſt; refragatur, inquiunt, ſenſui quia acris eſt mentha, non ſine aliquo, licèt leui, amarore, & quia valdè odorata percipitur, indicia, ſi Theophraſtum conſulamus, caloris, & ſiccitatis; ſed Dioſcorides, & Galenus calidam expreſsè ſtatuunt, dum ille mentham pronunciat calidam in tertio gradu, & in ſecundo ſiccam; hic verò calefaciendi, adſtringendi, exſiccandique vi præditam eſſe decernit. at tantum abeſt, inquiunt, ut mentha ob ſuam frigiditatem ſemen corrumpat, prout facere poſſunt lactucæ, blitus, portulaca, & alia huius generis frigida, & animoſitatem, & fortitudinem tollat

Margin notes: 2. Probl. 2. — 8. De hiſt. plant.

tollat ob ſeminis ab eius frigido temperamento corruptionem, ut potiùs ad Venerem homines propellat, aliqua præſertim, qua pollet humiditate, ſi de ſatiua loquamur, quæ cum calore coniungitur, ut faciliùs erectioni conducat, & Venerem ignauam ſuſcitare valeat, quod Dioſcoridem dixiſſe videmus. calidã tamen mentham certè cognouiſſe Ariſtotelem mordicus tenent conciliator noſter Petrus Aponenſis, Leonardus Fuchſius, & plures alij; per accidens tamen, inquiunt, euadere frigidam, quod per ſe nequit, cùm calida exiſtat in tertio gradu, ita ut ſi edatur, ad Venerem homines excitet, ſic frigiditatis effectus edere cùm ex nimio veneris uſu eneruentur, & langueſcant corpora, & ſic ad bellum viri inepti euadant, quæ tamen horum virorum clariſsimorum ſententia Ariſtotelem ab obiectis non vindicat, cùm clarè dicat refrigerare corpora, corrumpendo ſemen; & ubi procliuitas ad Venerem adeſt, non eſt indicium ſeminis corruptionis, igitur alia via ineunda eſt, ut Philoſophi ſententiã explicemus, quod quaſi de induſtria antiquiſsimus Philoſophus Hippocrat. qui quaſi quæſtionem futuram diuinauerit, eam ſoluit ſecundo de Diæta, ubi manifeſtè declarat, cur corpus ex eſu menthæ imbecillum reddatur, licèt calidam eam cognoſcat, & pronunciet, dum hæc habet. Mentha calefacit, urinam cit, vomitionemque ſiſtit, ac ſi quis eam ſæpè cõmedat, eius genitale ſemen ita colliquefacit, ut effluat, & arrigere prohibet, corpuſque imbecillum reddit; en igitur cur paræmia introducta Antiquioribus illis ſit, tempore ſcil. belli mentham neque edito, nec ſerito, eò ſcil. tempore, quo corpora robuſta, & animoſa requiruntur, & quo modo mentha corpora refrigeret, ſemen corrumpendo, & ſic refrigerare mentham dicamus cũ Ariſtotele, non poſitiuè, ut frigidæ plantæ faciunt, ſed priuatiuè, quatenus ſuo calore, & ſiccitate ſemen colliquat, ut ſponte fluat, cùm ſpiritus in ſemine vegetiores reperiantur, & caloris influentis pars præſtantiſsima, qui ſanè ſeminis effluvio diſsipantur, ut hinc erectio tollatur, corpuſque ſubinde frigidum, & imbecillum reddatur. non deſcribit mentham Dioſcorides tanquã etiam ſui æui notiſsimam plantam, quæ in triplici genere diſcriminatur, quatenus vel hortenſis vocatur, vel ſatiua, vel ſylueſtris; & quę quidem ſumma mentæ genera in varias diuiduntur ſpecies; hortenſis mentha in duplici differentia reperitur, quarum una rotunda folia gerit, altera verò oblongius folium fert, utraque tamen ſuauiſsimè olet; ſuaueolentior eſt tamen ea, quæ magis rotundum habet folium, in ambitu leuiter crenatũ, ſaturo quidem virore perfuſum; hæc à radice tenui fibroſa in ſua copioſa germinatione in latum ſerpit, & graminis inſtar noua propagatione, inſtar recentis fæturæ, plantam ipſam reparare ſtudet, à cauliculis ſerpentes, hirſuti quadamtenus, quadrangulares, ſubrubentes floſculi circa cauliculos rubelli in elatiore parte uſque ad ſummum in orbem prodeuntes, orbiculatim diſpoſiti, pulegij inſtar ramulos coronant; altera verò differentia folijs oblongioribus viſitur, hirſutis, & quodammodo tomentoſis, diluto virore præditis; in ſummis ramulis flores emergunt non verticillatim adhærentes, ſed potiùs ſpica quaſi purpurea caulis ſummitatem occupantes; radices priori ſimiles, adeò viuaces, ut copioſa ſua germinatione frequenter ſuboleſcant. ſylueſtris quoque

mentæ duplex obſeruatur differentia, quarum una aquatica mentha vocatur, quia circa foueearum margines, paluſtriaque loca naſcatur, quæ teneriſsimis eius exiſtentibus cauliculis in cibo gratiſſima eſt, & ſuaui odore prædita; ſeneſcens verò non adeò odorem gratum habet, immò amariuſcula videtur; folium gerit rotundum, ſubrubrum, in caulicorum ſummitatibus florem purpureum ſpicatum gerit; poſtrema differentia ubique naſcentis menthæ eſt, folio latiore, longioreq; ad candidum vergente, plicato, & tomentoſo, acri ſapore, & odore non admodum grato, quæ floribus ſubcandidis, oblonga ſpica in caulium ſummitate emergit. præter allatas menthæ differentias, plures etiam aliæ à Botanicis deſcribuntur, temperamento viribuſque parum, aut nihil diſſimiles, & quæ facilè ad relata genera reduci poſſunt, quas deſcribere conſultò omittimus, cùm officium noſtrum non ſit, aut inſtitutum, cunctas plantas à Clariſſimis Botanicis deſcriptas afferre, ſed ſelectiores, & quæ in Medicorum commodū faciliùs cedere poſſint. De temperamento menthæ nihil aliud dicendum, cùm ſupra ex Galeno definitum ſit, & cui ſententiæ Recentiores aſſentiri videntur. Ophmanno tamen tanta caliditas in menta non arridet, ſecundum tamen ſuperare gradum caliditatis concedit. Ad vires quod attinet, ſanguinem ſiſtere Dioſcorides habet, ſi ſuccus cum aceto ſumatur, *ut hoc idem efficere valeat ſua ſiccitate qua pollet*, & à qua adſtrictoriam facultatem adepta ſit, lumbricis necandis rotundæ ſuccum optimum eſſe aſſerit; Venerem ſtimulat inquit: at quomodò ſtimulat, ſi genituram corrumpit, liquat, effluereque cum Ariſtotele, & Hippocrate facit, ac ſubindè languida corpora reddat? facit quidem, niſi parciſſimè ſumatur, quod de ſatiua præſertim habendum, quia humidior cæteris eſt. quod ſi uſus ſit perennis, id contingit, quod & Hippocrates, & Ariſtoteles aſſeruere. declarat indè Dioſcorides ſtomachicam eſſe, quod menthæ præcipua facultas adſcribitur, ob id conducere ſingulariter vomitibus, & in cholera tradit. fronti appoſitam, ſi à cauſa frigida pendeat, capitis dolorem mitigare, & abſceſſus diſcutere tradit, ſi emplaſtri modo contuſa apponatur. lactis abundantiam in puerperis compeſcit, mammaſque ex lacte tumentes reprimit. contra canum morſus utiliſsimum remedium euadit, ſi circa vulnus illinatur. dolores aurium mitigat inſtillatus ſuccus; habet inſuper ſi in peſſo ſuccus mulieribus ſupponatur ante coitum, impedire conceptum. perfricatam mentham linguæ aſperitatem tollere ait. *in lacte* folia remixta impedire aſſerit, quominùs caſeus cogatur. concludit ſummoperè ſtomacho conducere, recipique etiam tanquam condimentum, & multi uſus eſſe. Plinius elephantiaſi ſuccurrere habet, quod caſu Magni Pompei temporibus innotuiſſe refert. Aduerſuſque omnia venena pollere, ſed peculiariter ad venenum ſcorpionis, ſcolopendriæ; Regioque etiam morbo aduerſari.

De

De Pulegio.

CAPVT CLXXIX.

Nominis ratio diuerſa in Pulegio conſideratur. Diſtinctio à Plinio adducta in marem & fœminam inutilis. Recentiorum differentia magis propria. deſcribitur pulegium, eius adducitur temperamentum, vires examinantur.

PVlegium, quod menthæ genere ſimile ſit, inquit Plinius, temperamenti affinitate, & odoris ſuauitate, ſuccedit conſiderandum, magnam namque, inquit idem auctor, habet ſimilitudinem cum mentha ad recreãdos animo defectos. Pulegium dici Latinis autumant herbarij à pulicibus necandis, fugandiſque odore, blacon, βλάχων vocant Græci, quia acris, & amariuſculi guſtus ſit, balatum pecoribus excitat, ſi eo paſcantur, licèt hoc nomen plures adeptum fuiſſe aſſerant quia infarctam in Thorace, & pulmonibus pituitam extrudere valeat. In marem, & fœminam pulegium diſtinguit Plinius, fœminamque gerere ait florem album, marem verò purpureum; Dioſcorides tamen huius diſtinctionis non meminit, cùm in alio non differant, quàm in floris colore, & ſanè diſtinctio, quæ per ſexus differentiam traditur, inofficioſa omninò, & logica videtur. Recentiores tamen duo genera pulegij faciunt, nec ſine ratione; alterum ſatiuum vocant, cui folium latiuſculum, alterum ſylueſtre anguſto folio donatum, ſurculis multis rotundis à radice prominentibus, quorum alij humi procumbunt, alij in altum attolluntur; folia parum hirſuta, ad genicula ſingulorum caulium rotunda bina emergunt, circa verò caulem flores cærulei in orbem per interualla diſpoſiti ſuauiſſimo odore prædìti, quemadmodum tota planta. Sylueſtri verò pulegio folia ſunt minora, anguſtiora, nonnihil hirſuta. habet Dioſcorides pulegij plantam calefacere, & extenuare, gradus tamen caloris non aſſignat. Galenus ex experimento gradus metitur, licèt expreſsè non habeat quo gradu caloris operetur; tradit tamen, alicui parti admotum noſtri corporis, non tantù n eam rubificare, ſed etiam exulcerare; ſapore in caule non diſſimili ſerpyllo, quemadmodum proximum forma, odor tamen non ita ſuauis. Communiter tertium gradum caliditatis cum ſecundo gradu ſiccitatis eidem plantæ aſſignatur, nec falluntur, qui hoc faciunt. pulegium Dioſcorides habet coctiones iuvare, calorem enim ſtomachi eo modo, quo mentha ſeruat, & auget, ideo rectè ſubiungit, lenire nauſeam, & roſionem ſtomachi ſumptũ cum poſca. addit non ſolùm menſes excitare, ſed & ſecundinas, & fœtum educere excreatu excitato, remixtum cum melle, & aloe pituitam in pulmonibus latentem trahere habet, & nigram bilem per inferna educere, quod per urinam intelligendum; urinam enim ciere, & calculos educere tradit. venenatis morſibus cum vino ſuccurrit; immò conuulſis etiam opitulari tradit in aceto infuſum. naribus admotum animæ defectus corrigit, ſuſcitatque labantem; cuius puluerem gingiuas firmare aſſerit. inflammationibus cum polenta adhibitum emplaſtri modo conducit, quod de- Lib. 19. c. 8.

confirmatis potiùs habendum, materiam digerendo, quod inferiùs declarat dum inquit, corrigere duritiês,& inflammationes; podagricis quoque doloribus ſuccurrit, materiam iam in parte confirmatam digerendo; habet enim per ſe id facere, Incenſa ad ruborem cute; lienoſis appoſitum cum ſale conducere, & in decocto ad prurigines tollendas opportunum cenſet.

De Origano, & Tragorigano.

CAPVT CLXXX.

Origani Hiſtoria à Veterum obſeruatione adducitur, inter condimenta etiam deſideratum; dulcedinem ex Ariſt. muſto indere, origani genera à Dioſcor. recenſentur, temperamentum affertur, vires explicantur. De Tragorigano nonnulla ſubuectuntur.

ORigano præ cæteris plantis, quas in ſummo pretio habuit ſolertiſſima antiquitas in ſuperandis præſertim venenis, glorioſam palmã tradidere Veteres; ſub qua ratione non humano generi commendatum tantùm, ſed etiam à brutis animalibus expetitum fuit, quod eo venenorũ deleteriam vim eluderent; Teſtudines namque, & Ciconiæ cùm ſerpentibus paſcantur, ſæpeſæpiùs vel eorum comeſtione, vel ictibus periclitantur. Verùm ex origani affrictu vitices ſanare, & virus ſuperare compertum eſt, quod Ariſtoteles his verbis expreſſit; *Teſtudo, inquit, cùm viperam*
2. de hiſtor. anim. cap. 6. *deuorauerit, mox origanum edit. ſubiungit, ad quæ hoc obſeruatum eſt; quidam igitur cum id conſpexiſſet, ſed ſæpè hoc eam facere, ut guſtato origano ad viperam rediret, extirpauit herbam, quo facto teſtudo interijt.* Hoc ipſum habet etiam libro de Admirabilibus auſcultationibus, dum dicit; *teſtudines, aiunt, quando ſerpentem deglutierint, mox origanum inſuper vorare, id niſi promptum ſtatim inuenitant, interire, multoſque ruri degentes cùm id experiri vellent, comperta opportunitate, origanum auulſum quærenti præripuiſſe, eoque animans in ipſorum conſpectum ſtatim interijſſe*; quod etiam expreſſit Plutarchus libello de Solertia animalium dicens; *teſtudines origanum, muſtelæ rutam mandunt, ubi aliquid de ſerpente comederint*; immò idem Ariſt. de ciconia locutus citato loco paulò inferius ſubdit: *Ciconiæ, cæteræq; aues cùm vulnus à ſerpentibus per pugnam acceperint, origanum plagæ apponunt.* interim non ſpernenda eſt origani exiſtimatio, dum inter obſonia pro condimento uſurpatur; Antiphanes enim ex Athenæo lib. 2. dum condimentorum catalogum affert, de origano meminit; & ex eodem Athenæo Anaxandrides de origano hæc habet; Aſparagum concidit, & Lentiſcum, & Origanum, quod admixtum Coriandro ſalſamentis gratiam addit, & ornamentum, nec ſolùm condimentum cibis, & obſonijs intruſum origanum affert, ſed potui etiam gratiam conciliat, dum dulcedinem vino indit, quamuis tale natura ſua non ſit;
3. Probl. 2. Ariſtoteles namque docet modum, & affert menſuram quantitatis origani in muſto admiſcendæ, ut inde effectus emergat, dubitaturque, qua ratione origanum id efficere valeat, an ratione proprij temperamenti, an potiùs aliqua ſua peculiari facultate, & forma prædominante; concluditque,

hoc

hoc procedere vi proprij temperamenti, quia origanum caliditate ſua muſti partes humidas, quæ dulcedini officere valent, abſumit; probatque hoc in eodem problemate Ariſtoteles exemplo uvarum, è quibus ſi dulce vinum futurum deſideramus, neceſſe eſt, ut ad ſolem tabeſcant, ut humiditate conſumpta, & parte cruda concocta, vinum dulce reſultare poſſit. Ex manifeſtum euadit, hanc odoratiſſimam plantam multis nominibus ſuſpiciendam eſſe; quæ tamen à loco etiam ubi naſcitur præſtantiam maiorem deſumit; Athenæus enim habet Tenedicum origanum præ cæteris præſtantiſſimum in condimentis uſurpari; immò ex eodem Athenæo Antiphanes, & Cantarus profitentur origanum acerrimum ex Arcadia deferri, ut hoc lepido verſiculo expreſſere:

Ex Arcadia hic origanum attulit acerrimum.

Quamuis doctiſſimus Poeta Nicander de origano panateio, ex Panato Atticæ loco ſumpto, ubi uberrimè naſcebatur, tanquam de præſtantiſſimo venenis arcendis loquatur.

A quo ſumpta occaſione Salmaſius carpit Dioſcoridem, qui origanum Heracleoticon panaceam vocauerit, cùm potiùs panateam cum Nicandro, quem citat vir ſummus à loco ubi naſcitur, appellandum eſſet; qui error, ſi talis eſt, forſan ſcriptoris culpa, non ſua, in textu Dioſcoridis irrepſit. Ita denominari origanum dixere Græci, cuius plures ſunt ſpecies, ſiue genera, & tria enumerantur à Dioſcoride, & primo loco quod deſcribitur origanum, eſt Heracleoticon dictum, cauliculis rotundis ſubrubentibus, ſæpè cubitalibus, folijs rotundis in acutum deſinentibus, pollicis latitudine, hirſutis, albicantibus; in caulium ſummitate veluti ſpica apparet ſquammatim compacta, ſiue, cum Dioſcoride, vmbella, in qua flores exiles candidi, inde ſemen exiguum eſt. Secundum origani genus vocatur Onites, quod Aſini eo libenter veſcantur, ita Scholiaſtes Nicandri in Theriacis; deſcribitur ab eodem Dioſcoride candidioribus folijs hyſſopo ſimilibus, ſemenque habere aſſerit veluti corymbos cohærentes, ac ſibi inuicem incumbentes. Tertium genus ab eodem Dioſcoride deſcriptum, eſt ſylueſtre origanum, quod non inani coniectura origanum Creticum noſtris hiſce temporibus vocatum creditur, & præſtantius ab eodem Auctore exiſtimatur, & quod & cunilam, & panaceam vocari ex Nicandro prodit; quamuis non panaceam, ſed panateam à loco idem Poeta, ut ſupra retigimus vocauerit. Deſcribitur folijs origani tenuibus, virgulis dodrantalibus, in quibus umbellæ anethi ſimiles, flores candidi, radix inutilis; ex cuius deſcriptione ſylueſtris origani forma ſatis obſcura colligitur; noſtrum namque ſylueſtre, quod viribus omninò Dioſcorideis reſpondet, emergit caulibus tenuibus, rotundis, cubitalibus; folia rotunda non ſine aliquo acumine, ſed pulegij magis hirſuta, & latiora; flores umbellatim diſpoſiti obſeruantur purpuraſcentes, à quibus ſemina parua dilutè rubra. horum generum plures differentiæ à Lobellio, Dodonæo circumſcriuntur, alijſque pluribus; quarum omnium Elenchum habebimus ex Bauhino in pinace. temperamentum calidum pronunciat Dioſcorides, & autumant explere tertium gradum cum pari ſiccitate. Commendatur unumquodque genus à Dioſcoride contra venena, præſertim

Lib. 3. c. 32.

tim ictu inflicta, contuſis folijs, vel in decocto ſumpta potione, & ſpecia-liter ad Gypſum, & ad Ephemerum; inefficaciùs tamen operari Oniten. origanum ipſo Heracleotico tradit; commendat origani decoctum ad ruptos, convulſoſque, & præſertim ad hydropem aridum, acetabuli menſura exhibitum cum aqua mulſa per alvum humores educere; tuſſi mederi cum melle linctum, quod de catarrho frigido & impacto interpretandum; menſes excitare aſſerit, & regio morbo aduerſari; pſoræ, & prurigini in balneo opitulari; expreſſum ſuccum laborantibus tonſillis, aphthis, & furunculis mederi; ſuccus naribus attractus cum irino oleo errhini inſtar caput purgat; aurium dolores cum lacte inſtillatus mitigat; herbamque ſubſtratam, vel in ſuffitu adhibitam ſerpentes fugare; ex origano cum Rhoe obſoniorum, & cępis admonet vomitorium confici, ſi hæc omnia per quadraginta dies caniculari ſoli exponantur.

Tragorigani poſtremò hiſtoriam, & vires ſubnectit, dum hoc capite idipſum fruticem exiguum eſſe deſcribit, ramulis & folio origani, aut ſylueſtris ſerpylli, ſed alicubi aliquanto maioribus; mox alterum Tragoriganum delineat ſurculis gracilibus, exilioribuſque folijs. Dicitur Tragoriganum, quaſi hircinum origanum, quorum prius putat Cæſalpinus eſſe noſtrum vulgare. Dodonæus Tragoriganum deſcribit duris, lignoſis, tenuibuſque cauliculis, colore ſubuirenti, folijs minoribus, ſyluestri origano ſimilibus, ſerpillo maioribus, odoratis, aſperis, & parum hirſutis; in cauliculorum parte ſuprema floſculi purpuraſcentes inſunt, verticilatim diſpoſiti; radix parua lignoſa; alij tamen alias Tragorigani ſpecies obtrudunt pro vero Dioſcoridis Tragorigano, prout Matthiolus, Cluſius, & cęteri, ut unuſquiſque diuinari affectet, quid in tanta tragoriganorum ambignitate relati à Dioſcoride aſſimiletur. utcumque tamen ſit, illa planta, quæ pro legitimo Tragorigano nobis in horto publico alitur, & notis Dioſcoridis aſſimilatur, & vires habere Tragorigani percipimus. Origanum igitur cum Tragorigano quemadmodum ſimili temperamento donatæ ſunt plantæ, ſic etiam viribus paribus, aut ſaltem parum differentibus operantur; in tertio ſcil. caloris gradu reputatur poſitum Tragoriganum, & in ſecundo ſiccitatis, quod in primis commendatur à Dioſcoride ad morſus venenatos in vino potui datum. Verùm tanquam antidotum peculiare opponitur veneno Cicutæ, tum Mechonij ex Caſſo; cum aceto verò mulſo exhibitum prodeſt ijs, qui gypſum, aut ephemerum hauſere; cum fico hydropicis proficuum; conuulſis, & ruptis efficax, & ad alia, ad quæ etiam origanum valere tradit.

De

De Serpyllo.

CAPVT CLXXXI.

[…] quo Serpylli nomen deductum fuerit explicatur. Serpylli genera ex Dioſc. afferuntur, temperamentum definitur, vires examinantur.

D[…]Eorum coronamentis dicatum Serpyllum plantulam elegantiſſimam, ac ſuauiſſimo odore ſcatentem Theocritus teſtis eſt, dum c[…]it.

Serpyllum denſis folijs præſigne, roſaſque
Errantes diuis pono nouem filibus.

E[…] alibi.

Roſæ illæ roſcidæ, & denſum illud ſerpyllum
Dicatum eſt Heliconiadibus Muſis.

q[…]m quidem ſtirpem etiam perpetuo virore conſpicuam, multum natu- ra[…] debere videtur, quia gratioſè ſatis eidem fauendo, quod in alijs plan- ti[…] decoris diſiunctim poſuit, cumulatim in una collocare voluerit. nomen de[…] ſumpſit à ſerpendo, quia ſerpylli rami humi ſtrati in longum ſternantur, de[…]modò terram attingant, etenim tacta alicubi terra, ſerpyllum cauli- cu[…]os nouos propagare valet. Dioſcorides inquit & ipſe ita dictum à [Lib. 3. c. 45.] ſe[…]pendo, quod radicetur quacumque ſui parte terram attingat, ut quaſi no[…]is radicibus nouam feturam propagare ſtudeat, quod lepidè expreſſit N[…]ander. [In Theriacis]

Et ramos ſerpylli inquire per arua
Serpentis; quod humo natum uda repit,
Alenſque radices folijs multa propagine viuis.

Gr[…]ecis namque ἕρπυλλος vocatur à ſerpendo, & Latinis idem nomen reti- ne[…], prout ex Plinio manifeſtum, qui à ſerpendo ſerpyllum ait, quod ante [Lib. 20.] ip[…]m & Theophraſtus. duo agnouit ſerpylli genera Dioſcorides cum [6. De hiſt. plant. cap. 7.] T[…]eophraſto, totidem & Plinius, ſatiuum ſcilicet, & ſylueſtre. ſatiuum id[…]m Dioſcorides deſcribit, quòd habeat folia, & ramulos origano ſimi- lia[…] coloris tamen candidioris. deſignat deindè ſerpyllum ſylueſtre, quod eti[…]m zigis appellare tradit, hoc quidem minimè ſerpit, ſed in altum aſ- ſur[…]gens ramulos edit tenues, ſurculoſos, folio rutæ ſimili, magis anguſto, lon[…]giori, atque duriori; flores guſtanti acres, iucundi odoris; radix nul- liu[…]uſus; ſubiungit quoque magis aptum eſſe in medicina, quàm horten- ſe[…] po[…]as ſerpylli differentias etiam cognouit Theophraſtus. Verùm op- [6. De hiſtor. plant. cap. 7.] Th[…]unè dubitatur à Neotericis, an noſtrum ſerpyllum ſit Dioſcoridis, & ni[…]phraſti ſerpyllum, & reuera ex allatis utrinque notis in delineatio- ob[…]s utrique ſerpyllo compete ntibus, idem eſſe cum noſtro nullo modo lis[…]ruari poteſt; noſtrum enim ſerpyllum ſi deſcribamus, eſt è caulicu- ra[…]xilibus, duris, & lignoſis, ſeſquicubitum altis, quorum alij repunt ter- dia[…] attingentes, & exiguis dimiſſis fibris eidem adnectuntur; folia viri- […] ſed Thymo ſimilia, in caulicorum ſummitate capitula rotunda re- periuntur,

tim ictu inflicta, contuſis folijs, vel in decocto ſumpta potione,
liter ad Gypſum, & ad Ephemerum, inefficaciùs tamen operar
origanum ipſo Heracleotico tradit; commendat origani decoct
ptos, conuulſoſque, & præſertim ad hydropem aridum, aceta
ſura exhibitum cum aqua mulſa per aluum humores educere; t
cum melle linctum, quod de catarrho frigido & impacto interp
menſes excitare aſſerit, & regio morbo aduerſari; pſoræ, & pr
balneo opitulari; expreſſum ſuccum laborantibus tonſillis, apl
runculis mederi; ſuccus naribus attractus cum irino oleo er
caput purgat, aurium dolores cum lacte inſtillatus mitigat;
ſubſtratam, vel in ſuffitu adhibitam ſerpentes fugare; ex or
Rhoe obſoniorum, & cępis admonet vomitorium confici, ſi
per quadraginta dies caniculari ſoli exponantur.

Tragorigani poſtremò hiſtoriam, & vires ſubnectit, dum h
ipſum fruticem exiguum eſſe deſcribit, ramulis & folio orig
ueſtris ſerpylli, ſed alicubi aliquanto maioribus; mox alter
ganum delineat ſurculis gracilibus, exilioribuſque folijs. Di
riganum, quaſi hircinum origanum, quorum prius putat Ca
noſtrum vulgare. Dodonæus Tragoriganum deſcribit duris,
nuibuſque cauliculis, colore ſubuirenti, folijs minoribus, ſy
no ſimilibus, ſerpillo maioribus, odoratis, aſperis, & paru
cauliculorum parte ſuprema floſculi purpuraſcentes inſunt
diſpoſiti; radix parua lignoſa; alij tamen alias Tragorigani
dunt pro vero Dioſcoridis Tragorigano, prout Matthiolus,
teri, ut unuſquiſque diuinari affectet, quid in tanta tragori
biguitate relati à Dioſcoride aſſimiletur. utcumque tamen
quæ pro legitimo Tragorigano nobis in horto publico al
Dioſcoridis aſſimilatur, & vires habere Tragorigani perc
ganum igitur cum Tragorigano quemadmodum ſimili tem
natæ ſunt plantæ, ſic etiam viribus paribus, aut ſaltem pa
bus operantur; in tertio ſcil. caloris gradu reputatur poſit
num, & in ſecundo ſiccitatis, quod in primis commendat
ad morſus venenatos in vino potui datum. Verùm tanqu
peculiare opponitur veneno Cicutæ, tum Mechonij ex C
verò mulſo exhibitum prodeſt ijs, qui gypſum, aut ephe
cum fico hydropicis proficuum; conuulſis, & ruptis effic
quæ etiam origanum valere tradit.

De Serpyllo.

CAPVT CLXXXI.

A quo Serpylli nomen deductum fuerit explicatur. Serpylli genera ex Dioſc. afferuntur, temperamentum definitur, vires examinantur.

Deorum coronamentis dicatum Serpyllum plantulam elegantiſſimam, ac ſuauiſſimo odore ſcatentem Theocritus teſtis eſt, dum canit.

Serpyllum denſis folijs præſigne, roſaſque
Errantes diuis pono nouem filibus.

Et alibi.

Roſa illa roſcida, & denſum illud ſerpyllum
Dicatum eſt Heliconiadibus Muſis.

quam quidem ſtirpem etiam perpetuo virore conſpicuam, multum naturæ debere videtur, quia gratioſè ſatis eidem fauendo, quod in alijs plantis decoris diſiunctim poſuit, cumulatim in una collocare voluerit. nomen deſumpſit à ſerpendo, quia ſerpylli rami humi ſtrati in longum ſternantur, dummodò terram attingant; etenim tacta alicubi terra, ſerpyllum cauliculos nouos propagare valet. Dioſcorides inquit & ipſe ita dictum à ſerpendo, quod radicetur quacumque ſui parte terram attingat, ut quaſi nouis radicibus nouam ſęturam propagare ſtudeat, quod lepidè expreſſit Nicander.

Et ramos ſerpylli inquire per arua
Serpentis; quod humo natum uda repit,
Alenſque radices folijs multa propagine viuis.

Græcis namque ἑρπυλλος vocatur à ſerpendo, & Latinis idem nomen retinet, prout ex Plinio manifeſtum, qui à ſerpendo ſerpyllum ait, quod ante ipſum & Theophraſtus. duo agnouit ſerpylli genera Dioſcorides cum Theophraſto, totidem & Plinius, ſatiuum ſcilicet, & ſylueſtre. ſatiuum idem Dioſcorides deſcribit, quòd habeat folia, & ramulos origano ſimilia, coloris tamen candidioris. deſignat deindè ſerpyllum ſylueſtre, quod etiam zigis appellare tradit, hoc quidem minimè ſerpit, ſed in altum aſſurgens ramulos edit tenues, ſurculoſos, folio rutæ ſimili, magis anguſto, longiori, atque duriori; flores guſtanti acres, iucundi odoris; radix nullius uſus; ſubiungit quoque magis aptum eſſe in medicina, quàm hortenſe; has ſerpylli differentias etiam cognouit Theophraſtus. Verùm opportunè dubitatur à Neotericis, an noſtrum ſerpyllum ſit Dioſcoridis, & Theophraſti ſerpyllum, & reuera ex allatis utrinque notis in delineationibus utrique ſerpyllo competentibus, idem eſſe cum noſtro nullo modo obſeruari poteſt; noſtrum enim ſerpyllum ſi deſcribamus, eſt è cauliculis exilibus, duris, & lignoſis, ſesquicubitum altis, quorum alij repunt terram attingentes, & exiguis dimiſſis fibris eidem adnectuntur; folia viridia, ſed Thymo ſimilia, in caulicorum ſummitate capitula rotunda reperiuntur,

periuntur, è quibus floſculi quandoque albeſcentes, utplurimùm pu
raſcentes; radiculæ tenuiſſimæ, & fibroſæ. habet Dodonæus ſerpyll
noſtrum vulgare eſſe Saxiphragiam Dioſcoridis; quod licèt ſatis raric
bile videatur, pro certo tamen affirmari nequit. ſed utcumque ſit, nc
ſerpyllum efficaciſſimum eſt ad omnia ea, ad quæ Veterum ſerpyllun
ſuauiſſimo odore pollet, quapropter minimè pœnitendum, ſi aliqua a
guitas intercedat. Conantur recentiores Botanici plures, varia ſer
genera in medium afferentes, tandem ſerpyllum Dioſcoridis Germa
& Theophraſti inuenire, difficili tamen conatu, & forſan ſuperuaca
de ſerpyllo igitur Veterum hactenus, ne noſtram intentionem, q
breuiori, quà poſſumus modo hiſtoriam utilium plantarum in uſum
cum ſummatim reuocare, excedere videamur. Cæterùm ſi ſerpylli te
ramentum inquirimus, protinus Dioſcorides habet calefacere, qu
eo colligi poteſt, quia dicat flores iucundi odoris eſſe, & acris ſap
deſignatur tamen graduum menſura à Recentioribus, præſertim à
donæo, & Præuotio, ut tertium obtineat caloris gradum cum pari
tate. Si vires ex Dioſcoride perpendamus, ſerpyllum in potu, &
ctione ſumptum menſes validè ducit, & urinam cit; torminibus à cau
gida prodeuntibus ſuccurrit, quod facilè credendum, quatenus ſu
lore & flatus diſcutit, & materiam craſſam digerit, & reſoluit. ſed qu
dò, ſi calida planta in tertio, inflammationibus iecoris opitulari ide
ctor tradit? hoc habendum de externis, & iam confirmatis, ſi diget
opus ſit; immò remixtum cum alijs neceſſarijs, vt cum Althæa,
hordei, & ſimilibus. efficaciſſimum inſuper remedium pronuncia
trà ſerpentum ictus, tùm potum, tùm adhibitum parti. capitis dol
mitigare habet, ſi cum aceto roſaceo decoquatur, eoque caput ipſ
rigetur. declarat inde quibus in caſibus conueniat, dum inquit in l
go, & phrenitide, ut iuxta methodum repellentium, refrigerantiu
remediorum, & penetrantium. materiæ etiam reſoluentia admiſce
tandem vomitiones cruentas ſedare ait, ſi ſuccus ad ℥ iiij. cum ac
matur; tunc præpollet ſerpyllum adſtrictoria facultate, quam à ſi
conſequitur.

De Maiorana ſiue Sampſuco, aut Amaraco.

CAPVT CLXXXII.

*Difficultates circa Amaracum emergentes enodantur. fabula à Seruio
circa Amaraci nomen refertur; ad unguenta odoratiſsima expetitum
eſſe Marum Dioſc. temperamentum aſſertur, vires expenduntur*

IMplicatiſſimum eſt, quod de Maiorana, ſiue Amaraco à Recen
traditur, à quibus nihil adhuc certi elici poteſt, an ſcilicet ea
cum Amaraco Veterum, & Sampſuco; & an Amaracum anti
uampſuco differens ſit, vel ſi maiorana noſtra ſit priſcorum mar
Sis maioranæ nomen recens non ſit, aut vernaculum, ſi fides A

benda, qui vnam conſimilem herbam maioranam nominat; non difficulter tamen moueor ad credendum, vnam & eamdem plantam eſſe Amaracum cum Sampſucho Dioſcoridis, licèt reclamantibus viris doctis; & ita clarè loquitur Dioſcorides, vt dubitationi nullus locus relinquatur; quapropter non grauabor eius textum integrum afferre: inquit enim. Sampſuchon in Siſico, ac Cypro laudatiſſimū. ab hoc ſecundum locum ſibi vendicat, Ægyptium vocatur enim à Siſicenis, & Siculis amaracum. ergo ſampſuchum, & Amaracum una & eadem planta ſunt, ſolo nomine diſcrepantes. Sic Seruius cum ficta, ſiue ex alijs relata fabula fatetur, dum inquit: Amaracus Cynare Regis Cypri puer vnguentarius fuit, qui caſu lapſus, dum ferret vnguenta, fracto alabaſtro maiorem ex confuſione illa odorem creauit, vnde optima vnguenta Amaracina dicuntur. hic poſteà ſubdit; cùm nimio odore contabuiſſet, in herbam ſampſuchū mutatus eſt, quæ poſteà ab eius nomine cæpta eſt Amaracum appellari. nec magnum faceſſit negotium, quod Galenus, Paulus, & Aetius de hiſce plantis, tanquam diſtinctis, diuerſis capitibus egerint, & quoquo pacto diuerſum agnouerint temperamentum, vireſque non ſimiles. at obiectum Galeni facilè tolli poſſe crediderim ab ijs, quæ à pluribus pro ſolutione adducuntur: Galenum ſcil. ſub nomine Amaraci Parthenium, ſiue Matricariam deſcripſiſſe; quæ quamuis planta magni momenti ſit, de ea tamen nullo alio in loco verba feciſſe apparet, quod clariùs elici poteſt. Paulus verò, & Aetius idem à Galeno deſumpſere. nec officit, quod Dioſcorides dum de oleis odoratis tradit, Amaracino, & Sampſucino diſtincta capita aſſignat, ut in eodem libro cap. 68. nam hoc facere conſueuit in oleis compoſitione diſtinctis, & odorum ſuauitate diuerſis, ob virium præſtantiam, ad medicum uſum quod attinet varijs; præterquamquòd ipſi non licuit variare nomen, quod à prædictis oleis ab unguentarijs inditum fuit, ob valorem, & diſtinctionem pretij; ratione cuius & ingredientium mutabant exiſtimationem, & denominationem. Nec accipiendum eſt, ut diuerſitatem Amaraci à Sampſucho admittamus, Amaracum Dioſcoridis eſſe Maron; nam præterquamquòd Dioſcorides agit de Maro, ubi nec verbum habet Amaracum dictum fuiſſe, hoc clarè citato, dirimit Galenus ubi in conficiendis unguentis falsò Amaraci loco Maron ſuppoſitum fuiſſe ait. nec tandem pro hac opinione confirmanda deſunt Auctores; quia præter Dioſcoridis auctoritatem, habemus Theophraſti, Plinijque: multò minùs noſtra maiorana eſt Maron Antiquorum, ſi Maron diſtinctum eſt ab Amaraco, ubi Capitum diuerſitas ſi attendatur, & differens forma, quæ deſcribuntur, nos doceant, ut plantas eſſe diuerſas neceſſariò aſſerere cogamur. remanet ut videamus, an maiorana noſtra ſit Sampſuchū, aut Amaracum, quod idem eſt Dioſcoridis, quod ſanè ex eius deſcriptione manifeſtum euadit; ait enim Sampſuchum Amaracum etiam appellatum, herbam eſſe ramoſam, per terram ſerpentem, folijs hirſutis calaminthæ æmulis, rotundis, vehementer odoratis; quæ planta excalfacientis conditionis eſt, & nexilibus coronis inſeritur: quæ deſcriptio à noſtra maiorana diſcrepat, cui folium rotundum eſt, hirſutum tenuioris calaminthæ folio æmulum, ramoſaque herba eſt, & candicat inſtar calaminthæ, ramulis

flexuoſis, & in terram ſerpentibus, ni cultura erigantur, totaque p
vehementer odorata, ut de ſampſucho ſuo, & Amaraco habet Dioſcor
& excalfacit. nec noſtra odorem talem habet, ut arceri mereatur à C
nis; eius namque odor ſuauiſſimus eſt, nec admodum replere capu
teſt, ut quidam pro obiecto afferunt, ut à coronis eam ipſam exclud
quod de noſtro Maro forſan dicendum eſſet; quod quidem ex Galen
Compoſitione edyeroi multò odoratius eſt Amaraeo, amarumqu
acre etiam, non tamen gratius, licèt acutiùs oleat, & ob id ab Ath
Lib. 15. dicatur potatoribus eſſe inimicum, licèt in nuptijs expetitum; qu
pandunt verſiculi ex Athenęo: *Cinge tempora floribus ſuaueolentis Am*
auget coniecturam, quia Amaraeum planta hortenſis eſt, ibiqu
dè expetita, quod & Antiquioribus factum eſt, ut ex Nicandro ma
ſtum, dum inquit:

Confert Amaracus areas hortorum complures,
Et frende virentis ripas.

Et poſt ipſum Columella in horto dum ſic fatur.

Grataque dum veniat hilari ſampſuca Canope.

quaſi idem Auctor Aegyptium ſampſuchum præferri voluerit; ſi Cy
Lib. 1. c. 58. 4. de Cauſ. 22. vel ſi ſicens Dioſcoridis, qui nec vehementer ſampſuchum odoratu
ait, nec acre, ſed medioeriter tale, ut habet. hanc ipſam in Ama
ſuaueolentiam cognouit etiam Theophraſtus, dum ipſum reponit
aion ata reſeruata. vocat Virgilius mollem Amaracum his verſibus

Vbi mollis Amaracus illum
Floribus, & dulci adſpirans amplectitur umbra.

ut folij conditionem exprimeret, quæ in noſtro Amaraco molliſſima
& quaſi leui obducta tomento, licèt per hyemem viridia ſint. sunt
1. de Cauſ. plant. 4. opponant Theophraſtum, dum de radice loquitur, quia Amaraco ca
ſam radicem tribuit, at noſtræ maioranæ radix minimè carnoſa eſt
n ò potiùs lignoſa, igitur arguunt abſurdum eſſe aſſerere, noſtram
ranam eſſe Amaracum Dioſcoridis; hoc quidem ex eodem Dioſc
minimè elici poteſt, qui, quam radicem gerat Amaracus, ſubtic
non carnoſam Theophraſtus, ſed lignoſam Amaraco aſſignat; im
manuſcriptorum diuerſitate ibi ambiguum ſummoperè eſt. quap
non diu, me iudice, hæſitandum de Amaraco, an ſit Antiquorum A
cus ſampſuchumve, an noſtra maiorana, cùm præſertim & vires c
les, & temperamentum non diſſimile habeat, ſit ſuauiſſimè olens,
ſpar in forma; habeat origani folia hirſuta, virentiaque, rotunda,
lia, ramulis cum Virgilio ſerpentibus, & lignoſis, & cum Nicar
Columella in hortis expetita. Plura ſanè alia adduci poſſent pro
matione huius ſententiæ, quæ viros clariſſimos multos habet aſſer
quibus perpenſis rationibus utrinque adductis fauere conſultiùs
ne in unica plantulæ animaduerſione diutiùs, quàm ordo præſcript
gat, immorari videar. Ad temperamentum quod attinet, hoc in
tum conſideratum calfacere exprimit. calida igitur eſt maioran
Galeno de Amaraco, ſiue ſampſucho locuto, in tertio ſtatuta gra
ſecundo ſicca; quamuis Dodonæus eidem ſecundum caloris grad

gnet. Cæterùm ab aſſignatis huic plantæ à Dioſcoride viribus in morbis depellendis forſan ſcrutanti facilè apparebit, A maracum gradum ſecundum caloris ſuperare. commendatur Amaracum, ſiue ſampſuchum à Dioſcoride in hydropicis incipientibus, quatenus ſuo calore iecoris imbecillitatem emendare valet, dum præſertim deobſtruit, materiam viſcidã abſtergit, eamque ad vaſa u r inaria attenuatam protrudit, quod declarat dum inquit, ut in ijs, quos urinæ difficultas, aut tormina excruciant. Sugillatis commendat arida folia trita cum melle; & ratione temperamenti menſes excitat in peſſo ſubdita; inde ictibus ſcorpionum illitam aduerſari tradit, & cum aceto, & ſale tumoribus œdematoſis, & luxatis in aliquo cerato recepta tumoribus utiliter imponi aſſerit, cæteriſque malagmatibus, & acopis remiſta ubi caloris eſt. Addit inſuper, quod mirum videtur ratione temperamenti eiuſdem, cum pollentæ pollıne illitam oculorum inflammationibus tollendis ſummoperè prodeſſe, quod ſanè de ophthalmicis confirmatis accipiendum videtur.

De Maro.

CAPVT CLXXXIII.

Antiquorum Maron an nobis cognitum ſit dubitatur, & an ſit illa Planta, quæ ſub nomine Syriaci Mari obtruditur. Deſcribitur, temperamentum aſsignatur, vires examinantur.

INter ſtirpes benè olentes planta illa, quæ à Dioſcoride Maron vocatur, Cæſalpino maioranam noſtram eſſe, de qua nuperrimè egimus, creditur; Verùm cùm in præcedenti capite ſtatutum ſit nullo modo maioranam cum Maro identificari poſſe, non eſt cur in hiſce diſquirendis amplius immoremur, cùm præſertim maiorana noſtra in Italia copioſiſſi ne naſcatur, Maron verò exoticam herbam facit Dioſcorides, dum eam naſci dicat circa Magneſiam, & Tralles; quamuis inde aſſerat eamdem eſſe herbam vulgò cognitam, ut hinc viri docti deducant, vel Auctorem ſibi contradicere, vel caput hoc de Maro non eſſe Dioſcoridis Genuinum, ſed clanculũ irrepſiſſe, & pręcipuè quoniam Gal. in Edicroi Trochiſcorũ com poſitione, dum de Maro loquitur, ipſum ex Creta deferri dicat; inſuper fateatur in Aſia etiam naſci, in alijs verò regionibus eſſe rarum; Plinius verò in Ægypto produci fateatur, ergo dicunt, quomodo Dioſcorides Maron vulgò cognitam herbam aſſerit, ſi ex propria ſua ſententia iuxta Magneſiam, & Tralles naſcitur, ſi ex Galeni placitis in Creta, & in Aſia, ſi ex Plinij monitis in Aegypto? igitur Maron minimè notam vulgò appellare meliùs erat; inſuper Marcellus fatetur ſe antiquiſſimos Codices Dioſcoridis vidiſſe, qui nihil de Maro loquebantur. igitur Maron herba in Italia familiaris non eſt, nec Maiorana ullo modo credenda: plures ab auctoribus pro Maro Antiquorum oſtenduntur plantæ, & unuſquiſque conatur tueri deſcriptionem ſuam Mari cum Maro antiquorum conuenire; interim tamen nihil habent quod plenè ſatisfaciat. unam producit

Lib. de Antidot.

Lib. 12. c. 24

Matthiolus, alteram Lobellius, alij alias pro Maro plantas obtru-
ſed ea, quæ magis atridet, eſt exotica quidem planta tota, odoratiſſi-
ui acrimonia prædita, quæ à Recentioribus Syriacum Maron appell
& quæ licèt aduena ſit, tamen ſolum noſtrum non reſpuit, ſi lætam t
inuenerit; quod experimento obſeruaui, & quæ ſtirpis fruticoſi m
dum ſeſe erigit ramulis quamplurimis lignoſis, duriuſculis, foliolis
gorigani, ſaturo virore præditis, inter quæ verticillatim diſpoſit
flores purpurei parvuli. huic plantæ Syriaci Mari aſſignant pro tem
mento tertium gradum caloris, & ſiccitatis: & ad vires quod attir
Dioſcoridem conſulamus, impoſitum Maron nomas ſiſtere tradit, a
liter adhiberi in calidis perunctionibus in omnibus affectibus frigi

De Imperatoria.

CAPVT CLXXXIV.

An cognita fuerit Veteribus Imperatoria, & ſub quo nomine deſcripta diſqu
non ſub nomine Laſerpitij conſideratam, nec eſſe Smirnium. deſcribitur,
temperamentum affertur, vires explicantur.

INanis eſt, meo quidem iudicio, omnis eorum conatus, qui inexpl
ſua ſatagentia Imperatoriam plantam, Recentioribus ſic vocata
aliquam à Veteribus deſcriptam reducere conantur. ſunt enim plures
imperatoriam Sylphium, ſeu Laſerpitium credant; ſed Laſerpitij de
ptio eos toto cœlo aberrare oſtendit; ferulacea namque eſt planta
phium, caulem ſatis craſſum gerit, qui in altum aſſurgit, & folia admo
diſſimilia habet eſui, gratiſſima, prout ex antiquiſſimo nummo arge
Cyrenaico appatet. Vir doctiſſimus Salmaſius eſſe Smirnium antiquo
putat, & in Imperatoria, ſiue Aſtrantia, quod idem eſt, plura ſupp
quæ ut Smirnio aſſimiletur, deſiderantur; nam nec imperatoriæ ſunt
pellucida, nec robuſta, aut hirſuta, nec colore in aureum vergentia;
caulis ferulaceus obſeruatur, prætetquamquòd Smirnium non in Ca
elatum erigitur; immò eidem folia rotunda perfoliatæ ſimilia, ipſum
lem circumambiunt; præterquamquòd ſemen Aſtrantiæ longè diuer
eſt à ſemine ſmirnij, cùm ſit latum, planum, non nigrum, ut Smirni
Myrrhæ odore olens; ideò nobis non erubeſcendum, ſi ignoramus
nomine imperatoria à priſcis inſignita fuerit, an eam ipſam cognou
Cæterùm Imperatoria, quæ etiam Aſtrantia, & Obſtrutium appell
excelſum hoc nomen ſibi acquiſiuit à viribus efficaciſſimis, quibus p
re creditur, ut inſtar panaceæ contra omnes ferè morbos pollere e
metur. erumpunt à radice huius ſtirpis ex uno pediculo folia tria ſu
tunda, leuiter plicata, & in margine ſerrata, Apio ſimilia; inde caul
cubitales eriguntur, geniculati, leuiter rubentes, & in quorum ſummo
bella proditur. floribus candidis, exiguis, ſemine lato, plano ſp
æmulo; radices per obliquum feruntur odoratæ, acres, ſuccoſæ, ex
in luteum nigricantes, interiùs diluto luteo coloratæ. Ad temperame

im

imperatoriæ quod attinet, ex omnium ferè conſenſu ea tertium obtinet caloris exceſſum cum eadem ſiccitatis menſura. Vires eximias obtinet, præſertim ubi opus ſit incidendi, digerendi, attenuandi, ſudores, & lotium promouendi, cùm tenuium partium ſit, & ad affectus omnes frigidos efficaciſſima habeatur. emendat tam uteri, quàm ventris imi flatus, diſcutitque; menſes ducit, ſecundinas pellit, & ſummoperè hyſtericis affectibus conducit, conuulſis, & epilepticis prodeſt. hydropicis utiliſſimam eſſe profitentur: ferunt etiam, ſi radicis puluis in quartanis febribus ante acceſſionem ad drachmam unam cum vino exhibeatur, à quartana liberare. venenis omnibus utiliſſima, & peſtilentibus febribus. pituitam in thorace infarctam, & ventriculo concoquit; Anorexiæ aduerſatur. in vino ſumpta, rigores febrium tollit, & internis ulceribus, & vulneribus glutinandis optima. contuſa folia, ſiuè radices, carbunculis commendantur: ſic & morſibus venenatis, præſertim canis rabidi, applicita; & tandem contra peſtem efficaciſſimum remedium cenſetur.

De Spondilijs.

CAPVT CLXXXV.

Inquiritur à quo ſpondilij nomen deriuatum ſit. an ſit Panax; non eſſe ſtatuitur. deſcribitur. aſsignatur temperamentum, vires perpenduntur.

SPondilium, cuius ſemen ſemini imperatoriæ ſimile eſt, nec viribus tota planta diſſimilibus, locum hunc à nobis exigit. Nomen traxiſſe ferunt quidam à fuſorum verticillo; alij verò, & forſan meliùs, à grauitate odoris plantæ, non diſſimilis cuiuſdam animalis ex inſectorum genere, ſpondilij nomine, viroſi odoris, cuius proprium eſt erodere, ut fatetur Plinius, ſtirpium radices. Verùm lis non leuis eſt inter Auctores, an ſpōdilium ſit planta à Panaceis generibus diſtincta, vel eadem cum Eraclio Panace, & Panace Syriaco. confundit Plinius Panacis genera; Eraclium tamen non eſt; in multis enim diſſidet, licèt ex ipſo Dioſcoride Eraclio Panaci ſimile ſit. Conſtantiſſimè tamen tenendum eſt ex eodem Dioſcoride ſpondilij plantam diuerſam, & diſtinctam eſſe à Panace; de ea enim ſermonem habet differenti capite, & in eius deſcriptione variat, & ab eodem deſcribitur ſpondilium, quod folia gerat Platano quadantenus ſimilia, ad Panacis foliorum figurā accedentia; caules cubitali altitudine habeat, ac ſurgentes, Fœniculares; ſemen gerat in cacumine ſeridi ſimile duplex, ſed eius latius, candidius, & magis acroſum, odore graui; flores albos gerat, ſic & radicem raphano ſimilem habet, naſcique tradit in paluſtribus, & aquoſis; quæ omnia ſimilitudinem cum Panace, & quidem Eraclio conueniunt, ſi tamen non eſt ſyriacum Panax Teophraſti, cùm folia eidem ſimilia ſint, ſed Platano maiora, vel potius ficui ſimilia. Temperamentum ſpondilij calidum eſſe ſeminis acrimonia ſatis manifeſtat; hoc deſignat Auerroes tertium, eidem caliditatis exceſſum cum ſiccitate conſimili. Vires interim non ſpernendas habet ſpondilij, præſertim

Lib. 27. cap. vlt.

contra

contra epilepticos inſultus. habet Dioſcorides, ſemen potum
toſorum materiam per alvum extrudere; mederi ait & Ictero, &
obſtructionibus laborantibus, aſthmateque detentis; ſed præfert
ſtericis affectibus; lethargicos ſemen in ſuffitu naribus admotum
reddere ait; Phreniticis prodeſſe irrigata parte eiuſdem decoction
nimò & oleum ex ſeminibus expreſſum lethargicos iuvare, eodemq
do adhibitum caput dolentibus prodeſſe; cum Ruta appoſitum h
cohibere aſſerit, callos exedere tradit: demumque florum rec
cus in aures inſtillatus earum dolores, & purulentiam ex ulceribu
ctam ſanat.

De Abrotano.

CAPVT CLXXXVI.

Nominis ratio in Abrotano perpenditur & ſtatuitur, temperamentum add vires examinantur; Generaque ex Dioſcor. & Theophraſto referu tur iuxta, quorum ſententiam deſcribitur.

AGreſtis Abrotani ſoboles, quæ montis valle ſub ima candi canit Nicander in Theriacis) nobis venit modò conſidera dicta, vt quidam autumant, quia ſuo aſpectu delicatula mollitie tibus ſe prodat, aut cum alijs, quoniam grauem, acremque odo halet; quod habet etiam in text. Dioſcorides; vt potiùs ab hoc, ab illo nomen deductum voluiſſe videatur. Is auctor abrotani duo facit, alterum quod fæminam vocat, ſecundum verò marem. The ſtus videtur & ipſe duo genera tantùm cognouiſſe, vt viri docti ado urbanum ſcil. aut hortenſe, de quo loquutus eſt lib. 6. de hiſt. pla 7. & ſylueſtre, ſeu agreſte, cuius mentionem fecit lib. 6. de cauſ cap. 24. quamuis ſatis hoc non conſtat, an de unico, & eodem ge quutus ſit, an verò de alterutro. deſcribit fæminam Abrotanum rides, inquitq; eſſe fruticem arboris ſpecie, candicans, folijs circ los, ſeriphij modo, minutatim inciſis, in quorum ſummo flor Chorimbi aureo fulgore, iucundi odoris, cum quadam etiam g guſtu amaro: mas etiam Abrotanum ab eodem deſcribitur ſerme cilibus ramulis veluti abſynthij. Sunt plures qui autumant ſanct dictam eſſe abrotanum fœminam Dioſcoridis. Contrarium tam Dodonæus, probatque ex eiuſdem deſcriptione Dioſcoridis, c næ abrotano flores Chorimbis ſimiles aſſignet, ſanctoninaq; ſing liculis in ſummo unicum florem gerat; ut quærendum ſit aliud g fæmina, quæ flores ſimiles producat; nec ſanè hæc animaduer nenda eſt, aut flocci facienda. utcumque tamen ſit, vires, & tem tum non erit diſſimile in pluribus ſpeciebus, quæ noſtris tempo paruere, ut in eorum cognitione nihil ulteriùs hæſitandum ſit. temperamentum Abrotani calidum eſt; odor enim, & acrimon oſtendunt, ideo aſſignant eidem tertium caloris gradum, cum

citatis menſura. Rarefacit, digerit, & attenuat, ob id abrotanum reſe-randis obſtructionibus, iecoris præſertim, aptiſſimum cenſetur. habet Dioſcorides, quod Abrotani ſemen in decoctione ſumptum, aut crudum tritum cum aqua, ſuſpirioſis etiam in ſummo gradu ſummoperè proſit. Iſchiadicis quoque & conuulſis; urinas cient, menſes ducunt Abrotani, interimunt lumbricos, & pellunt in vino, antidotumque ſunt lethalium venenorum, ictibuſq; ſerpentum, & phalanglorum proſunt; ſtomacho tamē minimè proficua ſunt; cum oleo rigoribus in febrium circuitibus recurrentibus opitulantur, ante inuaſionem febrium adhibitum; Abrotanum oculorum inflammationes cum malo cotoneo decoctum, aut pane impoſitum compeſcit; pilis ſegniter erumpentibus in meraco celeritatē indit, alopecias curare creditur, ſi cinis eius cum oleo raphanino, aut aliquo alio conſimili oleo locus linatur. habet Plinius ſuffitu ſerpentes fugari, & ſi puluino ſubijciatur Venerem excitare.

De Ruta Hortenſi.

CAPVT CLXXXVII.

Cur Ruta πήγανον Græcis & Plutarcho appellata, & cur Latinis Ruta ex Varrone. genera afferuntur à Dioſc. deſcribitur, temperamentum deſignatur, vires afferuntur.

DIctam rutam πήγανον Græcis, habet Plutarchus, quòd ſemen coagulet, & condenſet ſuo calore, & ſiccitate: hinc fœcunditatem cupientibus aduerſari, cùm etiam concubitibus Venereis robur infirmet. 3.Simpl.q.1. Rutæ à Latinis nomen inditum eſt, à Græco deductum, ut Varroni placuit lib. 4. quod procliues in libidinem fręnet. grauiſſimo odore prædita planta, & maximæ acrimoniæ eſt, ſub quibus conditionibus non hominibus ſolùm, ſed etiam brutis opitulatur, quæ ſanè eam ipſam nobis commendauere. igitur quemadmodum nos ratione, & experimento eius valorem cognoſcimus, ſic cætera animalia bruta ex naturæ inſtinctu ob eadem natura quibus morbis prodeſſe cognitionem conſequuta ſunt. Rutam non deſcribit Dioſcorides; poſtquam enim eam diuiſit in ſatiuam, & ſylueſtrem, deſcriptionem neglexit, tamquam de planta omnibus ab varium uſum illis temporibus nota. Eſt igitur ruta hortenſis frutex ramoſus bicubitalis, & quandoque altior, ut notabat Ioſephus Iudæus 7. de Bello Iud. cap. 25; refert enim is doctiſſimus author in Macherunte Iudææ oppido rutam ita creuiſſe, ut à nulla ficu vel celſitudine, vel magnitudine vinceretur. Theophraſtus quoque lib. 6. de hiſt. plant. c. 5. rutam ait arboream adipiſci naturam, & eam ſubinde vocat oleris arbor. Mirum ſanè eſt quondam rutam plantam vehementi calore & ſiccitate prędita m, odore & ſapore ingratiſſimam, locum inter alimenta reperijſſe, & oleraceam à Theophr. vocari, & à Dioſcoride, qui hortenſe genus aptius eſui eſſe ait, ſed illud præſertim, quod iuxta ficum ſeritur: nam montana, & ſylueſtris ruta dicta, ſi edatur copioſè, interficere valet. Gerit caules ruta

ligno-

lignoſos, albeſcente cortice conteƈtos, quorum ramuli è caulibus prodeuntes magis virides ſunt; folia ramoſa, diſſecta in exigua foliola impari numero, & quaſi carnoſa, colore viridi, & ad cæſium, ſiue cæruleum vergente, floreſque pallido luteo flaueſcentes, ex quatuor concauis foliolis conſtantes, quæ angularia capitula ambiunt, ſtaminibus luteis complexa: in quolibet verò anguli capitulo ſemina concluduntur; radix lignoſa, fibroſa; planta tota graueolentiſſima eſt. De temperamento Rutæ aſſignando nulla controuerſia eſt: nam hortenſi rutæ aſsignant tertium caliditatis, & ſiccitatis gradum; ſtatuit enim Dioſcorides rutam ita calefacere, ut exulceret; ſylueſtre tamen genus procul dubio exedere creditur, quod etiam efficaciores vires poſsidere à Dioſcoride ſtatuitur. vires hujus plantæ eximiæ ſunt, deſcribunturque exactiſsimè ab eodem Dioſcoride, quem ego libentiùs ſemper, quàm alios auctores ſequar. habet igitur ciere menſes, & urinam inprimis excitare, ſiſtere tamen alvum, ſi in potu ſumatur in decoctione, vel ſi in cibo adhibeatur; habet etiam, quòd ſemẽ pro antidoto uſurpari poſsit contra lethalia pharmaca; ſed quod magis ſingulare eſt, præſumptam rutam cum nucibus iuglandibus aridiſque ficubus, venenorum vim irritam, & inefficacem reddere; ſic & eodem modo ſumptam valere contra ſerpentum ictus, id quidem commune cum brutis & nos habemus, quibus eodem modo præſumpta opitulatur; habet namque Ariſtoteles 9. de hiſt. animal. cap. 6. muſtelam cum ſerpente pugnaturam priùs ruta ſe præmunire. genituram extinguere tradit; exſiccatam, ſeu bibitam ad pectoris vitia valere, doloribuſque demendis, ſpirandi difficultatibus, tuſsibus, articulorumque cruciatibus occurrere: ſic in febrium circuitibus, & fluxionibus diſcutiendis, vbicunque locorum corporis adſint, opportunè opitulari; decoctam cum oleo, aut infuſam aciem oculorum intendere, cum fœniculo, & melle oculis applicitam; mulieribus hyſtericis ſuccurrit, lumbricos expellit, capitis doloribus cum roſaceo applicita, & aceto medetur. ſi indatur trita intra nares, ſanguineas eruptiones ſiſtit. in popularibus morbis exanthematum eruptionem compeſcit; impetiginibus verò cum melle, vinoque proficua; in aurium doloribus ſuccus in mali punici cortice calefactus, adhibitus, ſummoperè prodeſt: vlcera manantia in capite compeſcit cum aceto, ceruſſa, & roſaceo. Antidotis utiliter commiſceri ſemen ait; idem ſemen urinæ incontinentia laborantibus, ſi toſtum per ſeptem dies exibeatur in potu, morbũ ſuperare tradit. habet poſtremò idem Dioſcorides ſylueſtrem rutam ſatiua eſſe efficaciorem, comiti aliiſque morbis, præter cętera, utiliter opponi. admonet tandem in cibis ab ea ipſa abſtinendum, cùm vim veneni obtinere dicatur. habet Galen. ex ruta fieri contra peſtem antidotum, & contra venena; quod cùm vſum apud nos non obtineat, non deſcribimus.

De

De Eruca.

CAPVT CLXXXVIII.

Græci, & Latini nominis in Eruca ſtatuitur ratio. Erucam eſſe olus ex Gal., quod ob inſignem caliditatem ſolum non comeditur, ſed cum lactuca admiſcendum. Veneris amica communi conſenſu exiſtimatur; Eius genera adducuntur, temperamentum, & vires.

ILla planta, quæ Græcis εὔζωμον, eò quia in condiendis cibis iuſculiſque, in quibus decoquatur, ſuauitatem indat, à Latinis Eruca vocatur, quod errodat, quia guſtanti palatum acriter vellicet, eſt enim valdè calida. habet Galenus eſſe Erucam olus manifeſtiſsimè calefaciens, ut ipſum mandere ſolum ſine commiſtione aliarum herbarum, quæ calorem & acrimoniam eiuſdem oleris compeſcant, proficuum non ſit, ſed lactucam admiſceri expediat: addit deinde, quòd ſperma generare valeat, & appetitum coeundi excitare, ſub qua ratione incongruum non erit modò huius plantæ conditionem inquirere, quia plantæ ſuperiùs delineatæ, licèt eodem temperamento prædita, in hoc ex directo ſe opponat, & ſic ſtirpi, quæ generationi contraria aſſerebatur, ſtirpem generationi proficuam, & Veneri propitiam ſubnectamus. Cæterùm erucam coeundi appetitum excitare inſinuauit Columella his verſiculis *In Hortulo.*

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo
Excitet, vt veneri tardos Eruca maritos.

Quod quidem etiam expreſsit lepidiſsimè Ouidius, ſed Martialis quoq; hoc idem magis expreſsè fecit, dum ait *De arte amandi.*

Et Venerem reuocans Eruca Morantem.

Quod lepidiſsimè etiam commonſtrauit Lobelius adducta quorumdam historia qui ab erucæ frequenti eſu in inextinguibilem libidinem prolapſi ſunt. *In aduerſar. cap de eruc. Lib.2.c.170* Duplex erucæ genus ſtatuitur à Dioſcoride, ſatiuum, & ſylueſtre, eodem ſapore, ſed differenti forma; quod à Theophraſto ſtatutum non video, qui diſtinctionem hanc non videtur admittere. Deſcribitur ſatiua, quam tamen non delineat Dioſcorides, quòd cubitalem caulem gerat oblongo folio, profundis inciſuris, raris è diſſecto, floſculis ad ramulorum ſummitatem in luteo palleſcentibus, foliolis quatuor conſtantibus maculatis; ſemine in longiuſculis ſiliquis reconditum ſinapi æmulis, vel napo non abſimilibus; radice candida, & reſtibili. ſylueſtris verò Eruca minoribus folijs, & caule eſt, folia oblonga, anguſta, minùs inciſa; flores luteos gerit longioribus ſiliquis, ſed tenuioribus, odore & ſapore magis acri. Habent Botanici caliditatis tertium gradum ſatiuam obtinere cum ſiccitate pari; ſylueſtrem tamen præpollere, & acriorem eſſe, ita ut eius ſemina alicubi pro ſinapi uſurpentur. habet Dioſcorides ſatiuam Erucam crudam, & largiùs ſumptam coitum excitare, quod & ſemen eius eumdem effectum edere aſſerit; urinam mouere tradit, & concoctionem iuuare, quod ex plantæ temperamento proficiſcitur; aluo etiam utilem eſſe, &

quidem quia nitroſa quadam ſui ſubſtantia alvum ipſam protitate valeat; docet idem Author modum, quo diutiùs ſeruari poſſit, pro condiendis alimentis; ait etiam ſylueſtrem efficaciùs urinam promouere.

De Satureia.

CAPVT CLXXXIX.

Noſtram Satureiam eandem cum Satureia Columellæ & Plinij eſſe aſſeritur. an ſit Thymbra Dioſcoridis dubitatur, & de ſylueſtri Dioſcoridis Thymbra verificari creditur. Temperamentum adducitur, vires examinantur.

NOn meo iudicio hæſitandum eſt, an Satureia noſtra, quæ ſpontè quotannis ſuo ſemine reparatur, & in ſalebroſis lubentiùs naſcitur, quàm in cultis, ſit Satureia Columellæ, & Plinij, & quam idem author cunilam vocat ſimpliciter, non bubulam illam cunilam, quæ ab eodem alibi ſic vocatur, & quæ procul dubio origanum eſt, & Eracleoticum creditur; nimis enim apertis verbis hi authores loquuntur. Plinius enim lib. 19. cap. 8. hæc habet, Thymbraque, & cunila hæc apud nos aliud habet vocabulum Satureia dicta in condimentatio genere. Columella verò lib. 9. c. 4. ſic loquitur. Eadem regio fęcunda ſit fruticis exigui, & maximè thymi, aut origani: tum etiam thymbrę, vel noſtratis cunilę, quã ſatureiã ruſtici vocant. Maior difficultas eſt; an Thymbra Columellæ, & Plinij, quam etiam ſatureiam denominari fatentur, ſit Thymbra Dioſcoridis, vel alia à Columella, & Plinio ſatureia dicta: & ſanè video authores plures inter ſe digladiari, modòq; unam, & modò alteram ſententiã proferre, ut res ſit difficultatis plena. Dari thymbrã præter ſatureiam author eſt idem Columella citato loco, dum ait Thymo deinde proxima Thymbra, ſerpillumque & origanum tertiæ notæ; ſed adhuc generare marinum ros, & noſtras cunila, quam dixi ſatureiam, darique ex eodem in thymbra diuerſitatem, ut una ſit noſtra thymbra, quam ſatureiam appellant, altera ſit thymbra alterius conditionis, & principaliter thymbra dicta, quod exprimit lepido verſiculo in horto dum ſic fatur.

Et Satureia thymi referens, thymbraque ſaporem.

ut ex hoc manifeſtum ſit, adeòque Satureiam thymbram appellari, quia *Lib.3.c.45.* thymbræ ſaporem æmulatur. Cæterùm cùm Dioſcorides, dum de thymbra loquitur, duo genera thymbræ facit, unum quod ſpontè generatur, aſpero ſolo incultiſque locis, thymo ſimile, tenuem ſpicam ferens, florum plenam, virentem; nec aliam afferat deſcriptionem, quia forſan notiſſima planta ſuis temporibus; alterum verò genus ſatiuæ inefficacioris actiuitatis; facilè mihi perſuadeo thymbram ſylueſtrem eſſe noſtram ſatureiam, cùm notis paribus ſylueſtri thymbræ donata ſit à Dioſcoride, & cùm præſertim in condimentis eadem thymbra recepta fuerit: ſed quia ſatiua minùs acris erat, & inefficacior in condimentis, præferri commodiùs ſcribit; vel potiùs dicendum, utramque thymbræ ſpeciem eſſe ſatureiam

reiam noſtram differre tantummodò ſatu, & à ſatione vires refractas obtinere. utut ſit, non admodũ ſolliciti eſſe debemus, an ſatureia ſit thymbra Dioſcoridis, cùm æquè & benè omnes vires thymi, quas Dioſcorides ſuæ thymbræ tradit, exequatur; & ſic omninò eandem ſuſpicor eſſe, & eò libentiùs acquieſco, dum huius opinionis aſſertorem habeo Virum Clariſſimum Andræam Ceſalpinum. Eſt igitur noſtra ſatureia eadem cum ſatureia Plinij, & Columellæ; immò nec forſan diſcrepat, niſi ſolo nomine à thymbra Dioſcoridis. Eſt igitur ſatureia odoratiſſima herba, quæ tenuioribus cauliculis aſſurgit ſubhirſutis, palmum vix excedentibus, ramulis exiguis, folijs longiuſculis præditis, anguſtis, per interualla binis, hiſpidulis, hyſſopi longè minoribus: per ramulos verò rarè diſpoſitos flores inter folia gerit, candidos, ſeu purpuraſcentes, ſolutos quidem, ſed quaſi ſpicam effingentem herbidam, à qua emergit ſemen exiguum ſubnigricans; radix lignoſa. tota planta elegantem odorem ſpargit; calida, & ſicca ſtatuitur in tertio gradu. Diſcutit flatus ſatureia, materiam, & mineram eorum attenuando; ſtomachum frigidum emendat; in fotu & nauſeam tollit; hyſtericis affectibus inſeſſione, aut fomento ſuccurrit.

De Dauco, & eius ſemine.

CAPVT CXC.

Daucum à Theophraſto cum cariota confuſum, à Dioſcoride bene ſeparari. cur Daucum Græcis appellatum. genera adducuntur, temperamentum ſtatuitur, vires examinantur.

SVnt qui Dauci genera cum paſtinaca confundant, rati, hoc ipſum à Theophraſto factum, qui lib. 9. de hiſt. cap. 15. in fine, Dauci nomine, ſtaphilinum, ſeu paſtinacam, cariotam ſcil. noſtram innuit; quod quidem ex Athenæo confirmatur lib. 9. qui ait Dioclem lib. 1. de Tuenda valetudine ſtaphilinum nominare illam radicem, quam cariotam vocat. Theophraſtus verò Daucum, quæ etiam caron appellatur à Iulio Cæſare in Commentarijs, cuius radice exercitum pauiſſe tradit circa Dyrachium ſtationem habentem per aliquot dies. Dioſcorides tamen magis cautè, & rectiùs, Daucos à paſtinacis diſtinguit, dum de hac locutus eſt lib. 3. cap. 59. de Daucis verò eodem libro cap. 83, quorum Daucorum tria genera facit, creticum, quod præſtantius eſt, ſecundum verò Apio ſylueſtri ſimile facit, & tertium genus ſtatuit eſſe coriandri folijs, eorumque ſolùm radices commendat, cretici præter cætera, inde præcipuè ſemen, & omnium maximè, cuius idem temperamentum eaſdem que vires affirmat. immò etiam Galenus Daucos à paſtinaca diſtinguit, licèt etiam ſtaphilinum, hoc eſt paſtinacam, Daucum vocari tradat, forſan ab auctoritate Theophraſti permotus, credunt Botanici Daucum à veteribus ità denominatum, quòd torminibus ſedandis, à flatibus excitatis, aptum ſit, eos diſcutiendo. Deſcribit Dioſcorides creticum Daucum, qui cæteris præſtantior, quòd folia fœniculi gerat, minora tamen, & te-

nuiora, dodrantali caule, coriandri umbella, floribus candidis, à quibus ſemen acre, album, hirſutum, ac in mandendo ſuauis odoris; radice digiti craſſitie dodrantali magnitudine. Secundum Dauci genus ab eodem auctore deſcribitur apio ſyluestri ſimile, aroma olens, acre, odoratum, feruenriſque guſtus, ipſo cretico tamen minùs probatum. delineat deindè etiam tertium genus, eſſeque ait folijs coriandri, floribus albis, capite & ſemine Anethi, umbella in ſummo, & etiam ſemine Paſtinacæ, vel cumini referta, oblongo, acri. Putat Matthiolus Creticum in nullo alio reperiri loco, quàm in Creta inſula; cætera verò genera apud nos naſci; conſtanter tamen Pena habet etiam creticum Daucum in Italia produci, vel ſaltem in omnibus cretico ſimile; immò pro cretico quotannis Venetias deferri, & tantæ efficaciæ eſſe, ut commodè pro cretico in antidotis uſurpari poſſit. Si Dauci temperamentum inquiramus, pronunciat Galenus, ſemen, quod frequentiùs in uſum venit, habere facultatem vehementer calefaciendi, & à Botanicis recentioribus pronunciatur calidum, & ſiccum in exceſſu tertio. Vires Dauci eximiæ aſſeruntur, & experimento comprobatæ, ſed præſertim contra ſerpentum morſus, ictibus phalangiorum occurrere, & efficaciſſimè pollere contra venenata omnia. ſemen tamen præcipuè uſurpatur, quod potum, inquit Dioſcorides, menſes, fœtumque pellit, urinam excitat, & à torminibus affectam alvum liberare aſſerit; veterem tuſſim compeſcere; quod de ea, quæ à frigido phlegmate excitata eſt, habendum; & impoſitum tandem œdemata diſcutere.

De Valeriana, ſiue de Phù Dioſcoridis.

CAPVT CXCI.

Nominis Valerianæ ratio inquiritur. an noſtra Valeriana ſit antiquorum Phù. de floris forma dubia reſoluuntur. deſcribitur. temperamentum adducitur, vires explicantur.

AN Valeriana ſic dicta fuerit olim à valentibus viribus, quibus morbos profligare valet; an potiùs à quodam Valerio inuentore, quo Latinum eiuſdem nominis Etymon deſignet, res eſt in ambiguo; & ſanè hoc illo eſt minùs opinatiuum; unumquodque tamen eorum mihi videtur conuenientius, quàm illud, quod à Veteribus circumfertur, quod videlicet nomen plantæ dederit apud antiquos Græcos Phù, nomen ſcil. admirantis ſimulque abominantis, & deridentis radicis odorem, quando ſcil. quiſpiam eam naribus admouerit, ut Lobelio placuit, & Ophmanno: eò quia in ipſo primo, & leui odorandi actu nardum olere videatur: ſecus verò ſi bene odoretur; habet enim, prout inquit Dioſcorides, odorem nardi cum viroſa quadam grauitate; ſed quoniam etiam multæ aliæ plantæ dantur, quarum radices ſi leuiter odorentur, bene olere videantur; inde tamen viroſum odorem emittunt, quæ nomen phù non obtinuere, hoc magis ingenioſum quàm verum exiſtimo. Non minorem difficultatem habet decernere, an Valeriana noſtra, quæ Marcor dicitur à Botanicis, & à

Lib. 1. c. 10.

ple-

pleriſque exiſtimatur verum phù Dioſcoridis (quamuis multi minorẽ
noſtram valerianam magis phu antiquorum aſſimillari credãt;) ſit eadem
cum antiquorum phù. Difficultas ex Dioſcoride ortum duxit, qui ait fo-
lia gerere Oluſatri, aut Elaphaboſchi; lis enim adhuc inter Botanicos
magni nominis viget, an noſtrum Oluſatrum, vel ſimiliter noſtrum Elapha-
boſchum ſit idem cum veterum Oluſatro, vel Elaphaboſcho. Putant mul-
ti Oluſatrum eſſe noſtrum apium ſelinum paluſtre; alij contendunt eſſe
hypposelinum, vel leuiſtichum, alij ſmirnium; ſi de Elaphaboſcho eadem
controuerſia procedat. Vtcumque tam ſit, ſiuè Elaphaboſcho phù ſimilia
folia habeat, paſtinacæ videlicet u, t fertur, maioris, ſiue Oluſatri formam
repręſentet, ſmirnij, aut leuiſtici folium, cùm omninò phù folia illarũ
plantarum folijs ipſiſſima eſſe nequeant, ſed tantummodò ſimilia, qui at-
tentè valerianam maiorem inſpexerit, eam folio non admodum ab illis
diſcrepare comperiet, cùm caulis, & radix valerianæ noſtræ maioris no-
tis à Dioſcoride relatis cum illis optimè correſpondeant. maior difficul-
tas eſt de flore, cùm multi, inter quos Ruelius, Matthiolus, Lobelius, &
alij quamplures in Dioſcoridis textu legerint, phù habere flores narciſſo
maiores; cum flore valerianæ noſtræ, ratione mollis ſuæ minimæ, narciſſo
pro ſua exilitate comparanda veniant. Hoc ipſum tranſiſſe apparet & Ce-
ſalpinum, & Saracenum, florem dicendum ſimilem nardo, non narciſſo,
quod quidem probat leuis ſatis coniectura. alij tamen Dioſcoridis textum
Græcum vertunt, prout etiam conatur facere Saracenus, flores ad nar-
ciſſinos proximè accedere, ſed minores multò, & teneriores, quamuis
idem Saracenus dicat in Scholijs ſeruari poſſe Dioſcoridis textum, dũ
flores narciſſo maiores aſſerit; quoniam in Ponto ſuadetur tales proferri
à phù. ego tamen libentiùs textus Dioſcoridis correctionem ab eodẽ
Saraceno factam, & ab alijs pluribus admitto, quàm textus excuſationẽ,
quod ſummis viris placuiſſe videor; excuſatio namque nimis laxa eſt, &
veriſimili contraria, cùm facilè credi poſſit Dioſcoridem μακρὰ pro μακρὰ
ἄσβυα, non μείζονα ſcripſiſſe, adeoquè fruſtrà contendimus & laboramus, ut
ipſam valerianam noſtram repudiemus, cùm cæteræ notæ vireſque eiuſ-
dem omnes phù à Dioſcoride deſcripto maximè correſpondeant. Vale-
riana igitur noſtra maior folia iuxta radicem producit, oblonga ſatis, la-
ta, leuia, lactucæ inſtar, viridia, circa pediculum cui inhæret altè inciſa,
non crebris tamen inciſuris diſſecta; caulis rectus pluſquam cubitalis, le-
uis, circa quem folia magis inciſa, minora, paſtinacæ maioris, ſeu Elapha-
boſchi ſimilia, ſed minora tamen: folia hæc circa genicula bina hinc in-
de ſeſe exerunt. In caulis verò ſummitate flores umbellæ ritu diſpoſiti,
parvuli, narciſſi effigiem quoquo pacto æmulantes, ſed longè minores, di-
lutè rubentes; ſemina oblonga, compreſſa, ſemen lini repręſentantia; ra-
dix digiti craſſitie obliqua, cui multa fibrarum capillamenta adhærent,
elleboro albo non diſſimilis, odore nardi, ſed quadantenus viroſo, quæ
tamen exſiccata ſuauiter olet. Putat Ceſalpinus duas phù differentias à
Dioſcoride in textu deſcribi, maioris videlicet, & minoris; ego tamen au-
rumo ab eo unicum deſignari, & maiorem noſtram valerianam; quamuis
recentiores Botanici etiam plures valerianæ differentias inuenerint, de

qui:

quibus apud ipſos; quemadmodum minimè obſtare crediderim, quod dicat phû in Ponto naſci; per hoc enim non tollitur naſci non poſſe etiam in alijs regionibus, ut de pluribus alijs manifeſtum, quibus idem author unicum originis ſolum aſſignat, quemadmodum pluries ex Theophraſto claiè colligitur. Procul dubio Valerianæ radix, huius præcipuus uſus in medicina eſt, excalfacit, ſiccat præſertim, & abſumptis humidioribus partibus, quæ viroſum odorem grato iungebant, tertium etiam gradum calid. obtinere cum eadem ſiccitatis menſura facilè admittitur; nec eidē radici deroganda eſt vis alexipharmaea, cui veteres eam petere crediderе potiùs ex proprietate totius ſubſtantiæ, quàm ſecus; quemadmodum ex temperamenti natura urinam ciere; idem enim operatur tam propinata in ſubſtantia, quàm in decoctione. Efficacem ipſam commendat Dioſcorides in doloribus lateris, ſed ſub qua ratione vix video, calidam ſcil. radicem ordine tertio, inflammationibus opitulari poſſe, forſan in phlegmonis progreſſu, materia reliqua relicta craſſiore, tunc ad diſſoluendam efficax. Antidotis immiſceri utiliſſimè tradit, ſegneſque menſes excitare.

De Acoro.

CAPVT CXCII.

Acorum olim pro Calamo Aromatico malè uſurpatum, & diuerſitas, Ceſalpinus in Acori deletione deceptus; deſcribitur. Temperamentum deſignatur, vires explicantur.

EST profectò non leui admiratione dignum, quomodo anteacta ætas paſſa ſit ubi pro calamo aromatico obtrudi Acori radices, & ſic calami honores alteri plantæ tribuere, quæ omninò diſſimilis eſt. Eſt Acorum namque potiùs iridis quàm arundinis cognata planta, & ab aromatico calamo effigie, natura, & facultate diuerſa; immò Dioſcorides eidem iridis folia tribuit, licèt anguſtiora, neque diſſimiles ait radices gerere, quæ ex eodem in uſum medicum veniunt; ſecùs de calamo aromatico indica planta, cuius utitur tantummodò calamo geniculato non radice; & qui confractus in aſſulas diſilijt, ait, multas. acori verò radices commendat tantummodò non caulem, aut lignum, & huius calami ſunt geniculis crebris ſeu internodijs diſtincti. eſt igitur acorum noſtris temporibus notiſſima planta, quæ licèt aliundè nobis importetur, ſpontè etiam circa hanc regionem naſcitur, & ego etiam ſæpiùs meis manibus radicem cum folijs collegi circa ripas ſouearum, quæ Caſtrifranci mænia Taruiſinæ ditionis oppidi circumambiunt; creſcit enim in uliginoſis, & facillimè propagatur; in n ò iulos etiam producit; nec mirum, cùm etiam, vt fertur, naſcatur ſponte apud Batauos in paluſtribus. Ceſalpinus pro acoro iridem luteam accipit, cui flores etiam luteos aſſignat; cùm tamen legitimum acorum pro floribus iulos produceat. Dodonæus verò excluſis & alijs eius formæ, integram relationem exhibet, & iconem oſtendit. Cluſio videtur inuectum eſſe acorum temporibus Maximiliani Secundi Imperatoris,

ſis, & in Viennæ hortis ſatum, quemadmodum & in Belgio. Acori noſtri igitur folia ſunt iridis longiora, & anguſtiora, dilutè virentia; radices obliquè ſerpentes, geniculis crebris interſectæ pollicis craſſitie, interdum exilibus fibris crebriſque refertæ, guſtus aromatici cum aliqua acrimonia, ſimilique odore præditę, quemadmodum ſic & folia, ſi dirumpantur, eodem ſcatent odore, ſiue dentibus terantur: iulos acorum auellanis non admodum diſſimiles producit, non è caule, quoniam caulèm non profert, qui ſanè iuli intrà complexorum foliorum turgentes, circa eorum meditullium quoquo pacto extuberant, veluti quaſi ex utero nouella fœtura; erumpunt enim hi modicam craſſitiem adepti, & ſenſim in conum efformantur craſſitie potiùs pollicis, virides, eleganti tuberculorum congerie concinnè diſpoſiti, obliquis lineis interſecantibus floſculis, dum ſe pandunt, albidis, ad luteum vergentibus, quatuor minutiſſimis foliolis conſtantibus ſine odore, quos diligentiſſimè obſeruaui in meo viridario iuxta radices Euganeorum collium, cuius ſeceſsu plurimùm per æſtatem delector; quam plantam tranſpoſitam latè ſe propagare proſpexi, cùm locus ſit proportionatus, & viuis fontibus irriguus, fructumque ſimilem delineatum modò, non ſemel, ſed frequenter obſeruaui. Proditur eius temperamentum eſſe calidum in tertio gradu, & in eodem gradu ſiccum, quod etiam ex Galeno elici poteſt. Decoctum ex radicibus, aſserit Dioſcorides, urinam ciere, dolorique lateris, thoracis, & hepatis occurrere; admonet inſuper in principio prodeſſe autumandum non eſſe; lienem abſumere creditur, torminibuſque opponi, quemadmodum etiam ruptis, & convulſis; ſtrangurijs quoque mederi, & venenatis morſibus habet, adeoque antidotis utiliter immiſceri; in inſeſſu menſes excitare, & tamen eiuſdem radicis ſuccum oculorum nubeculas abſumere, ſub qua ratione nomen acori apud Veteres obtinuiſſe fertur.

De Aſclepiade.

CAPVT CXCIII.

Aſclepiam antiquorum, & vice Toxicum noſtrum unam & eamdem plantam eſſe affirmatur; genera recenſentur; deſcribitur. Temperamentum, & vires afferuntur.

NOn vanè prorſus huic plantæ Recentiores vincetoxicum per antonomaſiam appellauere, cùm venenis ferè omnibus, quamuis quibuſdam etiam ſpecificè opituletur, opponi compertum ſit, eò quia non ex veterum, & Dioſcoridis præſertim, obſeruatione, ſed ex Recentiorum experimento conſtet apocyni veneno peculiariter aduerſari. Contendit Mathiolus noſtrum vincetoxicum non eſſe Aſclepiam Dioſcoridis, non ita tamen validis hoc probat argumentis, ut validioribus magis rationibus à Dodonæo, & Lobelio non ſuperetur, Aſclepiam, & vincetoxicum unam & eamdem plantam eſſe; & licèt hederacea folia gerere dicat Aſclepiā, oblonga tamen eſſe vult, nec eidem radix in odore eſt nec flores: cætera

tera

tera verò omnia correſpondent, & præcipuè vires. Duas Recentiores cognoſcunt vincetoxici differentias à floribus diſtinctas; unam vocant albam, quia flores albos gerat; aliam nigram appellant à florum colore nigricante, ſiue pullo; cæterùm huic plantæ à tenui radice fibroſa, & graui odore predita plures cauliculi emergunt cubito altiores, & ſæpe bicubitales teretes, folia hederacea ſatis lata, ſed hedera anguſtiora, in longum porrecta, & leuiter mucronata, leuiaque; flores in cacumine albi, vel pulli, prout in ſecundo Aſclepiadis differentia, odorati, ſed graui odore, non ſine tamen iucunditate; ſemen latum, planum, longiuſculum, ruffum, quod in ſiliquis reconditur, non admodum glycyrrhizæ diſſimilibus. radix calida aſſeritur ad tertium uſque gradum cum conſimili ſiccitate. aduerſantur ſemina in vino pota, ex Dioſcoride, torminibus, morſibuſque venenatorum animalium; aitque malignis vitijs mammarum, & vuluæ ſalubriter occurrere. Recentiores plures vires nõ minus efficaces poſſidere tradunt; aiunt enim contra menſium moram utiliter adhiberi, hydropiciſque proficuam eſſe; flores, & folia in puluerem redacta ulceribus, & vulneribus opitulari, extergendo, exſiccandoque, & carnes ad cicatricem deducendo; hernijs prodeſſe tradũt, & canum rabidorum morſibus prodeſſe aiunt.

De Chamædry.

CAPVT CXCIV.

Diſtinctas eſſe plantas Chamædrym, & Theucrium affirmatur. Deſcribitur. Temperamentum perpenditur, vires aſsignantur.

AVctoritas viri cuiuſdam magni inter Botanicos, cuius ſanè manes ſummoperè veneror, in huius plantæ diſquiſitione facienda non leuem confuſionem peperit, an Chamædry noſtra, qua pro vera Chamædry

Lib. 3. c. 112 dry modò utimur, illa ſit, quam deſcripſit Dioſcorides pro genuina Latinorum Triſſagine, de qua etiam egit Theophraſ. an potiùs ſit Theucrium

Lib. 9. de hiſt. plant. cap. 10. ab eodem Dioſcoride deſcriptum eodem lib. cap. 111. ego quemadmodum facilè aſſentior non valdè diſsimiles eſſe plantas, immò ferè cognatas, adeoque à Dioſcoride in expoſitione propè poſitas, & ferè combinatas; attamen Triſſaginem ſiue Chamędrim, aut querculam noſtram non eſſe Theucrium ab eo deſcriptum cit. cap. ſed plantam, quam pro triſſagine deſcripſit anteced. capite. verba enim eius litem dirimunt, ſi diligenter ea perpendamus, & utrique plantæ aptemus; dum enim de Chamędry loquitur, inquit eſſe exiguum fruticem dodrantalem, folia habere exigua, effigie, & diuiſura quercus, amara; at Theucrium tam humilem plantam non facit, ut qui ad cubitalem, & etiam bicubitalem altitudinem aſſurgere facit; humilem eſſe fruticem triſſaginem, quæ æmula querculæ folia ſimilia gerat, licèt multùm minora, quod nomen ipſum Chamedry deſignat, minora tamen ſunt, & per ambitum ſerrata, duriuſculaque inſtar quercus: ſecùs de Theucrio, cuius folia ampliora ſunt, nec ita dura, neque color caulium chamedry correſpondent, ſunt enim in rubore quaſi

diffuſi.

diffuſi. Plures differentiæ Chamædry, ſiue Triſsaginis à veteribus ſunt deſcriptæ, quorum diligentia licèt commendabilis ſit, tamen ad uſum quod attinet, confuſionem pariunt; quando de legitima quercula Chamædry, ſeu Triſſagine certi ſimus, præſertim legitima Dioſcoridis, quæ in montanis uberrima ſpontè naſcitur, nihil ampliùs quærendum eſt, niſi exercitationis gratia. Guſtu tota amara herba eſt, fruticoſa, humilis, caulis dodrantalis, folijs quernis, minoribus tamen, & in ambitu ſerratis. Lib.24.c.15 hinc Plinius autumat ab artificibus deſumptam eſſe formam ſerræ. flores inter folia exiles, & dilutè purpurei. cæterùm hanc plantam aſſerit Dioſcorides à ſimilitudine, à quibuſdam Theucrium appellatam fuiſſe; ſimilitudo tamen non eſt identitas, nec arguit vires eaſdem, quæ à temperamento potiùs, quàm à foliorum forma, quæ in Theucrio ſunt maiora, pendere debent, cùm præſertim quercula imbecillimus, & parvulus frutex ſit, exiguiſque cauliculis; Theucrium verò bicubitalibus & ampliùs caulibus exurgat, virguliſque craſſioribus. Galen. 8. ſimplicium ſtatuit Chamædry temperamentum calid. & ſic. in tertio, præualere tamen ait ſiccitatem; ingruit tamen hìc difficultas à viro doctiſsimo facta, dum ait Italicam Chamædrim ſecundum caloris gradum non excedere, creticam verò ad tertium adſcendere, ſed cùm noſtra in arduis, & ſenticoſis collium iugis utplurimùm emergat, & colligatur, guſtuſque non leuem amaritudinem in ea reperiri præſeferat; hanc etiam à tertio caloris gradu non deflectere facilè autumauerim. Recenſet vires Dioſcorides eiuſdem plantæ, habet que recentem decoctam in aqua, & in potu exhibitam ſummopere convulſis, ruptiſque, induratoque lieni prodeſſe; ita & urinæ difficultatibus, & hydropi, ſi præ foribus exiſtat, opitulari, menſes ciere aſſerit; partus extrudere; immò couſumere lienem in aceto potam; immò contra venenatos morſus, ictuſque miram opem præbere; ulcera vetera in vino abſtergere, oculorum nubes cum melle, vel oleo tritam abſumere; partes frigidas calefacere Triſſaginis oleo inunctione facta: quemadmodum etiam alibi modum docet conficiendi ex Chamædry oleum.

De Eryſimo, ſiue Irio.

CAPVT CXCV.

Eryſimi nominis ratio varia adducitur. Deſcribitur, Temperamentum, & vires afferuntur.

QVod Eryſimon Græcis dicitur, ea planta eſt, quæ etiam Latinis idem nomen obtinet, quamuis etiam Irion, teſte Plinio, appelletur. Dicitur Eryſimon ſecundùm aliquos à multiplicibus foliorum ſciſſuris, folia namque gerit erucæ modo laciniata, cui ſententiæ plures ſeſe applicuere. alij dictum ſic autumant ab oleris præſtantia, quaſi nobile, & pretioſum olus ſit, vel quòd attrahat ſua caliditate, ut plerique viſum eſt. Cæterùm horum, qui vero magis ſimilius dixerit, dubium eſt. magis tamē rationabile videtur, quamuis hoc incertum ſit, ita appellatum à foliorum forma.

forma; Latini etiam Irion appellauere, quod ſcil. acri ſuo ſapore in linguam irruat; ſic unuſquiſque pro ſuo libito, ut ſuam tueatur opinionem, ſuas etiam adſtruit rationes; ſic uno, & eodem nomine etiam duæ diuerſæ omninò ſignificantur plantæ; Theophraſtus namque, & pluribus etiam locis, de Eryſimo meminit; quam plantam Dioſcorides autumat ad cerealium plantarum pertinere, & ſic cum Theophraſto eryſimon ſuum oleraceam plantam facit, ſic etiam à Latinis Irion nomen aptari tradit, & quod nomen ex etymo non competit eryſimo Theophraſti, quod & fagopiron eſſe, nec ſine ratione, multi contendunt; & ſint, qui dicant Theophraſti eryſimon ſub nomine myagri à Dioſcoride deſignati, licèt Plinius hæc nomina confundere videatur. eſt igitur eryſimon ex Dioſcoride plãta flexilibus cauliculis, fractuque contumacibus, folijs erucæ ſylueſtris, floribus circa ramulos luteis, ſiliquis in eorum ſummitate gracilibus, corniculа repræſentantibus, fœnu græco ſimilibus, in quibus exiguum includitur ſemen, Naſturtio ſimile, fetuido guſtu; radix lignoſa; quæ omnes notæ optimè congruunt noſtro Eryſimo, ſiue Irioni. Cæterùm ad temperamentum quod attinet Gal. 6. Simpl. igneæ eſſe facultatis affirmat, & acrimoniam non leuem poſſidere, ut eos erraſſe non appareat, qui eidem plantæ tertium gradum caliditatis, & ſiccitatis etiam aſſignarunt. vis præcipua, quæ à Recentioribus eryſimo tribuitur, eſt ciendi validè urinas, calculoſque minuendi, & efficaciter extrudendi. Dioſcorides ſemina cum melle delincta, contra Thoracis fluxiones pollere ait; tuſſim, & purulentas excretiones & ſanare, & expurgare habet; inſuper efficacem opem ferre morbo regio laborantibus, iſchiadicíſque affectibus tentatis. aſſerit inde utiliter ſemen bibi contra venena; vult quoque cum aqua, aut melle illitum cancris occultis prodeſſe, eorumque durities diſſoluere, & parotidas; teſtium mammarumq; inflammationibus prodeſſe attenuando, dummodo in principio non adhibeantur.

8. de hiſtor. plant. cap. 3.

Lib. 3. c. 23.

De Helenio, ſiue Enula Campana.

CAPVT CXCVI.

Nominis Helenij diuerſa ſtruitur ratio. An Helenium nepenthes Homeri fuerit, & tale in rerum natura extiterit, vel potiùs quid fabuloſum, inquiritur. quod nam genus putandum ex Helenijs fuiſſe; & an eo hoc ſeculo careamus. an Chaoua, ſiue Caphè Recentiorum ſit nepenthes Helenæ. de quo temperamentum, & vires, quemadmodum etiam Helenij afferuntur.

NOn eſt cur nimis in Helenij nominis Etymo Poetis alijſque priſcis authoribus faueamus, exiſtimantibus hanc plantam è lacrymis Helenæ natam, quas ingiter effudiſſe ferunt ob Canopi nauis ſuæ gubernatoris mortem ab hæmorrhoo ſerpente eidem illatam, cui iratam fregiſſe ſpinam in vindictam facinoris patrati tradunt, ut inde ab eo tempore Hæmorrhous tortuoſè inccdat, cùm non magis à Menelao in hoc caſu lacrymę effuſę fuerint, ut ex Rhauorino notum magis quàm ab Helena ipſas

cui

cui quidem fabulæ ſubſcripſiſſe videtur Plinius, quod à Poeta Nicandro deſumpſiſſe videtur. Verùm magis veriſimile eſt, plantam ſic vocatam ab Helenio Ægæi maris Inſula, ubi copioſiſſimè naſcitur, quod nec Plinio diſplicuit. Cæterùm ſi quis ingenioſiorem denominationem ab effectu deſideret, dicat cum eodem authore, tale nomen conſecutam eſſe, quia fœminarum fucis conducat, dum eas Helenæ formoſæ ſimiles reddere contendat; immò cæteris fęminis præſtantiores, vel, ut alijs placet, quia eius uſu viros magis gratos fęminis reddat, magiſque amabiles; quod etiam fęminis contrà accidere tradunt. At qui magis seriè locuti ſunt, exiſtimant nomen deſumpſiſſe, eò quia Helena hac ipſa planta uſa ſit ad venenatos morſus ſerpentum ſuperandum; hanc ipſam rationem colligimus abundè ex Helanio, qui ait Helenam à Polydamna ſui viri zelotypa, qui eam ipſam Helenam deperibat, deportatam in quandam inſulam, & expoſitam tradit ſerpentum feraciſſimis, conceſſis priùs eidem, tanquam antidotum, radicibus helenij, ut contra virus trucium animalium ſe communiret; quod quid antidotum ab eadem Helena in terra defoſſum Helenij plantam produxit. Cæterùm quidquid de nomine aſſerendum veniat, magis tamen controuerſum videtur, magiſque difficile determinare, an ſtirps hæc utiliſſima, nepenthes ſit illud à ſæculis tantoperè celebratum ab Homero, quod Helena ex Ægypto delatum Vlyſſi mœrenti, ut dolores demulceret, animique paſſiones, in vino præbuit dum Lib. 21. c. 10 In Theriac. De hiſt. anim Lib. 9. c. 25.

Protinus namque in vinum miſit Pharmacum unde bibebant,
Nepenthes abſque dolore faciens, & ita malorum obliuionem inducens
Qui illud deglutierit poſtquam crateri mixtum erit,
Non poterit profundere unquam lacrymas,
Neque ſi ei mortui fuerint materque paterque;
Neque ſi et coram fratrem aut clarum filium
Ferro trucidarent, ipſe verò oculis videret.

Igitur ambigitur, an Pharmacum iſtud omninò fabuloſum ſit, vel potiùs hiſtoriæ amplificatio, & more Poetico illuſtrata; at dari in rerum natura nepenthes iſtud, quod locum dedit prouerbio apud Philoſtratum, craterem Helenæ (videtur prorſus fabuloſum, & Poeticum omninò Homeri figmentum) cui ſubſit lepida allegoria, iucundas ſcilicet narrationes, graues curas demulcere.

Plures tamen contendunt, dari verè plantam, quæ hilaritatem inducere valeat, cùm variæ etiam communiter ſtirpes ſint, quarum facultas cordi amica id efficere compertum ſit; quod etiam, teſtimonio Galeni ſuaderi poteſt, qui eamdem vim bugloſſo attribuit, nec eſt, ut eamus inficias, ſimiles alias dari plantas, quæ hilaritatem inducere valeant: nepenthes tamen tantæ efficaciæ eſſe, ut ab Homero aſſeritur, non concedunt, aut talis planta concedatur, adhuc magis viget difficultas, an eadem ſit planta helenium noſtrum cum ſtirpe Polydamnæ Theonis Aegypti Regis uxoris, quæ non unicum, ſed plura Ægyptia pharmaca Helenæ dono dedit, inter quæ etiam nepenthes iſtud; ſic enim Homerus habet 6. Simpl.

Talia Iouis filia habebat pharmaca utilia,
Bona, quæ illi polydamna præbuit Theonis uxor;

Ægyptia, quæ plurima producit fertilis terra.

Igitur pharmacum iſtud Nepenthes Ægyptia planta erat, cuius ſemen Helena ſecum ex Ægypto detulerat. An verò veriſimile ſit tales vires helenium noſtrum gerere, vix credibile eſt; id enim ſaltem experimento non conuenit, ſed quoniam, ſi helenium eſt Nepenthes, non unicum eſt helenij genus, erit forſan helenium illud ſecundum Dioſcoridis, hoc eſt illud Crateuæ ſcilicet in Aegypto naſcens. huic opinioni fauet Plinius, *Lib.25. c.2.* qui dum aſſerit, Homerum herbarum gloriam Aegypto tribuere, deinde ſubdit, herbas certè Aegyptias à regis uxore Helenæ ſuæ traditas, quas plurimas narrat, ac nobile illud Nepenthes obliuionem triſtitiæ, veniamque aſſerens, & ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum; hinc ſuſpicandum eſt, tam pretioſum pharmacum, quod in cratere infuſum hoſpitibus ſuis præbuit Helena à ſuo proprio nomine inſignitum fuiſſe potiùs, quàm cæteras alias plantas. Et profectò ſi tale pharmacum in rerum natura reperitur, potiùs in Aegypto, quàm alibi naſci, ubi prima ſua incunabula habuit, fatendum. Verùm nec coniecturis caremus, quibus perſuaderi poſſimus anteacto proximo ſæculo plantam quamdam à maxino dynaſta reſtitutam nobis ad uſum fuiſſe, & reuocatam, quæ nepenthes Helenæ vires obtinebat, ſi fides tamen hiſtorico claſſico habenda ſit; refert enim Paulus Iouius in libro illo, quem de rebus Turcicis ſcripſit, nonnunquam Selimum Turcarum Imperatorem uſum fuiſſe quodam ſemine ſibi noto, quod rerum moleſtarum memoriam adimeret, & per aliquot horas à curis ſoluens iucunditatem animo ſummam indebat; *& forſan* ob hoc ipſum vinum ex helenio paratum temporibus Dioſcoridis ne- *Lib.5. c.66.* penthe vocabatur, quemadmodum hæc planta nectarium; quaſi hęc ſtirps inſtar nectaris deorum hilaritatem hominibus indat. Dubitari interim meritò poteſt, an ſemen illud, quo uſum fuiſſe perebant Selimum ad curas demulcendas, idem ſit cum eo, quod pluribus abhinc annis apud Turcas paſſim uſurpatur, Caphè ſiue Chauhè appellatur, ex quo potionem huius nominis conficiunt, quam per otium feruidam pitiſſando ſorbillant, & quam etiam apud Europeos in præſenti in uſum veniſſe videtur; deinde an hoc fortaſſis ſit illud nepenthes ab Homero tantopere celebratum, ac ſubinde an aliqua helenij ſpecies. Prius concedi facilè poteſt; ad exemplum namq; regis ſubiectas gentes in conſenſum tractas fuiſſe, non eſt cur miremur. Quamuis enim effectus non correſponderent, adulatio tamen veritati facilè imponit. Poſterius tamen vix, aut ne vix quidem admitti poteſt; quamuis Petrus à Valle, vir, qui inſtar Vlyſſis ex Homero:

Mores hominum multorum vidit, & urbes;

Id in ſuo itinerario inſinuare videtur; ſed forſan illa celebris curarum obliuio, quam Pharmaco Helenæ aptaſſe videtur Homerus, non pharmaco, ſed vino tribuenda erat, cuius non diſſimiles vires quotidie experimur, & quas habere nec idem Homerus negat, dum inquit.

O' Menelae dij fecerunt optima vina,
Quæ triſtes hominum curas depellere poſſint.

Cuius ſanè miras facultates conſiderans Dyphilus Comicus apud Athenæum tali elogio vinum proſecutus eſt.

Pruden-

Prudentibus ac cordatis omnibus amiciſsime
Bacche, atque ſapientiſsime, quàm ſuauis es
Abiectis magnificè ut ſentiant de ſe, tu ſolus efficis.
Superciliosis, & tetricis perſuades ut rideant,
Ignauis ut audeant, ut fortes ſint timidi.

Quod etiam ex vinoſi Alcei verſiculis ex eodem Athenæo magis conſtat, dum ait.

Vinum Iouis lac, Semeles filius,
Curarum ut obliuiſcantur dedit mortalibus.

Et alibi ex eodem canit

Semelis Iouiſque filius
Mortalibus vinum dedit
Curas graues quod deleat.

Vtcumque tamen de nepenthe viribus habendum ſit, conſtantiſſimum eſt ſemen, quod ad potionem Chaoua, ſiue Caphè concinnandam uſurpatur, non eſſe helenium noſtrum, neque eiuſdem aliquam ſpeciem. Non eſt Helenium à Dioſcoride primo loco deſcriptum, quia ſemẽ iſtud, quod Bom ſiue Bam ab Alpino vocatur, cui non diſſentit Veslingius in Annotationibus & à quibuſdam creditur eſſe Bongho Auicennæ, quæ planta recenſetur ſub Bon, ſiue Bam nomine etiam ab Bahuino in pinace ſub euonymi rubrica modo, ſub exotici ſalicis, etiam nomenclatura prouenit ex arbuſcula quadam, forma, folijſque euonymo non diſſimilibus, licèt craſſioribus, durioribus, viridioribuſque, non deciduis, ſed perpetuò virentibus; Helenium verò noſtrum herba eſt annua, licèt radice perenni, folijs verbaſci maioribus, quotannis marceſcentibus, ſemine à ſupradicta planta diuerſo, viribuſque diſſimilibus, & temperamento. non eſt pariter Crateuæ helenium ab eodem Dioſcoride ſecundo loco deſcriptum; quia non eſt arbuſcula euonymo ſimilis, ſed herba cubitalibus ramulis non elatis, ſed humi procumbentibus ſerpilli modo, folijs lenticulæ proximis, longioribus tamen, & circum ramos numeroſis, cui nulla alia facultas tribuitur, niſi quòd morſibus ſerpentum auxilietur; utrique enim ex deſcriptis helenijs nulla vis exhilarandi cor, & vigoroſè triſtitiam depellendi obliterandique aſſignatur. & licèt Serapio ex mente Hunaim Helenio facultatem inducẽdi obliuionem iræ & dolori, tribuat, & hoc ex Hippocrate deductum fateatur: ſuſpicor tamen hoc potiùs ab Arabo illo authore confictum ex Homeri verbis, quàm ex Hipp. deſumptum. Diuinus namque ſenex unico tantummodò in loco, quod ego viderim, Helenij meminit, dum plantarum catalogum proponit, uterum reſpicientium, eiuſque morbos; deque alijs viribus tamen nec verbum facit; imò Serapio loquitur de Helenio primo loco à Dioſcoride deſcripto, quod certè validis iam dictis viribus eſt deſtitutum. Nec tandem eſt Theophraſti helenium, quod ſub frutice ſtatuit aliqua de huiuſmodi helenij viribus habet, hinc eſt, quod admodum helenij omnes ſpecies longè diſtant ab ea planta, quam vidit Proſperus Alpinus in Cayri Halibei Turcæ viridario, cujus etiam Iconem exhibuit; quæ tamen planta non eſt Aegypti indigena, ſed Arabiæ; & iſtud ſemen, ex quo Chouè fit, ex Iamin, ſiue felici Arabia deſer-

De Natura Mulier.

1. De hiſtor. plant. cap. 118. 126.

deſertur, ut aſſerit Veslingius, quam tamen plantam eidem videre non licuit: nec Theophraſti ex helenio, nec Dioſcoridis, aut Crateuæ ſemen iſtud colligitur; & ſic nihil habere cum helenijs ſtatuendum, ut quidam opinati ſunt. Sed ut rem definiamus, neque Nepenthes Homeri eſt, cui fortè, ut diximus, quæ eidem tribuuntur, ſunt merè poetica figmenta. Verùm ut aliqua etiam de viribus Caphè perpendamus, deque ſemine, ex quo conficitur relata potio, cùm vires præcipuæ eius ex temperamento reſultent; quædam etiam circa eius temperamentum conſideranda veniunt: circa quod video ſanè rem ſatis ambiguam, cùm auctores inter ſe valdè diffideant, ſunt enim qui frigidum dicant, ſunt qui calidum, omnes tamen valdè ſiccum ſtatuunt; quod ſi Auicennæ Bon, ſiue Ban eſt, ſuum Ban calidum in tertio gradu pronunciat, ſiccum in ſecundo: Dominius Melitenſis in quadam ſua Epiſtola modò calidum, modò frigidum aſſerit, alij frigidum abſolutè ſtatuunt, Veslingius tamen litem dirimere autumat, dum corticem frigidum, medullam calidam facit, quæ amatiuſcula eſt, non ſine dulcedine. ſed quod magis eſt, auctores iſti, & alij quamplures ad libitum ſuum temperamentum effingunt, ut vulgò imperito Agirtarum more hoc pro panacea exhibeant, & vendentes lucri ſummam ſibi vendicent; ut de alijs olim exoticis, quæ obſoleuere, obſeruauimus. Cæterùm eſto, quòd aliquæ non ſpernendæ vires in eo ſint, quæ præſertim à temperamento calido & ſicco prodeant, ut Alpino faueam, & aliquæ etiam à tota ſubſtantia emanare poſſint, ut aliqui opinati ſunt, utcumque tamen non magnæ ſunt, aut euidentes, quod factum eſt, ut licèt *calidum* ſemen autument, nec in calore admodum excedere crediderim, nec in ſiccitate, licèt hæc illi præualeat; quotidianus namque uſus in tot millibus, qui eo nimis laxè uſi ſunt, ſi exceſſu temperamenti præpolleret, morbos plures induxiſset, alioſque latentes excitaſset; quod tamen non obſeruamus. ita igitur opinandum, quòd quemadmodum exilis utilitas ex eo prodit, ſic noxæ, ſi quæ ſunt, minimè ſatis conſequantur. ſed ſatis de his, quæ obiter circa Caphè dicenda mihi ſunt, & forſan pluſquam ſatis. nunc vires helenij noſtri perpendamus, ſtatuentes primò, ex omnium ferè conſenſu, obtinere tertium gradum caliditatis cum conſimilibus gradibus ſiccitatis. igitur perpendentes, quæ habet Dioſcorides de helenij facultatibus; optimum exiſtimat ad urinas, menſeſque prouocandos, ſi in decoctione ſumatur, ſic & in eclegmate prodeſſe ait; tuſſi, & orthopnoicis, ut ex eiuſdem auctoris verbis apparet, in quo manifeſto errore ſint, qui helenij radicibus phthiſicis ſanitatem reſtituere promittunt, cùm longè alia ſit affectio, aut ab alia cauſa pendeat tuſſis ex orthopnœa, de qua loquitur Dioſcorides, quàm quòd ſit phthiſis, aut pulmonum ulcus à qua tuſſis pendeat. tradit inde ruptis, & conuulſis opitulari, & inflationibus; ſed in primis venenatis ictibus, ſerpentumque morſibus; iſchiadicis folia utiliter illiniri habet, aut decocta in vino; obtinent enim digerentem facultatem, & reſoluentem. ait tandem ſtomacho cum ſapa conducere, & ſanguineis reiectionibus.

De

De Thlaſpi.

CAPVT CXCVII.

Thlaſpi nomen à quo rationem deſumpſerit inquiritur, & definitur. cur aliquod eius genus biſcutatum appellatur. Thlaſpi deſcriptio affertur; difficultates pro vero Thlaſpi eligendo enodantur; temperamentum, & vires enucleantur.

Formam ſeminis huic non ignobili plantæ nomen Thlaſpi tribuiſſe priſcos illos Græcos, ex eo conſtat, quòd veluti quadam vi ſemen ipſum comprimente, quamuis infractum, compreſſum tamen videatur; idem etiam Dioſcorides, & Galenus opinati ſunt; hoc enim quaſi diſcum ſua rotunditate æmulari videtur, dum compreſſa capſula, turbinata ſua figura, in qua ſemen minutiſſimum reconditur, diſcum repræſentet: ità etiam Dioſcoridi viſum eſt. hinc apparet non ſine ratione recentiores Botanicos quamdam Thlaſpi differentiam biſſcutatam appellaſſe, quia in ſummo Caule capſulam duplici diſco efformatam ſcutiformem gerat, in qua ſemen incluſum ſeruatur. Duo tantummodò Thlaſpi genera à Dioſcoride recenſentur, quorum poſtremũ Thlaſpi Crateuæ appellat, radicibus magnis, & folijs latis; cuius ut acrimoniam oſtendat, appellari etiam ſinapim Perſicum tradit. primo loco ab eo recenſitum Thlaſpi, deſcribit Dioſcorides, eſſeque ait herbulam anguſtis folijs, longitudine in terram verſis, ſubpinguibus, & in cacumine diuiſis; ſubdit cauliculum emittere binum, tenuem, altitudine dodrantali, cui ramuli adnaſcuntur; fructumque gerere aſſerit ſumma ſui parte modicè latum, veluti compreſſum infractumque, unde nomen accipit, ubi ſemen includitur exiguum, acre, & excalefaciens, florem verò ait albicare. Cæterùm ſumma diligentia clariſſimorum virorum in indagandis ſtirpium generibus tanta eſt, ut non ſolùm varia Thlaſpi genera repererint præter ea, quæ à Dioſcoride referuntur; ſed inter ſe digladiari videantur, dum oſtendere nituntur, quodnam horum ex eorum animaduerſione repertorum generibus à Dioſcoride relatis magis congruat; quod quidem perniciosſum euadit, quia inſignem confuſionem parit, & potiùs diligentia hæc reprobanda, quàm laudanda veniat: tantus enim eſt gloriæ ſtimulus, ut viri ſummi ſæpe ambigua pro veris obtrudere non ſint veriti, è quibus difficultates non leues in arte intruſæ ſint. nihilominùs vt confuſio vitetur in deligendo Thlaſpi, exiſtimant Recentiores ad Thlaſpi veterum magis accedere illud à Dodonæo deſcriptum, quod vaccariæ folium à Lobelio, & magis vulgatum vocatur; repugnat tamen anguſtia folij, quod ſuo Thlaſpi tribuit Dodonæus, quod etiam Drabe folium vocant. non improbanda tamen veniunt etiam alia Thlaſpi genera, quia & acrimonia, & temperamento, & viribus aſſimilari experimento compertum eſt. An verò ſecundum genus Crateuæ vocatum à Dioſcoride, ſinopis ſit, adhuc hæreo; hoc enim potiùs lepidium Pauli, aut Iberidem eſſe crediderim, quàm Thlaſpi Lib. 2. c. 186

genus.

genus. Cæterùm ad temperamentum quod attinet, Dioſcorides calidum abſolutè pronunciat, & acre, & communiter aſſeritur tertium obtinere caloris gradum, & iterum ſiccitatis. Antidotis magnis vtiliter miſcetur, quod Dioſcoridem latuit, qui ipſum bilem tam supernè quàm infernè ducere aſſerit, acetabuliſque menſura infundi, & utiliter ad iſchiadicos adhiberi; ſanguinem tamen educere tradit, ut vim eius catharticam validiſſimam oſtendat, ſic internos abſceſſus dirumpere ait. Galenus verò cum Dioſcoride menſibus ciendis utiliſſimum aſſerunt; partum verò necare.

De Clynopodio.

CAPVT CXCVIII.

Ambiguum quid præſenti ſæculo pro vero antiquorum Clynopodio accipiendum ſit. temperamentum inquiritur, vires explicantur.

QVemadmodum planta illa, quæ à Veteribus pro Clynopodio deſcribitur, & præſertim à Dioſcoride lib. 3. cap. 109. nobis ſatis nō conſtet, & incertum de ſe præbeat iudicium in eligenda apud Recentiores ea, quæ ingenuè eidem correſpondere valeat; ita etiam incerti uſus quid nos euadere debet. Matthiolus duas pro veterum Clynopodio exhibet plantas, quas ſua forma antiquorum Clynopodio cōgruere putat: at meliùs inde conſultus, & reſpiciens ad temperamentum, quod diſſimile exiſtimauit, fatetur ingenuè in opinione non perſiſtere. Audentius Lobelius quamdam plantam deſcribit, quam omninò cum veterum Clynopodio conuenire autumat; verùm in Lobelij planta caliditas Clynopodij procul dubio deſideratur; quæ etiam forſan intimiùs conſiderata, videtur non omninò congruere cum Clynopodio à Dioſcoride deſcripto; quemadmodum nec Marum eſſe antiquiorum, nec Accinum, quæ plantæ differentibus capitibus ſunt à Dioſcoride deſcriptæ; & in planta illa, quā pro vero Clynopodio oſtendit Dodonæus, vigeat temperamenti difficultas. Deſcribit Dioſcorides loc. cit. Clynopodium, quòd ſit exiguus frutex ſurculoſus, dodrantum duorum altitudine, aſſerit naſci in petroſis, folijs ſerpillo ſimilibus, floribus orbiculatim marubij modo diſpoſitis pedum lecti figuram præbentibus, à qua nomen deſumpſiſſe traditur. ad temperamentum huius plantæ quod attinet, aſſignatur à Galen. 5. Simpl. calidum cum æquali ſiccitate in tertio gradu, quem excedere non autumat, & ob id non urens eſt. verùm Dioſcorides Clynopodium ad varios uſus commendat, ſed præſertim utiliter bibi aſſerit decoctum eius ad venenatos animalium morſus, & ad ſtranguriam quoque valere ait, ruptis etiam, & convulſis prodeſſe; immò menſes excitare tradit, & partus faciles reddere, extrudique in laborioſis conatibus faciliter; ſic & penſiles verrucas, ſi aliquot diebus decoctio bibatur, euelli; vultque Clynopodiū, febre exiſtente, decoctum in aqua ad tertiam partem, alvum ſiſtere; & febre abſente, ob hoc ipſum, in vino exhiberi: ſic nec Plinius ad vires Clynopodij quod attinet aliud adiungere videtur.

De

De Chelidonio maiori.

CAPVT CXCIX.

Etymum Chelidonij nominis veritatem non includere oſtenditur. effectus virium Chelidonij non ope Chelydonij, ſed Plaſtica naturæ eſſe potiùs affirmatur in oculorum reparatione. Chimicorum vanitates circa Chelidonij vires tanguntur. Deſcribitur utrumque genus, temperamentum elicitur, vires produntur.

QVi chelidonij nomen huic plantæ aſſignatum hirundinum gratia autumant, quod eorum aduentu emergat, & illis abeuntibus areſcat, deliteſcatque manifeſtè hallucinantur, prius enim vix de minori Chelidonio verificatur, quoniam forſan etiam de eo non integrè habetur: nam ante earum aduentum in conſpectum noſtrum chelidonium minus prodit, & citiſſimè euaneſcit: poſterius verò haudquaquam, cùm maius Chelidonij quocumq; anni tempore viuat, quamuis Verno tantum floreat: & licèt Oppianus in tertio Halient. plantam hanc veris prænunciam vocet; dubitandum non eſt poeticè locutum eſſe; nihilominùs Plinius cum Dioſcoride hanc opinionem amplectitur, dum lib. 25. cap. 8. de utroque Chelidonio loquutus, ait: florent aduentu hirundinũ, diſceſſu marceſcũt; ſubnectitque ibi fabulam, quam talem eſſe Celſus lib. 6. cap. 6. autumat, dum ſanguine hirundinum oculorum ſuffuſiones ſanari tradit; hirundines ſcil. hanc herbam inueniſſe, qua pullis ſuis lumine caſſis viſum reſtituerent, & etiã oculos ipſos eruptos reſtituerent; quod ſi verũ eſſet, non eſſet opus Chelidonij, aut hirundinum ſatagentia, ſed naturæ, quæ ſpontè oculo nondum completo, dum ipſum perficit, viſum etiam eidem reſtituit, aut eruptum regenerat. Ariſtoteles 6. de hiſt. anim. cap. 4. quomodo hoc ipſum euenire poſſit, declarat. Aues etiam nonnullæ, inquit, imperfectos, & cœcos pariunt pullos, eò quia paruo tunc corpore ſint, & multos pullos generent, ac proinde ſoboli copiam alimenti ſucceſi ſufficientem ſuppeditare nequeant pro inſtrumentis omnibus efformandis. quod ſi in eo inſtanti fieri nequit, ſenſim tamen modum, quo reficiantur, natura affert. & paulò pòſt idem Author hirundinum exemplum ſubdens, ſic ſubiungit. Quamobrem ſi quis hirundinum nouellarum adhuc oculos perpungat, rurſus incolumes redduntur; cùm enim fiunt vèl non facti, adeò corrumpuntur; itaque denuò oriuntur, & pullulant. Genitali igitur facultati hoc tribuendum videtur, non Chelidonio, aut hirundinibus, quæ facultas in oculis recens genitis, & nondum abſolutis, in conſimilibus animalibus ineſt, & præſertim in hirundinum pullis, qui nuper excluſi non vident; ut opinandum ſit, imperfectos adhuc habere oculos, qui etſi eruantur, vel pungantur, à genitali virtute adhuc operante reſtitui poſſunt. Hoc quidem etiam ſerpentum catulis euenire tandem Plinius aſſerit lib. 11. cap. 37. Cæterùm Chelidonium Chimicis in maxima exiſtimatione habetur, & ab ipſis planta valdè expetita; eius enim ope

vaniſſimam metallorum tranſmutationem, quà tam frequẽter magis alijs, quàm ſibi validè imponunt, ſibi promittunt; eo ſanè modo, quod etiam ægris ipſis inferendis ſuis miraculis propalant, & à quibus è diuitum crumenis medullas exhauriunt. hinc eſt quòd Chelidoniũ non appellant plantam, ſed celidonium, quaſi cęli donum; ex qua quidem ſtirpe profitentur elici manifeſtiſſimè illam ſcil. quintam eſſentiam vocatam, & veram (ſic vocant) in qua extrahenda patere volunt manifeſtè Hermetica illa tria principia à Paracelſo tantoperè decantata, prout colligere eſt apud Io: Cratonem in ſuo lib. epiſt. Epiſt. 165, quod tamen de ſolo Chelidonio

Lib.2.c.211 maiori verificari volunt. Deſcribitur à Dioſcoride maius Chelidonium, quòd proferat caulem gracilem cubitalem, & etiam altiorem, cui annectuntur ramuli folijs ranunculo ſimilibus, mollioribus tamen, colore ad glaucum vergente, floreſque ſecundùm ſingula folia emergunt, violæ albæ ſimiles. tota planta ſcatet ſucco viroſo, acri, graueolente, luteo, & ſubamaro, & ex unica radice promanat, quæ inferiùs fibris exilibus, crebris, quaſi capillamentis, terræ innituntur, ſemen in corniculis longiuſculis, quaſi corniculati papaueris; exiguis tamen, in quibus ſemen includitur papaueris ſemine maiuſculum. Quamuis temperamenti conditiones, & gradus eiuſdem in Chelidonio facilè elici poſſint ex Dioſcoridis textu; ipſum tamen Galenus magis manifeſtè nobis exprimit, qui nono Simpl. aſſerit, calidum eſſe in fine tertij exceſſus, cùm ex acredine, quam Dioſcoridis monitis obtinet Chelidonium, plurimas habere partes calidas, tenues, elicimus, ſub qua ratione validè penetrare valet, & aperire: ſic amaritudo calorẽ coarguit, ſed cum terreſtreitate, quia validè abſtergit. Cæterùm Chelidonium, ſi Dioſcoridem conſulamus, in primis oculorum hebetudini confert, ſi à ſuffuſione ortum ducat eadem hebetudo; & fouеatur; penetrat enim ſuccus, & abſtergit, quem commendat idem author eum melle remixtum, decoctumque ſuper prunas ad hunc uſum veteribus ſummoperè expetitum; cuius intentionem elicimus, dum author docet modum conficiendi ex ſucco paſtillos, folijſque ruditer contuſis extracto, aut ſemine, & in umbra ſiccato: immò veteres collirium conficiebant, quod chelidonium utique vocabatur. addit radices cum aniſo ex vino albo potas regio morbo conducere, quod habendum etiam de omnibus obſtructionibus internis; ſic ſuccis impoſitis herpetibus validiſſimè cum vino occurrere. tandem tradit radicem commanducatam dentium dolorem ſedare. Cæterùm longè ſpecioſiora remedia elici Chimici ex chelidonio aſſerunt, ſiue eiuſdem eſſentia quinta ſit, ut ex Cratone loco ſit. videre poſſumus, ſiue ex aqua illa, aut ſaltem parte illius eſſentiæ, quæ aqueo elemento correſpondere ſolet. inquiunt, humores omnes corruptos, & ad extremam perniciem deductos corrigere; aſſerunt, cordi opitulari; pulmones ab infarctu humorum expurgare; & quòd magis eſt, deperditam etiam pulmonum ſubſtantiam reſtituere; & immunia ab omni corruptione & vulnera ſeruare; unoque verbo omnibus ægritudinibus conferre, præſertim ſi per aliquot temporis ſpatium ſumatur, virtutem roborare, ſanumque corpus, & incolume ſeruare; ſecundam verò partem eius eſſentiæ quintæ aeri correſpondere fatentur, qua & ſanguinem au-

geri

geri, & melancholiam expurgari, & omnes exuberantes humores repurgare, corporiſque habitum optimũ efficere, & noſtram ſubſtanciam corroborare, ſanguinem purum reddere, iuventamque perpetuam conſtituere, ſed præſertim oculorum morbis ita prodeſſe, vt non tantùm viſum acuere valeat, ſed cæcis ipſis oculorum priſtinum lumen ex integro reſtituere. tertiam demum eiuſdem quintæ eſſentiæ partem, quæ igni correſpondet, ad ea omnia valere aiunt Chimici, ad quę ſuperiora elementa, & ſic in Paralyſi linguæ efficaciſſimam opem præbere, deficientiamque virium reparare; immò ſenectam more ſerpentum excutere, & arcanum eſſe ſupremum contra peſtem. Ex his igitur concludendum cum his, ut ſi quis hoc remedio utatur Medicus, ægros ab omni morbo tum ſe ipſum, & ab interitu ſeruare poſſit; ut mirari ego non deſinam, cur hiſce noſtris temporibus, in quibus Chimicæ vanitates ità graſſantur, & in medendo ferè omnes partes ſibi vendicant, occurrentes tot ægritudines tandem ſuperatæ non ſint; & cur mors adhuc de mortalium cœtu modo conſueto ſpolia reportare non deſinat. Abeant igitur nugaces iſti, & verborum vanitatem deſerentes, ſolidam doctrinam non aſpernentur; ſed venerentur, & ſuſpiciant; eius cultores non laceſſant, aut irritare perſeuerent.

De Fœniculo.

CAPVT CC.

Fœniculum Marhatri nomen a quo acquiſierit dubitatur, Cauſaboni opinio non recepta, ratio huius nominis magis congrua adducitur, & ex Nicandro roboratur, cur fœniculum appellatum, deſcribitur, vires aſsignantur.

ESt Fœniculum ferulacea planta, non minùs vtilitate, quàm voluptate nobis expetenda; condimentis namque omnibus olim inſeri teſtis eſt Plinius, quemadmodum hiſce noſtris temporibus valde exoptatum, Lib.20.c.27 ſiue odoratum ſuum caulem guſtu ſapidiſſimum nobis præbeat, dum præſertim tenella eius umbella intra folioru m inuolucrum adhuc latitet, ſecundis menſis vſurpemus, aut ſaccharo incruſtatum ſemen inter bellaria repoſitum eligamus; vel ramulos aceto conditos prægustemus, edulijs ſemper expetibile, & medicamentis, vt infrà videbimus, quorum vices abundè explere valet, ut non iniuria à Theophr. inter applauſibiles oleraceas plantas repoſitum ſit, & medicamentoſas à Dioſcoride. Græcis ſcriptoribus fęniculum ſub marhatri nomine deſcriptum fuit, putat Cauſabonus à Marathone loco Atticæ ditionis, ubi olim celebris pugna, dictum, quam feracem fœniculi aſſerit; quod tamen non ita facilè admittitur; cùm etiam ex Dioſcor. pluribus alijs in locis progignatur; ut potiùs, & faciliùs arrideamus eorum opinioni, qui putant marhatrum dictum, quaſi clarè lucidèque videre faciat; nam in oculorum hebetudinibus ſemper, & ſummoperè fœniculum commendatum video; Plinius namque cit. loco, hæc habet: Fœniculum nobilitauere ſerpentes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumque aciem ſucco eius reficiendo; quod didiciſſe vide-

tur à Nicandro, dum in Theriacis de ſerpentibus locutus ſic ait:

Siccam tunc dorſi exuta ſenecta,
Beſtia ſegne trahit molli ceruice volumen,
Cùm tepido ſub vere ſuum modo reliquerit antrum,
Et caligante malè cernit lumine; ſed cui,
Arroſus mox fœniculi ſua robora caulis
Atque nouum reddit, qualis fuit antè vigorem;

Fœniculum verò à Latinis dictum eſſe autumant, quia, & areſactum vim in obſonijs condiendis, & in medicina, quaſi fœnum ſeruetur & reponatur ad vſum. Eſt igitur vulgare fœniculum, quod in hortis colitur; licèt enim amariuſculum ſpontè in opacis naſcatur ferulacea planta, quæ ſæpe hominis ſtaturam altitudine excedit, caule digiti craſſitie, geniculato, leui cortice herbaceo colore contecto, intus ſpungoſa medulla, folio peucedani, ramoſo, longo, molli, capillaceo, per ſingula genicula diſpoſito, in tenuiſſima ſegmenta diuiſo, iucundi odoris, quemadmodum & tota planta; in caulium, & ramorum cacuminibus umbellam gerit latam, rotundam, & in orbem ſtaminibus multiplicibus diſpoſitam, floſculis luteis, è quibus ſemen oblongum, rude, ſine pericardio, in pallido flaueſcens; radix candida, oblonga, in profundum tendens, craſſa, & intus lignoſa, odorata. In temperamento fœniculo aſſignando variant authores, eò quia ſemen calidius eſt, quemadmodum etiam tota planta exſiccata, ita vt tertium gradum caloris attingat, ſecundum verò ſiccitatis; planta verò viridis vix ſecundum explet gradum caloris, & forſan infra ipſum operatur; quamuis Gal. 7. Simp. fœniculum calidum in tertio aſſerat, & ſiccum in ſecundo, leuior enim ſiccitas eſt, quod annuebat Gal. alioquin ad lactis abundantiam excitandam non commendaſſet cum Dioſcoride. Qui author non deſeribit fœniculum ſatiuum, quemadmodum nec ſyluestre hippomarhatrum vocat, & in ſequenti capite recenſet, cui & vires validiores tribuit, & forſan validius temperamentum. Commendat fœniculum Dioſcorides ad replendas lacte mammas, ſi herba edatur, vel bibatur ſemen cum ptiſana; renum, & veſicæ vitijs occurrere, urinamque ciere, ſi decoctum ſeminis, aut foliorum bibatur; ſerpentum morſibus aduerſari in vino ſumptum, quod ex Nicandro forſan deſumpſit; menſes excitare, & nauſeam in febribus tollere; radices tritas cum melle impoſitas habet ſanare canum morſus; commendatque tanquam medicamentum ſingulare oculorum, ſi ſuccus ex recenti ſemine extrahatur unà cum folijs, & ramulis; præterea validum remedium præbere ſuccum extractum cum prima germinatione ex radicibus. addit Plinius ſcorpionum etiam ictibus præbere medicinam, diſſolutum ſtomachum in febribus, & rebellem ſanare, pulmonum, & iecoris vitijs aduerſari, ſiſtere ventris tormina, hydropicis prodeſſe, calculos extrudere à renibus, & veſica, geniturамque multiplicare.

De

De Ononide.

CAPVT CCI.

Nomen Ononidis per antiphraſim potiùs plantæ traditum ob vires eius ſummas; ratio tamen cur quaſi nullam vtilitatem præbeat tale nomen conſecuta ſit adducitur. Nicandri nomen correctum: Deſcribitur. Temperamentum aſsignatur, vires afferuntur.

ONonis cæteris non poſthabenda planta, quæ tertium caliditatis gradum obtinet, nec neglectui danda, noſtræ contemplationi ſe ſe offert, & quæ in tertio caliditatis cenſu à Botanicis collocatur; de nominis etymo, & à quo deducatur, id quod circumfertur implicat; fertur namque vulgò ſic à Græcis appellatam, quòd nullam vtilitatem præbeat, niſi velimus, & magis cautè ſic dictam per antiphraſim, vires eius ſummas conſiderantes, quas in medicina exhibet, verùm ononidis nomen deductum eſſe, ſecundùm primam etymologiæ ſignificationem, plures ſuadent; quod ſcilicet inimica bobus, & aratro ſit, ſub qua ratione etiam reſta bouis dicitur; altiùs namque cùm interra vigoroſas radices, & ſparſim etiam reſtibiles figat, retardare videtur illud arandi vtiliſſimum opus, & aculeis acutis, quibus armatur, bonum pedes pungendo ita afficere, vt etiam eorum progreſſum impediat; immò fruges ipſas viuacitate ſua opprimendo ſuffocare. ſunt alij demum, qui dicant ex eo ononidem denominari, quod Aſini lubenter ſe te circa ipſam volutentur, & confricent, vt pruriginis moleſtiam ſcabritudine aculeatæ plantæ moderentur. utcumque tamen ſit, miris laudibus efferenda eſt, cùm operam ſaluberrimam in medendo præbere ſoleat. Nicander ſanè eiuſdem plantæ cognouit vires aduerſus venena, licèt in nomine diſcrepare videatur; eius enim meminit ſub nomine oniſim. non diffiteor tamen ego mendum in tex. obrepſiſſe. *In Theriac.*
Deſcribitur hæc planta à Dioſcoride, quòd ſit dodrantalibus ramis, quandoque maioribus fruticans, quandoque geniculatis, quos folia circumambiant lenticulæ, vel loto pratenſi, aut Erucæ ſimilia, ſubhirſuta, odorata, & bene ſatis olentia dum planta adoleſcit. iuxta genicula ſpinæ emergunt acuta, ſolida; flores, quorum nullam facit mentionem Dioſcorides, utplurimùm dilutè purpurei, quamuis etiam quædam ononidis ſpecies reperiatur, quæ flores luteos gerat, aliquatenus maiori folio, leuiter per ambitum crenato, ſpinis minimè horreſcens. radix candida; quæ ſpecies poſtrema ononidis in omnibus alijs correſpondet ſuperiùs deſcriptæ. Erumpunt tandem à floribus ſiliquæ, quæ ſemen includunt. Deſcripſit quoque eam ipſam plantam Theoph. dicens, ononis ramus aculei genus eſt, anno tantùm perdurans, folio rutæ ſimilis, ſed per totum appoſito caule, ut veluti coronam ex interuallis tota repræſentet; florem gerit minutulum, ſunt tamen qui vertant (mutilum) quam lectionem, ſi flores inſpectemus, magis probo, & in ſiliquis non undique ſeptum edit. naſcitur lento planoque ſolo, præſertim in ſegetibus, atque cultis. Declarat inde nominis *Lib. 3. c. 207* *Lib. 6. c. 9. de hiſt. plan.*

nominis etymologiam, dum ſubdit: qua de cauſa agricolis inimica eſt, ſubiungit: viua admodum eſt, cum enim altam nacta tellurem fuerit, protinus ſuas radices ad infima pellit, & ſingulis annis ſurculis in latum miſſis, rurſus anno poſtero deorſum verſus pellere ſolita eſt; hucuſque Theophraſtus. Plinius quoque videtur à Theophr. ononidis deſcriptionem deſumpſiſſe, & aratro inimicam vocat. Cæterùm temperamenti conditio circa ononidis plantam controuerſum, quòd ego viderim, non eſt. Dioſcorides radices excalfacere, & attenuare aſſerit, ſed clarius Gal. eidem aſſignat tertium caliditatis gradum, ſecundum verò ſiccitatis, & abſtergere, incidereque ait; qui authores radicem ononidis vtiliſſimam pronunciant, eamque commendant in vino potam ad urinam ciendam, & ad calculos imminuendos, extrudendoſque, ad quæ magno cum effectu etiam nunc vſurpatur; emarginare ulcerum cauitates addit Dioſcorides, cruſtaſque tollere; addit decoctam cum poſca dentium dolores demulcere: ſic in vino ad hæmorrhoidas ſanandas commendat. Nicander contra venena uſurpat; & Plinius tandem comitialibus morbis opportunam prædicat.

Lib.21.c.16

8. Simpl.

De Pimpinella ſaxifragia.

CAPVT CCII.

Nomen Saxifragiæ à quò deductum per ſingula declaratur. deſcribuntur eius genera. temperamentum adducitur, vires afferuntur.

NOn improuido prorſus concilio adnectimus Saxifragiam, Pimpinellam videlicet hircinam alteri eamdem facultatem habenti, ononidi ſcilicet, à quibuſdam etiam bipinellam dictam à foliorum circa caulem bina diſpoſitione; ſic & ſaxifragam vocant ab effectu; vigorosè namque tradunt operari in minuendis, frangendiſque renum calculis; addunt aliqui hircinam ab odore radicis fædo, hirciæmulo, quam tamen opinionem Pena reprobat, cùm dicat hanc radicem non inſuauem odorem emittere, ſed potiùs Liguſtri, Dauci, aut paſtinacæ; inde putat cognomen hircinæ deductum potiùs fuiſſe à viribus, ſanguini hirci adulti in frangendis calculis ſimilibus attributis, analogica quadam deductione, vt quemadmodum hirci ſanguis adamantem frangit, quod tamen merè fabuloſum eſt, ſic etiam calculos planta, & magis validè, pro minori reſiſtentia, faciliùs ſcindere, aut comminuere valeat. Ego odorem huius radicis ſæpè ſcrutatus ſum, nec in ea reperij viroſum illum hirci. Deſcribitur ſaxifragia, cuius duæ ſunt differentiæ, maioris, & minoris; quòd maior ſaxifragia ſit ea, quæ emergit à radice oblonga, dura, candida; ſaporis acris, minimè grati; inde caulem emittat cubitalem, geniculatum, ramoſum, cauũ, anguloſum, ſtriatum, in cuius ſummitate umbella floſculis candidis ſemẽ aciei ferũentis guſtus Apij non admodum diſſimile; habet folia paſtinacæ ſatiuæ ſimilia, plura, pari connexione circa unicum petiolum hinc inde congeſta, & ſic unicum folium formantia, in ambitu ſerrata. Minor verò Saxifragia pimpinella caule, radice, floribus, & ſemine maiori ſimilibus,

ſed

ſed in totum minoribus, guſtu tamen magis acris, & magis feruida. Sunt qui ex deſcriptione earum differentiarum ſcrutantur, quænam planta eadem apud antiquos fuerit, & quomodo appellata; quidam enim pseudobunium putant Dioſcoridis, alij phelandrium Plinij, multi pyrethrum, incerta tamen, & debili coniectura. Reponitur ab omnibus ferè inter illas plantas, quæ tertium caloris, & ſiccitatis gradum obtinent, & præſertim eorum ſemen, quod acrimonia præpollet. & ad vires quod attinet, urinam validè ſaxifragia ciet, & eiuſdem difficultati occurrit; calculos renum extrudit, comminutos, veſicæ imminuit; radix menſtrua deficientia excitat, ſecundinas, fœtumque mortuum expellit, puluis ex radicibus ſiccatis ventriculum roborat, coctiones iuvat; torminibus ventris, & peculiariter colico dolori aduerſatur. Conuulſis radix cum ſemine prodeſt, & apoplecticis quoque, diuturnas febres à cauſa frigida tollit; commanducata radix ſerpentum morſibus ſuccurrit: ſic in vino decocta, & aceto pota, vel in ore detenta, contagia arcere tradunt, acris enim putredini valdè reſiſtit; pituitam apophlegmatiſmatum inſtar in uſum reuocata à capite detrahit, dentium dolores demulcet; foliorum ſuccus maculas cutis delet, & etiam vitiligines, cutim abſtergit, quam etiam elegantiorem reddit; abſumit putrilaginẽ ex ulceribus; idem verò præſtat aqua ex planta deſtillata, cum aceto remixta caligines oculorum deſtruit.

De Raphano ſatiuo, ſiue radice, aut radicula Galeni.

CAPVT CCIII.

Antiquiſsimus Raphani vſus oſtenditur, & ratio nominis inquiritur, Braſsicam etiam vocatum innuitur. Plinius reprehenſus; Gal. notatur. deſcribitur. adducuntur differentiæ. Temperamentum differens aſsignatur, vires afferuntur.

MIrum eſt acerrimam radicem ab antiquiſſimis ſæculis locum ad opiparas menſas ſibi vendicaſſe, & olus alioquin ruſticanum inter nobilium obſonia partem non leuem obtinuiſſe. Raphanus Græcis dicta ob celerem à ſato ſemine eruptionem; immò ab iiſdem veteribus radix dicta, ſi Varroni credimus, licèt radicis nomen potiùs Latinorum videatur. notiſſimum tamen eſt priſcis illis temporibus nomine raphani braſſicam etiã indigitatam fuiſſe, vt aliàs innuebamus, dum de braſſica verba fecimus; quod quidem nomen Plinio impoſuit, dum confundit hiſtoriam utriuſque, raphani ſcil. & braſſicæ; licèt in fine capitis 5. lib. 3. rectè de raphano radice vocata diſſerat, a Theophraſt. tamen utraque planta diſtinctè conſideratur. *Lib.7.de hiſtor.pl.c.14.* Cæterùm magis clarè utrumque olus à Gal. diſtinguitur, præſertim 2. lib. de alim. facult. dum inuehitur contra ſui temporis Medicos, qui tuebantur, etiam illis temporibus braſſicam raphanum vocari debere, quaſi, inquit, loquendum eſſet cum Athenienſibus illis, qui ſexcentis annis ſuprà illorum tempora vixere; non verò cum Græcis præſentis æui;

nihi-

8\. de Simpl. facult. nihilominus idem author hanc plantam alibi vocat etiam radiculam, eiuſque temperamenti, & vires medicas examinat. Non deſcribit raphanum Dioſcorides tanquam notiſſimum obſonium. Igitur radix hæc, quæ vel ſola, vel præcipuè uſum præbet, eſt fragilis, & tota candida, magnitudine napi, ſiue rapi, modò rotunda; modò oblonga; ſed etiam quandoque nigro cortice contecta, quæ etiam Mangonio ad magnitudinem excedentem deuenire ſolet, laudabilior tamen parvula eſt, acerrimi guſtus; linguam enim valenter vellicat non ſine tamen voluptate aliqua. à radice folia emergunt, rapo omninò ſimilia, atro virenti colore prędita, ut ſæpe collectores fallantur, dum in terra degunt eadem, rapum pro raphano ſumentes; raphani tamen magis in profundum ſe extendunt, ex eo cognoſcuntur, quia rapi in latum ſe extendunt; caulis ramoſus, minoribus folijs vallatus flores; candidi, aut purpuraſcentes, à quibus ſiliquæ *paruis* ſeminibus rotundis, raris, ſubflauis pręditæ, viciæ æmulis, ſed minoribus.

Duæ ſunt raphani differentiæ à Dioſcoride deſcriptæ; altera ſatiui, altera agreſtis, quæ poſtrema calidi & ſicci temperamentum habet; addunt Recentiores tertiã Germanis notiſſimam, quam magnum raphanũ, & ruſticanum vocant. Agreſtis raphanus eſt folio non lato, aut longo, magis diſſecto erucæ inſtar, maiore tamen; caules exiliores, cubito non elatiores; floſculi lutei, ſiliquæ parvulæ, ſemen exile, radix digiti craſſitie longa, dura, quæ minorem, aut maiorem craſſitiem acquirit ex conditione telluris; acris eſt valde, immò magis mordicat quam *ſatiui; ſpontè in* aruis, & iuxta margines foucarum creſcit, pluribus annis viuax, editur elixa vtplurimùm, & cum oleo, conditur in modum edulij præparatam, quæ facultatibus, vt iam dictum eſt, & temperamento validior eſt. Tertia differentia raphani, quam videlicet ruſticanum raphanum vocant Germani, ruſticis in abſonium frequentiſſimũ cedit, & etiam magna raphanus dicitur, gerit folia Hippolapathi, ſed ampliora, & enulæ campanæ ferè æmula, aſpera, virore minùs intenſo; caules edit cubitales; flores albi non admodum à raphano diſſimiles, quibus euaneſcentibus ſiliquæ produntur breues, in quibus ſemen paruum; radix craſſa, & longa, guſtu accerrimo, quæ maiorem caliditatem obtinere indicant, quàm ſuprà relata raphani genera. Cordus tamen exiſtimat malè hanc plantam raphani generibus adſcribi, putat ipſe potiùs ad Thlaſpi genera deduci poſſe, vel ad naſturtium album Arabum. vtcumque ſit, Germani Polonique ea radice pro raphano vtuntur, & ſimiles etiam effectus poſſidere tradunt.

Radiculæ, ſatiui videlicet raphani temperamentum conſtituitur à Gal. 8. Simpl. de med. facult. calidum in tertio exactè, & ſiccum in ſecundo; agreſte verò raphanum ſativum excedere & calore, & ſiccitate fatetur; immò etiam ſeminis efficaciorem, cui tribuit & digerentem facultatem poſſidere, quam calidam pronunciat, ſed caliditatis gradum non definit; ſubdit tamen flatus generosè diſcutere, & licèt ſtomacho gratam dicat, minimè tamen commodam aſſerit; nam ructus excitare habet, & alvum, & urinam promouere, quemadmodum poſt cibum ſumptam ciborum diſtributionem adiuvare, & ſubindè concoctionem, præſumptam verò impedire; quod tamen non 2. de alim. facult. ità conſtanter à Galeno dictum eſt, ut qui potiùs videatur in hoc carpere

Dioſco-

Dioſcorides; nam lædi potiùs eos, quàm iuvari aſſerit, qui coctionis præſtantioris gratia raphanum poſt cibum ſumunt. Habet etiam ad vomitum ciendum utilem eſſe;ſenſuum aciem excitare;elixamque radicem illis opitulari, qui diuturna tuſſi vexantur, & qui craſſam materiam in thorace collectam habent; radicisque corticem eum mulſa ſumptum efficaciùs vomitum mouere; hydropicis, & lienoſis utiliſſimam; Nomas ſiſtere,& oculorum ſugillationem tollere; à vipera commorſis auxiliari; lentiginibus delendis cum loliacea farina conducere, & alopeciis; fungorum veneno aduerſari, menſtruaſque purgationes morantes excitare: habet, raphani ſemen urinam valenter ducere, & potum cum aceto lieni ſuccurrere; angina obſeſſis medetur in gargariſmate uſurpatum cum aceto mulſo calido. tradit inſuper idem author vtiliter contra Ceraſtæ morſum in vino propinari, & gangrænas valenter compeſcere; Neotericorum verò experimẽto ad alia multa valere compertum eſt; nam extrinſecus radix vſurpata, ſi cum vino albo generoſo in ſartagine trita, & calefacta pubi, & pectini admoueatur, efficaciſſimè retentioni urinæ prodeſſe videtur. ſunt, qui addant, ut efficaciùs operetur, ſcorpionum oleum; ſic etiam eiuſdem radicis ſuccus in vino albo meraciori ſumptus ad idem valet. Quemadmodum modo quo ſuprà trita radix, & calefacta cum ſabina, & mercuriali, regioni uteri appoſita menſes facilitat, & partum. plura etiam alia de eius medicamentoſis viribus traduntur, ut hæc eadem planta & Medicum uſum præbeat validiſſimum, & obſonij lepidiſsimi vices gerere valeat.

De Radice Coſti Aromatici.

CAPVT CCIV.

Legitimum Coſti vſum ad nos reciʒe affirmatur. differentiæ ex Dioſcoride conſideratæ, non receptæ. vnicam eſſe Coſti ſpeciem, nec differre, niſi ætate præſtantia & modo conſeruationis. Temperamentum adducitur, afferuntur vires.

MAximis ſanè controuerſijs doctiſſimorum virorum ſubiecta eſt Coſti radix, pretioſa videlicet officinarum ſupellex,cuius ſtirpis particulas tanti fecere veteres ad Theriacæ confectionem explendam, vt è longinquis regionibus, vbi naſcitur, ſummis laboribus, & pretio ſedulò conquiſierint,& comportari voluerint; & ob eiuſdem defectum authores proximè anteactis ſæculis in conficienda illa pretioſiſſima antidoto, pro æquali alio aromate ſubſtituendo plurimùm laborauerint. tandem propitijs Fatis, legitimam nobis innotuiſſe non eſt ampliùs qui dubitet, quamuis in tres differentias diſtributa ſit; cuius tamen diuiſionis cùm author videatur Dioſcorides, non ſunt ob id improbandi, qui etiam præſenti ſæculo radicem illam diſcriminauere in Arabicam, Syriacam, & Indicam; in dulcem, & amaram; licet harum una ſit, & ſola ſpecies; & quidem illa, quæ ab Arabibus deſcripta eſt, ſic putat Ophmannus doctiſſimus, cuius opinioni ſubſcribendũ cenſeo. hac igitur præſente, ſuccedanea omnia excludenda ſunt; quamuis zingiber fortan rationabiliùs ſubſtitui poſſet,

quando ſuccedaneo daretur locus, cùm eum eius conditiones, prout ex Dioſcoride, & Arabibus apparet, immò & vires, & temperamentum ad coſtum legitimum magis accedant, quàm cæterorum antehac loco coſti vſurpatorum. Κοϛος Græcis dicitur Strabonique Κοϛάριον, quaſi decori deſtinata ſit; rectiùs tamen à Græcis retento Arabum nomine, quibus vocabatur Coſt, & Caſt. Suauiſsimo odore præditam eſſe coſti radicem, ex Dioſcoride manifeſtum eſt, hinc ab antiquis in Thymiamatibus, inſtar thuris expetitum, vel aliorum ſuffimentorum benè olentium, de quo non eſt ferè qui dubitet: idem enim ſuadent lepidi Propertij verſiculi, dum lib. 4. ait.

Lib. 1. cap. 15.

Coſtum molle date, & blandè mihi thuris odores
Vre puer coſtum Aſyrium redolentibus aris.

Lib. 22. cap. 24.

Nec Plinius ſanè diſſentit, ſupplicari enim ait thure & coſto. Et quamuis tam Arabicum, quam Aſyrium, necnon & Indum coſtum unum ſint, differantque tantummodò præſtantia, ætate, & modo conſeruationis; nam nigricat Coſti radix, & amara percipitur ſi ſit ætate prouectior, aut non ita bene aſſeruata; dulcis verò, & quæ grauiùs olet, nec nigra viſitur, quæ magis recens ſit, & diligentiùs cuſtodita; amariorem tamen præſeferre vult Dioſcorides, dum vermes necare ait; Attamen idem Plin. præfert Aſyrium coſtum, quemadmodum & Propertius, Dioſcorides verò Arabicum præſtantius dicit. Arrianus in Erythrei Periplo tradit aſportari ex Barbarico Emporio iuxta Indi oſtia, ſiuè potiùs Synthi, cui à tergo mediterranea Scythiæ Metropolis ſtat, Minnaghar vocata. *Hodie tamen*, Garzia ab horto teſte, naſcitur Coſtum in Guzarathe, in Mandaù, & *Chitor*. Deſcribit tantummodò Dioſcorides radices; cùm Planta, à qua radix, eidem nota non eſſet, quòd ſit candida, leuis, eximio & ſuaui odore prædita, ſapore mordaci, & feruido; hincque calidam pronunciat. cæterùm Recentiores licèt coſti radicis iconem exhibeant, partes tamen cæteras plantæ non delineant, vt dubium ſit, an ferulacea planta ſit, & cuius æmula. conſideratione tamen dignum eſt, quod animaduertit doctiſſimus Cluſius in annot. ad hiſtor. Garziæ, iconem à Garzia traditum coſti, & à Matthiolo etiam non eſſe radicis, ſed potiùs æmulari fruſtulum ligni cum cortice, ut dubium ſit, an ſit coſtum Dioſcoridis, & Galen. an potiùs diuerſæ plantæ lignum. utcumque ſit, cùm vires coſti, & conditiones præcipuas obtineat, hac ipſa bono iure vtimur; & ad temperamentum quod attinet, ſunt, qui mordicus tueantur ſecundum gradum caliditatis non excedere; quibus mox aſſentiri poſſum, cùm ex Dioſcoride habeamus, ſapore feruido & mordaci eſſe, quod etiam experimento ſenſato perſentimus; immò Gal. ita acrem coſtum facit, vt exulcerare poſſit; leuis namque eſt *illa* excuſatio, quæ adducitur à quibuſdam, exulcerare, ſi fricetur pars coſto, quod ex accidenti & duris omnibus competit, hinc factum eſt, vt magis Auicennæ faueam in conſtituendis gradibus caloris coſti, quàm Auerrhoi, & in tertio gradu calidum eſſe, & in eodem ſiccum ex effectu. Vires ex Dioſcoride id oſtendunt; habet enim & urinam ciere, & menſtrua ducere, Veneremque excitare, & Paralyſi conducere, qui omnes effectus ſunt non leuis caliditatis. In fotu ad pectoris affectum commendatur; nec-

non

non conuulſis, & contra febriles rigores, ſed præſertim viperarum morſibus occurrere; ob quam cauſam in antidotis recipitur, vermeſque tandem latos pellere, & necare.

De Zingibere.

CAPVT CCV.

Veteribus cognitum Zingiberem, & vſurpatum vario modo. Dioſcorides notatus, & à Saraceno non ſatis defenſus. Deſcribitur ex Recentiorum obſeruationes. Temperamentum definitur, vires afferuntur.

VArium ſanè vſum apud Veteres obtinuit Gingiberis, vel Zingiberis inter Indica aromata radix non ignobilis; dum eam non ſolùm in condimentis vſurpabant, ſed herbam, cuius eſt radix, inter medicamenta, Dioſcoride teſte, reponebant; qui apud Arabes Troglodytas naſci ſpontè aſſerebat, & eam ipſam plantam vſurpabant ad omnia, ad quæ nos Radicem adhibemus. De plantæ forma, præterquam de radice, idem auctor nihil habet, quam etiam deſcribit, & quæ zingiberi noſtro valdè diſſimilis eſt. ſunt interim qui Dioſcoridem carpant, vt qui dixerit, naſci plantam zingiberis apud Arabes Troglodytas, cùm Troglodytarum regio non ſit Arabum regio, ſed Æthiopum; Ianus tamen Saracenus in ſcholijs ad Dioſcoridem conatur errorem tollere, dum irrepſiſſe autumat ex defectu particulæ diſiunctiuæ (&) vt interpungi defuiſſet illud (&) inter Arabes & Troglodytas, vt ſenſus ſit naſci in Arabia, & Troglodytices; attamen medela non eſt ſatis, cùm dicat Garzias ab Horto in Arabia non naſci, ſed deferri ad Arabes ab Indis. Gal. verò habet zingiber Barbaricum, quod eo modo intelligendum quomodo intelligendum eſt Rhabarbarum eſſe Barbaricum; vt aliàs admonuimus in cap. de Rhabarbaro; laudabili tamen Recentiorum induſtria nobis ſatis manifeſtè innotuit, vt nobis modò cognitum, cuius figuræ planta ſit, quæ talem radicem gerit, vt videre eſt ex Lobellio, Pena, & Garzia, qui deſcribunt totam plantam folijs Xyridis, ſiue Iridis, aut gladioli ſurrectis, ſaturo virore præditis; datque Lobellius iconem, quam accepiſſe fatetur à quodam pharmacopæo Antuerpiano, folia ad tres palmos aſſurgunt, immò etiam addit ſiliquam cum ſemine; licèt nihil de flore dicat, aut figura caulis, & varijs in Indiæ locis naſci tradit. Criſtophorus tamen à Coſta zingiberis plantam ſcribit naſci in Malauar, diuerſam ſanè, quia aſſurgere ait ad trium cubitorum menſuram, & Lithoſpermo Arundineo, lacrymæ ſcilicet Iob, appellatæ ſimilia gerere; Haſtulæ regiæ caule, folijs quaſi arundineis ſtipato, radicibus indis. Temperamentum huius radicis calidum proculdubio eſt, vt ad tertium vſque gradum caloris accedat, conſimili ſiccitate. Vires zingiberis deſcribit Dioſcorides; nam præterquamquòd in condimentum ciborum cedere dicebat, hoc eueni etiam, vt habet Renodeus, hiſce temporibus, vbi naſcitur, cùm cruda radix, & in taleolos inciſa cum oleo, aceto, ſaleque condita, ſuaue edulium præbeat. etiam medicas interim inſignes Lib.2.cap.9. facul-

facultates idem Dioſcorides habere tradit; nam & concoctioni ſummoperè confert, ventriculum enim roborat; ſed etiam alvum blandè ſubducit, quod de recenter eruta opinandum, ſicca enim alvum potiùs ſiſtit; niſi ſaccharo condita nobis importetur, cariem enim & teredines facillimè concipit, ait ad caligines oculorum conducere, piperiſque vires æmulari; nunc eam ipſam adhibemus ad corrigendas Catharticorum validiorum noxas, ſed præcipue Agarico libenter copulatur, & in antidotis recipitur.

De Zedoaria.

CAPVT CCVI.

Arabibus, non Græcis antiquioribus Zedoaria & Zerumbeth cognitus vſus ſcrutatur; numquid ſint eiuſdem plantæ radices. Matthiolus notatus. Deſcribitur planta ex Garzia. Temperamentum adducitur, vires aſſignantur.

Viribus & loco natali ſunt zingiberi proximę duæ aliæ radices aromaticæ, Zedoaria, & Zerumbeth, quæ à nobis in hoc capite conſiderantur; quia quamuis ſint figura diuerſæ, cenſentur à pluribus ex una, & eadem planta promanantes: & quamuis Zedoariæ Zerumbethque nomina, aut vires Dioſcoridis temporibus non innotuerint; Arabes tamen in medicina facienda non ſine fructu ijſdem utebantur, prout manifeſtum teſtimonium perhibent Auicenna, Rhaſes, Meſueque, & alij ſcriptores; In deſcribenda tamen harum radicum forma, & in quibuſdam alijs circumſtantijs variè ſatis ſe geſſere; Auicenna namque Zedoariæ radicem Ariſtolochiæ ſimilem facit, eamque præſtantiorem vocat, quæ iuxta radices napelli naſcitur; hinc arguit optimam eſſe antidotum contra eiuſdem napelli virus, & ſerpentum quoque; quibus Auicennæ verbis ſuaſus Matthiolus putat deſcripſiſſe Anthoram, eamque pro zedoaria obtrudiſſe; at profectò anthoræ radices ſunt oleæ ſimiles, non Ariſtolochiæ, & eò magis, quia apud Indos, ex Garzia, conſtat napellum non naſci, Lobelius, & Pena exiſtimant zedoariam, & zerumbeth eſſe congeneres plantas, & ita affines, ut etiam implicatæ naſcantur, quod ex Iſaacho, & Serapione colligunt, quorum opinioni è nuperrimis adhæret Donzellus; non ſine tamen ratione ſuaſi; quia non ſemel obſeruarunt radicem zedoariæ adhæreſcere, & pendere à radice zerumbeth. Garzias tamen, & cum eo Renodeus putant diuerſas eſſe plantas, quemadmodum & forma diuerſa eſt, ſubſtitui tamen alterutram poſſe ait, cùm idem Renodeus congeneres plantas exiſtimet, licèt Zerumbeth ex Garziæ teſtimonio magis ad zingiber accedat, latiora tamen habere folia & longiora, craſſiores radices; ut zedoaria radices rotundas habeat, longiores zerumbeth. Temperamentum harum radicum conſimile eſt, & vires non diſſimiles à zingibere; flatus enim diſcutiunt, cor exhilarant, & ſtomachum roborant, venenatorumque animalium morſibus medentur: hę colicis doloribus utiles, & inteſtinorum, tineiſque necandis opportunæ.

De Galanga.

CAPVT CCVII.

Græcis antiquioribus incognitam fuiſſe Galangæ radicem aſſeritur, afferuntur ſpecies. Auicennam plantam non cognouiſſe exiſtimatur. deſcribitur à Garzia; ſed diligentiùs à Coſta delineatur. Temperamentum affertur, vires explicantur.

GAlanga Indica, & aromatica radix, conſimili ſupradictis radicibus temperamento prædita, quamuis Græcis antiquioribus ignota, notæ tamen cognitionis in officinis modò proſtat, & locum non ignobilem, ob eius eximias vires ſibi vendicat; eſt à nonnullis perperam tamen cum radicibus Acori confuſa, cum Acorus verus, olim malè à pharmacopœis calamus aromaticus vocatus, longè differens planta ſit, ſic hallucinantur hi, qui putant eſſe ſebenantum, huius afferuntur duæ ſpecies, maioris ſcilicet, & minoris Galangæ; minor tamen præſtantior exiſtimatur, & in vſu medico magis recepta. Auicenna in huius plantæ deſcriptione ſatis confusè ſe gerit, & eam potiùs ex aliorum relatione, quàm ex propria animaduerſione retuliſſe conſtat; Garzias verò vtramque delineat, & primò minorem, quam quaſi fruticem facit, cubitum tamen non excedentem, myrteis folijs, & radice nodoſa, quam plantam ſponte ſua naſci ait, deſcribit inde idem auctor maiorem duorum cubitorum altitudine, folijs myrti, ſed inſtar cuſpidis lanceæ acuminatis, craſſa radice, forma arundineis ſimilis; flore albo, & eo modo ſeri ait, quo zingiber, ſubfoſſa ſcilicet quotannis portiuncula radicis, in ſpe non fallaci ſequentis anni futuri prouentus. Renodeus in omnibus Garziæ deſcriptioni arridet; à Coſta tamen luculentiùs maioris deſcriptionem exhibet, & eſſe ait duorum cubitorum altitudine, gerere folia orchidis deſcripti à Dioſcoride, ſed longiora, & latiora, quæ ſuperna ſui parte ſaturo virore, inferna verò dilutiore colorata ſint; caulis foliorum inuolucro ſtipatur inſtar orchidum; flos candidus, & inodorus, & inde ſemen exiguum; radicem verò craſſam habet, & bulboſam, in reliquis zingiberis ſimilem. opitulatur Galanga colicis doloribus; oris fœtorem emendat, & commanducata caput, cerebrum, ventriculumque roborat, & coctionem viuat, compeſcit vomitum nauſeamque; flatus diſcutit; cordis palpitationi opitulatur; Venerem languentem ſuſcitat; vterinis affectibus à cauſa frigida validè opponitur, & frigidis tandem morbis occurrit.

Lib. de hiſt. aromatum. Lib. 3. cap.

De Schœnantho.

CAPVT CCVIII.

Schœnanthos æquè nobis ac antiquioribus cognita, & expetita; ratio nominis adducitur differentiæ ex Dioſcor. afferuntur, locuſque natalis ex opinione priſcorum perpenditur. Gal. admiratio circa Schœnanthum; Meſue religioſi Commentatores notantur. Temperamentum affertur, vires explicantur.

NOn minùs Schœnanthi planta expetenda nobis videtur, pro corrigendis catharticorum medicamentorum noxijs, quàm quòd fuerit Græcis illis antiquioribus in ſummo pretio habita ob varios vſus quos obtinet in medicina facienda, ut ex Dioſcoridis relatione abundè admonemur. eligebant quidem ex eius planta radicem, ſed præcipuè culmorum flores, ſub qua ratione Schœnanthi nomen accepit, & iunci odorati, & ſic odoris gratia ab eodem Dioſcoride inter aromata reponitur: eo enim vtebantur Veteres ad ſapam cum cæteris aromatibus, & fructum odoratum reddendum, quod ex Columella manifeſtum euadit, qui ad muſtum odoratum conficiendum id aptat. Colligit Dioſcorides eius iunci præſtantiam à loco natali; nam Africo, Arabicoque præfert Nabatheum, tamquã cæteris præſtantiorem, ſecundas partes tribuit Arabico, poſtremas Afro, quod etiam inutile vocat. Theophraſtus dum plantas, quæ ad vnguenta odorata conficienda vſurpantur recenſet, ait odoratum iuncum cum calamo aromatico naſci non inter Libanum & Antilibanum, ut quibuſdam proditum erat; ſed inter Libanum, & alium quemdam montem parvum in minima valle, quamuis hæ plantæ occupent pluſquam triginta ſtadiorum ſpatium, vt de Syriaco Schœnantho tantùm meminiſſe videatur, qui mons, ſi Diodoro credimus, porrigitur ad Phœnices uſque, & ex Iſidoro eſt in Arabia. Miratur Galen. cur Schœnanthi nomine planta appellata ſit, cùm ſuis temporibus eadem planta ſine flore, quemadmodum etiam noſtris temporibus deferatur. nos tamen ſæpe etiam flores obſeruauimus, licèt illius loci belluæ, huius floris auidæ, loco pabuli ipſum cum cacumine plantæ libenter dentibus vtplurimùm decerpant. Hinc illi religioſi Commentatores Meſuè arguunt verum Schœnanthum non eſſe illud, quod ad nos defertur, vel iuncum odoratum Dioſcoridis, quia deſunt flores, & loco radicis, quam probat in Schœnantho Dioſcorides, breuiſſima tantùm capillamenta videantur, quæ nullum odorem habeant, eſſeque iunci odorati radicem aſſerunt eam, quæ modò pro galanga vſurpatur. Primæ oppoſitionis ſenſus refragatur, ſecundæ verò Dioſcorides de craſſitie, aut exilitate radicis nec verbum habet: ſufficit enim vt ea qualiſcumque tandem ſit, ſit radix eius plantæ, at neque odore planta deſtituta eſt, niſi ſitu exoleuerit, prout habet Matthiolus, qui horum opinionem redarguit. Temperamentum Schœnanthi vſque ad tertium gradum eſſe plerique fatentur, & in eodem gradu ſiccitatis, cæterùm vires

Lib. 1. cap. 16.

Lib. 12. cap. 20.

ſingula-

ſingulares iunci odorati recenſentur à Dioſcoride, cui tribuit in primis ciendi urinas, & menſes mouendi vires, aſſeritque inflationes diſcutere, & cùm modicæ adſtringentis conditionis ſit, etiam concoquere; item calculos imminuere, aperireque vaſorum oſcula. addit inſuper florem ebibitum ad ſanguineas reiectiones ſummoperè conducere; immò affectibus renum, ventriculi, iecoris, & pulmonum opitulari; inter antidota admiſceri; & radicem maiorem vim ait obtinere adſtringentem, & ideo ad ſtomachi ſubuerſiones magis conducere; hydropicis, & conuulſis decocta m occurrere, inflationibuſque ſuccurrere. ſed ante Dioſcoridis tempora ipſum ſchœnanthum cognitum etiam ab Hipp. apparet, dum uterinis morbis id ipſum aptat. *In lib. de natura mul. & lib. de morbis mul. 2.*

De Aſa Fœtida.

CAPVT CCIX.

Non eſſe laſerpitium Aſam fœtidam contra Garziæ opinionem, Lobellij, Renodei, Dodonæiq; ſtatuitur. Bontij opinio amplectitur. Deſcriptio eius affertur. modi varij colligendi ſuccum adducuntur: Temperamentum & vires explicantur.

AROmaticis plantis ſupra relatis fœtidam plantam annectimus, it & conditio temperamenti, & conſideratio exotici ſucci expoſtulant. pauca ſanè dicenda eſſent, ſi Garziæ, ſi Lobellio, ſi Renodeo, quibus conſentit etiam Dodonęus, opiniones veræ eſſent, qui Laſeris ſuccum Medi, Syriaci, Armeni, vel Lybici eſſe ſtatuunt: ſed cùm fœtor tantus, qui in Aſa reperitur ex veterum ſcriptorum conſenſu, in laſere concipi non poſſit, horum authorum caſtra deſerere cogor, & non ſylphij, ſed alterius plantæ ſuccum eſſe exiſtimo; rationes namque Garziæ parum firmæ eſſe videntur, ut Aſam Laſerpitium credam, cùm præſertim, ſi vera ſunt, quæ Iacobus Bontius fatetur, toto Cęlo à Laſere planta illa, à qua Aſa exprimitur, diſtat; Habet enim quòd Aſæ ſuccus ex vna & eadem planta duobus modis colligitur, quæ ſarmentoſa eſt inſtar aquaticæ ſalicis, ex cuius folijs, & ſtolonibus inciſis Aſa fœtida, mediante torculari, exprimitur, quæ, inquit, ut reliqui ſucci, ſole indurata, conſimilem conſiſtentiam acquirit, prout obſeruamus in Aloe. Secundus modus colligendi ſuccum talis eſt, dum exprimitur ex radicibus, quas planta inſtar raphani craſſi ſinas gerit, & cuius folia rythimalo reſpondent, & deinde induratum reponunt; igitur ex ijs Aſa non eſt ſylphij ſuccus, ſed omninò ex diuerſa planta colligitur, cùm præſertim eius odor notis ex Dioſcoride de Laſere allatis minimè correſpondeat, quod licèt Cyrenaicum nõ eſſet, blando tamen odore præditum eſſe debuiſſet, cùm medicum ſylphium & Syriacum licèt magis viroſum odorem habere dicat, attamen non fętere quemadmodum in Aſa experimur, aſſeritur. Temperamentum fœtidæ Aſæ proculdubio calidum, quamuis Aſa non ſit laſer, & explet tertium gradum caloris, ſecundum verò ſiccitatis, vireſque ſunt à laſere admodum diſſimiles, & præcipuè ſunt in hyſtericis paſſionibus mulieres ferè exanimatas ad vitæ uſuram reſti- *De medic. Indorum in animaduerſ. in Garzia.*

reſtituere; aſthmaticis prodeſt, & lac coagulatum in ventriculo diſſoluit; vim venereis congreſſibus auget, & contra venenum opij, & mandragoræ opportuniſſima cenſetur. aſſeritur collo appenſa anginoſis prodeſſe.

De Syo.

CAPVT CCX.

An Syon noſtrum ſit illud Crateuæ inquiritur. ethymi nominis ratio diſquiritur. Temperamentum, & vires adducuntur.

EXoticis plantis odoratis, aut fœtidis reſpectiuè nuperrimè à nobis expenſis, plantam indigenam, & odore non ingrato, temperamentoque iam dictis non abſimili ſubnectimus explicandam, irriguorum locorum incolam, limpidarum tamen aquarum non paluſtrium; hanc ſanè ad ſiſymbrios, ſiue naſturtios Botanici libenter reducunt. Controuerſum tamen eſt, an ſit Syon Crateuæ, quod deſcribitur à Dioſcoride folijs hippoſelino maioribus, & cui idem Crateuas tribuit folia menthæ maiora, rotunda, nigra, pinguia, & ad Erucam accedentia, & ſit illa planta nota nobis, quæ vernaculè Creſcion vocatur, quæ non diſſimili folio, ſimilique temperamento viriumque vigore creditur. hanc tamen ſanior opinio exiſtimauit eſſe ſiſymbrion alterum Dioſcoridis, quod eodem *lib.* deſcribitur *c.* 156. utcumque tamen ſit, & Crateuæ Syon nobis non ignotum eſt, cùm ferè eodem loco idem naſcatur, cui nec temperamenti conditio diſſimilis ſit, nec vires in eſſentialibus admodum differentes, & error ſi quis intercidere poteſt, eſſet leuiſſimus, cum utraque planta, authore eodem Dioſcoride, etiam nomine Syon à quibuſdam appelletur, guſtuque Cardaminæ ſeu Cardamon, hoc eſt naſturtium repræſentet, & in eodem loco emergat. Autumant dictam ſyon plantam à calculis detrudendis, quam facultatem à natura obtinere habet Dioſcorides, quod veriſimilius etymon eſt, quam eorum, qui Syon dictum exiſtimant ab eo, quod cùm in aquis degat, ab aquis ſuccutientibus eam vacillet. Calida eſt planta in tertio gradu, ſicca in ſecundo; eſtur & cocta, & cruda olerum more, & ad calculos eijciendos vtilis eſt, urinam ciere tradit Dioſcorides, necnon & menſes ducere, & partus extrahere, & in cibo ſumptam dyſentericis prodeſſe. Siſymbrion verò alterum habet calefacere, vt modo ſupradicto temperamentum obtineat; principio, dum emergit, folia rotunda emittere, eaque dum augeſcunt, Erucæ modo findi, quod in noſtro Creſcione obſeruamus, & etiam crudum mandi aſſerit, vrinamque ciere, & lentigines delere: immò per noctem impoſitum cutis vitia, à ſole contracta, emendare.

Lib. 2. cap. 154.

De

De Matricaria.

CAPVT CCXI.

Matricariam eſſe Parthenium antiquorum affirmatur. Nominis ratio perquiritur, ſtatuitur; temperamentum, & vires adducuntur.

NOn minùs vtilis, quamuis nobis indigena, & paſſim obuia modò occurrit explicanda planta præſertim ratione temperamentorum ſuperius adductorũ non abſimilis. Matricariam vocant, veteribus valde nota, ſi Matricaria noſtra Parthenium Dioſcoridis eſt, de quo valde dubitatur, & quæ Priſcis illis ob virium præſtantiam, quas obtinet, in fœminarum morbis auerruncandis in magno pretio habita eſt. Hermolaus, Matthiolus, Dodonæus, Renodeus, & ex recentioribus Brodeus, & Donzellius exiſtimant eſſe Parthenium Dioſcoridis, contrariam tamen ſententiam ſequuntur Fuchſius, Amatus Luſitanus, Pena, & alij quamplures, exiſtimantes Parthenium Dioſcoridis verum, eſſe Cotulam fœtidam; attamen cùm matricaria noſtra ſit odore ſubuiroſo, ſubamaroque ſapore, ſit floribus perambitum albis, & in medio mellinis ſtaminibus refertis, folijs Coriandri, ſi præſertim ſpectemus prima illa folia, quæ terræ proxima ſunt, ut etiam obſeruauit Dodonæus, & quod magis eſt vires Parthenij poſſideat; adducor ego facilè ad credendum noſtram, matricariam eſſe Parthenium antiquorum. Nomen obtinuit Parthenij, quod mulierum morbis opituletur; habet tamen Plinius tale nomen à Diana deſumpſiſſe, dum quidam Vervulæ Architecto admodum caro Pericli Athenienſium principi ex alto delapſo ab ea per ſomnum oſtenſa, ſaluti reſtitueretur, vnde nomen herbam ſumpſiſſe, quaſi ſub eiuſdem Deæ tutelam extaret; quamuis Strabo, & Vitruvius non Vervulæ portentum hoc accidiſſe, ſed Ictino Architecto, & eodem modo dictam, quia à Minerua commonſtratam ſub cuius tutela extaret, quemadmodum matricaria dicta eſt ab vterinis mulierum affectibus depellendis. Calefacere tertio ordine, & ſecundo exſiccare traditur, & ſic aperire, & incidere creditur; menſes, & ſecundas utiliter mouet, educitque valenter, quemadmodum & fœtum mortuum. Addit Dioſcorides non ſecus atque Epithymum ſiccatam, & cum aceto mulſo epotam, aut cum ſale bilem, & pituitam detrahere, & ſuſpirioſis, melancholiciſque prodeſſe; ſic & calculoſis in vino, & ſacro igni contuſa impoſita mederi, quemadmodum & inflationibus, & vuluæ duritiei. Lib. 22. c. 27

De Melanthio.

CAPVT CCXII.

Cur Melanthium appellata Planta, Nigellaque fuerit inquiritur; Deſcribitur à Dioſcor. genera afferuntur. Temperamentum ſtatuitur. vires explicantur.

MOdò venit deſcribenda nobis planta, & in cenſu calidorum in tertio gradu, ſiccorumque reponenda, quæ officinis à ſeminis atro colore, cui etiam tribuit Dioſcorides, nigella vocatur, Latini Melanthij
Lib.20.c.27 nomen, à Græcis mutuatum retinent, quamuis Plinius dicat, à Latinis etiã
Lib.3.c.93. appellari Gith. diligentiſſima profectò huius plantæ deſcriptio à Dioſcoride allata, hanc ipſam plantam pro melanthio nobis inſinuauit, vt opinaremur melanthium noſtrum à Dioſcoridis Melanthio non diſcrepare. Aſſurgit Melanthium tenuioribus ramulis, folijs, Coriandri, minutiſſimè inciſis, ait Dioſcorides ſenecionis in ramulorum ſummitate flores in ceruleo albidi, ſtaminibus virentibus interpuncti, quibus ſuccedunt capitula anguloſa protuberantia, cornic ulis reflexis referta, intus ſemen nigrum, anguloſum, odoratum, oleoſum & pingue. Huius tria genera faciunt Botanici, ſatiuum unum, folio conſimili, & flore multiplici; alterum ſyluestre, minori & ſimpliciori flore; tertium Damaſcenum, longioribus ramulis, folio minutim diſſecto, cui flores elegantiores, ſatiuo Melanthio ſimiles; ſemen inodorum, quod proinde inefficaciùs operatur. Temperamentum melanthij calidum, & ſiccum in tertio ſupponitur, quod aſſignatur præſertim. ſemini ex Dioſcoride Melanthium illitum temporibus capite dolentibus vtiliſſimum cenſetur, prodeſtque quoque tritum, & naribus infuſum, vel attractum cum Irino; ait inſuper ſuffuſionibus oculorum incipientibus occurrere, lepraſque, & lentigines emendare, tumores emollire, & clauos impoſitum educere cum veteri urina; prodeſſe dentibus dolentibus facta collutione cum aceto; umbilico ſi ſuccus apponatur vermes necare; deſtillationibus quoque proficere, ſi inter Errhina vſurpetur. ſemen per aliquot dies in potum vſurpatum menſes, & vrinam excitat; ſuffitus ſerpentes fugat. Orthopnoicis ſalubriter opitulatur, morſibus phalangiorum potum cum nitro, flatus diſcutit, reſoluitque; habent etiam Recentiores vterinis affectibus cum vtilitate ſumma adhiberi.

De

De Matriſylua.

CAPVT CCXIII.

Rectiùs nomen Peryclimeni à Græcis impoſitum plantæ huic, quàm à Scribonio Matriſiluæ, aut a Recentioribus Caprifolij aſſeritur. reijcitur opinio negantium eſſe Dioſcoridis Peryclimenum: Plinium malè confundere Clymenum cum peryclimeno. Deſcribitur. Temperamentum deſignatur, & vires traduntur.

LIcèt Scribonius Largus plantam hanc matriſyluæ nomine appellauerit; elegit tamen nomen nimis vulgare, quemadmodum fecere ex Recentioribus illi, qui eam ipſam Caprifolium denominauere, deſumpta denominatione à loco quidem, & poſtremò ab eo, quod capris paſcentibus facilè in edulium ceſſat; ei dem namque plantę magis congruit Greca nomenclatura, cùm à Climeno non omninò abſimilis ſit forma, nec admodum diſſimili officio, quemadmodum nec natura ſua ſcanſoria. Sunt tamen, qui negent noſtram matriſyluam eſſe peryclimenum Dioſcoridis; ſed me iudice, nimis incautè, cùm eius conditiones, ad formam quod attinet, ferè omnes ſint eiuſdem auctoris peryclimeno ſimiles; licèt Plinius in huius plantæ explicatione confundat Climenum cum Peryclimeno, quemadmodum & in pluribus feciſſe conſtat; ſed hoc viro eximio, & eruditiſſimo condonandum eſt, vt qui in medicinæ ſcientia, aut Botanica minimè exercitatus eſſet, cui præſertim breuiſſimum quodcumque ſpatium temporis, quod negotijs publicis, officijſque politicis à diuinis ſuis lucubrationibus detrahebat, eruditiſſimo huic ſuo operi concedebat, non minùs quidem varium, ut Plinij Cæcilij verbis loquar, quàm ipſa natura. Deſcribit Dioſcorides matriſyluam, quod ſit frutex ſurculoſus exiguus, qui per interualla gerat folíola caulem amplectentia, ſubcandida, hederacea, inter quæ germina erumpunt, in quibus flores inſtar fabæ candidi, recurui, quaſi in folium procumbentes; ſemen hederæ durum, quod difficilè euellitur; in aruis, & ſepibus naſci fatetur, & fruticibus propinquis, quos alligat, arctè inuolui. Matriſylua noſtra frutex eſt lignoſus, ſurculoſus, & ſeſe vicinis arboribus conuoluens, & ad faſtigium ſummum properans; folia habet per interualla ex albo virentia, mollia, oblonga, & craſſiuſcula; flores edit candidos quodammodò flaueſcentes, fiſtuloſos, oblongos, multos, & veluti de induſtria glomeratim congeſtos, ſuaui odore prauitos, in quorum medio ſtaminula quædam prodeunt, à quibus fructus racematim veluti diſpoſitus rotundus, duriuſculus, hederæ baccis ſimilis; radix lignoſa ſatis craſſa. Quas omnes conditiones deſcriptæ plantæ ſi conſideremus, non diſſimiles euadent à planta à Dioſcoride deſcripta, cum præſertim & vires ſint ſimiles. De temperamento huius plantæ controuerſia nulla exiſtit; calefacit enim & ſiccat, ut tertium gradum caliditatis obtinere credatur, & in ſicco eodem modo operari; validiſſimè enim urinam cit, ut ſanguinem etiam educere valeat, ſemenque virile exiccan-

do abſumere ex Dioſcoridis, & Galeni teſtimonio: quod etiam Theophraſtum non latuit. Huius plantæ à nobis cognitæ Recentiores duo genera agnouere, Italicum unum, & Germanicum alterum, facie tamen non admodum diſſimilia. huius vires ſunt & partum celeriter educere, & calculos pellere, & lentigines à facie delere: prodeſt matriſilua orthopnoicis, lienem minuit, ſingultum ſanat: habent authores ſi quis diutiùs eius ſemine utatur, genituram abſumere, & ſterilitatem inducere, ut equè viris, & mulieribus infenſum ſit. tradunt periodicarum febrium horrores demere. Plinius habet poſt eius uſum ſex dierum ſpatio cruentam reddi urinam, quod fatetur etiam Galenus; Theophraſtus tamen vires ſterilitatis inducendæ non peryclymeno, ſed clymeno aſſignat, ſi ſpatio triginta dierum ſemen in vino albo ſumatur.

Lib. de hiſt. plant. cap. 19

De Sabina.

CAPVT CCXIV.

Cur Latinis huius nominis arbuſcula Sabinæ nomen tribútum ſit, & cur Græcis Βράθυς *appellata. Genera ex Dioſcor. referuntur. Temperamentum, & vires explicantur.*

SVnt, qui dicant Sabinorum regionem, huius ſtirpis feraciſſimam, Romanis Sabinæ nomen eidem plantæ imponendi occaſionem præbuiſſe. Græcis Βράθυς dicta, quia tardè ſeſe attollere videatur. huius fruticis, ſiue arbuſculæ duo facit genera Dioſcorides, vnum aſſimilat cupreſſo, ad folio tamen tantummodò quod attinet, ſpinoſum, acre, graueolens, & feruentis naturæ; appellatque curtam arborem, quæ ſe potiùs ad latitudinem extendat. Alterum verò genus tamariſco ſimili folio pronunciat, & fructu quoque non diſſimili: ſic & Plinius duo genera Sabinæ deſcribit: alterum Iuniperi folio, alterum verò tamariſci. Cæterùm hæc planta, dum Deos ipſos vetuſtioribus ſeculis innocentibus ſuffitibus prolectari creditum eſt, vt ex Orpheo antiquiſsimo vate manifeſtum, Sabinam loco thymiamatis uſurpatam legimus, & de ea Ouidius hæc habet;

Lib. 1. cap. 104.

In Hymnis.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus exuſta ſono.

nec aliud innuere voluit Propertius, dum inquit:

Flore ſabella tego verbenis compita velo.
Et crepat ad veteres herba ſabina focos.

Quod etiam voluiſſe videtur Dioſcorides, dum citato loco ait, folijs quidam ad ſuffitus utuntur. Omnium ta men clariſsimè hoc expreſſit Plinius, dum inquit: *herba ſabina Brathi appellata à Græcis, duorum eſt generum, altera tamariſci ſimili folio, altera cupreſſo; quare quidam Creticam cupreſſum dixerunt, & multis in ſuffitu pro thure accipitur.* Recentiores verò diſtinguunt in Bacciferam, & non Bacciferam. Bellonius alteram ſpeciem adducit, quæ arbor eſt, nec relatis accenſenda. Cæterùm cùm ſabina planta etiam alijs nominibus proficua ſit, eius vires medicæ cum Dioſcoride modò veniunt per-

Lib. 14. c. 11

perpendendæ, temperamento eiuſdem priùs conſtituto, quod ad tertium caliditatis gradum cum pari ſiccitate communiter accedere traditur. Ducere ſanguinem per vrinam cum vino potam, vt validam eiuſdem vim diureticam oſtendat, aſſerit, appoſitamque ad fœtus eductionem in peſſo, vel in ſuffitu adhibitam, & ad menſes ſuppreſſos ducendos, & ad ſecundinas expellendas. Carbunculos Nomaſque compeſcere, & phlegmonas mitigare; quod tamen de iam fluxa omni modò materia habendum eſt; addit abſterſoriam facultatem obtinere, cuius ope cum melle cutis ſordes expurgare valet.

De Iunipero.

CAPVT CCXV.

Nominis Iuniperi ratio affertur. antiquioribus Græcis ad multa vſurpatum: genera recenſentur, Deſcribuntur. encomia Iuniperi à Plutarcho allata produntur, & de Kyphi medicamento appellato. temperamentum adducitur: cur vmbram Iuniperi cantantibus grauem dicat Virgilius. an ramenta ligni venenata ſint. facultas eius narcotica conſideratur Poëtarum placitis conformis. Valerij Flacci patria reſtituta; vires iuniperi examinantur.

IVniperum Græcis ἄρκευθος dicitur, quod matureſcentibus eius fructibus nouam fœturam illis ſublatis ſubrogare contendat, in deficientis ſobolis ſubſidium; antiquioribus nota planta, de qua non ſemel loquutus eſt Theophraſtus in plant. hiſt. immò Hippocrates lib. de natura muliebri, iuniperi baccas inter cætera remedia ad vterinos dolores, fluoreſq; commendabat. Duo facit huius arbuſculæ ſiuè fruticis genera, maioris ſcil. & minoris, quorum vnum obſeruarunt Recentiores baccas, alterum flores tantùm edere; Maiorem verò Iuniperum eſſe nobis peregrinam arborem non eſt ferè qui dubitet, maximam huius copiam ait Bellonius reperiri in monte Tauro; ſunt tamen qui affirment etiam naſci in Adriatici maris littoribus, tum Liguſtici, nec non in Illyrio, & in quibuſdam alijs Galliæ prouincijs. Exſudat ab his gummi illud, quo pro vernice vtimur, de quo inferiùs, aiuntque baccas magnas edere, minor verò iuniperus in Italiæ collibus paſsim obſeruatur, eſtque frutex lignoſus, carnoſus, alis plurimùm diffuſis, parum ſe ſe attollentibus, folio anguſto, acuto, inſtar ſpinæ pungens, perenni viriditate; baccæ initio virides, quæ dum ad maturitatem tendunt, violaceo colore ſaturo, poſtremò nigro inficiuntur, odoratæ, & in mandendo ſapore tum dulci, tum ſubamaro, materia ligni & ipſa odorata eſt, odore non ingrato, vt meritò planta hæc conſideretur à Dioſcoride in primo lib. vbi de aromaticis plantis verba habet. huius proficuus odor veneficis auris occurrere, eaſque euincere teſtis eſt Plutarchus, qui aeris intemperantiam, & malignitatem ſuo ſuffitu iuniperum corrigere tradit, unàque ſpiritus recreare, eoſque torpentes ſuſcitare; vultque iuniperi plantam ingredi mixturam quamdam Kyphi vocatam, quæ ex ſexdecim rebus componebatur, melle ſcil. vino, uva paſſa, Cype- *Lib. de Iſide & Oſiride.*

ro, reſina, Myrrha, aſphodelo, Aſphalto, ſeſili, iunco odorato, Bitumine, folijs ficulneis, ramicis, & vtriuſque iuniperi ſpecies; vt etiam illis temporibus ambas iuniperi ſpecies in vſum traxiſſe videatur; tandem addit Cardamomum, & Calamum, ex quorum compoſitione aſſerit manare celebrem illam mixturam, cui Kyphi nomen Veteres impoſuere, & quam aſſerit ſuauem, & dulcem emittere exhalationem, qua ſuffitu aeris intemperantiam, eiuſque impuritatem corrigere ſolebant, & ſpiritus recreare, & temperiem corporis optimam inducere, ſoluereque mentem à diuturnis curarum moleſtijs, quæ quaſi animi vincula eum alligant citra tamen ebrietatem. Cæterùm iuniperum moderatè calefacere, & aſtringere habet Dioſcorides, quam tamen in eo caloris moderationem Recentiores nõ agnoſcunt, potiùs Galeni opinionem ſecuti, qui aſſerit plantam hanc calidam in gradu tertio, non æquè tamen ſiccam, quod quidem de aromaticis baccis, & maturis ex arbore decerptis præcipuè uſurpandum, non verò de ijs, quæ recentes dulcedinem quamdam præſeferunt, quæ mitius temperamentum poſſident. Verùm ad vires eius plantæ quod attinet, ſingulare ſanè illud eſt, quod de iunipero fertur, & ab antiquioribus experimento comprobatum, ex ligni huius ſuffitu baccarumque prauos, & peſtilentes vapores, & peſtiferas virulentias etiam Epidemicas ſuperari, quod notum eſt etiam ex ijs, quæ ex Plutarcho ſuprà retulimus: Multò magis nos in admirationem trahit illud quod habet Virgilius, dum Iuniperi umbram grauem eſſe aſſerit: ait enim

g. Simpl.

Eclog. 11. in fine.

Surgamus ſolet eſſe grauis cantantibus vmbra,
Iuniperi grauis vmbra.

Conceſſerim ego ſanè facilè nocturnam umbram grauem cantãtibus euadere, prout ſua humiditate capitis deſtillationem & parere, & augere valeat, ac ſubindè raucedinem inducere; quod quidem etiam non cantantibus accidere ſolet; quid tamen habeat peculiare iuniperus, ut umbra ſua grauis ſit, hoc profectò conſideratione dignum euadit; etenim quòd Iuglans, Taſus, aliæque arbores quædam umbra ſua noceant, inconfeſsò apud omnes ſtat; de Iunipero tamen ex Dioſcoride, Plutarcho, alijſq; viris clariſſimis oppoſitum conſtat, cùm eius plantæ nidor gratus, aeris intemperiem corrigere valeat, ſpiritus, & mentem recreare, ſub qua ratione à Medicis in peſtilenti conſtitutione, & putridorum halituum effluvio, quos diſſoluere valet, magno profectu, & liberaliter uſurpetur. nec ſatisfacit, ſi dicatur, ex exuſto ligno Baccarumque exhalatione optimum illum effectum ſubſequi, ſecus verò ex vapore, qui ſpontè ex arbore exhalat, qui tunc forſan noxius eſt; hoc tamen nec ratione temperamenti habere vero conſentaneum eſt, neque à tota ſubſtantia prodire, cùm potiùs alexipharmacam vim Iuniperus poſsideat, & quod de Scobe eius ex ſarmentis ex Dioſc. habetur, quòd videlicet venenata ſint, falſum experientia conſtat, vt dicendum videatur, hoc vel in textu Dioſcoridis irrepſiſſe, vel authorem ex aliorum opinione loquutum eſſe. ſunt qui, vt ab ijs ſeſe explicent ambagibus, mutant illud (cantantibus) in cunctantibus, quaſi dicant, iuniperi, & aliarum etiam arborum omnium nocturnam vmbram in ea cunctantibus eſſe, nocuam, ſi videlicet diutiùs per noctem eidem

dem

dem indulgeamus, quod tamen ſubterfugium abſurdiſſimum eſt. plantæ enim quemadmodum interdiu à ſole exhilarantur, ſic ab umbra nocturna ſefouentur, recreanturque. nec tunc induunt qualitatem prauam, quod Iunipero tribuere moleſtiſſimum eſt. Exiſtimo ego Viros Clariſſimos in percipiendo diuini poëtæ ſenſu hallucinatos fuiſſe, & latentem ſub verſiculi verbis Iuniperi conditionem non eſſe aſſecutos, dum ibi Poëta ſpecificam facultatem, ſomnum ſcilicet conciliandi, quam Iuniperus habet, innuit, & ſic augendi ſoporem illum, ad quem nox naturaliter nos impellit; voluit enim, dum Iuniperi grauem umbram vocat, facultatem exprimere arboris naturalem, quæ iam nocte adueniante ex ſolis, luminiſque obicibus demptis magis propria ſopiendi munia exercere valeat, quod deduxiſſe videtur Virgilius ex Apollonio 3. Argonauton, qui de Iunipero locutus hæc habet.

Ὄφα ἀρκευθοις νέον Ἴετ μηκότι θάλλω.
Βαπῖῦς κύκεῶνος ἀκήρατα.
Φαρμακι ἀθιδαῖς ὑσιχάλει κατόφθαλμαὶν.

Quorum verſiculorum ſenſus eſt, ut ex Iuniperi recenter exciſo ramo, quæ arbor natura ſua vim narcoticam obtineat, & quidem ſatis efficacem ad indendum ſomnum altiſſimum Draconi, aurei velleris cuſtodi vigilantiſſimo, Medæa pharmacum Cyceona parauerit. Idem ſanè voluiſſe Orpheum celebrem Vatem, & antiquiſsimum Argonauton ſcriptorem, qui ſe fingit eius famoſæ expeditionis comitem, & qui floruiſſe conſtat multò ante Apollonij tempora. dum pyram ſtuxiſſe. ad Dianæ opem implorandam, *Argona. lib.* fatetur ex Arceuthidis trunco, quod Iuniperi ſonat. ità vertit è Græco Renatus Perditenus Gallus, quemadmodum ex cedro Ramno, Alnòque, & ex odoratis multis ab eadem Medæa ex recondito ſuo ſcrimnio ſuppeditatis quà quidem pyra incenſa, & eleuato ex ea fumo ſubiungit.

Somnus verò ſtatim cæpit ingentis oculos Draconis
Similis morti.

Et forſan Valerius Flaccus conterraneus noſter priſcis illis Argonauton ſcriptoribus arridens, vt quibuſdam viſum eſt, ex hac eadem Iuniperi *Io. Bapt. Pius com. ad Flacci Argonaut.* planta facultatem inducendi ſomnum admittit, dum 8. lib. operis ſui præclariſſimi, de Dracone vigilantiſſimo Cuſtode aurei velleris ex Medeæ philtris in ſomnum prolabente loquitur, & vocat ramum adhoc exciſum (Lethæum) ab effectu, quaſi ex iunipero auulſum, nè à priſcis ſcriptoribus diſſentire videatur, ut ex eiuſdem vapida exhalatione à propria forma plantæ manante, immani illi belluæ lethæus ſopor incuſſus ſit, ità loquitur Poëta.

Ac primum percuſſus nube ſoporis
Horruit, & dulces excuſsit ex arbore ſomnos.

& paulò pòſt ſubdit.

Cunctaque lethæi graſſare ſilentia rami.

Vocaui Flaccum conterraneum meum, neglecta omni horum inuidia, qui Poetam hunc doctiſſimum, non Patauinum, ſed è Setia Campaniæ oppido Setinum faciunt, quod tamen leuiſſima coniectura probant, deducta à Veteri quodam nummo de induſtria forſan confìcto, in quo effigiem Flac-

ci

ri ſe vidiſſe aſſerunt, ſub Prætoris forma delineatum; quem tamen Numum mihi, licèt aſſiduè ſcrutanti, nunquam videre contigit, quamuis per quinquaginta, & ampliùs annos ſtudium hoc lætiſſimum coluerim; quo ſanè leui figmento tentant inuito etiam Martialis ſenſatiſsimo teſtimonio, Coætanei ſui, à proprio natali ſolo, Patauino videlicet abdicare; qui eum ſpem, & alumnum Laris appellat, quemadmodum paulò antè hæc habet.

Lib. 1. epigr. 44. ad Liuiā ſcribens. 5. Epigram. Epigram. 49.

Verona docti ſyllabas amat Vatis.
Marone felix Mantua eſt.
Cenſetur Apono Liuio ſuo tellus.
Stellaque, nec Flacco minus.

quaſi erubeſcēdum eidem fuiſſet habuiſſe cum Liuio, aut cum Stellā communem Patriam, quæ ſanè multò ante Flacci tempora ob beneficia in Rempublicam Romanam collata Ius latij reportauerat, vt non prætura tantùm ciues ſuos cohoneſtari videre potuiſſet, ſed etiam ſummos alios honores adipiſci, cùm præſertim Ciuitas Patauina priſcis temporibus totius Venetæ regionis directrix & arbitra, non leue ſubſidium, tum pubeſcente adhuc Quiritum Republica, tùm etiam iam adulta, præſtiterit, & ſelectæ militiæ manum in ſubſidium non ſpernendam tranſmiſerit, vtrique enim ciuitati communis à Troianis origo fuit; quamuis Antenor per aliquot ſæcula ante Romam conditam Patauinis, eorumque ciuitati exordium dederit, prout omnibus manifeſtum eſt, ut nihil mirum ſit, ſi non leuis amoris nexus inter hos populos fuerit, donec communi gentium fato in conſuetudinem parendi Romanis deuenerit, & paucìſsimis exactis inde ſeculis, declinante Romanorum ſublimitate, hæc ipſa Venetorum regio virtutis priſtinæ haud immemor generoſam libertatem reaſſumpſerit, & medijs in ipſis fluctibus, ubi iam plurimis anteactis ſeculis de Cleonimo Lacedæmonum Rege eiuſdem ſuperata validiſſima claſſe triumphauit, Libertatis Beatæ inuiolabile aſylum firmauit; & deluſa barbarorum immani feritate Emporium virtutis ſtruxit, vbi per tot ſeculorum ſeriem, vnicum ſempiternæ durationis exemplar inuiolabiliter optimatum Republica conſtructa uſque adhuc æquiſſimis & ſanctiſſimis legibus incolumis ſeruata, & in perpetuum duratura. Regnis prouincijſque longè, latèque diffuſis ſtrenua virtute comparatis iuſtiſsimè dominatur; Pace, belloque ſemper admiranda, ſemper ſuſpicienda. Sed hæc forſan, quæ extra rei propoſitum hìc irrepſiſſe videbuntur, tutandi patriæ honoris gratia, quiſquè optimus ſuſtineat. Iam perſequemur ſupineti vires. Tradit Dioſcorides, nidore ſuo ſerpentes fugare, eſſeque utiliſſimam plantam ad venena omnia auerruncanda, ictibuſque venenatorum animalium ſanandis; habet, tuſſes, & pectoris vitia emendare, tormina, & inflationes abſoluere, vrinam ciere, & hyſtericis quoque paſsionibus opitulari; ſic ruptis, & conuulſis prodeſſe. Auerrhoes addit, ictericis ſubuenire, & baccas hydropicis conducere, quæ etiam in antidotoru m uſum à Galeno traductæ ſunt; ſic & moram vitioſam menſium corrigere; ex his deſtillata aqua ad febres peſtilentes commendatur; tradit ur etiam hydropicis, & hepaticis fluxibus conducere. Cæterùm gummi, quod ex hac arbore exſudat, quod

verni-

vernicem vocant, & ab uſiuè Sandaracham, eò quia ab Arabibus vocatur Sandaras, cùm tamen nihil habeat cùm Sandaracha minerali, quæ venalis eſt, præterquamquod vtiliſsimè adhibetur ad gluten Chartis indendum, ad plura etiam in medicina exercenda uſurpatur, & cenſetur magis ſicca, magiſque calida cæteris iuniperi partibus ab effectu; quamuis Dodonæus, & Matthiolus contrarium ſuſtineant. hoc quidem Gummi ſiſtit ſanguinem à quacumque parte fluentem, vlceraque putreſcentia, & Cacoetha emendat, diarrhæas cohibet antiquatas, & ventriculi cruditatem ſuperat, obſtructionibuſque viſcerum aptiſſima experitur, Compeſcit ſuffitu capitis vitia ex deſtillatione orta. Sunt qui ligni huius ſcobe more Guaiaci pro lue Celtica debellanda utantur; hoc enim experimento non ſatisfacit. habent quidam in doloribus articularibus auxilium afferre non debile, & partium neruoſarum imbecillitati, cui oleum è Baccis, vel Iuniperi ligno factum prodeſſe tradunt.

De Viſco Quercino.

CAPVT CCXVI.

Viſcum non ex ſemine, ſed ex arborum ſucco, quibus innaſcitur, erumpere ſtatuitur, nominis ratio a Græcis antiquioribus adducitur, deſcribitur. Tempora nitendi deſignatur, non eſſe iuxta venenum Dioſcoridis, & antiquorum affirmatur. vires afferuntur. è quercu viſcum erumpens ſemper præſtantius eſſe & aptius quam quod à Malo germinat.

Diuerſis arboribus innaſci Viſcum notiſſimum eſt; habet enim Plinius, Viſcum cùm propriam ſedem non habeat in alieno viuere, & quidem perenni folio, quamuis arboris, à qua alimoniam ſumit, folia ſint decidua; cui ſanè ſententiæ fauet Virgilius dum inquit, Lib. 17. cap. 44.

Quale ſolet ſyluis brumali tempore viſcum
Fronde virere noua, quem non ſua ſeminat arbos.

Controuerſum tamē video, an viſcum iſtud ſua propria virtute & peculiari ſuo genitali ſemine in alienam arborem intrudi, & viuere poſsit, à qua alimentum ad vitæ uſum ſufficiens ſuſcipere valeat; an potiùs producatur ab arbore, cui inhæreſcit eiuſque ſucco, & facultate: plures enim exiſtimant potiùs ex ſemine proprio, quod in baccis gerit viſci, arbuſculam ſuſcitari, quo epaſto vel Turdi, vel ſimilia animalia egerentes ſimul cum excrementis in aliqua conſpicua huius arboris parte defigant; hinc facetè Plautus adagio locum fecit, dum inquit

Turdus ſibi mortem cacat.

ac proinde ex ſemine proprio intra excrementa aluina regeſto & reconditio innaſci, idem autumat Athenæus, idem Plinius, & inter Neotericos huic opinioni adhærentes videtur etiam Ceſalpinus. Exiſtimo tamen veriorem eſſe eorum ſententiam, qui non ex euidenti ſemine viſcum, ſed ex arboris, ex quo pullulat ſucco produci autumant, ſuaſus & rationibus Lobelij, & Scaligeri quoque, & exempla magnifacio præſertim Epithy-

Exercit. 168. mi, & Cuſcutæ, ſimiliumque alteri innaſcentium. Educitur enim, inquit Scaligerus, ex arboribus duriſſimis, pyro, malo, ſorbo, Cerro, quercu, pruno, terebintho Abietæ, Pinis, Ilice, Caſtaneaque, ubi radiculæ à ſemine figi nequeunt, cùm ex arboribus hoſpitibus educatur viſcum veluti cornua ex oſſibus animalium, quaſi, inquit cum Poeta, viſcũ ſit ſudor quercus; impoſſibile enim putat vir Clariſſimus ſemen radiculas exiliſſimas extendere poſſe in lignum duriſſimum, cùm præcipuè viſcum naſcatur, ubi ſtercus animalium nullo pacto conſiſtere poſſit, & præſertim tanto tempore, quod requiritur pro ſeminis germinatione. habet hoſpitem arborem à ſe oculis ferè lynceis quoquouerſus ſcrutatum fuiſſe, nec radicum indicia etiam minima inuenire potuiſſe in loco, ubi plantæ viſcum emergit. Cæterùm viſcus Græcis vocatur ἰξὸς vel ἰξία quod gluten ſonare videtur, quod ſcilicet tenacem ſuccum lentumque & glutinoſum reddat. Pullulat ergo viſci frutex ſiue arbuſcula in aliena à ſui natura arbore, *ramis* ad cubiti altitudinem in latum tamen magis ſe diffundentibus, lentis, lignoſiſque, virenti cortice contectis, folia craſſa, dura, oblonga buxo ſimilia, ſed maiora, nec pellucida; flores lutei exiles circa ramulorum genicula, quibus baccæ ſubſunt tres, vel quattuor glomeratim diſpoſitæ, candidæ, diaphanæ, in quibus ſemen nigrum exiguum: baccæ interim *repletæ* reperiuntur, dum præcipuè ad maturitatem ſunt perductæ, ſucco lento, viſcido, glutinoſo; caulis ſine ulla radice arbori cui ineſt, tenaciter adhæret, quaſi eiuſdem arboris genuinus ramulus ſit. *Huius ſtirpis fruticoſi ſi temperamentum inquiramus, calidum ad tertium gradum aſſeritur, cum* pari ſiccitate. Dodonæus graduum numerum non aſſignat, in eo tamen & acrimoniam agnoſcit, & amaritudinem, quæ ſunt caloris non leuia indicia, & ſiccitatis; Prauotius tamen gradus deſignat, & caloris cum ſiccitate obtinere viſcum tertium gradum autumat. Verùm circa viſcum illud animaduerſione dignum eſt, quod quidem innuit Dodonæus, Ixiam venenum, de quo Dioſcorides loquutus eſt lib. 6. cap. 21. quod Vllophonem etiam appellat, nil aliud eſſe, quã ſuccum illũ, qui è baccis viſci quercini, ſiue alterius arboris, cui viſcus innaſci ſoleat, exprimitur; probat, quia pernicioſos eoſdem effectus, & ſymptomata vehementiſſima pariat, *quæ* Ixiæ venenum aſſumenti occurrere ſolent; quod etiam ratione corroborat; inquit enim cùm viſcum acre ſit, linguæ inflammationem excitare valeat, & lenta ſua, tenaci, & viſcoſa ſubſtantia (interranea) vt proprijs Dodonæi verbis vtar, ſic glutinare, conſtipare, & concludere poſſit, vt excrementi deſcenſum ad alvum, exitumque impediat; & cùm cætera ſymptomata omnia à Dioſcoride Ixiæ veneno tributa excitare poſſit, ut etiam idẽ venenum iudicare non ſit inconueniens, habet & præſertim ea etiam *quæ*
In Alexiph. à Nycandro veneno Ixiæ attributa ſunt. Nec, inquit, vllo modo Ixiam veterum eſſe Chamæleonem nigrum opinandum eſt, quia iſtud abuſiuè Ixia appellatum eſſe videtur, nec album Chamæleonem, quamuis ratione viſci, quod iuxta radicem quandoque gerit, ab aliquibus ſic denominari ſoleat, quia hoc ipſum ab Ixiæ veneno diſtincto capite deſcribitur à Dioſcoride; igitur per conſequens non eſſe Ixiam venenum veterum aſſeritur; concludit itaque vir ſummus Ixiam venenum deſcriptum cit. loco à Dioſcoride
Chamæleon. album.

non eſſe nobis, vt fertur, vi cognitum, ſed eſſe ſuccum illum, qui eſt baccis quercini viſci vel alterius plantæ, cui viſcum innaſcatur expreſſum ſit. Cæterùm licèt quamplures viri magni huic ſententiæ inhæreant; attamen vt ab huiuſcemodi calumnijs noſtrum viſcum vindicemus, animaduertendum eſt cum Lobellio, venenum Ixia dictum ab his omnibus relatis ſuprà, quid diſtinctum eſſe, cùm præſertim Ixiæ nomen abuſiuè de pluribus dicatur, licèt diſtincta genera diſtinctis etiam capitibus importet, & à Dioſcoride diuerſimodè explicetur; agit enim idem author. de vtroque chamæleone ſeiunctim, de albo diſſerit in eodem lib. cap. 11. ubi etiam nigrum delineat; de viſco verò quercino ab eodem appellato verba facit in eodem tertio lib. cap. 103, & de Ixia verò veneno nulla inſcriptione ſuperpoſita, de Chamæleone pertractat in lib. 6. alexiph. vocato c. 12, vt hinc luce clariùs appareat relata Ixiæ genera eſſe differentiſſima, & ſic nec viſcum noſtrum, nec Chamęleonem album, quamuis viſcum quandoque iuxta radicem gerat, nec chamęleonem nigrũ eſſe Ixiam venenum; ſic nec argumentum à ſecundis qualitatibus deſumptum viſco noſtro attributis conuincit, primò quia talia, quæ veneni conditionem præſeferant, non ſunt ob primas, ſecundas, tertiaſve qualitates; ſed conditio venenata promanat à tota ſubſtantia, & à plantæ forma, ſiue rei in qua inſunt, vt alibi in primo ſcil. lib. probauimus, dum de venenorum natura verba fecimus; non enim, quæ humida ſunt, aut calida, acria, lenta, viſcoſaque vel tenacia, venenata vel ſunt, vel dicuntur, quamuis hominibus noxia; nec neceſſariò ſi aſſumantur exitum excrementis impedire valent, prout talia, cùm præſertim tenaces illæ viſci actiones ab interno humido noſtri corporis reddi poſsunt inofficioſæ, prout ab externo in viſci noſtri ſucco reddi ſolent. Quòd ſi dicatur arte parari viſcum, quòd ab aqua etiam vim ſuam acuat, & per conſequens hunc ipſum vigorem humido reſiſtendi amittat à ſuo contrario; hoc tamen non innatum eſt ipſi viſco, ſed ab arte inditum; immò ſi ex Dioſcoride, dantur qui viſcũ parant, commanducando baccas, ergo in viſco nulla venefica vis reperitur, aut in baccarum ſucco. Lobellius ſanè, cui ego multum defero, ſuccum viſci purgare tradit melancholicum, & pituitoſum humorem; immò ſi hoc verificarètur, viſci quercini decoctiones interiùs ſæpiſſimè uſurpatæ ex eius ligno pro capitis intemperie debellanda, tutæ omninò non eſſent, ſi ex eo prodeuntes baccæ venenatam conditionem haberent; non erit igitur iſtud viſcum, quamuis Ixia vocatum, venenum Ixiæ illud ab antiquioribus cognitum, aut ex eius baccis productum.

Lib. 3. c. 10.

Ad vires viſci quod attinet, commendat hoc Dioſcorides, ſi recens ſit colore intus porraceo, extrà verò ſubflauo; verùm ut doceat modum viſcum conficiendi, ſubdit, ex fructu quodam rotundo (vt baccas innuat) fruticis in robore naſcentis, vt ex qua arbore præſtantius viſcum eligatur innuat, licèt etiam alijs arboribus innaſci dicat. ſubiũgit diſcutere, emollire, extrahere tubercula, parotidas, aliosque tumores ſimiles maturare, ſanareque; necnon & abſceſſus malignos & ulcera cum Thure; cum que Aſſio Lapide, Gagate, Calceve, lienem minuere, & aſſumitur cum ſandaraca, illitum unguium ſcabritiem ſuperare, vel cum auripigmento, ex Pli-

nio verò commanducatum, & ulceribus impoſitum ea ſanare; & quod potiſſimùm à Neotericis experimento comprobatum fertur; in decocto propinatum huius arbuſculæ lignum Epilepticis, Apoplecticis, paralyticiſque conducit; immò præſeruare traditur, & etiam ex Plinio contrà morbos illos opportunè, tanquam Amuletum geſtari, & ſic fouere conceptum fœminarum, nè ſuccedat abortus. ſunt etiam qui ad icterum commendent. Inualuit proximis elapſis annis, tam hic Patauij, quàm Venetijs, vt Medicinã exercentes veriti næ viſci ligni natura calida, in decoctione vſurpata, pro catarrhalibus fluxionibus ſiſtendis, capiteque roborando officeret. ſi loco eius quod è quercu enaſcitur, eligeretur quod è malo pullulat, neſcio tamen qua ducti ratione: cùm vtraque arbor, ſi tamen planta ex ſucco arboris producitur, prout ſtatuebamus cum Scaligero, frigidæ conditionis, & temperamenti ſit, & eodem ferè gradu; immò quercus etiam ſicca ſtatuatur & ſubaſtringentis roborantiſque naturæ: malus verò humida, ſi de domeſtica loquamur, à qua tantummodò è malis erumpit Viſcus, ſitque potius laxantis conditionis. Puto ego hanc opinionem fluxiſſe à Raymundo Iamforti, viro in Medicina facienda ſatis claro. verùm cùm viſci decoctio adhibeatur præcipuè pro capitis noxis ex intemperie prodeuntibus ſuperandis, crediderim ego ſemper *Viſcum* è quercu deſumptũ pręſtare, ut tutius ſemper ſit in Botanicis dubijs opinionem Dioſcoridis Galenique ſequi. Quod obiter, & correctioni ſubiectum dictum tamen ſit.

De Agallocho, ſiue ligno Aloe.

CAPVT CCXVII.

Diſquiritur an lignum Aloes ſit idem cum antiquorum Agallocho; num aloem ſuccum amariſsimum ex herba expreſſum, ſtatuatur, & cur. vbi verè Agallocum naſcatur definitur; nonnulla de Ægyptiorum, hebræorum, Romanorumque funere medicato tanguntur; malè à Plinio apud Romanos, quo tempore vnguenta odorata tranſierint, ſtatutum. Temperamentum, & vires afferuntur.

INter ligna aromatica expetitiſsimum illud eſt ob odoris fragrantiam, & per ſæculorum ſeriem ſumma in veneratione habitum, quod Græci ἀγάλλοχον & ξυλαλόην vocant, Latini verò lignum aloes; quod quidem, quemadmodũ nomine notum, quoniã hiſce etiam temporibus nobis ſub eodem nomine ab Indis defertur; ſic an idem ſit cum priſcorum Xyllo Aloe, & Agalloco plenum ambiguitatis eſt. Sunt enim è poſterioribus Græcis, qui ineptè ſatis hoc ipſum cum illo herbæ amariſsimo ſucco Aloe vocato, & odore viroſo, inter medicamenta cathartica recenſito confundant; hoc faciunt Aetius, Oribaſius, Nicolaus, Mirepſus, & alij, qui dum de compoſitione vnguentorum odoratorum ſuauitate pollentium ſcribunt, eam Aloem ingredi aſſerunt, cui hepaticæ nomen tribuunt, quod indiuidualiter competit ſucco illi, qui ex herba aloe amariſsima educitur; quod ſanè incongruum, & præter rationem exiſtimandum, viroſi odoris è plan-

ta ſuccum vnguentum ſuauiſſimi odoris occupare; & quod præſertim eſt peculiariter reſpicit; & ſic viroſum ſuccum in eius compoſitione inſticamenti ingredi, quod ad cordis ſubſidium concinnatum eſt, prout ſcitiſſimè notabat doctiſſimus Salmaſius in Exercitationibus Plinianis in Solinum p. 1055. & quamuis eruditiſſimus Brodæus ſuſtineat contra Salmaſium contrariam opinionem; quia non viroſum, ſed fragrantem habere hepatices Aloes odorem; hoc præterquamquod ſenſui refragatur, ſic nec Dioſcorides ipſe Aloi ſucco ſuauitatem odoris adſcribat; Marcellus enim In Notis ad Theophr.
Virgilius vertit ex Dioſcoride Aloem grauiſſimè olere, ſic & Saracenus graueolere ait; & ita Matthiolus, & Ruellius; & Botanici ferè omnes faciunt; ità ut catharticam aloëm ſuaueolentem dicere ſit contra ſenſum, & contra auctoritatem Dioſcoridis affirmare. Iſidorus in originibus, dum Lib.17.c.8.
de ligno Aloe loquitur, habet; *Aloem India, atque Arabia gignitur arbor odoratiſſimi, ac ſummi; denique lignum Aloe vice Thymiamatum dum altaribus adoletur*; de aloe verò ſucco loquutus habet, aloem herbam amariſſimi ſucci eſſe, immò cum papauere, colocynthide, elleboro, ſimilibuſq; plantis annumerat; & quemadmodum ex omnium conſenſu aloe lignum diffe- Eod.lib.c.11
rentiſſimum eſt ab aloe ſucco illo amariſſimo; ſic unumquodque horum ad diuerſa uſurpari, vireſque differentiſſimas habere manifeſtum eſt, nec aloes ſuccus inter aromaticas plantas reponitur à Dioſcoride, licèt odoratus ſit, nam aliud eſt odoratum eſſe, aliud verò ſuauem odorem emittere. Dioſcorides ipſe de Agalloco loquutus in primo lib. cap. 21. vbi ſuaueolentes plantas conſiderat, fatetur Agallocum ſuauis odoris eſſe, & collutione, aut maſticatione probum halitus odorem conciliare; & ſub pulueris forma toti corpori inſperſum eidem gratum odorem indere; item ò ſuauioris odoris gratia in Thymiamatibus, & ſuffimentis thuris loco uſurpari: hinc arrepta occaſione quidam, ut in ſcirpo nodum quærant, carpunt Dioſcoridem, qui dixerit agallocum lignum thuris loco ad ſuffimenta adhiberi; quaſi illud vilioris pretij fuerit thure ipſo, cùm contrarium tamen conſtet. Cæterùm nihil aliud ſibi vult doctiſſimus vir hiſce verbis, quàm nobis innuere odorem eiuſdem ſuauiſſimum, ob quam conditionem inter Deorum ſuffimenta loco thuris adhiberi poſſit, prout ab antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe videor, ut inferiùs patebit; & ut rectè notauere Brodæus, & Salmaſius, aloes verò plantæ ſuccum catharticum ad alia multa exhibet Dioſcorides, non verò ad odorem vel excitandum, vel conciliandum. at profectò Aloes lignum ob ipſius odorem ſuauiſſimum à primis ſæculis ſummam exiſtimationem ſibi vendicauit; non uno enim loco ſacræ ex Spiritu Sancto conceptæ literæ teſtantur; Chroniſta enim diuinus Moſes antiquiſſimus, qui ſupra excidium Troiæ pluſquam ducentos ex Palmerij, & Lucidi computationibus floruit, ex ani- Salm. in annot. Plinian. in Solinum.
maduerſione Salmaſij, Cluſij, & Brodæi numerorum cap. 16. habet de ligno Aloes. (Arborum aloes quas plantauit Deus) forſan hinc fluxit, Cluſij in annot. in Garz. Simpl. ex opti cor. Indor.
quod à quibuſdam circumfertur, hanc præſtantiſſimam arborem nullo alio in loco reperiri, quàm in illo terreſtri Paradiſo vocato diuino nutu à ſæculorum primordijs conſtructo, cuius ligni fruſtula quædam, quæ ad nos Brodæus in not. ad Theo.
deferri ſolent vetuſtate marceſcentia, & collapſa in fluminibus ſubiectis

locum illum amœniſſimum irrigantibus, dum diuerſas Indiæ partes præterlabuntur, & alluunt, ab incolis tamquam quid ſummè pretioſum colligantur, & uſui venuique deſtinentur; quod ſanè merè fabuloſum eſt, nam quemadmodum, ubi hic Paradiſus ſit, omninò ignoratur; ſic ex ſcriptorum doctiſſimorum animaduerſione manifeſtè cognoſcitur, à quo loco modò agallocum deferatur; prout Garzias, Ludouicus Romanus, Odoardus Barboſa alijque quamplures tradidere; & multò ante hos ſuperioribus ſeculis innotuit ex Arriani, Eritrei Periplo, qui aloem (loquitur de ligno) ex Arabia felici, & ex Indijs comportari in Cariæ Emporio ſcripſit, & in Arabia etiam felici gigni credat. Quod ſi verum eſt, non eſt improbandus Dioſcorides, qui dixerit lignum Aloes ex Arabia etiam deferri; ex Recentiorum ſententia, præſertim Garziæ, legitimum lignum ex Malacha, & Sumatra tantummodò deferri habemus; in quibus regionibus acceſſus periculoſiſſimus eſt ob maximam Tigrium copiam. Verùm in alijs etiam conterminis locis naſci creditur, ſed quod tamen ſylueſtre appelletur, & non tam ſuauis odoris ſit. Cæterùm quod lignum aloes, non verò aloes ſuccus ab antiquiſsimis ſæculis in Thymiamatibus uſurpatum fuerit, ex ſapientiſsimo Regum illo Salamone facilè probari poteſt, qui in Cantica Canticorum cap. 4. hæc habet. *Cypri cum nardo, nardus & Crocus, fiſtula, & cinnamomo cum vniuerſis lignis Libani, mirrha, & Aloes, cum vniuerſis primis vnguentis.* Et in libris prouerbiorum cap. 7. legitur, *aſperſi cubiculum meum mirrha, & aloe, & cinnamomo*, ità ut certè de nullo alio habendum ſit, quàm de aloes ligno loquutum; & per conſequens dum de odoratis unguentis, vel cor ipſum inſpicientibus malagmatis ſermo ſit de aloe ligno, non de ſucco hepatica vocato intelligendum veniat; ac proinde ſtatuendum, malè eos feciſſe, qui hæc duo diſtinctiſsima ſimplicia confundunt; quibus ſanè viris illud tandem ſubterfugium minimè fauet, deductum ex Ioannis Euangelio de Sepultura Chriſti Domini, dum aſſerit Nicodemum attuliſſe mirrhæ & aloes quaſi libras centum, ut de aloe ſucco inquiunt accipiendum ſit, qui corpora incorrupta cum mirrha ſeruare valeat. Cæterùm hæc procul dubio ad pollingendum Chriſti corpus allata fuere; ſubdit etenim Chroniſta ſacer, *acceperunt enim corpus Ieſu, & obuinxerunt illud linteis cum aromatibus* (ſicut mos eſt Iudæis ſepelire) mos enim condiendi mortuorum corpora ab Ægyptijs ad Hebræos migrauit, non tamen omninò integrè; illicitum enim exiſtimauere ſuorum defunctorum corpora medicato funere Ægyptijs per omnia ſimili cohoneſtare, ne ſcilicet circa illorum cadauera carnificinam exercere viderentur. Secus verò Ægyptijs non ità ſcrupuloſè agentibus, qui ut mortuorum corpora ſuorum per ſæcula incorrupta ſeruarent, præmiſſa lotura exenterabant, tum detractis è cauitatibus manifeſtis mollioribus, ac craſsioribus partibus, eas priùs ſale, nitroque per plures dies abundè infarcientes pharmacis aromaticis replebant, toto inſuper cadauere pulueribus odoratiſsimis inſperſo, & conſimilibus unguentis delinito, tandemque ipſum Biſsinis, linteolis, tæniolisque tenuiſsimis undequaque replicatis ſatis arctè ligabant. Verum, hoc pollingendi cadauera concinnandique defunctorum corpora munus pulueribus, unguentiſque pretioſis, & faſciolis colligandi, non hæbreis

tantum

tantùm familiare fuit, qui ab Ægyptijs, non omninò tamen ſimili modo, ut ſuprà dictum eſt, didicere, quia neque exenterabant, nec partes craſſas,& viſcidas detrahebant; ſed etiam priſcis Græcis,& Latinis quoque; Lauacrum namque, & uncturam cognouit Homerus in Patrocli funere; 6. Iliadis. cognouit & Anacreon Antiquiſsimus Poeta, quod etiam hiſce verſiculis Ode 6. expreſsit.

Tumulus quod eſt, quod vngas
Vel humo, quod ebibende,
Peritura doctrina fundas.

ſic Ennius Romanus Vates de Tarquinij Regis funere locutus hęc habet.

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & unxit.

hoc quidem cadauera lauandi munus priſcis illis temporibus defuncti neceſſarijs deferebatur fœminis; poſtmodum delegatum etiam viris particularibus ab officio pollinctoribus appellatis; hinc manifeſtum apparet, Plinium excuſari non poſſe, dum aſſerit odorata vnguenta à Perſis ad Latinos à victoria Alexandri Magni contra Darium fluxiſſe, dum is eiuſdem ſcrinia vnguentis pretioſis referta ſimul cum alia præda recepit, & ab eo tempore,inquit, vnguentorum odoratorum luxuriam Romanis inuexiſse. Cùm multò ante Alexandri tempora unguentorum odoratorum cognitio mundo emerſerit. igitur ex iam dictis cõſtare videtur, quòd cùm hæbreis mos non eſſet eatenus condiendi defunctorum ſuorum corpora, quatenus per ſæculorum ſeriem incorrupta ſeruarentur, ſed ijsdem ſatis fuiſse odoratis unguentis & pulueribus ea delinire; & faſcijs obligare ad cadauerum nidorem vitandum; ſub qua ratione opus non erat ſucco aloe uti, quo neque ſolo Aegyptij utebantur, niſi cæteris quibuſdam remixtis, alijsque præmiſsis; uti tamen poterant ligno aloe odoratiſsimo aromate, & alijs ſuaueolentibus pulueribus, ut funus odoribus pretioſis cohoneſtaretur, qui ſanè mos etiam vsurpatus fuit in his cadaueribus, quæ comburi conſueuerant, vt uſtrina nidoroſa rogi gratis halitibus emendaretur; conſtat enim ex ſacra Geneſi Patriarchæ Iacob Corpus à filio Ioſeph Ægypti Pro-Rege aromatibus conditum: & forſitan in eo vera Aegyptia conditura vſurpata fuit. Secus de Ioſeph cadauere, qui non corpus poſt obitum ſuum; ſed oſſa in patrio ſepulchro deferri iuſſerat. quod demum ſi quis denuò arguat ſæpiſsimè in ſacris paginis, dum de Aloe mentio fit, cum eo copulari myrrham, cuius vires ſunt incorrupta corpora ſeruare;ſatis dixiſſe ſit Myrrham illam,quæ etiam gutta & ſtacte vocabatur, eſſe pretioſiſsimum illum ſuccũ, qui ſponte à Myrrha efdait, de qua ſæpiſsimè fit mentio in ſacris paginis,& inter pretioſiſsima odoramenta reponitur: immò à priſcis unguentarijs non solùm expetebatur, ſed paſsim etiam in thymiamatibus uſurpabatur; quod de Aloe viroſo ſucco cum Myrrha ſelectiſsima copulari, & odoratiſsima dici nõ eſt opinandum, qui ſuccus viroſus in Aegyptiorum cadaueribus cum Myrrha gregaria commiſceri datum erat ad arcendam tantummodò putredinem, non cum illa ſelectiſsima lacryma Myrrhæ, ſiuè ſtactæ. Sed forſan vsque adhuc magis calamo indulſimus, quam par ſit, vt inconueniens non ſit à beneuolo lectori veniam petere. Cæterùm Agallochi variæ circunferuntur

tur differentiæ, quarum præſtantior exiſtimatur, quæ ſuauiùs olet, & ad eius temperamentum quod attinet, Botanici eidem aſſignant tertium gradum caloris cum pari ſiccitate. Vires Agallochi præter eas quas à ſuauitate odoris ſibi arrogat, & à Dioſcoride produntur, ſunt radicem vnius drachmæ pondere ſumptam ſtomachi imbecillitatem, & grauedinem à ſuperfluis humoribus corrigere; lateris & iecoris doloribus vtiliter opponi; ex aqua ſumptum Dyſentericis aluique tormin ibus opitulari. Addunt aliqui, puluerem utiliter inſpergi ad arcendos inutiles ſudores uniuerſales totius corporis, quod de ſudoribus ſymptomaticis habendum, quos importunè manantes cohibet; tandem idem Dioſcorides habet ventriculi duros tumores ſoluere.

De Cinnamomo, deque Caſsia Lignea.

CAPVT CCXVIII.

Plura Fabuloſa Veteribus de colligenda Caſsia & Cinnamomo ab impoſtoribus impoſita oſtenditur. eſſe indicam Arborem non Arabicam, deſcribitur ex Recentiorum obſeruatione ab vna eademque Arbore colligi Canellam, Cinnamomum, & caſsiam ligneam, ſiue odoratam. temperamentum affertur, vires adducuntur.

IMpoſuit priſcis illis ſæculis non ſemel ſcriptoribus rerũ exoticarum remotiſſima regionum diſtantia, à quibus eædem cùm vehebantur, & præſertim aromatum pretioſorum, quæ præ cæteris temporibus illis, iam luxu perditis auidiùs expetebantur; & præcipuè circa earum originem, inuentionem, & modum colligendi; equidem plura, & ſanè incredibilia à rapaciſſimis illis vendacibus circa ea confingebantur, vt mercibus ſuis maiorem exiſtimationem conciliarent, ac proindè immane quæſtum faciliùs ſibi compararent; & ſic honeſto, ſpecioſoque prætextu auiditatem ſuam velarent. hoc euidens fit in ijs, quæ de Baharas olim, Acmenide, Aglaophotide, Aethyopide, Caſſia lignea, Myrrha, & ſimilibus, quæ licèt merè fabuloſè extiterint, attamen vel ab Herodoto, aut Ariſtotele, Theophraſtove, Ioſepho Hæbreo, & alijs relata ſunt. nam cùm ob maximam regionum diſtantiam, vbi pretioſæ res illæ naſcebantur, earum cognitio obſcuriſſima reſultaret, nam ſi Plinio fides habenda, iter illud niſi integro quinque annorum ſpatio, & cum maximo vitæ diſcrimine conficiebatur, nil mirum ſi Clariſſimi illi Viri ab ipſis mendacibus delatoribus falſa pro veris credere coacti fuerint. habet namque Herodotus Caſſiam Arabiæ palude non alta naſci, in qua degunt alatæ feræ, Veſpertilionibus ſimiles, ſtridore diro, & viribus præualentes, adeò ut qui eam colligere deſiderabant, priùs totum corpus, tum faciem, præter oculos, corijs, alijſque pellibus communirent, ab oculis feras arcentes, ſicque aroma iſtud decerpebant. at longè mirabiliori artificio, aſtuque Cinnamomum obtinebant, quod ex differentiſſima à caſſia arbore deſumi ſtatuebãt; immò fatebantur locum, ubi naſceretur, ſibi ipſis ignotum eſſe; attamen inquit Herodotus

rodotus plures credidere in illis regionibus produci, vbi Dionyſius educatus eſt; aſſerebantque huius aromaticæ arboris feſtucas, & ramulorum fruſtula colligi tantùm à quibuſdam magnis alitibus, quæ pullis ſuis nidos Cinnamomi ſurculis parabant, quos impræruptis montium iugis contexebant. hinc factum erat, vt Arabes, qui Cinnamomi fruſtula illa, quæ in nidorum auium conſtructione eeſſerant, potiri cupientes, tali arte voti compotes fiebant; Bovum namque, aſinorumque, & aliorum iumentorum, minutim conciſa membra prope locum, vbi alites illæ nidificabant, comportabant, indè diſcedentes intra latibula deliteſcebant. Interim volucres illæ, viſa præda, ad ipſam veluti ad ſecurum aucupium conuolabant, qua roſtro, unguibuſque recepta ſenſim, & non ſemel ad ſuos pullos in nidis deponentes portabant, donec nidi ipſi fruſtulis carnium ſuſtinendis impares facti diſijciebantur in terram decidentes, quo animaduerſo à Cinnamomi venatoribus, qui non longè latitabant, fruſtula delapſa diligentiſſimè colligebant. Ariſtoteles tamen habet, nidos hoſce ex Cinnamomi ramulis confectos ab Arabibus plumbeis ſagittis peti & decuti, aſſeritque aues illas Cinnamomos vocari. hæc tamen Arabum vafricies temporibus Plinij, vt ipſe fatetur, detecta eſt. Cæterùm modò compertum eſt utrumque Aroma, Caſſiam ſcil. & Cinnamomum, non è diſtinctis arboribus, ſed ab una eademque arbore decerpi, nec inter ſe eſſentialiter differre, quod ex Garzia, alijſque Recentioribus ſatis conſtat; & falſiſſimũ eſſe, quod priſcis temporibus circa harum collectionem, inuentionemque circumferebantur. hinc factum eſt, quòd illa magna exiſtimatio, quæ olim hiſce plantis deferebatur, magna ex parte deſierit, cùm iter noſtris temporibus præſertim, facta comparatione cũ anteactis ſæculis, ſatis breue repertum ſit, & felices illas regiones, harum pretioſarum ſtirpium feraces, nobis longè magis peruias redditas eſſe; immò contra Antiquorum placita concluſum, Cinnamomũ non eſſe Arabicam arborem, quod ex Garzia, Ludouico Romano, Carolo Cluſio, Rhenodæo, Donzelioque, alijſque quampluribus claſſicis auctoribus palam fit. & verum Cinnamomum naſci in India ſtatutum prope lineam æquinoctialem, quamuis non in vno tantùm loco; dicunt proinde canellam, cinnamomum, & Caſſiam odoratam, eſſe cortices ab una eademque arbore delibratas, hac tamen intercedente diuerſitate, vt Cinnamomum cum canella noſtra vulgari idem ſit, quæ ſic appellatur à forma, adeòque præſtantioris conditionis, & maioris ſuauitatis, à qua canella, ſiuè cinnamomo dicta recedit caſſia, quæ inter mandendum aliquam glutinoſitatem præſefert, quæ in cinnamomo non percipitur. Et licet Veterum plures opinati ſint delibratum corticem, ex minoribus arboris ſurculis cinnamomum vocari, & ex craſſioribus arboris eiuſdem ramulis magiſque lignoſis detractum corticem caſſiam appellari, odore, & præſtantia inferiore à cinnamomo, ac proindè ſic collectus cortex à diuerſis eiuſdem numero plantæ partibus varietatem nominis efficere; Garzias tamen, & cum eo ſuprà relati auctores exiſtimant, tam caſſiam, quàm canellam, ſiue cinnamomum ex eiuſdem generis arbore manare, & eodem modò colligi, delibrato ſcil. ſurculorum cortice; Cinnamomum tamen eſſe caſſia

Lib. 9. de hiſt. animal. cap. 14.

ipſa præſtantius, quia colligitur in Zeilan Inſula, quæ ob climatis excellentiam cinnamomum odoratius producit; quod verò in alijs inſulis Malauar, & Iaoa gignitur, eſſe minoris efficaciæ,& odoris, & caſſiam vocari: hoc tamen animaduertendum, vt dummodò cinnamomo vero, ſeu canella non careamus, inefficioſum, & ſupernacaneum eſt vti caſſia lignea. Cæterùm etiam arboris figura,à qua canella deſumitur recentiorum diligentia nobis innotuit, vt deinceps ampliùs de eius vera conditione hæſitandum non ſit. deſcribunt enim arborem Lauro ſimilem, quæ quidem ſimilitudo Cardano impoſuit, adeò vt affirmaret, Cinnamomi arborem eſſe plantam Lauro congenerem, cùm tamen potiùs aurantij,quàm lauri ſimilitudinem gerat, cuius etiam folia magis aurantio malo quàm lauro ſimilia ſint; folium enim Cinnamomi latius eſt Lauro ipſa, minùs durum, & virore diluto magis præditum; flores Cinnamomi albi ſunt,à quibus Baccæ prodeunt oliuæ fructui conſimiles, ſed minores, initio virides, mòx rubeſcentes, & ad maturitatem perductæ nigro colore infectæ, intus nucleum condentes oliuæ inſtar. Temperamentum Cinnamomi Botanicorum communi ferè conſenſu calidum ſtatuitur, & ſiccum in tertio gradu, ſi præſertim in ſuo vigore conſtiterit. dubitat enim Garzias, an eiuſdem vigor diutiùs perdurare valeat, dum Galeni ſententiæ non aſſentitur, qui Cinnamomum incolumes ſuas ſeruare vires aſſerit ad quadrageſimum uſque annum. Ophmannus tamen Galeni ſententiam tuetur, dummodò tamen diligenter collectum ſit, atque aſſeruatum; quo in caſu & ego poſſibile fore crediderim; continet enim in ſe aliquam glutinoſitatem, quæ durabilitatem virium non leuiter indicat. Vires à Dioſcoride Cinnamomi variæ produntur; vrinam enim ait & ciere, & menſtrua excitare, fœtumque mortuum cum Myrrha in potu, vel in peſſo adhibitum extrudere; habere, aſſerit,vim coquendi, & emolliendi. at quomodo emollit, ſi humido deſtitutum eſt? attrahendo forſan ad partem humiditates, & attractas ſubadſtringenti ſua vi in partibus ſiſtendo, vel ſuo calore eaſdem partes ſoluendo. Venenis & aſſumptis, & ictu, vel morſu inflictis aduerſatur; oculorum caligini occurrit, attenuatque; lentiginum maculas, & ex ardore Solis indutas delet; fluxionibus, tuſſibuſque prodeſt; Vrinæ difficultatibus, & renum vitijs vtilitatem affert; hydropicis confert; habet Dioſcorides tandem Cinnamomum pretioſis vnguentis admiſceri.

De Amomo.

CAPVT CCXIX.

Amomo veterum nos carere pro certo ferè habendum; vſus eius in vnguentis expetitus: Fuchſius notatus, non eſſe Roſam Hiericontheam, neque Geranium pes columbinum, temperamentum adducitur.

AMomum exotica planta odoratiſſima ſummoque in pretio à Veteribus habita, cinnamomo in noſtra recenſione ſuccedit, tum quia viribus, temperamentoque Cinnamomo accedat, tum quia ſcateat odo-

re fragrantiſſimo; priſcis enim illis temporibus nullum pretioſum vnguentum, vt ex Athenæo conſtat, & ex eodem notabat Salmaſius, conficiebatur, quod Amomum non reciperet; ætas enim illa tota dedita erat in vnguentorum odoratorum ſolertiſſima cura, vt viuentium corpora etiam de longinquo bene olerent, & mortuorum quoque ijſdem delinita non malè nares afficerent. inter cætera vnguenta illud quod Amomum recipiebat, deligebant; ad quod reſpexiſſe videtur Martialis, dum inquit.

Tandemque beatulus alto,
Componitur lecto craſsis lutatus Amomis,
Extendit in porta rigidos calces.

Vtcumque tamen fuerit, de huius aromatis æſtimatione tanta ſæculorum elapſorum vecordia fuit, vt huius præſtantiſſimæ plantæ, & ſic in medica facultate neceſſariæ, vera notitia obſoleuerit; ut modò clariſſimi Botanici in eius genuina cognitione rimanda non leuiter inſudent, & ſæpè, ſi dijs placet, plantas toto cœlo ab Amomo diuerſas pro legitimo obtrudere contendant, ſuamque opinionem non ſemel cum artis iactura tueri velint, cùm tamen, ut verum fatear, nobis non ſatis conſtet, an fructus ille, qui pro Amomo in officinis proſtat, ſit Veterum Amomum, cùm nec noui Indicarum rerum indagatores quidquam adhuc certi afferre valuerint, & debilibus ſanè coniecturis innixi ſint; & hoc quidem, quia Dioſcorides in deſcribendo Amomo ſatis ieiunè ſe præbuerit; immò quod is de Amomo ſcribit diſcordantium opinionum cauſam exhibeat; etenim ſi à priſcis illis locum petamus, ubi naſcebatur Amomum, reſpondet Theophraſtus Mediam eſſe, huiuſque parvulum fruticem obſeruari odoratiſſimum, & unguentorum pretioſorum materiam neceſſariam præbere. Dioſcorides verò ex Armenia, Ponto, Mediaque deferri habet; nulla interim Indicarum regionum facta mentione; an ſcilicet ibi naſceretur, an aliunde ad eorum regionum Emporia comportaretur; eſſe tamen aſſerit fruticem cum Theophraſto (addit) in uvæ modum ſuo ligno conuolutum, & in ſe ipſum habere florem parvum inſtar violæ albæ, folia verò vitis albæ ſimilia. hinc procul dubio ex eodem Auctore colligitur, illis temporibus lignum huius fruticis, non fructum in vſu fuiſſe, nam ad electionem eius quod ſpectat, dum conditiones deſiderandas affert, eligendum ait aureo colore, ligno fuluеſcente, valde odorato. Plinius verò Amomum ex Armenia, Ponto, Mediaque deferri ait, & eſſe odoratiſſimam vnguenti materiam; Galen. autem dum Theriacam iuxta deſcriptionem ſenioris Andromachi examinat, expreſsè ex Armenia & Ponto deferri tradit; vt ex ijs ſatis rationabiliter inferri poſſit, natale Amomi ſolum eſſe Armeniam, Pontum, Mediamque, quamuis Theophraſtus huic frutici aſſignet præter Mediam, vbi progignatur, etiam indicum ſolum; vt hinc ſanè maior emergat admiratio, quia cùm in præſenti ſæculo Indicæ regiones magis perviæ nobis redditæ ſint, nihilominus facta per Viros Clariſſimos diligentiſſima perquiſitione, omnis eorum conatus inanis euaſerit; ità vt fateri cogantur, nos modò hoc genuino præſtãtiſſimo aromate carere, quod ſi extaret, omiſſis incertis ſuccedaneis, Antidotus illa pretioſiſſima facilius, & felicius conficeretur. opinatus tamen eſt Fuchſius Galenum voluiſse,

Lib. 1. cap.

Lib. 12. c. 13

1. de Antid.

luiſſe, ex Andromacho in compoſitione Theriacę non Amomum Botryoidem vel Botryoſum eſſe, ſumendū; ſed & Amomū, & etiam Botrydem herbam notam, ut ſic Botryoſum, non ſumatur ibi pro Epitheto Amomi, ſed pro planta ab Amomo diſtincta. falli tamen Virum Clariſſimum ita manifeſtum eſt, & legenti textus Galeni ita facilè apparet, ut non egeat confutatione. Putant alij Amomum eſse parvulum illum fruticem lignoſum, & in ſe conuolutum, qui Hierici Roſa, ſiue Roſa Hiericontea appellatur, cuius exiles ramuli in ſeſe conglomerantur, & in quorum extremo ſemen granis Sorghi ſimile adhæret; falſitas tamen huius opinionis ex eo conſtat, quia Amomum ex omnium veterum conſenſu odorariſſimum eſt, plantula verò Roſæ Hiericonteæ nullum odorem habet; color eſt differentiſſimus, flores omninò diuerſi, immò & temperamentum, & vires diſſimillimæ. alij tandem conſiderant Serapionem, qui Amomum lingua Arabica, Pes columbinum vocat: hinc deducunt, quoniam Geraneum, Pes columbinum noſtrum odoratum eſt, eſſe Antiquorum legitimum Amomum; quod tamen euidenter falſum eſt, quia Amomum frutex eſt, Geraneum verò minimè tale, tùm quia nec inter vnguenta odorata expetitum, & quoniam diſtinctis capitibus à Dioſcoride ab Amomo Geraneum deſcribitur, quemadmodum etiam à Plinio. Et quamuis Garzias ab horto Amomum in India non naſci dicat, ſed eò à Perſis deferri, & tradat Arabibus Aſiaticis vocari Hamama, quod eorum lingua pes columbinum ſonat, vidiſſeque aſſerat ramulum huius exſiccatum, qui cum Geraneo pes columbino à Dioſcoride deſcripto congruere videbatur; cùm tamen hæc ſit nimis laxa coniectura in inſpecta exſiccata planta tantummodò tutum iudicium afferre: quantulacumque tamen ſit hæc Garziæ opinio, neque Cluſio Clariſſimo Viro, neque nobis arridet, ità vt facilè crediderim per hæc tempora vero Amomo conclamatum fore. Et quamuis Ioannes Pona varijs argumentis probare nitatur nos vero Amomo non carere; rationes tamen, quibus hoc ſuadere conatur, non ita validæ mihi videntur, vt de iam ſtatuta opinione dimoueri poſſim. Temperamentum Amomi abundè colligitur ex Dioſcoride, necnon ex Galeno; poſſidere videlicet exceſsum non leuem caloris, & ſiccitatis, & à pluribus ſtatuitur utriuſque qualitatis obtinere tertium gradum. Vires ab ijſdem auctoribus petendæ ſunt, quas nos referre inopportunum duximus, cùm eodem in præſenti ſæculo nos carere exiſtimemus.

De Cardamomo.

CAPVT CCXX.

Veterum legitimum Cardamomum eſſe Arabum Cordume ni creditur. Amati ſententia exploſa; eſſe Capſicum dicere abſurdiſſimum eſſe oſtenditur. Temperamentum affertur, vires explicantur.

EOdem ſanè Cardamomi deſiderio, quo legitimi Amomi tenemur, & ijſdem controuerſijs obſideri videtur eiuſdem conſideratio, quibus modò

modò videbatur in ſuperiori capite Amomum. Quæſtio igitur eſt, an nos legitimo Veterũ Cardamomo careamus, vel licèt accuratiſsima Recentiorum diligentia adhibita, inanis ſpes nos fefellerit. Conabimur & nos, diuerſorum opiniones perpendentes, veritatem ſcrutari, utinam nobis datum eſset Veterum legitimum Cardamomum è tenebris anteactorum ſeculorum eruere! conſiderantes, an illud, quod modò ad nos defertur, genuinum illorum ſit; vel ſi non tale, ſaltem Cardamomo genuino legitimè ſubſtitui poſſe, prout ferè omnes fatentur. Verùm de Cardamomo breuem diſputationem hîc ſubtexere non inutile omninò fore crediderim, forſan in dies curioſorum mens hiſce permota ad legitimi Cardamomi cognitionem tandem conſequendam excitabitur; quemadmodum de alijs exoticis plantis magno cum rei botanicæ incremento factum video. Cæterùm quòd Cardamomi nomen à priſcis Græcis ad Arabes deſcenderit, nullus locus dubitationi relinquitur: quod quidem magnam anſam præbet eius opinioni fautoribus, qui exiſtimant Cardamomum Græcorum idem eſſe cum noſtro. accedit, quòd Arabes loca propinqua incolunt illis, à quibus deferri Græci ſuum Cardamomum prodidere, adeoque vero conſentaneum eſt, maiorem cognitionem eius habuiſſe, & ſic facilè perſuaderi poſſit ab illis ad hos ſimul cum nomine legitimum iſtud aroma defluxiſſe; & eò magis, quia ex Recentiorum obſeruatione & temperamentum huius plantæ, & vires ſimiles cum priſcorum Cardamomo compertæ ſint. nihilominus ſi Dioſcoridis textum conſulamus, notæ, quas ſuo Cardamomo tribuit, noſtro minimè correſpõdent; videtur enim potiùs fruticem, eiuſque lignum deſcribere, quàm ſemen, prout etiam opinatus eſt Amatus Luſitanus; attamen ſemen antiquorum Cardamomum fuiſſe ex eo apparet, tum quia, quæ habet Dioſcorides, & ligno, & ſemini aptari poſſunt; & quod magis eſt, quia veteres non ligno, ſed ſemine in praxi exercenda utebantur. hoc quidem clariſſimè conſtat ex Hipp. libro de Superfœtatione propè finem, ex Foreſij verſione, habet enim Καρδαμώμου καρπὸν fructum, ſiuè ſemen Cardamomi: & licèt Plinius appellet Cardamomum fruticem, cum tamen non deſcribit, ſed de ſemine locutus tanquam de eo, quod erat in uſu, in quatuor differentias diſtinguit; primum namque viridiſsimum, ac pingue facit, acutis angulis, contumax fricanti, quod maximè omnium laudatur; proximum è ruffo candicans appellat; tertium breuius, atque nigrius; poſtremum, quod peius eſt, varium inquit, & facilè tritu, odoriſque parui; quòd ſi, quod habet Theophraſtus conſulamus, nihil ad cognitionem Cardamomi poſitiui exhibet; Galenus tamen pluribus in locis ſeminis vſum deſignare videtur; vt hinc veriſimilius ſit, etiam Dioſcoridem in ſua deſcriptione de ſemine, non de arbuſcula locutum fuiſſe, & hinc Amati Luſitani opinionem exiſtimantis Cardamomum Arabicum eſſe Cardamomum Græcorum, omninò ruere, quia antiquis illis temporibus Cardamomum, quo vtebantur, ſemen erat, non lignum, & veriſimilius eſt Dioſcoridem, licèt ſatis confusè, deſcripſiſſe ſemen non fruticem; Cardamomum enim Arabum licèt ſit ſemen, non eſt tamen ſemen fruticis, ſed herbæ annuæ, quæ quotannis ſeritur; & ſic opinio eiuſdem Amati nullo modo ſeruari poteſt. quod ſi Græcorum Cardamomi

damomi cognitio ad Arabes migrauit, non erit iſtud Arabum Cardamomum, ſed eorumdem Cordumeni, vt notarunt Viri doctiſſimi, quod apud nos eſt Cardamomum minus, & quod etiam Grana paradiſi appellatur, & quo nunc pro vero Cardamomo vtimur; quamuis Cardamomi à Dioſcoride deſcripti notis ex amuſſim non correſpondeat; ſed quoniam exoticorum horum leuiſsima cognitio apud priſcos illos Græcos opinanda eſt, ſat erit temperamento viribuſque quodammodò congruere ei quo nunc vtimur, quapropter non eſt, cur in his diſquirendis ampliùs inſudemus, cùm præſertim iam hæc prouincia à ſummis viris & perpenſa, & abſoluta ſit, ne intimiùs ſcrutantes rem, quàm par ſit, forſan magis abſurdam opinionem afferamus, quam quod fuerit eorum, qui Cardamomum eſſe Capſicum credidere, in quo & nullus odor percipitur, & inexplicabilis acrimonia, & temperamentum, vireſque diſsimiles. Si Cardamomi temperamentum inquirimus, Auicennæ ſententiæ ſubſcribendum puto, qui conſtituebat in Cardamomo caliditatem, & ſiccitatem in tertio gradu; acuties namque cum inſigni aromaticitate, immò & graueolentia clarè oſtendunt longè vltra primum gradum caloris excedere, contra opinionem Serapionis, qui primum caloris gradum eidem tantummodò aſsignabat; & ad vires quod attinet, habet Cardamomum Dioſcorides Epilepticis in aqua exhiberi, & ad paralyſim ſanandam; Tuſsientibus, & iſchiadicis prodeſſe aſſerit; necnon ruptis, & conuulſis; lumbricos latos expellere docet, torminibuſque aduerſari; renum vitijs, & vrinæ difficultatibus vtiliter adhiberi ſcit; & in vino potum ictibus, & morſibus venenatorum animalium opitulari; calculos cum lauri radicis cortice imminuere; ſuffitu fœtum necare; pſoras cum aceto curare; Antidotis vtiliter addi; & ad vnguentorum confectionem; vt ſuauem eius olentiam indigitet, adhiberi.

De Caryophyllis.

CAPVT CCXXI.

Caryophillorum locus natalis & natura perpenditur, necnon figura, priſcos eos non cognouiſſe aſſeritur. Plinius aliqua de Caryophyllis habet. temperamentum ſtatuitur ex Paulo Ægineta, & deſcribitur; vires explicantur.

INter Indica aromata quadam ſingulari exiſtimatione prædita vigent Caryophylli, quorum apud priſcos illos Græcos nullam mentionem factam fuiſſe video, neque ex Dioſcoride, Galenove quidquam de eorum natura elici poteſt, ut veriſimile ſit ob magnam diſtantiam, quam habebant cum inſulis illis, à quibus aromata deferebantur, nunquam horum

Lib.12. c.7. aromatum certitudinem habuiſſe. Plinius habet nonnulla de Caryophyllis, quæ tamen eorum naturã non oſtendunt, ut iure dici poſsit, horum ge-

Lib. 7. nuinam cognitionem à Paulo Ægineta primùm erutam fuiſſe, qui ſic loquitur, *Caryophyllum non eam habet ſubſtantiam, quæ nomine prætenditur, ſed exinata, veluti flores cuiuſdam arboris feſtucacei, & nigri ſunt, longitudine ferè digitali onorati, acres, ſubamari, calidi & ſicci in tertio propemodum ordine, qui multiplicis*

ſiplicis vſus ſunt, tum ad obſenia, tum ad alia multa medicamenta. Hinc opinandum horum notitiam ad Arabes fluxiſſe. florem igitur iſtum feſtucaceum, ſiue fructum dici putant Caryophyllum, quaſi nucis folium; licèt non folium, ſed fructus vſurpetur, qui ad maturitatem perductus ligneam quaſi duritiem contrahat. Garzias Caryophyllorum arborem lauriformem facit & magnitudine, cui aſſentitur Renodeus; Aduerſariorum auctores huic arbori aurantij folia tribuunt, Cluſius verò Salici potiùs ſimilia, aut Perſico habet, vt folium, ad magnitudinem quod attinet, variè ſe gerat; fallitur tamen Vir ſummus, dum Caryophyllum fructus rudimentum vocat, quia non rudimentum, ſed in ſuo eſſe naturali perfectus fructus eſt, cùm tradat Garzias arborem iſtam ſpontè ſua naſci ex Caryophyllis decidentibus, quæ ſpatio annorum octo adoleſcit, & in centeſimum vſque annum perdurat: flos, vt ferunt, cum fructus ſui rudimento in extremo ramulorum erumpit, conſtatque quatuor dumtaxat foliolis candidis primò, mox vireſcentibus, ſi Garziæ credimus, deinde ruffeſcente colore infectis, flos enim non durat, niſi viridi exiſtente fulcro; qui ſanè flos tanta eſt odoris ſuauitate præditus, vt cæteros omnes flores ſuperet. Temperamentum Caryophyllorum ad tertium caloris gradum, & ſiccitatis accedere exiſtimatur; & præſtantiſsimi condimenti vſum, & remedij in medicina obtinet; nam cordi, & eius affectibus opitulatur; imbecillitati iecoris, & ſtomachi ſuccurrit; Veneris ſegnitiem affert; oculis claritatem indit; obſtructionibus tollendis utiliter uſurpatur. habet Garzias Indicas mulieres ex caryophyllo aquam ſtillatitiam elicere, qua inſperſa capiti dolores eiuſdem partis à cauſa frigida ſuperare ſolent, quod etiam de puluere ſuturis inſperſo habendum.

De Pipere.

CAPVT CCXXII.

Priſcis Græcis Piper cognitum fuiſſe & in vſu habitum: genera inquiruntur. A Recentioribus tamen eius figura faciem, non à veteribus petendam eſſe. De pipere quædam fabuloſa produntur à Philoſtrato. locus natalis controuerſus. Diſtinctas eſſe arbores, quæ producunt piperis ſingula genera, nec ſola decorticatione nigrum piper album euadere. Temperamentum affertur, vires aſsignantur.

NOn eſt ferè qui hoc noſtro æuo dubitet, an legitimi Piperis genera priſcis illis Græcis doctiſsimis cognita fuerit, albi videlicet, quod à Garzia præſtantius exiſtimatur; nigri deinde, & poſtremò longi. Theophraſtus enim, qui iam patefacta via à Magno illo Alexandro ad Indicas regiones de hiſce notitiam ſatis exactam potuit habere, lib. 9. de hiſtoria plantarum, duo tantummodò piperis genera facit; rotundi ſcilicet, cui baccas laurinas ſubruffas aſsignat, & longi deinde; de albo tamen nihil habet, neque de forma arboris, à qua piper colligatur, quod in eo arguit imperfectam horum notitiam. non mirum tamen, ſi de albo nihil diſſeruerit, cùm eius raritas, quæ etiam adhuc obſeruatur, eum ipſum excuſare potue-

potuerit. habet tamen calefactoriam habere vim, & contra Cicutæ vene-
Lib.2.c.189 num vſurpari. Dioſcorides verò de pipere locutus, eſſe breuem arborem
tradit in India naſcentem; ſed dum de fructu loquitur, aliter eum deſcri-
bit ac ſeſe res habeat; putat enim vnicæ arboris vnicum fructum eſſe, qui
per initia, dùm è planta erumpit, longum ſit ſiliquæ inſtar, & ſic eo tem-
pore collectum piper longum vocari, habereque eodem tempore intus
grana milio ſimilia; quæ deinde, ſi ſinantur ad maturitatem peruenire, in
perfectum piper euadunt; at dum dehiſcit, & ſeſe pandens racemulos gra-
na ferentes promit, dum immatura ſunt, alba viſuntur; ſecùs verò de ma-
turis, quæ nigra euadunt, & ſic exiſtimat, quod horum piperum differen-
tiæ ex unica planta, immò & ſiliqua reſultent; hoc idem accepere &
Plinius, & Galenus: immò dum Plinius tentat plantam, à qua piper ema-
nat, deſcribere, in valdè abſurda labitur, dum ſcil. eam arborem Iunipe-
ro ſimilem facit, cùm tamen, vt videbimus, in omnibus iunipero diſſimilis
ſit; nec ſemen in ſiliquis phaſcolorum ſimilibus recondat; quod tamen à
ſenſu verborum Dioſcoridis non benè percepto eueniſſe videtur; quam-
uis Dioſcorides nec ſiliquas generare plantam dicat, nec in ſiliquis pha-
ſeolorum inſtar ſemen recondi; ſed habeat producere fructum oblongum
ſiliquarum inſtar, vt ex ijs innuat longi piperis figuram, quæ oblonga eſt
ſiliquarum inſtar, & eadem cum ſiliquis mediocribus longitudine; quam-
uis longum piper potiùs iulos, coryllorum æmuletur, nondum tamen ex-
Lib.11.c.7. panſorum, ut notarunt Recentiores. ſed fallitur etiam Plinius in eo, dum
aſſignat pro natali ſolo piperi eam Caucaſi partem, quæ *ſoli oppoſita* eſt,
quod etiam ab eodem Solinum accepiſſe conſtat; & ita voluiſſe apparet
Philoſtratum Philoſophum in vita Apollonij Thyanei, qui plura alia fa-
bulosa de pipere addit, prout de Simijs præſertim cuſtodientibus, & col-
De expedit. Alex. Mag. lib. 3. ligentibus piper; cùm tamen ex Arriano conſtet in Caucaſo Monte, qui
antè Paropamiſus appellabatur, & in gratiam Alexandri ab eius militi-
bus Caucaſus vocatus, nihil aliud, præter Therebinthos naſci, & Laſer-
pitium; Cætera verò montis vaſta, & arenis oppleta, & ſterilia eſſe. Im-
mò ex Recentiorum ſinceris notitijs admonemur piper longè admodum
à Caucaſo monte gigni. igitur cùm quidquam certi de plantis piperiferis
ex veteribus colligi non poſſit; harum cognitio à Recentioribus petenda
eſt; & præſertim à Garzia, & à ſolertiſſimo, *Doctiſſimoque* Carolo Clu-
Exoticorum. ſio. Deſcribit Garzias piperis plantam eſcanſilium genere ſarmentoſam,
nodoſam, exilem, & lentam, quæ niſi propè arborem aliam ſeratur, aut
pedamentis fulciatur, quibus inſtar lupulorum, vel peryclimeni ſe cir-
cumuoluat uſque ad ſummum aſcendere, nequeat conſiſtere. de forma
verò folij res eſſet ſatis dubia, nam eam conſtituere folio Betræ, aut *Be-
tlæ* eſt explicare rem ignotam per aliam magis ignotam. Garzias aſſignat
eidem plantæ folium mali punici; quod tamen non omnibus arridet; alij
Donzelius. Renodæus. Aſſyriæ mali potiùs effigiem gerere volunt; ſed Carolus Cluſius piperis
folium Cyclamini, hederaceo folio delineat, & forma eidem aſſimilari
ait, & in acumen deſinere vult; minùs tamen craſſo, licèt inæquali latitu-
dine pro varietate foliorum. pluribus item nervulis per eadem folia di-
ſcurrentibus, quæ per interualla è ſarmentorum nodis alternatim erum-

pant

pant; in oppoſita verò à folio parte fructus prodeunt granulis uvæ modo diſpoſitis, ſingulo acino proprio petiolo adhærente, ſarmentoſo cauli per eiuſdem longitudinem affabrè congeſtis, primò viridibus, donec debitam maturitatem acquiſierint, quo tempore atrum colorem ſumunt. huius iconem diligentiſſimè delineatum exhibuit Cluſius loco citato. Piperis albi verò planta ita ſimilis eſt forma piperi ſupra deſcripto, ut vix à peritiſſimo Cultore niſi fructus colore diſcerni queat. Eſt tamen non eadem, ſed diuerſa planta contra opinionem Docti Viri Iannis Antonij Saraceni, qui putat album piper idem eſſe cum nigro, & tantummodò ab eo accidentaliter differre; quia ſcil. album cortice exteriori ſpoliatum ſit, & ſit illud nigrum, & rugoſum, quo cortice ſpoliari veriſimile eſſe ait, dum feruido ſoli expoſitum nimium torretur; hoc tamen falſum eſſe conuincitur, quia in pipere albo nullum decorticationis ſignum deprehenditur, & quoniam ſi à ſola decorticatione diuerſitas reſultaret, longè maior albi piperis copia ad nos deueheretur. Cæterùm aliqua etiam differentia adeſt in planta, ob quam ante piperis maturitatem dignoſcatur; prout ex relatis auctoribus conſtat. vtrique plantæ radix eſt valde exilis, & per totum aromatica, & acris.

Piperis longi tandem plantam non deſcribit Garzias, habet tamen differre à plantis illis, quæ tam piper nigrum, quàm album producunt, prout inquit diſtat ovum à fabis; ſecus autem habet ſolertiſſimus Cluſius, qui diligentiſſimè inſpecta piperum figura ex ramulis ſimul cum fructu ſibi delatis, qui & in folio quoque tantam diſſimilitudinem non inuenit; diſsimiles tamen euidentiſsimè ſunt in fructu, quia piperis longi fructus veluti Iulum viridis coryli æmulatur, granulis per totum pediculum longiuſculum eleganter diſpoſitis. Erumpit tamen idem fructus è nodis ſarmentoſi caulis auerſa à folio parte, & folium vnicum oppoſito loco alternatim per ſarmentoſa ſpatia ſitis, à nodis producit; eget tamen eadem longi piperis planta adminiculo, quo ſe erigere poſsit. Eſt & ipſa tota aromatica, & acris, quemadmodum ſuperiùs deſcriptæ plantæ; folium tamen huius à ſupradictis piperis plantis in hoc differt, quia tenuius eſt, & virore magis diluto donatum; ſic & breuiore pediculo, & neruulis frequentioribus per folium diffuſis. Hanc ſtirpem naſci tradunt in Bengalla, & Iaoa. Cæterùm hoc genus piperis meliùs olere comperimus, ac maiorem acrimoniam obtinere. Temperamentum in quocunque piperis genere calidum pronunciat Dioſcorides, vultque vim poſsidere concoquendi, attrahendi, diſcutiendi, & detergendi. exiſtimaturque communiter tertium gradum caliditatis poſsidere, ſic & eumdem gradum ſiccitatis. Comperimus interim eorum vires medicas & à tota ſubſtantia, & à manifeſtis qualitatibus promanare. Vſus piperis condiendorum ciborum gratia à veteribus maximè expetitus erat, de quo tamen conqueritur Plinius; huius enim inquit (de pipere loquutus) nec ſpecies, neque ſuauitas inuitauit, nec vt pomis, aut baccis aliqua commendatio, ſed ſola amaritudine placere, & ob hanc cauſam ex Indis peti. ſed pace Plinij non ſola hac cauſa olim expetebatur piper; nam à tota ſubſtantia præſtantiſsimas vires habet, venenis ſcilicet ſuperandis non aſſumptis tantùm, ſed etiam ex be- *Lib.12.c.7.*

Rrrr ſtijs

ſtijs exteriùs inflictis, morſibus, vel aculeo; ob quam cauſam idem Dioſcorides aſſerit inter antidota reponi. Nicander veneno cicutæ oppoſnit, quod expreſſit hiſce verſiculis, ità redditis ex Gorrhei verſione.

In Alexipharm.

Vel piperi urticæ ſemen miſcebis acuto.

Sic in curatione veneni taurini ſanguinis epoti pro antidoto piper aptat, dum ait.

Tuque olida exactum ſtomachum radice conizæ,
Cui piper, & duri ſint germina mixta Rubeti.

Et tandem contra argenti ſpumam idem piper ceu antidotum adhibet, dum exprimit.

Rugoſumque piper ſimul intere, cumque liquore
Lenæo exhauri.

Commendat Dioſcorides piper album tamquam oculorum aptiſſimum remedium; habetque nigrum piper albo ſuauius, acrius tamen vellicare, orique gratius eſſe, ac magis aromaticum, & ad condimenta vtilius; quãuis Recentiores contrarium aſſerant. Tradit idem author ſuffuſis oculis claritatem indere, febriumque per circuitum inuadentibus rigoribus aduerſari, tuſſi quoque, & pectoris vitijs prodeſſe linctu, & in potu; quod de deſtillatione catarrhali excitata frigida, & craſſa habendum eſt; ſic & anginis conuenire cum melle docet; quod non in principio adhibitum opinandum; aſſerit flatus diſcutere, potumque cum lauri folijs tenellis torminibus conducere, & cum vua paſſa comeſtum pituitam à capite prolicere; immò habet ſedare dolores, & quod præ cæteris exoptabile eſt, valetudinem ſeruare. Exceptum piper cum pice ſtrumas diſſoluere, & cum nitro vitiligines emendare; commendat tandem piperis radicem comeſtam ad ſaliuam eiciendam, & cum ſtaphiſagria ad pituitam è capite euocandam; quam radicem etiam lienem imminuere tradit. habet Plinius uſurpatum piper in cibis appetentiam, & coctionem excitare.

De Cubebis.

CAPVT CCXXIII.

Cubebarum antiquis ignota Planta non eſſe Carpeſium, non Viticis fructum, nec ſilueſtris myrti. Locus natalis affertur; deſcribitur. vires, & temperamentum afferuntur.

QVoniam Cubebæ Indicum aroma piper, & forma & viribus æmulantur, & pharmacorum quorumdam purgantium vim ſtomacho infenſam, ventriculum roborando, compeſcere dicũtur; libuit etiã de ijs, non ita tamen in familiari vſu fructibus receptis, nonnulla huc afferre; cum præſertim ex propria temperamenti harmonia hunc locum ſibi vendicare videantur.

Antiquis Græcis ignota creditur planta, licèt apud aliquos dubitatum videam; Arabes tamen Cubebis vſi ſunt, quibus vtitur etiam Meſue in compoſitione Diamoſchi dulcis; quamuis ad harum cognitionem quod atti-

attinet, multa abſurda protulerint; Alij enim pro Carpeſio accepere, ex Argenterij ſententia; quidam pro Viticis fructu, alij pro ſylueſtri Myrto; has tamen opiniones meritò Garzias conuellit. Naſcitur frequentiſſimè in Sunda, & Iaoa, vbi apud incolas ſummam exiſtimationem obtinet; inde ad Sinenſes comportatur. Deſcriptionem plantæ, à qua fructus iſte producitur, habemus ex Garzia, qui eam malo minorem facit: circumuolui tamen habet circa proximas plantas inſtar hederæ, aut piperis; vt neſciam, quo ſpiritu ductus doctus vir, malo ſimilem plantam cubebarum dicat. Aſſignat idem author huic plantæ folia piperis, ſed anguſtiora, quæ ſarmentoſis cauliculis in hederæ morem alias arbores complectatur; ait flores albidos gerere odoratos, ex quibus fructus emergunt racemoſi, non tamen glomeratim diſpoſiti inſtar uvæ; ſingula etenim grana petiolo ſuo adherentia ſigillatim annectuntur ſarmẽtoſo cauli per longitudinem; fructus piperis figuram habent, aliquantò tamen minores; quam quidem plantam cubebarum ſylueſtrem eſſe, & ſpontè naſcentem aſſerit. Temperamentum cubebarum calidum aſſeritur, & accedere ad tertium uſque gradum caloris, cum pari aut forſan maiori ſiccitate. Cæterùm ad vires, quod attinet, cubebæ ſtomacho gratiſſimæ ſunt, & apprimè ſalutares; tonum enim eiuſdem ſeruant, caloremque partis nativum fouent, & roborant; flatus diſcutiunt, & iecur ab obſtructionum infarctu liberant; Venerem languentem ſuſcitant; uteriniſque affectibus à frigida cauſa prodeuntibus opitulari creditur.

De Mace, Nuceque Myriſtica.

CAPVT CCXXIV.

Macem, & Nucem Myriſticam antiquioribus incognitam affirmatur non eſſe antiquorum Macerem. Deſcribitur ex Garzia. locus natalis aſsignatur; temperamentum adducitur, vires explicantur.

IGnotam fuiſſe priſcis illis ſtirpium indagatoribus nucem myriſticam, moſchatam etiam ob eius ſuaueolentiam appellatam, non eſt ferè è Recentioribus, qui dubitet; ſic nec de mace eiuſdem tenui, & externo, non tamen extimo omninò inuolucro; confundere enim hoc cum macere antiquorum, eſt omninò veritati refragari; quod quidem cùm iam à pluribus & controuerſum, & determinatum ſit, non eſt quod ampliùs circa hoc aliqua de meo adducam. Verùm cùm macis, cuius vſus in medicina non leuis eſt, ratione proprij temperamenti hunc locum ſibi expoſtulet, eundem meritò proximè anteactis aromatibus ſubnectere decreuimus, & ſic concludere tam plantarum aromaticarum, quàm non talium, tertium tamen gradum caloris obtinentium, propoſitam ſeriem. Sed quoniam Macis, de quo modò agimus, putaminoſa quędam pars eſt nucis moſchatæ dictæ, quamuis hæc eadem nux obtineat à mace differens temperamentum, cùm plerique recentiorum Botanicorum ipſi nuci ſecundum tantùm caloris gradum aſſignent; nihilominus etiam de eadem nuce aliqua ex Recen-

tiorum obſeruatione ſubnectere non grauabimur. Deſcribitur igitur à Garzia arbor, à qua nux moſchata producitur, necnon à Chriſtophoro à Coſta eſſe perſico malo ſimilem, licèt breuioribus folijs ſubrotundis, ferreque fructum rotundum inſtar iuglandis, craſſo putamine obductum, qui ad maturitatem deductus, abiecto craſſiore illo exteriore cortice, ſecundo quodam tenuiore velamine contectus remaneat; qui ſanè ſecundus cortex eleganti rubore infectus, & ſuaui odore præditus eſt; interior medulla duriuſculo integumento obducitur, odorato tamen, quemadmodum ea medulla odora eſt, quæ perpuncta, aut compreſſa craſſiuſculo ſucco oleoſo ſcatet, ſuaueolente; internam hanc partem non excedere ſecundum gradum aiunt. Huic plantæ locum natalem aſſignant Inſulam Bandam, naſci tamen etiam tradunt in Molucijs, ſed ſine fructu. Plures vires medicas Maci tribuunt; traditur enim Macem viſus aciem acuere, Ventriculum corroborare, & coctionem ciborum mirificè iuvare, & uterinis affectibus conducere, quo nomine à fęminis ſummoperè expetitur. quod etiã de nuce moſchata habendum. flatus quoque diſcutere aſſeritur, vrinam ciere, & viſcera omnia roborare; oleum ex myriſtica nuce expreſſum doloribus neruorum conducere affirmatur.

Expoſceret agendorum ordo propoſitus hucuſque, ut modò ſermonem inſtitueremus plantarum calidarum in gradu tertio cum humiditate conjuncta; Verùm cùm tanta caliditas, qualis eſt ea, quæ tertium gradum explet vix cum humiditate iungi poſſit, aut ſaltem *per breuiſſimum* temporis ſpatium, quin ab ea non abſumatur; ideo natura, tanquam *quid rationi* repugnans, eas plantas non produxit: quaprópter ad explicandas illas accedemus, quæ tertium gradum frigiditatis ſimul cum humiditate obtinent, exordium ſumentes à papauere ſatiuo.

De plantis frigidis in tertio gradu, & humidis.
De Papauere.

CAPVT CCXXV.

Papauer pluribus nominibus à veteribus in pretio habitum. inquiruntur cauſæ, varia adaucuntur. genera afferuntur; de Opio & Meconio nonnulla. Vires, & temperamentum afferuntur.

NOn poſſum non mirari priſcorum illorum leuitatem, qui neſcio quo genio, aut ingenio ducti, quibuſdam rebus, nec ad alendum humanæ naturæ vtilibus, nec ad ſalutem opportunis, ſummo applauſu recipientes ſuſpexere; & communi deceptioni plaudentes, etiam quæ deſpicienda, vel ſaltem negligenda erant, & potiùs tanquam noxia ab vtilium conſortio expungenda, voluptuoſo plauſu exceperint. Inter hæc papauer extat, Antiquorum encomijs concelebrata planta, & ad voluptatem expetita, pro præſertim alimentorum condimento. fateor & ego quidem, voluptates, prout deorum munera ſunt, deſpicienda non eſſe, dummodò vitio noſtro in peſſimum finem non degenerent. ſed quæ voluptas quæſo

ex papaueris vſu percipitur? cùm eius ſemen, quo præcipuè utebantur cum cibis, nullo iucundo odore, nullo grato ſapore prędicum ſit; vel ſaltem quod nam vtilitatis genus ex eo percipiendum, quod ex plantis alijs ſimili temperamento præditis innoxiè expectari, aut percipi nequeat; cùm ex communi Doctiſſimorum Virorum conſenſu ſtatutum videam, ſuccum eiuſdem plantę viroſo odore donatum, Opium, & Meconium appellatum, quod idem eſt, quamuis diuerſum nomen obtinuerit pro modi diuerſitate id ipſum conficiendi, deleterias vires poſſidere; immò & ſemen ipſum, Dioſcoride teſte, ſi in aliqua copia hauriatur, accerſito lethargo, mortiferum eſſe. habetque cum eo Plinius, Diagoram, & Eraſiſtratum in totum eius vſum damnare, vetareque eum infundi, vti mortiferum, & per ſomnum id efficere. affert quoque idem Plinius exemplum, præſertim cuiuſdam Cecinæ Licinij Parris, & Bauvili etiam, cui valetudo impatibilis odium vitæ fecit; quod etiam alijs contigiſſe fatetur; vt profectò hoc dignum remedium potiùs Barbarorum, & efferarorum Turcarum euadat, ad libidinem eorum acuendam, aut proprium ferinum impetum excitandum, quàm demulcendum, vel tollendas curas. qui ſanè quamquam ex frequenti huius vſu naturam ad id ferendum coegerint, eius tamen noxam, ſi Bellonio credimus, tractu temporis meritò ſubterfugere nequeũt: vt ex hoc nulla alia certa vtilitas humano generi expectãda veniat; quàm eadem, quæ ex lethali Pharmaco, ex Cicuta à Thraſea Mantinenſe parato reſultabat, prout admonet Theophraſtus; vt ſontes ſcilicet vltimo ſupplicio deſtinatos minùs laborioſè deficerent. Cæterùm, vt Veteres à lapſu excuſemus, crediderim facilè ego papauer exiſtimationem ſibi conciliaſſe à ſupina priſcorum erga religionem credulitate: acceperant enim à Poetis papauer plantam eſſe Cereri dicatam, & in eius tutelam receptã, ideo tanquam quid Venerabile, ſacrumque conſiderandam, & inter utilia cerealia reponendam; ſic Callimachus antiquiſſimus Poeta fingit Cererem papauer manu geſtare; in Hymno enim Deæ à ſe conſcripto ſic loquitur Lib.20.c.18 Alpinus de Med.Ægyp. In obſ.c.15. 9.de hiſt.pl.

----- accepit manu

Coronas floreas, & papauer.

Immò in Eleuſine ſacris præter cætera myſteria, quæ in illis myſticis Ciſtis recondita erant, & quæ quarta die à fęminis religioſè circumferebantur; aderant mala punica, hedera, & papauer, aliaque multa, quæ recenſentur à Clemente Alexandrino in Proptreſtico; At cur papauer Cereri ſacrum euaſerit, etiam ex Phornuto accipiendum, qui dum de Cerere ſcribit, omnia ſupradicta diligenter recenſet. Hinc forſan Columella deduxit papaueris Cereale nomen, dum inquit, Lib. 10.

Allia tum capis Cereale papauer anetho
Iungite.

Sic etiam Virgilius papauer Cereale vocauit dum ait, 1. Georg.

Necnon & lini ſemen, & Cereale papauer
Tempus humo tegere.

Vbi Seruius in Commento non unicam affert cauſam, cur Cereri papauer commendatum videatur, vel quia uſui ſit, ſicut frumentum, vel quoniam

quem

quemdam Michonem Athenienſem à Dea adamatum dicant, & in papa-uer conuerſum; vel poſtremò, quia ob raptam ab Orco filiam Proſerpinam, cùm vigilijs moleſtiſſimis eadem Dea premeretur, guſtato papauere, & in ſomnum delapſa curas demulſerit; quę poſtrema cauſa potior fuiſſe videtur, ſuppoſita plantæ narcotica vi; ut ob hanc cauſam in eius tutelam tranſierit. Sub qua etiam ratione video ab Orpheo antiquiſſimo Vate papauer ſomno in ſuffimento deſtinatum, ad quod reſpiciens Ouidius, Noctem papauere coronauit, prout ex his verſiculis elicitur.

In Hymnis.
3. Faſtor.

Interea placidam redimita papauere frontem
Non venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.

Tanta à veteribus exiſtimatio papaueri tributa eſt, vt etiam ad res amatorias idipſum nimis ſuperſtitioſè traduxerint, & ex eius folij ſonitu (quod Thelephyllom vocabant) bonum vel malum omen, propitij videlicet amoris futuri, aut contrarij deſumerent; quod ex Theocrito manifeſtè colligitur, dum ſic canit.

3. Idil.

Intellexi nuper cum quærentem an me amaret
Thelephyllom, alliſum non edidit ſonum
Sed fruſtra in tenero cubito exaruit.

Cuius ſignificationis ſi quis plura ſcire cupit, adeat Theocriti Scholiaſten cit. loco, ad quod forſan alluſiſſe videntur priſci, dum Amorem papaueris capita manu geſtantem effinxere; cuius dormientis Cupidinis ſtatuunculam bicubitalem Pario marmore affabrè ſatis exſculptam, manu capita papaueris geſtantis, inter pretioſa mea Cimellia recondo; quamuis hoc in amantibus vigiles curas ſomno compeſcendas etiam interpretari poſſit. Papauer tandem ganeæ addixere antiquiores, & quidem gratis, voluptuoſum cùm nihil in papauere perceperim, quod eum tali nomine nobis commendare coegerit. eſto enim, quòd Cereris intuitu exiſtimationem ob vim narcoticam contraxerit; cur tamen voluptuoſum euaſerit, aut ſibi exiſtimationem aquiſierit, vel qua cauſa inter condimenta ciborum papaueris ſemen antiquitus receptum fuerit, non video. Apicius in Excerptis ſeſamon, & papauer inter condimenta reponit; ad quod forſan reſpiciens Petronius, vt carperet quorumdam fucatas orationes quaſi nimis opiparè conditas, hæc habet; *mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaque quaſi papauere, & ſeſamo ſparſa.* Plinius quoque inter condimenta papauer ſatarum rerum ponit, cuius verba hìc apponam. *Papaueris ſatiui tria genera, candidum, cuius ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos dabatur, hoc & panis ruſtici cruſtæ inſpergitur, affuſo ouo inhærent.* & paulò pòſt habet fuiſſe apud Romanos in honore ſemper, adducto exemplo Tarquinij Superbi. Cæterùm quoniam etiam ex lethalibus pharmacis medicorum ſatagentia ſępiſſimè ad morbos profligandos remedia varia deduxit, Priſci ex papauere, eiuſque ſucco nonnulla in humanæ ſalutis ſubſidium traduxere, & præcipuè ex eo Dioſcorides plura, & ſatis utilia deprompſit, à quibus maiorem exiſtimationem papauer ſibi arrogauit, quàm quod acceperit ex eo, quòd Cereale habitum fuerit, aut inter condimenta voluptuoſa receptum. Tria papaueris genera recenſet Dioſcorides. Satiuum unum, ſiue hortenſe, ſemine candido;

Lib. 19. c. 8.
Lib. 4. cap.

do; quo quidem ganeones illi, & voluptuarij vtebantur; ſecundum ſylueſtre vocatum, & ſemine nigrum: tertium genus appellat Agreſtius, & medicatius, quia in medicum vſum magis cedebat. Recentiores tamen, præſertim Dodonęus, ſatiuum in tres differentias diſtinguit, in album, & in nigrum, quæ magna papauera ab eodem appellantur, inde in tertiam ſpeciem, quam minoris papaueris vocat; Album papauer à ſemine ſic dictum ſcapo erigitur bicubitali, & etiam tricubitali, folijs lactucæ, longioribus tamen, tenuioribus, candidioribuſque ſinuoſis, crenatis, & diſſectis; flores candidi, quatuor folijs ſatis amplis conſtantes, multifidibus, in quorum meditullio capitulum viſitur ſuperna eius parte operculo contectum, multis ſtaminibus ſtipatum & in interna ſui parte membranacea quadam ſciſſura pluribus loculis diſtinctum, in quibus copioſiſſimum ſemen reconditur candidum, exiliſſimum. Nigrum verò papauer, & ipſum ſatiuum, eſt folijs & ſcapo, conſimilibus; floribus colore purpureo eodem modo capitulum gerit ſtaminulis in ſummitate refertum, quod tamen rotundiore figura viſitur. tertium genus à Dioſcoride deſcriptum, per totum ſua figura partibuſque ſuis omnibus ipſum conſtituentibus à prædictorum papauerum generibus minus eſt, rotundiore tamen capitulo; flos quaternis folijs, & crebris ſtaminulis conſtat, colore cęruleo valdè diluto, tegitur vaſculum, ſiuè capitulum operculo, circa quod in circuitu hiantia foraminula inſunt, per quæ ſemen, dum ad maturitatem perducitur, ſpontè effluit. hoc genus in colore floris variat, nam & folijs purpureis, ſtaminuliſque viſitur, & albidis, & quandoque ex vtroque colore lepidè permixtis, vtplurimùm inciſis, qui copioſi, plenitudinem flori indunt; ſemen fert modò album, modò nigrum, pro coloris floris diuerſitate. Ex agreſti, & nigro ſemine ferenti, à Dioſcoride ſecundo loc. deſcripto, emanat liquor opium vocatum capitibus inciſis; & ex eodem auctore alio modo etiam ſuccum ipſum depromebant tuſis ſcil. ſcapo, folijs, & capitibus, & expreſſis. hoc tamen Dioſcorides nominat ignauius, quod Meconium vocabant, quemadmodum primum opium. Ex tertio illo papaueris genere conficiebant olim medicamentum ſingulare à Galeno concelebratum, Diacodium vocatum, & alia permulta remedia medica deſumebant; ſub qua ratione à Dioſcoride medicatius vocabatur. Cæterùm papauer Poetis plurimum debet, plurimum ganeonibus, qui ad ſummum gloriæ faſtigium ipſum deduxere; ſed multò magis debere medicis videtur, qui noxium medicamentum, & inter venena repoſitum ad uſum medicum traxere, & ſaluti humanæ conducere reperere; quamuis; ut ſuprà dictum eſt, nullum venenum detur, licèt ſummè deleterium ſit, in quo natura aliquid utilitatis non repoſuerit, & ex quo medici nonnulla in bonum uſum non verterint, ſaltem pro attemperando contrariorum exceſſu contrarijs, ut inquit Hipp. contraria opponentes; ſub qua ratione papaueris ſuccum frigidiſſimum medicamentum cum Theriaca antidoto Andromachi famoſiſſima immiſcent, ut tot pharmacorum natura, quibus antidotus illa componitur, moderaretur; & ex contrariorum pugna fermentatio illa deſiderabilis reſultaret; ſi tamen Opium frigidum eſt, de quo dubitatum video. Amaror namque inſignis ille, qui in opio percipi-

In Obſeruat. 4. De Med. Ægypt. c. 2.

tur, tum odor eiuſdem vehemens, & viroſus, necnon ſenſus caloris, qui ab eo aſſumpto cum quodam faucium incendio reſultat, ſic quòd etiam flammæ admotum facilè flagret, & flammam concipiat; potiùs caloris, quàm frigiditatis euidentiſſima indicia ſunt, immò & eiuſdem caloris effectus: huc ſpectant ea, quæ habet, ſi vera ſunt, Bellonius, & quæ Alpinus, dum inquit, *Opij, quod hi Affion nuncupant, vtuntur frequentiſsimè, cui longo tempore ſic illi aſſueſcunt, vt mox etiam trium drachmarum pondus aliquantò per os aſsumere audeant, eò homines duarum horarum interuallo hilares fieri arbitrantur, promptioreſque in obeundis ipſorum muneribus, maximè quæ ad bellum, atque Venerem, & quæ ſequuntur*; quæ omnia ſunt effectus caloris, non frigoris. ſubiungit paulò pòſt, ut ancipitis opij uſum oſtendat, immò periculoſi, *an vero verè quicquam eius opij vſus conducere poſsit, non eſt, quod tibi perſuadeam, quando te non lateat ipſum prævalidum eſſe venenum, ac nullo pacto innocuum, & omninò homini nocere*. Verùm ſi quis opium ex omnium conſenſu narcotica facultate pollere dicat, & hanc actionem ubicumque reperiatur, non à qualitatibus manifeſtis emanare, ſed à tota forma, ſiuè ſubſtantia, & ideò tam cum caliditate ſtare poſſe, quàm cum frigiditate; nihilominus ſtatutum tamen video à viris clariſſimis ad eius temperamentum quod attinet, quibus ego facilè aſſentior, habere ſcil. partes calidas, & partes frigidas; quamuis partes frigidas calidis præpollere credatur. Interim Dioſcorides plura utilia ex papauere ad medicum uſum, quod attinet, excerpſit; quamuis Galenus, & plures etiam ex Recentioribus cautiſſimè utendum eo ſuadeant, etiam ad externos uſus quod attinet; & ſecundo de compoſit. per loca dicat idem Gal. dum collyria ex opio à Dioſcoride relata conſiderat tutum, nõ eſſe medicamentum; immò ibi aſſerat, multis detrimento fuiſſe, & teteriores morbos induxiſſe; & lib. 3. cap. 1. habeat, eo utendum eſſe nonniſi magna urgente neceſſitate, quoniam partes ad immedicabilem frigiditatem perducere valeat; & lib. 13. Meth. cap. ult. admoneat, quòd urgente neceſsitate, ita ut ab eius uſu abſtineri nequeat, paulò pòſt ad illa tranſitum faciendum ſit, quæ vim maleficam opij corrigere valeant, ut ex his quanta cautione papauere utendum ſit palam fiat. Habet deinde Dioſcorides, nam confundit papauer Rhoeacum papauere agreſti nigro, papauer ſcil. corniculatum, & papauer ſpumeum; quæ cùm excedere tertium gradum caloris in temperamento credantur, & per conſequens in illa frigidorum ſerie, quæ à nobis modò conſiderantur, non includantur, conſultò eorum tractationem prætermittere decreuimus, cùm præſertim ex dictis natura omnium papauerum ſatis manifeſtè euaſerit, & eorum figura ferè cunctis nota ſit, ut non egeat delineatione; cùm præſertim ad omnia commendentur, ad quæ iam explicata conducere videntur. Commendat Dioſcorides papauer in commune ad refrigerandum; in ſpecie verò habet ſomnum conciliare, decoctionemque utiliter contra vigilias bibi; immò calyces tritos cum polenta inſtar cataplaſmatis eryſipelatibus, alijſque inflammationibus prodeſſe; ſi tuſsi, & fluxionibus arteriæ ex eo medicamentum parari, quo compeſcantur cum melle, & doloribus quoque cœliacis demendis, additis ad efficaciam maiorem hypociſtidis, Acaciæque portionibus, ut ex ijs reſul-

tet

ter diacodij confectio illa à Galeno tradita, & concelebrata; habet papaueris nigri ſemen cōtra alui fluxiones, & muliebres fluores utiliter adhiberi; in peruigilijs ſumma cum utilitate aquam ex papauere temporibus, & fronti illitam imponi; aſſerit tamen ſuccum, hoc eſt Opium, ſiue Mechonium magis refrigerare, & exſiccare; planta tamen ſatiui papaueris ex communiori conſenſu obtinet tertium gradum frigiditatis, & quartum humiditatis; ſucci erui magnitudine portio ſumpta conciliare ſomnum, & coctiones iuvare ait; dolores demere, tuſſi, & affectibus cœliacis auxiliari aſſert, ſubdit tamen ſi copioſiùs hauriatur, accerſito lethargo, mortiferum euadere; habet irrigato ex eo capite cum roſaceo, dolores compeſcere, & aurium cruciatibus prodeſſe, remixtū tamen oleo amygd. myrrha, & croco. commendat in inflammationibus oculorum cum ouo, & croco, & ad eryſipelata, inflammationeſque vulnerum cum aceto, podagricis prodeſſe ait cum lacte muliebri, & croco; ſubditum ſedi in balano ſomnum cōciliare; docet inde tum opij, tum mechonij modum conficiendi, tum ſigna, quibus eorum præſtantia cognoſcatur; & tandem veterum quorumdam opiniones improbantium huius ſucci uſum, tanquam commentitias damnat.

De Portulaca.

CAPVT CCXXVI.

Plinij error circa Portulacam notatur, Deſcribitur, temperamentum & vires afferuntur.

IN pluribus conſtat hallucinatum fuiſſe Plinium in ſua lucubratiſſima naturali hiſtoria, præſertim dum plantarum quarumdam naturam cōſiderabat; ſed omnium euidentiſſimè lib. 20. cap. 20, ubi portulacam in capitis exordio Peplion vocat, & utrarumque confundit etiam vires; cùm tamen inter has plantas maxima diſcrepantia ſit, miſta etiam forma, quæ diſſimilis eſt, & ea ſit differentia, quæ ineſt inter plantas calido temperamento prędıtas cum frigidis, & quæ inter adſtringentium cum cathartieis; recenſet enim ibi vires vtriuſque plantæ, & eas omnes peplio adiudicat, quod etiam portulacam vocat, vt legenti manifeſtè apparet, ſi præſertim conferatur textus Dioſcoridis cap. de Peplio lib. 4. cum eo, quod habet idem author lib. 2. c. 100. & 50. dum de portulaca loquutus eſt. Portulaca igitur, cuius ſemen inter frigida quatuor minora ſemina recenſetur, in medicina facienda ad plures vſus recepta eſt; vocatur Græcis ἀνδράχνη, quòd videlicet cùm ſit mollitie quadam carnoſa prædita, veluti cinerea ſpuma, ſiue aſpergimine obducta videatur: Latinis portulaca dicitur quaſi porculaca, quia forſan eadem porcorum genus ſum nopere delectetur; hanc & ſatiuam, & ſylueſtrem cognoſcunt Recentiores, temperamento tamen non diſſimili, vt meritò à viris clariſſimis credatur caput quod ſequitur 151, ubi habet Dioſcorides quædam de portulaca ſylueſtri, quam ait obtinere vim calfactoriam, acrem, & exulcerantem,

illuc non benè irrepſiſſe; cùm nec iſtud ex Serapione habeatur, & Marcellus cnm Matthiolo hoc ipſum prætermiſerint, & eadem verba in hoc capite inſerta ſint, quæ habet idem author in cap. 90. lib. 4. & putetur à pluribus ibi ab eodem authore deſcribi ſnb portulacæ nomine tertium ſedi genus. Verùm ſatiua portulaca à Dioſcoride non deſcribitur, quia omnibus notiſſima planta, quemadmodum etiam nobis; noſtris enim & in acetarijs recipitur, & in iuſculis. Folia ſunt craſſa, latiuſcula, vnciam non excedentia, viridia, ſuccoſa, glabra, auerſa parte albida; caules verò promit dodrantales, craſſos, teretes, in viridi rubentes, ſuccoſos, ſplendidos, parum elatos, facilèque recumbentes; floſculi parvuli, luteo pallore colorati circa foliorum exortum, è quibus exiguum veluti vaſculum, herbaceum, ſeu conceptabulum emergit, in qno ſemen continetur nigrum, parvulum. Deſcribitur deinde ab authoribus ſylueſtris portulacæ genus; cuius tamen temperamentum controuerſum eſt, & à quibuſdam calidum exiſtimatur; ſub qua ratione cùm locum iſtum non expoſcat, & eius ſemine non utamur, ſed eo tantummodò, quod ex ſatiua colligitur, omitto conſultò eiuſdem ſylueſtris plantæ tractationem inſtituere. Satiuæ igitur portulacæ ſi temperamentum inquirimus, eam habere tertium frigiditatis gradum, & ſecundum humiditatis ſtatuimus: quod de ſeminibus etiam habendum. Iam vires ex Dioſcoride percurramus, docet enim idem author portulacam vim adſtrictoriam habere, quam tamen aut nullam, aut leuiſſimam in ea agnoſcit Galenus, & cuius opinioni *forſan ſubſcribendũ* puto. adhibet Dioſcorides portulacam capitis doloribus *cum polenta*; & oculorum, cæterarumque partium inflammationibus prodeſſe ait, necnon ſtomachi ardoribus, & eryſipelatibus, veſicæque cruciatibus opitulari; in cibo ſumptam ſtomachi, & inteſtinorum æſtum demulcere, dentiumque ſtupores tollere, & ſic in eroſionibus renum, & veſicæ vtilem eſſe; impetum Veneris compeſcere, quod & eiuſdem ſuccum operari aſſerit, & in febribus coercendis ardentibus vtilem; quod ſi diu, multùmque decoquatur valere aſſerit contra lumbricos teretes; dyſentericis, & ſanguinem expuentibus, hæmorrhoidum fluxionibus, alijſque hæmorrhagijs proficuam affirmat; vulneribus quoque, & ubi ſyderationis periculum immineat, contuſam portulacam, & clauis pedum oppoſitam utiliſſimam eſſe ex Recentiorum experimento, quemadmodum & ignibus ſacris.

De Lactuca ſatiua.

CAPVT CCXXVII.

Cur omittatur de Lactuca ſatiua Conſideratio affertur ratio, quemadmodum cur nec de ſolano hortenſi.

QVamuis Satiuæ lactucæ vires ratione temperamenti locum hunc pro earumdem notitia iure ſibi vendicarent, nihilominus cùm occaſio præſtiterit, dum de ſucco ſylueſtris lactucæ inter plantas catharticam facultatem poſſidentes in primo libro huius operis verba fecerimus,

cerimus, & ſic ſumpta occaſione de utraque lactucæ ſpecie, ſatiuæ ſcil. & ſylueſtris, ſermo inſtitutus ſit, non eſt cur hic denuò ſatiuæ lactucæ ſermonem habeamus.

De Solano hortenſi.

CAPVT CCXXVIII.

SOlani Halicacabo, ſiuè veſicarij à nobis in ſuperioribus capitibus tractatio inſtituta, occaſionem præripuit denuò repetendi ea, quæ ibi de utriuſque ſolani viribus è temperamento adduximus, & quod ratione quidem harum plantarum affinitatis incongruum non duximus, ibi enim de hortenſi ſolano ſatis dictum eſt.

De Plantis frigidis in tertio gradu cum ſiccitate coniunctis.
De Biſtorta.

CAPVT CCXXIX.

Biſtortam non eſſe Britanicam aſſeritur, non Dracontium, non Ben rubrum, aut album, deſcribitur.

SVnt, qui dicant Græcis antiquioribus Biſtortam noſtram non fuiſſe cognitam, ſed tantùm Plinij temporibus, aut paulò antè innotuiſſe, eſſeque Britanicam, qua Britanicus Tiberij nepos vniuerſis ferè exercitus ſui militibus, quodam morbi genere periclitãtibus, ſalutem reſtituerit; conanturque noſtram biſtortam, ſed vt liberè dicam non rectè ad figuram Britanicæ pertrahere, vel ſaltem ad alias plantas reducere veteribus cognitas. Cæterum Dodonæus doctiſſimè, & diligentiſſimè hanc opinionem examinat, & reclamante etiam Lobellio rejicit: etenim non eſſe Britanicam Plinij aſſerit, nec Dracontium Dioſcor. rationibus ibi adductis; & è tribus dracunculorum à Plinio deſcriptorum differentijs in nullo alio, quàm quodamodò in radicis figura conuenire poſſe videtur; attamen vt Biſtorta dracontio aſſimiletur, plura alia neceſſaria deſunt. Non eſſe Ben rubrum, neque album deinde aſſerit, quia radices Ben odoratæ ſunt, calidæ, & ad Venerem prolíciendam aptæ, quod toto cælo diſtat à biſtortæ viribus, & temperamento, alijſque rationibus ibi allatis, vbi de biſtorta agit. Veteribus igitur incognitam fuiſſe concludi poteſt. Dicitur Biſtorta non ſolùm quia tortuoſam gerat radicem, cuius partis præcipuus vſus in medicina eſt; ſed etiam quoniam folium tortuoſum non vnica in parte gerit, inflexo etiam neruulo, qui per folij meditullium per longum extenditur, quodammodò rumici ſimili, anguſtiori tamen, ſaturo viridi colorata, per ambitum ſinuoſa; auerſa verò ſui parte, cæſio colore albicans; caules edit ſubtiles, cubitalis penè menſuræ, minoribus folijs ſtipatos, in quorum ſummo ſpicam promit purpuraſcentibus floſculis compactam, ſemen paruum, triangulare, Oxalidis æmulum, ſplendens; radix

nodoſa, in nigro rubeſcens, valde intorta inſtar manus reflexorum nodotum, ſapore auſtero adſtringente, fibroſa, quæ in vſu eſt. Frigidam, & ſiccam temperamento eſſe biſtortam admouet eius guſtus, vt meritò eidem aſſignetur tertius frigiditatis gradus cum æqua menſura ſiccitatis. Vires præcipuæ ſunt peſtilentibus morbis, febrique malignæ aduerſari; reſiſtit enim validè putredini, quod tum proprio temperamento, tum etiã à forma opinandum; menſes importunè fluentes, aliarumque partium hæmorrhagiam validè ſiſtit, aluum ſupprimit, vomitum coercet, Dyſentericis opitulatur, collutione mobiles dentes firmat, inflammationibus oris collutione aduerſatur; inefficaciùs tamen operantur folia, ſeminaque, licèt ad idem commodè vſurpari poſſent.

De Semperuiuo.

CAPVT CCXXX.

Nominis ſemperuiui ratio ſtatuitur cum antiquioribus. deſcribitur. genera conſiderantur, Temperamentum & vires adducuntur.

Ἀείζωον Ayzoon Græcis nomen Semperuiui Latinis inuenit ob perpetuum virorem, quo inter cæteras plantas exultat, quod Theophraſtus innuebat, licèt rigidiore hyeme obnitente; vocatur etiam Sedum, quod quidem nomen exiſtimat Plinius latinum, quamuis ſint, *qui dicant* potiùs Atticum eſſe. huius duo genera videtur agnouiſſe Dioſcorides, quemadmodum & Galenus maius, & minus; maius inquit idem auctor naſcitur in locis montoſis, & aridiſſimis, Argilloſiſque & in ſubgrundijs quoque, aut in clibanorum ruſticanis tectis, vbi præſertim ſe ſe latè diffundit, propagatque pluribus orbiculis cuidam longo petiolo innixis, à radice emanantibus, quæ ubi ſe ſe ſiſtunt, radiculas figentes exiliſſimas, & vix perceptibiles, ſoboleſcentis nouæ plantæ fœturam exhibent, licèt etiam planta ex ſemine propagari poſſit. Folia promit verſus terram reflexa ſeu contorta, quæ quaſi circinatam baſim efformant, viridia, oblonga, craſſa, ſuccoſa, & inſtar cinaræ conglomerata, è cuius medio umbilicali frutеſcentem caulem emittit cubitalem, foliolis minoribus ab imo uſque ad ſummum idipſum ſquamatim conueſtientibus ſtipatum, qui circa ſummitatem in alas diſpertitur, ubi flores emergunt numeroſi, herbidi, purpuraſcentes; inde ſemen minutiſſimum. ſub maioris, ſiue magni ſemperuiui nomine recolitur ſemperuivum arboreum eodem modo fruteſcens, ſed elatioris, & procerioris ſtaturæ, paulòque amplioribus floribus, ramulіſque ſeriatim diſpoſitis craſſiuſculis. Minus verò, ſeu minuſculum ſemperuivum, & parvum à Dioſcoride vocatum in parietinis, inquit idem author, macerijs, & petris, necnon in ſcrobibus opacis naſcitur, cauliculis pluribus ab una radice promanãtibus, foliolis craſſis, rotundis, pinguibus, exilibuſque & mucronatis palmari elatione; flores in luteo pallidi umbellatim diſpoſiti. Plures tam à Dodonæo, quàm à Cluſio tam maioris, quàm minoris ſemperuiui afferuntur differentiæ; quæ tamen,

Lib. 7. c. 14.

men,

men, cùm non effatu dignam varietatem præſeferant, & in forma, ſiue figura, temperamento verò, & viribus conueniant, apud hos auctores conſiderari poterunt, & Iconem obſeruare. Temperamentum tam maioris quàm minoris ſemperuiui conſtituitur in tertio frigiditatis exceſsu, ſed multò minori efficacia exſiccare traditur; licèt Præuotius ſecundum gradum ijſdem ſiccitatis ſtatuat, dum humiditatem plantæ ſuccoſam ſiccitatem eneruare putat; ſic habet Dodonæus, nec malè me iudice. vires utrique ſemperuiuo pares aſsignat Dioſcorides, quæ ſunt refrigerandi, & adſtringendi, adeoque commendat folia contuſa vel per ſe, vel cum polenta applicita ad eryſipelata, & herpetes, nomaſque, necnon ad inflammationes oculorum, & ad ambuſta; podagricis etiam opitulari tradit; ſic utiliter ſuccum vel cum roſaceo vel ſine inſtillatum ad capitis dolores adhiberi: quemadmodum in potum exhibitum ad morſus phalangiorum; ſic & alui profluuio laborantibus, & dyſentericis; potum item ſuccum cum vino lumbricos teretes pellere, & fluxiones muliebres ſiſtere ſubditum in vellere aſserit; deinde inungi proficuè ad lippitudinem oculorum à ſanguine excitatam.

De calidis plantis in quarto gradu cum ſiccitate,
De Allio.

CAPVT CCXXXI.

Calidarum plantarum in quarto cenſus proponitur inſtituitur. de Allio conſideratio. Difficultates circa temperamentum adducuntur, ſoluuntur.

Extremum calefaciendi gradum, adeoque ordinem calidorum quartum obtinentium non tantùm moleſtia aliqua ſenſum afficiunt, ſed organum etiam corrumpunt excitata inflammatione, & continui ſolutione productis veſicis, & ulceribus. huic ordini inter cætera allium inſerunt, cepam, Iberidem ſeu lepidium, capſicum, cochleariam, aliaſque cognatas plantas. Ab Allio exordium ſumemus, quod forſan allium dictum putat Bauhinus ab ἀλλεσθαι, quia exiliendo creſcat; Dioſcorides Scorodon, quod σκαιὸν ῥόδον, quaſi rudis roſa propter odoris iniurioſam grauitatem, qua nares offendat. Nota paſſim Europeis planta, & in agreſtium hominum vſum præcipuè deducta. Differentiæ ratione cultus, & loci quoque variæ ex Dioſcoride. Satiuum, cuius duo genera facit; forma diſſimilia, Syluestreque cui variæ etiam ſubſtituuntur ſpecies. Cæterùm noſtras, & ferè omnibus mundi partibus ità nota eſt allij figura, vt circa eius formam nulla adſit ambiguitas, adeò ut eamdem referre ſuperfluum ſit; ſic etiam ad temperamentum eius quod attinet, cùm communi conſenſu eidem tribuatur quartus caliditatis gradus cum pari ſiccitate, circa hoc nihil conctandum: non paucas tamen circa allij vires adiunctas habent difficultates, quæ de eo à Dioſcoride traduntur, & quæ præcipuè conſiderantur à Iano Antonio Saraceno in Scolijs ad Dioſc. fol. 46. & 47. primùm quòd ſcribit allium ἐμπνευματωτικὸν inflationem ſcilicet parere, hoc verò

qui

qui fieri poteſt? cùm ſit inſigniter calidum. Gal. lib. 7. de aliment. facultatibus cauſam refert in aqueam eius, & aeream humiditatem. Aetiùs conſiderans hoc ipſum in cæpis ad παχυμερίας partium ſcil. craſſitiem reſpicit, at cum exceſſu caloris tam magno quomodo coniuncta ſit vel partiũ craſſities, vel humidi ſuperfluitas non video; etenim allium tam aſſumptum, quàm admotum flatus potiùs pellere cùm auctoritas multorum, tum experientia conuincit. Gal. equidem, vt omittamus alios, lib. 2. meth. med. allium & ἄδιψον aſſeruit, & ἄφυσον, non verò flatulentum nec illud modo, ſed inter eduliorum genera omnia flatus potentiſſimè diſcutere, ijdem lib. 1. de alim. facult. quo minùs flatulentæ ſint fabæ, cæpas, tanquã calefaciendi, attenuandiq; viribus præditas admiſit. Cæterùm ut pugnantia conciliem ſciendum, unum idemque remedium pro ratione materiæ, quam nanciſcitur, & flatus pellere, & flatus producere poſſe; diſcutit, pellitque flatus allium, ſi flatus undecumque genitos nactum fuerit, & corpus ipſum craſſioribus redundet excrementis, quæ flatibus nouam ſubminiſtrent materiam. flatus excitabit, ſi in pituitoſum, excrementitium que corpus inciderit, idque dum viſcidos, & lentos humores nimio atque excedenti calore validè attenuat, & liquat. Effectus itaque ex accidenti, & non per ſe. Porro ſitim gignere allium, vt habet Dioſcorides, prom praeſt in exſiccatione ratio, maximè ſi ventriculum pituita vacuum offenderit. attamen Gal. 10. meth. med. ſecus quàm opinentur alij, qui allium etiam cæpis ſiticuloſius arbitrantur planè ἄδιψα, *vt dixi*, eſſe voluit. Quin & Simon Sethi aſſerit allium proprietate quadam valere ad *ſedandam* ſitim ab humore ſalſo genitam; exiſtimo tamen, cùm conſtet porri, atque adeò allij ſuccum ad inflammationes oculorum vtiliter adhiberi, non diſſimili ratione effectum hunc producere quàm conſtet de nitro, vt alibi conſiderauimus: quod etiam ſi præcalidum ſit, & in receſſu igneum, tamen ſitim lenit, aſperitatem, ardoremque faucium tollit, adeòque anginoſis vtiliſſimum eſt; idem hìc cenſendum puto. Producitur autem effectus vel quòd penetrante calore ſecum abripit calorem partis affectæ, adeoque minuit, vel eumdem per ſimilitudinis rationem elicit. Sed enim appetentiam excitare, & afferre nauſeam, anne contrarij effectus? Ruellius ſanè lib. de ſtirpibus, vt Dioſcoridem à contradictione liberet, ὄρεξιν de Cupidine Veneris intelligendum arbitratur. ſecus Saracenus in commento cæpas uſurpatione cibi auiditatem excitare, immoderato verò faſtidium inuehere, aut certè qua pollent acrimonia nauſeam; porrò allium, inquit, eſt ὀμμάτων ἀμβλυντικόν, id verò facere allium equè ac cæpæ, tum experientia, tum Plinij, & Auicennæ teſtimonio ſatis palam eſt, immo Hippocr. lib. de Diæta refert, allium oculis officere eos ἐπαμβλυώττειν, propterea quod vehementiorem calidi intra oculum diſcuſſionem inducat. *De cæpa* ſanè ſcribit Gal. 7. ſimp. facult. ijs eam prodeſſe, qui ſuffuſione laborant, aut ob humorum craſſitiem oculorum aciem hebetiorem obtinent; Plinius lib. 20. cap. 5. olfactu ipſo, & de lacrymatione cæpam caligini conferre ſcribit, magis verò ſucci inunctione; & quidni oculos hebetet, eorum tamen hebetudinem ex immodica humiditate profectam emendare, & refocillare; & quod vaporoſum adeoque κεφαλαλγές. dirimitque controuer-

Lib. de viribus aeris & aqu.

ſiam

ſiam optimè Simeon Sethi allium immodicè ſumptum oculorum ſanam aciem hebetat, eorum tamen hebetudinem emendat. Tandem cùm allium Dioſcoridi perhibeatur ἑλκωτικὸν exulcerativum externæ cutis, qui fit quod aſſumptum in ventriculo ſimilem non edit effectum? rationes exponit Gal. lib. 3. de temperamentis de ſinapi pariter, ac naſturtio; primò autem ideò impedire eroſionem, quoniam alliũ cibis in ventriculo miſcetur, qui ſi temperatiores, aut frigidi ſunt, maximè corrigent inflandi, & erodendi vim; tum quia non fixum adhæret partibus internis, ſed de loco in locum promouetur, ut partibus vim ſuam impertiri non poſſit; immò cùm id calor inſitus coctionis inſtrumentum protinus alterari incipiat, fit mitius, parumque acre ob elixationem. Verùm quod ſit, ut largiter à ruſticis ſumptum, cùm horis aliquot in ventriculo eorum moretur, non lædat; exiſtimo ad duo reſpiciendum eſſe, ad conuenientiam, familiaritatemve cum particularibus naturis, quomodo cicuta capris, coturnici helleborus gratum alimentum exhibet, ita Indos ſcribit Acoſta ex omnibus Europeis mercibus allium ſeligere, quod ventriculum ipſorum roboret. Secundò ad cruſtam mucoſam ventriculi inteſtinorum veſicæ felleæ, & urinariæ, per quam hæ internæ partes ab allij morſu tutiores ſunt, quàm externæ; qui enim manum mucillagine, aut cera obductam habent impunè, vel ignem, vel ſtygias aquas tractabunt. Hydropicis utilem habet, quà urinam ciendo, quà flatus diſcutiendo, & quà pituitam attenuando, quod à proprio temperamento præſtare poſſe, quemadmodum & menſes mouere, & partum facilitare, & ſecundinas pellere, nullo in confeſſo non eſt; illud tamen quod habet Dioſcorides, canis ſcilicet rabidi morſui prodeſſe, viperæ, & hemorrhoi, araneique, muris hoc à tota ſubſtantia pendere autumandum.

De Cepa.

CAPVT CCXXXII.

De Cepa nonnulla produntur.

ALlio temperamenti ſimilitudine, ne dicam identitate, ſic & vegeta acrimonia viribuſque paribus cæpa ita affinis eſt, ut Dioſcorides ipſe coniunctis capitibus in eodem lib. conſiderauerit, adeòque cum ea, quæ de allio hucuſque dicta ſunt, utrique conueniant, eædemque ſint difficultates circa textum occurrentes, quæ ſupra de allio propoſitæ, & enodatæ fuere, ideo eas repetere ſuperfluum erit. Sic ad vires eius quod attinet, etiam minima intercidit diſcrepantia, ut eas hìc non referre ſtatuerim; unum tamen animaduertendum eſt, cæpas venenatis morſibus ſanandis nihil conferre, ſuccum tamen eius ambuſtis, quod experimento tentato manifeſtum, utiliter adhiberi.

De

De Iberide, vel Lepidio Dioſcoridis.

CAPVT CCXXXIII.

An Iberis Lepidium ſit aſſeritur Galeni teſtimonio. Temperamentum adducitur, vires explicantur.

ADſcribuntur recenſitis generibus Iberis, & Lepidiũ, dummodò tamen duobus hiſce nominibus unum & idem non importetur; item naſturtium, ranunculi, Capſicum ſimileſque plantæ quorum modò lepidium, ſiue Iberidem Dioſcoridis deſcribendum ſeligimus.

Sunt viri eximij inter botanicos, qui exiſtimant iberidis mentionem in primo operis Dioſcoridis lib. factam capit. 188. illegitimam eſſe, *& ibi* clanculum inter genuina eiuſdem auctoris opera irrepſiſſe, inter quos præcipuus eſt Iannus Antonius Saracenus, qui in Scholijs ad Dioſcorides aſſerit meritò Cornarium caput hoc ad Dioſcoridis notha relegaſſe; quam opinionem etiam plures alij ſecuti ſunt; ſed quod magis eſt Galen. omnem dubietatem tollere videtur, dum decimo lib. de Compoſ. ſecundùm locos circa finem adducens curationem iſchiadicorum à Damocare conſcriptam, hæc habet, Damocaris extat libellus Clinicus inſcriptus, quo verſibus iamblicis, quemadmodum ſolet, *de tribus differit* medicamentis; & primò quidem de eo, quod ex herba, quam ipſe *iberidem* appellat, conſtat. Secundò ex ſemine dolores ſedante compoſito; Tertiò verò purgatorio, & ab ipſo hiera appellato; de primo igitur in iſchiadicorum curatione in eo libello hæc ſcripſit: In iberide, inquit, quemdam medicum amicum ſuum per hanc herbam curatum eſſe, quam herbam, ut dixi, ipſe Damocrates iberidem appellat, ut qui ipſe viſu herbam cognouit, nomen autem eius nullum audierit, cùm etiam idem ignorauerit is, qui eum uſum eius docuit; verùm ex ſignis, quæ ſcribit, videtur iberidem appellare, quod à Græcis lepidium nominatur à regione, in qua amicus eius curatus eſt, appellatione ducta. hæc Gal. ut ex his verificetur iberidem eſſe lepidium Dioſcoridis, & per errorem duplici capite deſcriptã, uno quidem ſub iberidis, ſiue Cardamanticæ nomine, ſed cardami potiùs appellati ob ſimilitudinem cum naſturtio; deinde ſub lepidij nomine proprio, & à Græcis lepidium dictum, quod λεπίδας ſquamas maculaſque faciei deleat, vel λεπίζῃ, quod urenti quo præditum eſt calore exulceret, excorietque, hac enim facultate notas fronti ſeruorum ferro inuſtas delere valebat. Duo genera lepidij vulgò nota; primum Dioſcoridis, quod ſub iberidis nomine a botanicis oſtenditur, quod iuxta Damocaris verſiculos in marginibus ſcrobium macerijſque paſſim naſcitur; alterum latifolium, quod & lepidium Pauli Æginetæ vocatur, quod idem erit cum lepidio Plinij. Dioſcorides lepidium ſuum ἰσχιαδικοῖ ἐπίκαιρον vocat: præſentiſſimum eſt autem iſchiadicis doloribus remedium, qui præcipuè femoris cum iſchio articulum inuadunt; Veteres prout Aetius Tetrablimo 3. ſermone 4. cap. 1. ex Archigene ſcribit iſchiadicos propriè dici eos, qui-

bus

bus dolores circa iuncturam aliquam vexabant, apprimè moleſti. Fernelius lib. 6. Pathologiæ morborum, & ſympt. cap. 13. dolorem hunc non in coxendice ſolùm deprehendi, ſed etiam ad ſummas nates, atque hinc ad femur, ſuros etiam, & extremum uſque pedem extendi. exiſtimo tamen à loco affecto deſumptum nomen, & alijs propinquis partibus non niſi communiori ſignificatu tribui poſſe; maximè ſi de arthritico dolore ſermo ſit, quamuis hic neruorum communione alijs quoque partibus cõmunicari poſſit. Non deſcribitur à Dioſcoride lepidium, quoniam nota herba, ſaltem ob vires præcipuas, quas contra coxendicos dolores exercet; habere tamen naſturtij folia ſaturo virore colorata; caulem cubitali longitudine; radices binas, naſturtio ſimiles, quemadmodum etiam vires, floreſque tandem candidos; & ad temperamentum quod attinet, habet obtinere non tantùm calefaciendi vires, ſed etiam adurendi, ut non immeritò lepidio, quo proprio temperamento quartum caliditatis gradum attributum ſit; & ad vires quod attinet ex Dioſcor. præcipua lepidij facultas eſt ſuperandi iſchiadicum morbum, cuius cauſam conſtituunt humorem ſeroſum acrem à capite in dicti articuli regionem delabentem; doloris autem atrocitas prouenit à propinquis neruis in femur, & pedem diſtributis. Hinc cura ob profunditatem difficilis, ſub qua ratione requirit Cathartica valida quidem, & ſufficientia; ſed vomitoria magis, immò etiam externa valida, quæ actu requiruntur, præmiſſis vniuerſalibus, quæ debent præcipuè eſſe valde attrahentia, immò cum internarum præſidio diſcutientibus utendum, cucurbitulis appoſitis non lenibus, ſed cum multa flamma admotis, & ſic procedendum eſt uſque ad aduſtionem, prout Hipp. 6. aph. 60. conſulit. Commodior tamen rubificantium, & veſicantium uſus inter illa eximiè prodeſt lepidij, flammulæ, ranunculorum, ſimiliumque uſus, folijs aut radice contuſa in ſpiritu vini, vel admixtis fermento acri, ſinapis ſemine, & conſimilibus. Tollere lepras habet Dioſcorides; at hoc non eſt tollere morbum, ſed medium ad medicamentorum conuenientium applicationem, & interna præſidia. Poſtremò ad dolores dentium valere ait.

De Naſturtio.

CAPVT CCXXXIV.

Cur Naſturtium Græcis Cardamon appellatum; uſus obuius eius apud antiquos, temperamentum & vires afferuntur.

Svmma affinitas, quæ intercedit inter lepidium, de quo nuperrimè egimus, & naſturtium, ad huius explicationem modò nos impellit, ſic dictum à Latinis, ut Varro teſtis eſt; in Pap. inquit enim Naſturtium nonne vides ab eo dici, quòd naſum torqueat? Κάρδαμον Cardamum Græcis appellatum, quaſi καρίδαμον dicant, ut acri, & calido vapore ſuo caput tentet; quamuis etymon hoc non ſine controuerſia recipiatur. ſunt enim qui cardamum dictum putent, quia cordi opituletur; quod tamen eſt contra

tra Dioſcoridis mentem, qui ſtomacho aduerſari tradit; ſtomachum enim Græci cor appellabant, ut ex Gal. notum; immò nec de viribus naſturtij conuenit Plinius cum Dioſcoride, qui Venerem naſturtium hebetare aſſerit. Dioſcorides verò eam potiùs excitare tradit, quod acrium calidorum que munus eſt, ut in erucа, & conſimilibus plantis manifeſtum. ab antiquioribus naſturtium maximo in uſu habitum; docet enim Xenophon in Cyri Pædia Perſis, pro unico obſonio cum pane uſitatum, ut eorum oſtendat frugalitatem; hoc ipſum etiam Strabo 15. ſuæ Geographiæ. Naſturtij planta ſurgit laciniatis folijs, & diſſectis à radice ſaturè virentibus, ſurculis cubitalibus rotundis, qui in alas in ſummitate diuiduntur, ubi flores albi emergunt, à quibus ſemen colore ruffeſcente acerrimum; tota planta acris & mordax eſt. Videtur Dioſcoridem non unicum genus naſturtij cognouiſſe, dum præfert cæteris Babylonicum; alij eamdem plantam diuidunt in ſatiuam, & agreſtem, quæ per omnia à ſatiua minor eſt; addunt Recentiores Indicum naſturtium ratione floris elegantiſſimũ, tertiam ſpeciem conſtituens, eadem acrimonia, eodemque ſapore, & viribus præditum. Calidum eſſe naſturtium ad quartum uſque gradum cum pari ſiccitate; vim tamen temperamenti utriuſque conditionis tam validam non percipi obſeruatur, dum colligitur tenella planta, & in acetarijs uſurpatur; citra tamen controuerſiã intra rubificantia & Fenigmena collocatur; ſemen tamẽ cæteris partibus calidius eſt, & acrius, eſſeque ait auctor naſturtium cum natura ſeminis erucæ, aut ſinapis, adeoque cum aceto illitum iſchiadicis conferre habet, œdemata diſcutere, & inflammationes; quod de iam conſummatis intelligendum; ſuffitu ſerpentes fugare, eiuſque venenum ſuperare in potu aſſerit; thoracem expurgare, lienem abſumere, carbunculoſque ad ſuppurationem perducere inquit, & ſic exterere lepras, & impetigines.

De Capſico.

CAPVT CCXXXV.

Ex Recentiorum indagatione Capſici plantam nobis innotuiſſe aſſeritur; deſcribitur eius genera varia, temperamentum adducitur, vires explicantur.

INdicum piper, ſeù potiùs Americanum, & Braſilienſe creditur eſſe illud, quod ab Actuario Capſicum vocatur, & huius plantæ in vulgus nomen deductum fuiſſe ἀπὸ τοῦ κάπτω, quia eius ſemen non tantùm vellicet, aut mordeat linguam, aut palatum, ſed etiam urat. ſunt, qui dicant eſſe Plinij piperitim, quia inſtar piperis os afficiat; ſiliquaſtrum etiam ab eodem appellatum ob ſiliquam ſatis magnam, quam profert, & in qua ſemen concluditur. utcumque ſit, nec à Theophraſto, neque à Dioſcoride, neque Galeno planta cognita fuit, aut deſcripta. Nicolaus Monardes lib. 1. rerum exoticarum ex Indis Occidentalibus petitarum cap. 15. deſcribit hanc plantam ſub nomine piperis Indici, cuius extollit & formæ elegantiam, & uſum medicum. Eſt tamen Capſicum non tantùm per Hiſpaniæ

tractus

tractus notiſſimum; ſed etiam nobis ſatis familiare, ex delato enim ſemine paſſim per Europam diffuſum eſt, & quotannis viſitur; habet enim Monardes oximoidis caryophyllati maioris folia gerere viridia iuxta petiolum lata in mucronem deſinentia, quæ tamen in quibuſdam latiora, in aliquibus anguſtiora obſeruantur, vt ego animaduerti; caulis cubitalis, & ſupracubitalis, anguloſus, viridis, medulloſus, circa quem ramuli expanduntur; floſculi albi quinque folij, in quorum medio ſiliquæ futuræ rudimentum appa ret, quæ in pyramidis formam ſubcreſcunt, virides, pellucidæ, & quæ dum ad maturitatem perducuntur, colorem purpureum gratiſſimum, ni tidiſſimumque inducunt; forma tamen fructus ſiue ſiliquæ iuxta conditionem ſuæ ſpeciei differens eſt; nam vel longa, & acuminata, vel decurtata, vel oualis, aut inſtar melonum turbinata, & ſtriata viſitur; immò, quod notabat Cluſius, & nos obſeruauimus ſæpiſſimè, etiam color ſiliquarum quandoque non rubicundus, ſed luteus viſitur, ad maturitatē dum ſiliqua perducitur, in qua ſemen latiuſculum compreſſum recluditur, pallido luteo coloratum, valdè acre, immò uredine quadam tentans, quemadmodum facit ſiliqua, ut ab effectu non vanè prorſus ſtatuant, qui eidem tribuunt quartum gradum caliditatis cum æquali ſiccitate. Habet idem Monardes Indis, & Hiſpanis eſſe inter condimenta celebratum eodem modo, quo piper Orientale, immò magis expetitum, quia melioris ſaporis indicetur. Vſum tamen capſici in condimentis damnat Dodonæus, quia malignas partes habeat; Ego ut verum fatear, nec gratioſam illam aromaticitatem, quam obſeruamus in Orientali pipere comperi in capſico, nec niſi acrimoniam urentem, quam in pipere non comperij; quæ quidem ità valida eſt, ut placere nequeat; & uredo magis contumacior, quapr opter vires etiam in calore, & ſiccitate piperis Orientalis, ni guſtus me fallat, ſuperare crediderim; Iecori officere creditur, ſed uſurpari, inquit Monardes, ab ijs, qui temperamento frigido præditi ſunt; habet inſuper ſtomacho conducere, & flatus diſcutere. *In annot. ad Monar. 1. lib.*

De Sinapi.

CAPVT CCXXXVI.

Etymum Sinapi affertur. inter condimenta priſcis receptum. ex huius ſeminè fieri compoſitionem non ſpernendi vſus. Deſcribitur, vires, & temperamentum adducuntur.

Sinapis nomen tam Græcis, quàm Latinis commune eſt, Græci σίνηπι eò quia olfactu lædat, vocant, licèt Attici, & Dioſcorides νᾶπυ napi appellent, quaſi ob exilitatem natura priuatum; vtriuſque enim etymi ſimilem rationem reddit Athenæus lib. 9. Gymnoſoph. 1. ubi aliqua ad eius ſationem neceſſaria docet; in vſu enim fuiſſe apud antiquiſſimos petuiſſe patet etiam e x Palladio, & Columella. Theophraſtus ſinapi ſatiui generis tantummodò meminit, dum inter ſemina idem repoſuit, quæ magis firma, & magis durabilia ſunt; licèt dicat durabilitatem non ſe extendere

ſe ultra quadrimatum; & lib. 1. cap. 10. habere ſcribit acrem ſaporem. 3
Lib. 1. cap. 184. hec Dioſcorides plura genera cognouit; Recentiores tamen non unicam differentiam agnouere. Hoc ſemen licèt acerrimi ſaporis ſit, ab antiquioribus inter condimenta receptum fuit, vt eo tempore gulæ indulgerent dum laxam ciborum voluptatem ſinapis beneficio ad conſuetam uſuram reſtituere conarentur; quod etiam noſtris temporibus ad eundem vſum adhibetur, dum in menſis adhuc ipſo vtimur, facta ex ſinapi quadam compoſitione Diaſinapi vocata, qua appetitū amiſſum proritari obſeruamus, dum languido ventriculo ſuccurrit, vt non tantùm ſobrijs vtilis euadat, ſed etiam helluonibus, dum incidit, attenuat, abſtergit, roboratque, & dapibus viſcidis & glutinoſis ſummoperè conueniat. Eſt igitur ſinapi vel ſativum, vel agreſte; ſativum duplex, aliud folia rapi effigie gerit, minora tamen, & magis aſpera, caulem hirſutum à radice promit bicubitalem brachiatum; floſculi in ramorum ſummitate lutei, à quibus ſiliquæ oblongæ, tenues, aſperæ; ſemen glabrum rapi maiuſculum, luteo colore, acri, & mordaci ſapore præditum; Alterum verò ſatiui genus primum æmulatur folijs, caulibus ramoſis, aſperis, & floſculis eodem modo luteis, & eadem forma præditis; ſemen tamen non eſt luteum, ſed ruffum in nigro, acre tamen, & mordax; ſylueſtre verò ſinapi in omnibus minus, floſculi lutei quatuor foliolis conſtantes, ſemen in ſiliquis reconditum ſubrubicundum, eadem tamen acrimonia cum ſuperioribus præditum. Temperamentum eius videtur ſine controuerſia ſtatutum, *ut quartum* obtineat caliditatis gradum, cum eodem ferè gradu ſiccitatis. *Vires* ſi Dioſcoridem conſulamus ſunt, à capite commanducatum pituitam elicere; naribus namque etiam admotum ſternutamenta validè excitet; hyſtericis mulieribus opitulari tradit; quod efficit, compoſito medicamento medicamento ex ſinapis ſeminibus, caricis pinguibus, & modico euphorbij, ſinapiſmata vocant, è rubificantium genere; epilepticis prodeſt, & affectibus capitis comatoſis, lethargoque adhibitum capiti eo modo, quo docet idem author; ad iſchiadicos commendat dolores, & etiam aliarum partium diutinos; impetiginibus, lepræ, & alopecijs cum aceto, nec non ſugillationibus vtile; graui auditui, & aurium ſonitibus cum fico tritum, & auribus inditum conducit, applicitum partibus ex profundo extrahit, & ad peripheriam trahit.

De Pyrethro.

CAPVT CCXXXVII.

Ex Pyrethri ſolo nomine qualitatem eius innoteſcere deſcribitur, temperamentum offertur; vires explicantur.

De Pyrethro feruida qualitas igni perſimilis pyrethri plantæ tale nomen eidem præbuiſſe non eſt, qui dubitet; Latinis retinet etiam idem nomen, quamuis etia m ab his ſaliualis vocetur, à ſaliua, quam radix in ore detenta copioſiſſi mam excitare ſolet. Dubitari poteſt, an eadem diffe-

differentia, quæ Anthemidis flores gerit, ſit ea pyrethri planta, quæ à Dioſcoride deſcribitur; quæ quamuis in notis omnibus alijs eidem conuenire videatur, diſcrepat tamen in floribus, qui ſuo pyrethro non Anthemidis florem, ſed umbellam aſſignat, vix tamen ſit, ut viri docti aliam plantam pro genuino Dioſcoridis pyrethro producant, & illud, quod umbella præditum eſt, vires ineſſicaciores longè gerat. communior ſententia eſt pyrethrum anthemidis flores gerens, alteri præferri; cùm præſertim textus Dioſcoridis leuiter mutata littera huic opinioni faueat, ut notabat Dodonæus, qui loco ἀνίθου ſubſtituebat ἀνθέμου. igitur pyrethro folia diuiſa ſunt frequentiſſima ſciſſura inſtar fœniculi, & ſilueſtris dauci, minora tamen, cauliculi dodrantalis altitudinis; in ſummo flos amplus anthemidis non diſſimilis, maior tamen, ſubluteo orbe ſtaminulis repleto, foliolis per ambitum diſpoſitis longiuſculis, & in prona parte nonnihil purpuraſcentibus, ſuperna verò albicantibus; ſemen in floris orbiculo tenue, & oblongum; radix longa digiti craſſitie in nigrum, & ruffum vergens, ſapore admodum acri feruido que. Temperamentum acrimoniā, & feruorem ſequitur, ut pyrethrum in quarto gradu calidum, & ſiccum ſtatuatur: & ad vires quod attinet, habet Dioſcorides manducatum copioſam pituitam à capite elicere; & ſic ſanare dentes dolore affectos collutione aceti, in quo radix ebullierit. oleum eius radicis corpori illitum ſudores prolicere, & diuturnos rigores emendare; contumaci capitis dolori à cauſa *frigida* conducere; apoplexiæ, epilepſiæ, & neruoſis partibus reſolutis opitulari; prodeſſeque tandem omnibus affectibus à frigida, & pituita factis.

De Coclearia.

CAPVT CCXXXVIII.

Coclear iam cognitam noſtris ſeculis affirmatur, Scorbutico morbo ex directo oppoſitam, deſcribitur; eiuſdem duo genera; temperamentum, & vires offeruntur.

COclearià veteribus non animaduerſa, ſed à principio tantùm huius ſæculi conſiderata, & à ſeptentrionalibus in ſummo pretio habita, nobis modò ob temperamenti ſimilitudinem cum proximè deſcriptis plantis annectenda venit. Iouannes enim Vierus in ſuis obſeruationibus, tamquam diuino nutu repertam, vt ſcorbuto nouo morbo opponeretur, in ſuis obſeruationibus con celebrauit, prout & cæteras alias, vt Becabunga clion, naſturtium, Cardamine, ad hunc morbum profligandum deſtinatas, peculiari ſua vi longè ultrà ſuperare valeat. Eſtque Friſiæ, Hollandiæ, Brabantiæque indigena, ubi præcipuè morbus ille graſſatur, de quo pertractarunt abundè ſatis Gaſpar Ornius, & Ioannes Cotembech, quaſi diuinæ prouidentiæ intuitu e m erſerit, & nouæ neceſſitati nouæ plantæ cognitione proſpiceret; prout factum à natura in his locis, ubi plantæ venenatæ paſſim luxuriant, quæ creſcere iubet alexipharmacas plantas cum

vene-

Venenatarum ſocietate. Cæterùm ſunt plures, qui afferant ſcorbuti morbum non eſſe novum, ſed temporibus Hipp. notum, & ab eo deſcriptum lib. de Internis affect. immò nec Plinium latuiſſe autumant. Crediderim tamen ego temporibus Hipp. etiam in ſymptomatibus morbum ſimilem produci potuiſſe, non idem tamen, hoc eſt non communiter graſſari, quẽadmodum ſcorbutus modò in relatis regionibus; etenim memini ego, dũ Ruri degerem circa radices collium Euganeorum, ubi aer ſaluberrimus eſt, obſeruaſſe virum nobilem in omnibus ſimili morbo ſcorbutico dicto laborantem, qui ſatis citò proprijs rentatus remedijs ſaluti priſtinæ reſtitutus eſt; ut quidem fatear in pluribus notis nobis affectionibus pluraq; ſyn ptomata in ſcorbuto conſiderata accidere poſſe; omnia tamen & paſſim vagantia, prout in teterrimo affectu ſcorbutico illarum regionum nec unquam vidi, nec facilè eſt videre, niſi quis contracta in illis partibus diſpoſitione morboſa ſecum deferat ſcorbuticum miaſma. Non eſt igitur mirum, cùm ſcorbutus ſit illarum regionum familiaris morbus, ſi prouida natura etiam ibi peculiare remedium ſubcreſcere voluerit, quo præcipuè expugnaretur; quamuis, ut dictum ſuprà, plures aliæ plantæ ad hunc uſum reuocari poſſint. Duæ coclearia differentiæ à botanicis circumferuntur, quarum altera Hollandica, & vicinarum regionum eſt incola; altera verò in aliquibus occidentalibus differens Britannica vocata, à loco videlicet, ubi naſcitur. deſcribitur coclearia Botanica folio circinata rotunditate cauo coclearis conuexum æmulante, à quo videtur nomen acquiſiuiſſe, viridi craſſiuſculo, lato, nitido; inter folia caules prodeunt dodrantales; flores candidi; ſemen parvum, ruffum, quod in quibuſdam valvulis reconditur naſturtij modo, radices fibroſæ, profundæ, defixæ. Britannica verò cochlearia ſimili deſcriptæ eſt, ſed non habet folia ità craſſa, ſed potiùs quę lapathi exigui figuram æmulentur; ſapor acris, & feruidus, ut in deſignando eidem quarto gradu caloris cum pari ſiccitate in temperamento non fallamur; vires eius ad ſcorbutum validè ſuperandum experientia, doctiſſimorumque virorum obſeruatio ſummoperè valere ſuaſit.

De Hydropipere.

CAPUT CCXXXIX.

Nomen eo impoſitum Hydropiperis quid importet explicatur. Deſcribitur cum Dioſc. vires & temperamentum adducuntur.

SVmma acrimonia, quæ in hac planta inſtar piperis percipitur, & locus in quo frequens naſcitur ortumque ſuum habere reperitur, & aliqũ moniam, in paluſtribus etenim, & ſcrobibus ſtillantibus aquis perfuſis creſcit, prout notabat Gal. 8. ſimpl. compoſitum nomen ex Græco, & Latino habuiſſe videtur; vocatur etiam perſicaria à folijs perſico arbori ſimilibus, addito tamen cognomine urentis perſicariæ, ut diſtingueretur ab alia conſimili planta, quæ mitis perſicaria dicitur; Cuius temperamentum frigidum, ſapor ſubacidus, nullaque acrimonia donatus. habet hæc etiam

etiam in folio maculam, qua à ſuperiori planta diſtinguatur; Hydropiper igitur Dioſcoridi nota planta, quam deſcribit lib. 2. cap. 32, quod caulem gerat ſaturo virore coloratum, firmum, geniculatum, circa quem ſunt alarum concauitates, folia menthæ, aut potiùs perſico ſimilia, maiora tamen, magis candida, molliora, longiora, & nulla intenſa viriditate prędita, ſapore acri piperis modo, minimè tamen odorata; flores albidi ruбeſcentes, ſpicis caudatim effuſis; inquit deinde fructum gerere cohęrentem, racematim, propèque folia protuberantem; aſſerit deinde radicem inutilem gerere. temperamentum huius plantæ communiter aſſeritur calidum, & ſiccum in quarto. vires ex Dioſcoride ſunt, ut folia impoſita cũ ſemine œdemata, & aliquas inueteratas duritieſ diſcutere valeat; habet ſugillationes emendare, admonetque ſiccatam plantam, & cum ſale commixtam pro pipere inter obſonia ſubminiſtrari poſſe.

De Euphorbio.

CAPVT CCXL.

De Euphorbio aliqua difficultates enodantur, temperamentum affertur, vires explicantur.

Licèt Euphorbij conſideratio alibi in 1. videlicet lib. ubi de catharticis medicamentis loquebamur, tradita ſit; cùm tamẽ miras tot in ſe difficultates includat, & tot doctiſſimorum virorum diſſidentes opiniones, præſertim circa eius figuram, adeo ut eius deſcriptio, & eiuſdem forma exhibita apud aliquos fabulæ potiùs nomen, quàm hiſtoriæ promeruerit; ſub hac ratione aliqua de Euphorbio modò ſubnectere, temperamenti conditio, einſdem conſideratio nos admonet, aliqua repetere non erit incongruum: & quidem magna controuerſia emergit 1. ex Dioſcor. textu de natali euphorbij loco, quia quemadmodum tam Dioſcorides, quàm Plinius Euphorbium in Atlante monte naſci profiteantur, cui opinioni ferè omnes conſentiunt; nihilominus Plinius euphorbium in Atlante monte naſci profitetur, cui opinioni ferè omnes conſentiunt; Dioſcorides verò in Tmolo, qui mons ex Geographicorum omnium deſcriptione in Aſia minori ſitus eſt, non in Mauritania, nec in Lybia; ut inde Dioſcoridis textus vix ab erroris labe vindicari poſſit. Sunt tamen qui omni ſuo conatu virum tantum à labe emundare contendunt, & loco Atlantis, prout facit Salmaſius, reponunt in textu Antololes, gens magna, & Mauritaniæ proxima; quæ tamen dictio non æquè omnibus ſatisfacit. Ianus Saracenus, & Cornarius lato quodam modo Atlantem montem ſumunt; at opinandum eſt Dioſcoridem illis temporibus locorum illorum minimè ignarum fuiſſe, ut qui iu xta ea tempora vixerit, in quæ Iuba rex euphorbium inuenit, & iiſdem temporibus, in quibus noſter author ſub Marco Antonio, & Cleopatra militiam exercuit. ſunt tandem qui ex Strabone hanc medelam exhauriant, Bochorum videlicet regnum ab auguſto Iubæ paterno eiuſdem regno addictum, illius ſcil. Iubæ alterius eiuſdem nominis

Gaſp. Op'm. lib. 2. cap. de Euph.

filio,

filio, eius ſcil. qui unà cum Scipione bellum geſſerat cum Diuo Iulio Augusti patre, & inde eamdem regionem, ob hanc ipſam cauſam Cæſarienſem appellatam fuiſſe; licèt antè à propriorum regum nomine, Bongodiana appellaretur, ut author eſt Plinius lib. 5. cap. 11. & in qua regione Tabi promontorium ſitum eſt mari Scythico imminentem; hinc deducunt facilem fuiſſe ex ſcriptoribus lapſum, & pro Ταβει, Τμώλῳ poſuiſſe; interim dicunt ſufficiens eſſe, quòd uterque author dicat euphorbium è Mauritania deferri, & vel inuito Dioſcoride in ſuo textu irrepſiſſe pro Tabi, Tmoli. Quæ profectò medela, meo iudicio, tantæ iacturæ non ſatisfacit, quãuis ingenioſa ſit, & ad libitum à lectore interpretanda. Altera controuerſia circa figuram euphorbij verſatur, deſcriptam, & exhibitam à Lobellio, & à Dodonæo, quam plures fictitiam credunt, & de induſtria delineatam; vel ſaltem autumant plura hos vero Iconi addidiſſe, nihilominus cum etiam Recentiorum plures in aſſenſu conſpirent, nec ipſe contendere auſim. Euphorbij temperamentum calidum, & ſiccum in quarto gradu, & exurentis facultatis aſſeritur; & ad vires quod attinet, præter eas, quas retulimus citato loco, habet Dioſcoridis oleum euphorbij refrigeratas partes calefacere, & neruoſis affectibus opitulari; oportet tamen cautè in eiuſdem uſu procedere, ut ſummam eius acrimoniam, & feruorem obtundamus remixtis epiceraſticis, ne exaſperatis partibus inflammatio aliqua ſuccedat.

De Thapſia.

CAPVT CCXLI.

A quo Thapſia nomen deduxerit ambigitur; non eſſe eamdem cum Tapſo; deſcribitur; vires, & temperamentum afferuntur.

Dioſcorides lib. 4. cap. 157. Thapſiæ nomen à Thapſia Inſulà, ubi naſci opinabatur, deriuat; circa quod non leuem difficultatem inſurgere video; ubinam locorum hæc Inſula reperiatur. Lobellius eſſe unã putat ex Sporadibus in Mari Carpathio; quæ tamen ex Geographicorum animaduerſione in eodem mari nullibi reperitur, & à nullo deſcripta. Scholiaſtes Nicandri confundit Tapſum, cum Thapſia, quæ differentiſſima planta eſt, & cui ex Nicandri verſiculo originis locus Trinacria tribuitur; verſus ſunt.

Radix in primum Tapſi compone ſalubrem
Trinacri.

Tapſus enim planta eſt infectoria; ſecus autem de Thapſia; quæ tamen opinio de Thapſia, quòd ſit Trinacriæ Inſula in mari Mediterraneo ſita, quod Saraceno in Scholijs ad Dioſcoridem non diſplicuit, ab omnibus non recipitur, quia non ea, de qua loquitur Dioſcorides; hæc enim Inſula Trinacriæ, ſi Abrahamo Ortellio fides, non Thapſia vocatur, ſed Tapſa; & eſt etiam in qua Tapſus herba naſcitur ad colorem indendum apta; melior tamen, meo iudicio eſt, opinio doctiſſimi Salmaſij; putat enim vir ſummus

per

per verba Dioſcoridis non inſulam indigitari, ſed huius nominis oppidum ſitum circa ora minoris Africæ; quod cùm ad mare poſitum ſit, & ferè totum ab eodem alluatur, pro inſula accipi poſſit; Pena autem non ab inſula, ubi naſcatur, deductum Thapſiæ nomen autumat; ſed à colore, quem, ſi Thapſia contuſæ parti apponatur, flammeum excitare ſolet; eſt enim è rubificantibus una. Theophraſtus 9. de Hiſt. plant. cap. 10. in fine plantam deſcribit, habere fœniculi ſimile folium ait, ſed latius, gerere verò ferulaceum caulem, & candidam radicem. Dioſcorides cit. loc. thapſiam natura ſua ferulæ ſimilem eſſe ſcribit, graciliori tamen caule, folijs fœniculo proximis, umbella in cacuminibus anetho ſimili; flore luteo, ſemine quodammodò inſtar ferulæ minoris lato; radice interiori parte candida, exteriori nigra, acri, magno, & craſſo cortice. Docet inde author modum eliciendi ſuccum ex Thapſia, & cautionem in eo colligendo opportunam; ſeligitque deinde qui præſtantior fuerit. Temperamentum ex eius ſumma acrimonia, & feruore facilè deducitur, ut communi conſenſu quartum gradum caliditatis cum pari ſiccitate expleat. Cæterùm ad vires Thapſiæ quod attinet, habet catharticam facultatem poſſidere tam in radice, quàm in ſucco ſitam, & eò magis in liquore, qui ex excauata radice colligitur, ut ijs in aqua mulſa exhibitus, tam per ſuperna, quàm per inferna craſſos humores educere valeat; cautè tamen circa doſim agendum; radix enim exhiberi poteſt quatuor obolorum menſura cum tribus drachmis ſeminum anethi: ſi verò ſuccus expreſſus eligatur, admonet, ut non excedat trium obolorum pondus. quòd ſi liquor, qui ex excauata radice funditur, magis in promptu ſit, in minori adhuc doſi exhibeatur; copioſiorē namq; doſim ſalutē in diſcrimen adducere ait. Cuius medicamēti ſtrenuam, ne dicam furentem purgationem conuenire aſſerit ſuſpirioſis, & ijs, qui excreatum difficilem habent; valereque aſſerit in diuturnis laterum doloribus. interim habet ijs, qui difficulter euomunt, in cibis dari deberi, aut obſonijs. commendat etiam thapſiam inunctione, vel affrictu alopecijs: ſic pari modo adhibet ſugillatis, & liuentibus, ſi cum ceræ, & thuris æquis portionibus ſuccus admiſceatur, quod efficere tradit ſpatio duarum horarum. utilitatem hanc à Thapſia ſæpiſſimè conſecutum fuiſſe Neronem affirmat Plinius, dum per noctem rixando pluribus moleſtias inferret, nec ipſe incolumis ſeruaretur, ne manè in eius facie liuidurarum veſtigia apparerent, uſu thapſiæ modo ſupradicto adhibitæ lituras indecoras emendabat. delere ait maculas à Sole, & lepras remouere cum melle; ſic articulorum doloribus, & pedum vitijs utiliter illiniri; habetque tandem plurimùm facere ad reſtituendam colis glandem, dummodò ea à circumciſione adempta non fuerit.

De Staphide agria.

CAPVT CCXLII.

Cur Staphis agria Græcis ſic vocata, & cur pedicularis herba, deſcribitur, afferuntur vires cum temperamento.

ACrem, & erodentem facultatem eum poſſideat ſtaphis agria σταφὶς ἀγρία à Græcis dicta, quia folia gerat inſtar labruſcæ altè deciſa; vel quoniam, ut alijs placet, compreſſum habeat ſemen in folliculis inſtar uvę paſſæ, eam ſupradictis plantis accenſendam ducimus; & eò magis ratione affinitatis in temperamento. A Latinis etiam vocatur pedicularis herba ab effectu; valenter enim pediculos necat; vocatur etiam pituitaria, quia pituitam auocat. Deſcribitur à Dioſcoride Staphis agria lib. 4. c. 156. quod habeat folia labruſcæ modo diuiſa; ſunt enim ſatis magna, & profundè inciſa, cauliculis rectis cubitalibus, mollibus, nigricantibus, certe inquit flores glaſti colore cęruleo, à quibus ſequuntur folliculi herbaceo colore, in quibus ſemen includitur ciceris inſtar, triangulum, ſcabrum ex nigro fuluefcens, intus album, & guſtu acre. Temperamentum ſtatuitur calidum, & ſiccum in quarto gradu, eſt enim in rubificantium cenſu repoſitum. Vires medicæ præcipuè ſemini à *Dioſc.* aſſignantur, ut valeat craſſos humores catharticè, & per vomitum præſertim *ducere*, ſi grana decem huius, vel quindecim exhibeantur in aqua mulſa; ſuadet tamen eos, qui hoc medicamentum ſumpſerint, ut deambulent, & inſuper quòd etiam ſæpiùs aqua utantur; qua neglecta, & fauces aduruntur, & in ſtrangulationis periculum adducuntur. Phthiriaſim ſanare tradit, ut ſub hac ratione pedicularis herbæ ſibi nomen arrogauerit; quod efficere ait, ſi trita ex oleo, aut Sandarachæ remixta illinatur. pruritui etiam, & pſoræ conducere habet; & commanducatam plurimùm pituitam auocare; tollere dentium dolores ex aceto decoctam; opitulari gingiuarum fluxionibus; ulcera quoque in ore erumpentia ex calore ſanare, & miſceri utiliter inter malagmata ad uſtionem deſtinata.

De Clematide altera Dioſcoridis deque flammula Iouis.

CAPVT CCXLIII.

Flammula Iouis conditio affertur, tam quoad figuram, quàm quoad temperamentum, & vires.

EX acerrimis, & urentibus plantis validiſſimâ exiſtimatur Clematis altera Dioſcoridis, de qua agit lib. 4. cap. 182, ſiue ſit illa de qua ambigitur, deſcripta in 1. loco à Dodonæo, vel ea, quæ in ſecundo loco ab eodem conſideratur; quamuis, ſi textum Dioſcoridis conſulamus, nullo modo eadem dici poſſit; Clematis enim altera ſarmentoſa planta eſt,

&

& eget adminiculo, ut erigatur; ſecus de flammula Iouis, ſiue flammula vrenti in ſecundo loco à Dodonæo deſcripta, quæ etiam erecta dicitur quia nullo eget adminiculo, & à Clematidibus folia diuerſa gerat, licèt facultate & temperamento eadem ſit cum Clematide altera Dioſcoridis. hanc igitur in ſecundo loco à Dodonæo conſideratam etiam nos afferemus; utque nobis magis peruium uſum præbeat; eſt enim folijs ſatis amplis vitalbæ ſimilibus, diluto virore perfuſis, caulibus bicubitalibus rectis in alas diuiſis, in cuius ſummo flores candidi ſemine plumaceo, radices multæ lignoſæ, in latum expanſæ. huius plantæ temperamentum calidum eſt cum æquali ſiccitate in exceſſu quarto, ut contuſa, & appoſita parti non ſolùm eam rubificet, ſed veſicas excitet, & cruſtas inurat; externus enim eius uſus præcipuè probatur ad phenigmena ex tempore paranda. ſuam Clematidem commendat Dioſcorides ad lepras; habet inſuper eius ſemen tritum, & potum in aqua, aut hydromellite pituitam, & bilem trahere.

De Aro.

CAPVT CCXLIV.

Deſcribitur Aron; non eſſe Diacontium aſſeritur, vires, & temperamentum examinantur.

AN nomine ari etiam Dracontium maius, ſeu Serpentaria veniat, apud veteres dubitatum video. Plures credidere apud Theophraſtum hæc nomina confundi; non immoror in inquiſitione, an benè ſcil. factum fuerit; ſcio tamen has plantas figura diſtinctas eſſe, licèt etiam una alteri ſubſtituatur; quod fieri poſſe affirmatur, cùm nec temperamento, nec viribus admodum inter ſe diſcrepent. De Ari viribus igitur aliqua adducenda ſunt, tanquam de planta ſatis obuia, cum qua concludimus calidorum & ſiccorum exceſſum in quarto gradu. De Aro agit Dioſcorides lib. 2. cap. 196. poſtquam in capite præcedenti ſermonem habuerit de draguntio. Deſcribitur Arum quod folia habet leuia, ſplendentia, magna, lata, in acumen deſinentia, ſaturo virore prædita, & veluti maculis palleſcentibus perpuncta, ſiue maculata; è folijs ſcapus emergit, ſurgitque inde in piſtillum cum ſuo inuolucro longo, membranaceo, pallido, quo inuolucro diſſito per totum nudum piſtillum apparet, uva quaſi in acinis hinc inde diſpoſita; dum maturitatem adipiſcitur lepida, & fulgenti purpura obducta; in acinis ſemen includitur duriuſculum; radix tuberoſa, bulbo ſimilis.

De temperamento non leuis controuerſia eſt; multi autumant vix ſuperare primum caliditatis gradum, alteri excedere tertium credunt; litem dirimit Gal. qui lib. de alimen t. facult. ait, iuxta conditionem regionum etiam ari temperamentum menſurandum eſſe. habet Dodonæus in Italia, Gallia, Belgioque, cùm in locis acerrimum ſit arum, attingere exceſſum quartum caliditatis cum ſiccitate, opinandum eſſe. Ruſticæ fœmi-

næ acinis maturis pro fuco uſurpant, ut purpureum colorem genis indant, quas ſedulò fricant, ad Epidermidis quandoque exeſionem. Radices ari humorum craſſitiem attenuant, ſub qua ratione exereationibus difficillimis conducunt. Ego experimento ſenſato non ſemel obſeruaui folia impoſita ambuſtis mederi, ſi ſæpe renouentur, quod operari opinandum eo modo, quo ſuccus cæpæ ad idem uſurpari ſolet.

Cæterùm quamuis in ordine quarti caloris exceſſus cum ſiccitate, quædam aliæ plantæ præter relatas reperiri poſſint, prout Soldanella, Thymelea, Laureola, Tithymalorumque genera omnia, & ſimilis conditionis alia; cùm tamen harum ferè omnium ſtirpium in 1. lib. ubi purgantium afferebamus uſum, explicationem attulerimus, inofficioſum nobis viſum eſt earum vires denuò perpendere, cùm præſertim non omnium plantarum naturam ſigillatim explicare propoſitum nobis ſit, ſed tantummodò magis obuiarum.

De Frigidis in quarto gradu.

CAPVT CCXLV.

AGendorum ordo expoſceret, ut explicatis his, quæ cum quarto caloris exceſſu ſiccitatem ſibi arrogant; etiam ſubnecteremus eas plantas, quæ cum eodem caloris gradu alteram paſſiuam qualitatem, humiditatem videlicet, adiunctam haberent. Verùm cùm *intenſæ* caliditati hæc qualitas copulari nequeat, tantus enim feruor humiditatem *sociam* non ſuſtinet, ideo opportunum erit modò ad eas conſiderandas ſtirpes accedere, quæ quartum frigiditatis gradum cum humiditate habere dicuntur, exordium ſumentes à Mandragora, & ad alias plantas huius conditionis explicandas accedere, quatenus vires aliquas medicas obtinēt; non verò quatenus venenatæ ſunt, quas etiam in lib. de venenorum natura in hoc opere ipſo conſiderauimus.

De Mandragora.

CAPVT CCXLVI.

Frigida in quarto gradu examinantur: & conſideratur Mandragora cur ſic dicta. Deſcribitur; controuerſum temperamentum definitur & vires afferuntur.

SI nominis ratio Mandragoræ inquiratur, ſic dicta exiſtimatur, quòd circa Mandras facili prouentu ſubcreſcat. deſcribitur Mandragora à Dioſcoride poſtquam eam diuiſerit in marem, & fœminam, quòd gerat lactucæ folia, longiora, odore viroſo, & graueolenti per terram ſparſa, circa quæ ſine caule fructus emergunt, ſiue mala ſorbis ſimilia ex luteo pallida, odorata, in his ſemen ceù pirorũ; radix diuiſa, breuis, tenuiſque, appendicibus multis implicata, foris nigra, intus alba craſſo cortice.

Hæc

Hæc planta licèt à Galeno tertio refrigerantium ordini adſcribatur, à Recentioribus tamen, inter quos eſt Ioannes Præuotius, in quarto gradu reponitur. Verùm Dioſcorides lib. 4. c. 65. qualitatis eius actiuæ nullam mentionem facit. quod autem in quarto frigida ſit, colligere videntur ex eo, quòd in vino decocta radix ſomnum inducat, & auferat doloris ſenſum, adeoque in ſectionibus, actionibuſque moleſtioribus chirurgicis antiquitus uſurpata fuerit, ut ex Dioſcoride palam fit; obſtant tamen haud pauca, nam nec lingua in guſtu in nulla plantæ parte frigoris ſenſum percipit; nec ſapor, qui amaritudinis, adeoque caloris particeps; nec odor, qui in fructu grauis, & confertus, adeoque à calore non mediocri concitatus, quidquam horum confirmant. ſi verò intuemur effectus, Dioſcorides mandragoram ut veratrum per vomitiones, & alvum bilem atram, & pituitam extrahere ſcribit, quem effectum etiam cùm ad proprietatem totius ſubſtantiæ referimus, cum tam intenſa frigiditate tamen ſtare poſſe vix credibile eſt, cùm frigidi proprium ſit conſtipare, & condenſare; & prout alia huius ordinis, ut Hyoſcyamus, papauer, opium, fluxiones ſiſtere, vel ſpontè, vel medicamentorum ope concitatas. addit radicem emollire ebur, quod ſenis horis ſanè id facere centum ſit, vt ad accipiendam, quam effingere optaueris formam aptam facilè præſtet, adeòque miſceri remollientibus. quomodo verò remolliat, ſi caloris expers eſt, aut non potiùs frigore ſuo induret? quòd ſi quis mandragoram id efficere exiſtimat, quemadmodum facit acetum, quod & ipſum frigidum eſt, hic ſcire debet, non cognoſci ſenſu ullo in mandragora partium illam tenuitatem, ut cum acidis conferri queat; immò ex teſtim. eiuſdem Dioſcor. habemus mandragoram per ſe menſes promouere, & expellere partus, at hæc faciunt calida, & acriora omnia, non frigida, non denſantia, de quibus mandragora perhibetur, aut ſaltem ſumma λεπτομερίᾳ prædita, prout opinatus eſt Sennertus parte tertia; & ſi quis partus extruſionem, vim ad deleteriam qualitatem, aut extinctionem calidi in fœtu referre velit, facultatem tamen menagogam frigiditati quarti ordinis tribuere inconueniens eſt. tandem cùm ſcribit mandragoram diſcutere duritiem omnes, ſuppurationes, ſtrumas, nec hoc quidem frigidi temperamenti vim confirmat, quamuis ſiccitatem medicamenti palàm faciat; etenim licèt argentum vivum, plumbum, aurum, & ſimilia, Ganglia, ſimileſque tumores duriores diminuant, & ea frigida perhibeantur; re tamen vera de temperamenti in hiſce proprietate, ut doctiſſimi inter Chimicos mecum fatentur, vix aliquid exploratum, ac certum habemus; ſimplicia enim aut ſimilaria corpora ferè ſunt, & cùm extremi calidi, tum etiam ſummi frigoris vim, præcipuè aurum, citra ſubſtantiæ ſuæ detrimentum ſuſtineant; quod peculiare his deferendum; quod tamen cæteris mixtis æquè conuenire nequeat. Argento enim viuo quid magis aereum, & penetrabile deprehenditur, quòd plantis hominis admotum totius duriſſimas partes permeare valet; ut hæc inter abſtruſa naturæ, & ſimilia relinquenda potiùs ſint, quàm probabili ratione definire.

D Hyoſcyamo.

CAPVT CCXLVII.

Hyoſcyamus planta cur tale nomen ſortita, circa temperamentum variæ obiectiones afferuntur.

HYoſcyamum ſcil. fabam ſuillam nuncuparunt veteres plantam etiã ſatis cognitam, quòd eius paſtu apri reſoluantur, & conuulſione præiens mortis periculum incurrant, niſi copioſa aqua foris, & intus ſeſe proluant. ſi figuram hyoſcyami inquiramus, fruticem eſſe habet Dioſcorides, ut hic caules emittat craſſos, habeatque folia oblonga, lata, diuiſa, nigra, hirſuta, quòd ſecundùm caulem continua quaſi ſerie *flores* prodeant, tanquam punicorum cytini ſemine pleni, cuius tres facit differentias. Hyoſcyamum Galenus in tertio refrigerantium collocat; Recentiores tamen, inter quos Clariſsimus Sennertus, & Ioan. Præuotius in Elenchò Hyoſcyami albi flores, & ſemen, in quarto refrigerantium ordine reponunt; circa cuius temperamenti deſignationem ſubeſt ingens difficultas; nam cùm Hyoſcyami ſemen ad tuſſim commendet Dioſcorid. lib. 4. cit. quomodo tam intensè frigidum id ſine maiore pectoris noxa faciat? quemadmodum de niue, & glacie, itemque de ventis Borealibus, idem confirmatur. Hipp. oraculo 5. aph. 24. & 3. aph. 5. *ſubdit, febres*, quas Epialas vocat, tollit, id minimè omnium vero ſimile videtur; nam cùm febres illæ quotieſcunque legitimæ ſunt à pituita dependeant putreſcente, aut diffuſo vapore, calore commoto, humore autem ipſo frigoris ſenſum ægriùs cohibente; quomodo tam inſigne refrigetans morbi cauſam non fouebit, ac naturæ vim non obtundet? Iam ſolamen, quod ab effectu ſomniferum nuncupant, ſi per formalem frigoris vim tale exiſtit, qui fit, ut ſemen eius urinam potenter cieat? numquam enim id præſtiterit, niſi vel calorem obtineat, qui vel attractricem renum excitet, ſerumque ſecum ducat, vel partium tenuitatem ſingularem, qualis in *acidis ſuccis* deſtillatis; quam tamen in eo ſenſus non deprehendit. addit Corymbos duodecim Hydropicis dari; quo bono, ſi tantæ frigiditatis particeps acquiſitam iecoris debilitatem peſſimis exemplis augebit. *Radicis ſuccus*, ait, cum melle illitus oculorum hebetudinẽ tollit; tollit? quin, ſi tantoperè frigidum eſt, extincto magis oculorum calore, potiùs affectum augebit. hæc ſanè, quæ vires Hyoſcyami concernunt, temperamenti etiam difficile decretum oſtendunt; ut partes & calidas, & frigidas habere ſtatuendum ſit; iuxta quarum actuationem etiam contrarios effectus edere valeat; quorum tamen multos etiam à tota ſubſtantia promanare fatendum eſt.

Lib. 4. c. 69.

De Papauere.

CAPVT CCXLVIII.

Papaueris temperamentum in dubium vertitur. Cauſæ adducuntur.

REfrigerantibus in ſummo etiam papauer enumerant μήκων antiquis dictum à non miniſtrando, quòd obſeruarent eo veſcentes, muneribus ſuis haud fungi, de quo ſuprà ſatis dictũ, & nonnulla etiam de opio; quod quidem iure ratione putati temperamenti hunc locum ſibi vendicat; vt nonnulla de eo ſubnectere, incongruum non duxerimus, quæ communi veterum ſententiæ de eius frigiditate obſtare videntur. Galenus ſatiui ſemen ſomnum mediocriter conciliare prodit, ſylueſtre verò rheada vocatum validiùs refrigerare; item alterius ſylueſtris nigrum ſemen admodum refrigerare; & illud, quod ex ſylueſtribus papaueris generibus maiore, & longiore capite præditum eſt, omnium medicamentoſiſſimum eſſe, & ſemine, cauliculis, folijs & ſucco, inquit valere, eſſeque ex quarto & ultimo refrigerantium ordine. at quodcumque ſe manifeſtarit ſenſui guſtus papauer in ſemine utique dulcorem ne ſe ſe aliquem tulerit, argumentum non obſcuri caloris; quem tamen ſtare, aut ſe ſe manifeſtare cum vehementi frigiditate veriſimile non eſt. ſomnum vtique conciliat papauer: efficit tamen idem & aqua ſimplex, & laxantia omnia fronti adhibita, Cæliacis prodeſt inquit Dioſcorides, quod quidem etiam non immeritò ſuſpectum eſt, nam cùm affectus hic dependeat vel à relaxato ventriculo, idque per cibos pingues, & lubricantes, aut aliàs facilè cedentes; vel ab impedita cibi diſtributione, obſtructis meſenterij venis, videlicet meatibus, neutri papauer ſatisfacere poſſit. Papauer Rhoeas ſi frigidiſſimum foret, & debilitatem maiorem facultati iam affectæ inducere poſſet, & quod probat Dioſcorides in ſpiſſando vias magis implicaret, at quod de papauere dictum eſt, etiam de opio, & Mechonio habendum, de quibus in cap. de papauere ſuprà loquutus ſum, quorum eadem dicenda videntur, quæ nuperrimè de hyoſcyamo, deque eius temperamento conſiderauimus. Cæterùm circa opium ne quidquam prætermittere videar, quod ad uſum artis ex papauere deduci poteſt, conſiderandum venit Ladanum à Recentioribus nepenthe dictum ex opio correcto paratum, & à Theodoro Suinghiero nobiliſſimum remedium vocatum ob ſummas, quibus pollet vires ad dolores, adeòque curas mitigandas; immò penitus profligandas; quaſi ſit nepenthes illud Helenæ, quod celebrat Homerus ſapientiæ promus condufve vetuſtiſſimus, tanquam celebre medicamentum; & in quo quædam erat obliuio à curis & turbis omnibus, hoc tamen remedium chimicum ſi non improbandum, ſaltem laudibus itá glorioſis ſit concelebrandum, experimentum contrarium patefacit, Lib. 7. Simp. fac. cap. 1.

De

De Cicuta.

CAPVT VLTIMVM.

De Cicutæ Temperamento ambiguitas affertur, examinatur, Concluditur, & ſoluitur.

Cicuta per ſæculorum ampliſſimos tractus ob infamem dumtaxat eius apud priſcos uſum famoſiſſima planta, ſontibus enim ultimo ſupplicio afficiendis ab Athenienſibus præſertim deſtinata, & à veteribus inter frigidas ſtirpes, quartum exceſſum frigiditatis obtinentes repoſita, locum hunc ſibi expoſcit. & quamuis de eadem nonnulla in primo libro, ubi de venenis frigidis verba fecimus, tetigerimus; modò tamen quædam alia ſubnectenda veniunt. Cùm præſertim Plinius lib. 25. cap. ultimo, cicuta quoque, inquit, venenum eſt, publica Athenienſium pœna inuiſa; venenum enim eius etiam à Maſſilienſibus ſub hoc titulo publicè cuſtoditum, teſtis eſt Valerius Maximus lib. 21. cap. 6, & quoniam ſubdit Plinius loco citato, eſſe cicutam uſu ad multa non omittenda, & 3. Simpl. cap. 18. Gal. dicat ſturnis alimentum eſſe, & Lucretius capris alimentum præbere, dum inquit lib. 5.

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

ſub hac ratione quatènus ad aliquid corpori humano proficua, ut tandem finem noſtræ tractationi plantarum per temperamenti gradus diſpoſitarum imponamus, & ſic præſenti operi extremam admoueamus manum, paucula dicenda veniunt. Græcis κώνειον dicta cicuta, quod vertiginem inducat, Gal. nomen tale impoſitum tradit, quia mentem ſcilicet circumuertat, & ſtultitiam pariat.

Lib. quod animi mores corporis temperamentū ſequuntur.

Lib. 4. c. 79.

Deſcribitur hæc planta à Dioſcor. quòd caulem edat geniculatum, ut fœniculum; grandia folia gerat ferulæ, ſed anguſtiora, graui odore, in ſummitate umbellas producat floribus albicantibus; inde ſemen aniſiſimile, ſed candidius, habeatque radicem concauam, minimè profundam, & re vera potiùs petroſelini cicuta hortenſis folia, quàm ferulæ ſimilia habere obſeruatur, ut ſæpe eadem per hyemem non ſine periculo, quia eo tempore viroſo odore non ſcatet, pro petroſelino collecta fuerit; cuius hiſtoriam refert Matthiolus Iacobi Antonij Cortuſi horti noſtri Patauini olim præfecti doctiſſimi, qui deceptus à formæ ſimilitudine veneno cicutæ, ancillæ ignorantia, quaſi interemptus eſt.

Docet Dioſcorides & modum colligendi cicutæ ſuccum, & eius multiplicem in medicina uſum; aſſerit namque opportunè miſceri in collyrijs doloris ſedandi gratia ardorem eryſipelatum illitam extinguere; herpeteſque compeſcere. folia trita, & contuſa teſtibus circumlita, tum libidinoſas imaginationes coercere, tum ſeminis profuſioni obnoxijs opitulari; reddere tamen ex vi temperamenti ſui genitalia languidiora, effœtaque; lac extinguere, & mãmas in virginibus, ne immodicè creſcant, cohibere;

bere: quemadmodum & puerorum teſtibus contuſa, & applicita planta eos contabeſcere facit. Cæterùm Hippocratem cicutæ uſum in medicina recepiſſe putamus; quod elici poſſe videtur ex lib. de natura mulieb. qui, ut uterum purgaret, ſumebat cicutæ quantum tribus capitur digitis, & ex aqua exhibebat, forſan tamquam diureticum medicamentum, ut à quibuſdam cenſetur.

His igitur lector beneuolus contentus ſit, & ferat benignè exiles hoſce meos conatus; & propediem expectet, ſi Deus Optimus Maximus auſis fauebit, ſubterraneorum naturam, lapidum, gemmarumque in gratiam medicæ facultatis explicatam.

FINIS.

I N 3

INDEX

RERVM MEMORABILIVM

LIBRI PRIMI.

A

ABſynthium in morboſis iecoris affectionibus, tam à pituita quàm à bile profectis, opem affert. cap.24.pag.70

Abſynthinm non tollit calidam & ſiccam iecoris temperiem, niſi à craſſis & pituitoſis humoribus exortum habeat. ibid.

Abſyothinm quamuis, & colocynthis amariſſima ſit, Aloë tamen communi ſenſu & in principio, & in fine amariſſima cenſetur omnium. c.60.p.194

Aconiti, aut Napelli præcipuum Antidotum eſt lapis Bezoar Orientalis verus. c.39.p.121

Aconiti corrumpendi vis non à temperamento præcipuè, ſed à proprietate naturæ dependet. c.38.p.115

Aconiti lycothoni Dioſcorides tres ſpecies tradit. ibid.

Aconiti ſucco digito madefacto quomodo verificetur, ſolo genitalium tactu mulieres interfici? ibidem in fine, & pag. 116

Acooiti tactu Scorpiones torpeſcere. c.26.p.77

Aconiti veneno aduerſantia. c.32.p.92

Aconiti venenum, quo tela Miſſilium olim intincta fuere, quomodo interimat quæritur, & reſoluitur. c.38.p.115.116

Aconiti vis medicamentis ſiccis euincitur. c.38.p.115

Acanthum ubi ante octennium emarcuerat, denuò germinaſſe Scaliger obſeruauit. c.17.p.50

Aconitum, apud Plinium, viperæ veneno aduerſatur. c.25.p.74

Aconitum calidum & humidum eſſe. c.38.p.115

Aconitum, cuius ſpecies eſt Napellus, ſi aſſumptum ſit, qualibus ſymptomatis ſe detegat. c.38.p.119

Aconitum Dioſcoridi duplex eſt, Pardalianches, & Lycothonon. c.38.p.114.115

Aconitum Epilepſiam excitare. c.38.p.115

Aconitum, & hydrargyrum quòd inter Alexipharmaca connumerentur, hoc per accidens eſt. c.25.p.74

Aconitum, & venena ſimilia, propriè Alexipharmaca non ſunt. c.24.p.70

Aconitum innoxiè exhibetur, & cum fructu, ſi ab homine præaſſumptum, vel poſtſumptum venenū inueniat cum quo colluctetur, quodque proſternat. c.26.p.77

Aconitum lycothonum non tantùm radice, ſed etiam folio, & ſemine nocet. c.38.p.115

Aconitum non eſſe frigidū, quia in Ponto naſcatur. ibi.

Aconitum oculorum medicaminibus utiliter miſcetur. c.26.p.77

Aconitum Pardalianche idem fuiſſe cum Pthora Parkinſonius exiſtimat. c.38.p.115

Aconitum pernicioſiſſimum venenum quibus remedijs expugnetur. c.39.p.121

Aconitum Plinius homini pernicioſum pronunciat, & tamen quadrupedibus non venenatum aſſerit. c. 38. p. 114

Aconitum Plinius pernicioſiſſimum venenum inter Alexipharmaca refert. c.24.p.69.in fine.

Aconitum putrefacit Arſenicum ipſum. c.38.p.115

Aconitum veneno Scorpionis aduerſari, quia intenſionem admittit, & remiſſionem. c.26.p.75.77

Aconitum venenorum celerrimum exiſtimatur. c.38. p. 114

Aconitum Veteres in vino calido contra Scorpionum ictus exhibebant. c.24.p.69. in fine.

Actio formalis ut edatur, requiritur diſpoſitio temperamenti determinata. c.23.p.67

Actio purgandi an per attractionem fiat, vel alia cauſa. c.48.p.158.159

Actiones naturales quamuis non citra finem fiant, hunc ipſum tamen nec ſemper rebus ipſis ineſſe, nec ſemper cognitum eſſe nobis. c.48.p.159

Actiones vitæ ſunt animæ, non inſtrumenti. c.4.p.19

Adamantis puluis inter Alexipharmaca repoſitus. c.28. p.82.in fine, & 83

Adamas gemma paleas attrahit. c.28.p.83

Adamas venenis aduerſatur. c.32.p.88

Adiantum in denſo, atque opaco aere melius viuit. c.18 p. 52. in fine.

Adiantum, Phyllitidem paſſim naſci, perfectioribus plantis nec corporum conformatione, nec temperamenti, & virium dote cedentia. c.13.p.38

Adiantum puriſſimo gaudet alimento. c.18.p.53

Ægri ut natura cognoſcatur, quænam diligenter indaganda ſint. c.51.p.168

Ægris ad nauſeam quæ offerenda? c.52.p.170

Ægro frequenter aduerſatur forma ipſius medicamenti venenata, aut maligna vis, aut temperamenti exceſſus, vel ſingularis in odore, aut ſapore ingratitudo. c.52. p.169

Ægros, torpore & ſomno inducto, ad ſtuporem & ad mortis uſque extremum deducere, hæc à vino, à ſpiritu vini, à tabaccho producit. c.37.p.108

Ægrum in venenis aſſumptis deſperatum habet Cardanus, ſi in ægri vrina demerſi oui luteum nigreſcat. c.33.p.95

Ægypti in aridis & ſabuloſis locis ingentes Sycomori, & Palmæ altiſſimæ. c.19.p.55.56

Aer cordi neceſſariò deſtinatus. c.5.p.22

ex Aere & generationes, & corruptiones conſequuntur. c.13.p.38

Ære ex uſto prodeunt flos ęris, & ſquama eiuſdem; deinde ærugo, ſiue viride æris. c.36.p.104

Æra in vſto Dioſcorides vomitoriam tantummodò facultatem agnouit. c.126.p.306

Æris albi florem ſe vidiſſe Ferrariæ Fallopius fatetur. c.106.p.269

Æris albi flos commendatur ad aurium ſurditatem. ibi.

Æris circa loti uſum quia apud Seplaſarios intercidat abuſus. c.106.p.268

Aeris cum rebus genitis inexplicabilis conuenientia. c.13.p.38

Æris ærugine Seplaſarios uti pro flore æris. c.106.p.268

Æris, & æruginis æris veneno quibus Alexipharmacis occurrendum. c.36.p.104

Æris ærugo in noxis edendis Arſenicum æmulatur. ibid.

Æris ærugo quænam ſymptomata prodat. ibid.

Æris florem adhiberi à Dioſcor. ad pituitam educendam duorum obolorum pondere. c.106.p.269

Æris florem calidam æris naturam neceſſariò ſequi. ibi.

Æris florem Chimici ſecuriori modo ex æris placenta colligere profitentur. ibid.

Æris florem cum melle adhibitum uvæs fluxiones, & tonſillarum reprimere. ibid.

Æris florem, ex Dioſcor. adſtringentis eſſe facultatis a

cohi-

cohibere excreſcentias, & abſtergere. ibid.
Æris florem habendi modum quomodo Dioſcorides doceat. ibid.
Æris florem legitimum Dioſcorides laudat, dum teritur friabilem, valde ruffum, ponderoſum & ſplendentem. ibidem.
Æris florem lotum miram habere ſimilitudinē in phlegmate educendo cum plantis. c.106.p.268
Æris florem non ſine magna difficultate colligi. c.106. p.269
Corpora nonnulla ſunt tam difficilia ad purgationem, vt etiam validiſſimorum multiplicati doſi opus ſit; nonnullis tam facilè ſolubilia ſunt, vt largiore vel ſimplici lenientium doſi in calamitoſos fluxus inciderint. ibid.
Corpora non tantùm calida & humida, ex Hercule Saxonia, ſed etiam calida & ſicca, frigida & ſicca venena generant. c.27.p.78
Corpora Viuentium non vnico conflari humore, nec mixta quæque unico conſtare elemento. c.107.p.270
Corpora vniuerſa, ex Galeno, ex duobus conſtant principijs. c.21.p.59
Corpore in humano tumores tunicati naſcuntur. c.14. p.41

Corpori hominis humorum prauitatem, obſtructionem, & corrumpens virus innaſci, Galenus ait. c.27.p.77
Corporis humorem mouendi determinatum, eſſe vim à forma ipſa, fierique per potentiam ipſi inditam. c.50. p.165
Corporis veræ partes pendent à ſanguine tenuiſſimo. c.5.p.22
Corpus humanum, ex Hippocrate, quatuor obtinere diſtinctos humores, eiſque pro diuerſa anni tempeſtiuitate magis, aut minus abundare. c.57.p.167
Cortex denſior ubicunque à vulneribus in cicatricem coaluit, germina non prodeunt. c.15.p.42. in fine.
Coturnices helleboro fruuntur veluti familiari ſibi, & grato alimento. c.21.p.60
Coturnicis caro aſſumpta purgat. c.23.p.67
Cranium humanum aduerſus Epilepſiam antidotum præbet. c.21.p.59
Cremia non rarò ad fruticum altitudinem perueniunt. c.19.p.55
Cremium eſt arborum, aut fruticum inſtar, ramo lignoſum folijſque minutiſſimis, qualis roſa, hellenium, abrotanum, Serpillum. c.11.p.34
Cremium eſt planta, herbâ magnitudine & craſſitie maior, caule lignoſo, & perenni, ſed multiplici, vt roſa. c.12.p.36
Cruentæ deiectiones, ſi quidem bonæ ſunt, exonerantis ſe ſanguinis mole, effectus naturæ ſunt. c.51.p.167
Cucumeres ab olei contactu ſe ſubducunt. c.2.p.8
Cucumeris agreſtis flores lutei, palleſcentes, cucumeri ſatiuo non abſimiles. c.127.p.307
Cucumeris agreſtis foliorum ſuccum inſtillatum doloribus aurium optimè conducere. c.127.p.309
Cucumeris agreſtis fructus ad maturitatem perducti, vel leuiſſimè tacti, in obuium contrectantem diſſiliunt, liquorem viroſum amarumque ſimul cum ſemine iaculantes. c.127.p.307
Cucumeris agreſtis fructus echinati, domeſticis cucumeribus æmuli, oblongi, ſed minores, & hirſuti, petiolo tomentoſis ramulis adhæreſcente. ibid.
Cucumis agreſtis in medica facultate uſum à primis uſque ſeculis obtinuit frequentiſſimum. ibid.
Cucumeris agreſtis medicamenti concinnandi modum exactè Dioſcorides deſcribit. ibid.
Cucumeris agreſtis medicamenti Hippocrates varijs in locis mentionem fecit. ibid.
Cucumeris agreſtis medicamentum quò vetuſtius, eò melius dari, imò ad ducentos annos perdurare. ibid.
Cucumeris agreſtis radicem cum polenta œdema diſſoluere, & cum reſina applicita tubercula dirumpere. c.127.p.309
Cucumeris agreſtis radicem in aceto decoctam ad podagricos dolores adhiberi, Ischiadicisque prodeſſe eius Decoctum. ibid.
Cucumeris agreſtis radicem infuſam dentium dolores demum ex re colluſione; maculas faciei ſiccam tritamque emendare; vitiligines, impetigineſque, & lepras abſtergere, cicatrices obliterare. ibid.
Cucumeris agreſtis radicem Prauotius autumat calidã eſſe in tertio, ſiccam in ſecundo. c.127.p.308
Cucumis agreſtis ſarmentoſa planta eſt repentibus cauliculis, cucumeris ſatiui folijs, ſubrotundis, maiori ſcabritie tamen præditis, colore quaſi cinericio. c.127.p.307
Cucumeris agreſtis ſemen pullo colore colocynthidis inſtar, craſſa radice, brioniæ aut rhaphani non diſſimile. ibid.
Cucumeris agreſtis ſucci exigua doſi Veteres per vtramque partem ſeroſos humores pituitamque ducebant. ibid.
Cucumeris agreſtis ſuccum à bimatu ad decennium tantummodò viribus integris ſufficere Dioſcorides tradit. ibid.
Cucumeris agreſtis ſuccum ad quinquageſimum annum perdurare integrum, Dioſcorides tradit. c.51.p.168. in fine.
Cucumeris agreſtis ſuccum elaterium eſſe, quem Veteres non tantum exprimebant ex eius fructu, ſed etiam ex radice condenſatum ſeruabant. c.17.p.307
Cucumeris agreſtis ſuccum, habet Dioſcorides, citra ſtomachi noxam purgare pondere ſeſqui oboli, & eius cortices quarta acetabuli parte bilem & pituitam educere, præcipuè in hydropicis. c.127.p.309
Cucumeris agreſtis ſuccum Veteres elaterium vocabant à vi quadam, qua humores turbando agitabat. c.127. p.307
Cucumeris agreſtis ſuccus ad varia morborum genera profliganda electiſſimum exhibet medicamentum. ibi.
Cucurbita intra quatuor menſes tantum augetur, quantum intra quatuor annos vix excreſcit vitis, aut ſtirps alia. c.19.p.55
Cupreſſi in Creta inſula, vix admotâ terrâ, emergunt. c.13.p.38
Cuſcuta an ſit Plinij Caſſyta. c.109.p.273
Cuſcuta cum diuturno uſu ventriculum grauet, aniſi momentum adiungendum. ibid.
Cuſcuta grandior eſt epithymo, ſine folijs floſculos producit albos in capitulis, ſuperuacuo ſemine abundantibus. ibid.
Cuſcuta plantis diuerſis innaſcitur, propria radice deſtituta. ibid.
Cuſcutæ purgandi vim non ſemper reſpondere, quemadmodum & plantam, cui inhæret, diuerſam eſſe temperamento pro ratione alimenti, quod ex diuerſis ſubiectis trahit, Auctor non dubitat. ibid.
Cuſcutæ temperamentum definit Matthiolus, quòd ſit in gradu primo caloris, & in gradu ſecundo ſiccitatis. ibid.
Cuſcutam, aſſerit Matthiolus, abſtergere, & roborare cum quadam adſtrictione. ibid.
Cuſcutam commendat Matthiolus in iecoris, & lienis obſtructionibus, morbo regio, urinæ difficultatibus. ibid.
Cuſcutam puerorum febribus aduerſari, & ſanguinem à pituita & bile purgando, puriorem reddere. ibid.
Cuſcutam Recentiores eamdem faciunt naturâ cum Epithymo. ibid.
Cuſcutam vino iunctam, minimè purgare Fallopius ſcribit. ibid.
Cyanei lapidis non loti temperamentum ad tertium caliditatis & ſiccitatis gradum accedit. c.115.p.285
Cyanei lapidis notæ quibus diſtinguitur præſtantia habentur ex Serapione, & Meſue, qui dicunt illum leuē eſſe oportere, & ſine aſperitate. c.115.p.284
Cyanei lapidis Plinius plura genera à loco diſtincta ponit, præſtantiorem tamen exiſtimat Ægyptium. ibid.
Cyanei lapidis vim Veteres latuiſſe. ibid.
Cyaneo ex lapide pigmentum pretioſiſſimum paratur vulgò Azurro oltramarino vocatum. modum docet parandi Anſelmus Boot. ibid.
Cyaneo ex lapide, quemadmodum ex Armeno pulcherrimum parari pigmentum. ibid.
Cyaneo in lapide micare undequaque atomos quaſi aureas viſibiles. ibid.
Cyaneo lapidi colorem dediſſe nomen. ibid.
Cyaneum lapidem ad profligandos melancholicos affectus eſſe maximè utilem Actuarius aſſerit. ibid.
Cyaneum lapidem, ait Meſue, eſſe oportere aureis micis refertum, purum ſine maculis alterius lapidis, tractus continuacem &c. ibid.

Cya-

Cyaneum lapidem, ex Auicenna, putrefactiuam poſſidere qualitatem, excedentem, eſcharoticamque. p.115 p.285
cyaneum lapidem in pluribus Europæ fodinis reperiri. c.115.p.284
cyaneum lapidem marmoreum eſſe, ſiue marmoris ſpeciem Dioſcorides aſſeruit. ibid.
Cyaneum lapidem Meſue ſtellatum appellat. ibid.
Cyaneum lapidem Præuotius corrigit Cardiacis in iure pulli. ibid.
Cyaneus antiquioribus notiſſimus lapis, Latinis cæruleus dictus, Officinis vero lapis lazuli. ibid.
Cyaneus lapis aduerſatur maniæ, ictero nigro, incubo, epilepſiæ, quartanæ febri, lepræ. c.115.p.285
Cyaneus lapis aſthmati conducit, ſyncopi, & cordis tremori. ibid.
Cyaneus lapis, ex Meſue, purgat melancholiam, & & atram bilem, ſanguinemque depurat. ibid.
Cyaneus lapis lotus exhibetur in ſubſtantia à drach. j. ad drach. ij. vſque ad drach. ß. ibid.
Cyaneus lapis lotus in actiuis temperatus euadit cum quadam ſiccitate, quæ gradum primum non excedit. ibid.
Cyaneus lapis magnum euadit medicamentum ſi concinnè præparetur. c.115.p.284.in fine.
cyaneus lapis non lotus exurit, & cruſtas inducit. c.115.p.285
cyaneus lapis præſtat ille, ex Dioſcoride, qui in fodinis ærarijs Cypri repeſitur. c.115.p.284
cyaneus lapis ſplenicis affectibus occurrit, corpuſque floridum reddit. c.115.p.285
cyaneus lapis vomitum concitat. c.51.p.167
cyclamini alteram Dioſcorides delineat ſpeciem, quam repentem vocat. c.98.p.258
cyclamini è radice, Arabes, & Meſue vnguentum ſuum de Artanita parant. ibid.
cyclamini ea ſucco ad aurium ſurditatem tollendam medicamentum peculiare paratur. ibid.
cyclamini flores ſubalbidos eſſe tradit Meſue, plantam veró ſine caule. ibid.
cyclamini nomen à quo Græcis deductum ſit. c 98.p.257
cyclamini radicem dicit Dioſcor. eſſe nigram rapo proximam aliquantulum latam: addit Meſue eſſe intus albam. c.98.p.258
cyclamini radicis ſuccus exhibetur ad drach. iiij. cum ſaccharo ad cocturam tertiæ partis remixtus; vel ſumitur cum oxymellite. ibid.
cyclamini radicis virus emendant lauri folia baccæque, & gentianæ maioris radices. c.32.p.93
cyclamini radix, ex Meſue, de collo ſuſpenſa conceptum prohibet; & ex Dioſcoride utero gerenti abortum efficit. c.98.p.259
cyclamini radix reſoluit, attenuat, incidit, abſtergit. c.98.p.258
cyclamini radix, validiſſimâ eſt acrimonia referta. ibid.
cyclamini temperamentum, ſecundum Meſue, in initio tertij gradus calidum eſt. ibid.
cyclaminorum variæ differentiæ à Botanicis referuntur, à foliorum colore, florum forma, radicis colore, & varietate diſſimiles. ibid.
cyclaminos Meſue in duo genera diſpertitur, in maiorem, & minorem. ibid.
cyclaminum ait Dioſcor. eſſe caule quaternorum digitorum, nudo & inani, in cuius ſummo flores erumpunt purpuraſcentes. ibid.
Cyclaminum alopecijs vtiliſſimum, & maculis delendis. Podagræ, pernionibus, & luxationibus cum fructu adhibetur. c.98.p.259
Cyclaminum, dum flores emittit, caulem, licet breuem, obtinere inanem, & ſine folijs. c.98.p.258
Cyclaminum & per os aſſumptum, & exteriùs cataplaſmatis in modum ventri applicitum, aluum ſubducere valet. ibid.
Cyclaminum hydropicis eſſe vtiliſſimum ait Meſue, quibus opitulandis modum docet. ibid.
Cyclaminum inſigni cathartica vi pollet, pituitam trahit etiam craſſam, & à penitioribus quoque partibus. c.98.p.257.in fine.
Cyclaminum in ſubſtantia cur tutò non adhibeatur. c.98.p.258
cyclaminum in vino ſumptum, & exteriùs applicitum, morſum ictumque venenatorum animalium ſanat, cutem abſtergit, & affectus cutaneos emendat. c.98. p.259
cyclaminum naribus innixum adminiſtratur tanquam caputpurgium. c.98.p.258
cyclaminum Veteres exhibebant in ſubſtantia. ibid.
cyclaminus affectus neruoſos ſanat, cerebroque, & oculis confert, contumacioribus capitis doloribus obſtat. c.98.p.259
cyclaminus deſcribitur à Dioſcor. folijs herbaceis in viridi purpuraſcentibus, varijs albicantibus maculis. c.98.p.258
cyclaminus icterum ſanat, colicos dolores ſuperat, retentaſque inopportunè fæces per aluum feliciter deducit. c.98.p 258. in fine.
cyclaminus menſes ducit, hæmorrhoidas excitat, ſedis procidentiam comprimit illitione, abortum inducit, & partum facilitat. c.98.p.259
cyclaminus ruſticis panis porcinus appellatur, quod ſues hac radice maximè delectentur. c.98.p.258
cyclaminus venenis aduerſatur, ſed vi ſua peculiari leporis marini virulentiæ. c.98.p.259
cyclaminus vim à natura catharticam obtinuit validiſſimam, craſſam pituitam, ſerumque, & quidem à partibus longinquis trahendi. c.98.p.258
cyclaminus viſcerum obſtructiones validè tollit, præcipuè lienis; ſudorem copioſum promouet. c.98.p.258. in fine.
cynocrambe benignis hydragogis medicamentis adſtipulatur. c.123.p.303
cynocrambe bilem, & pituitam, necnon & melancholiam, ſed præcipuè, & in primis ſerum detrahit, & aquoſa. ibid.
cynocrambe decoquitur in iure à manipulo ſemis ad manip. vnum & ſemis; & olerum more oleo condita conceditur. coquitur cum aromatibus. ibid.
cynocrambe de temperamento nihil certi ex Dioſcoride elici poteſt. ibid.
cynocrambe Dioſcoridis temporibus non ignota planta fuit. ibid.
cynocrambe Græcis, Braſſica canina Latinis, & Mercurialis ſylueſtris mas appellatur. ibid.
cynocrambe in omnibus ferè noſtræ Mercuriali ſylueſtri aſſimilatur. ibid.
cynocrambe Præuotius calidum & ſiccum in primò æqua gradu facit. ibid.
cynocrambe ſemen folijs adhæreſcere Dioſcorides ſeribis. c.123.p.303. ibid.
cynocrambe vires & facultates haud diſſimiles ſunt Mercurialium plantarum conditioni. ibid.
cynocrambe vires, quas Veteres ſuo aſſignauere, in noſtro elucent euidentiſſimo experimento. ibid.

D

DActyliferæ palmæ, fœminæ vocatæ, vix ad maturitatem fructus producunt niſi marium aſpectu, afflatuque recreentur. cap.2.pag.7

Dactylorum nuclei ſpiritu vini immacerati citiùs producere plantam compertum. c.17.p.50

Daphnoidis Plinius exhibet folia, ſiue ſemina trita cum ſale ad drach.iij. infuſa in hydromellite. c.103.p.264

Daphnoidis Plinius exhibet folia, ſiue ſemina trita cum ſale ad drach. iij. infuſa in hydromellite.c.103.p.264

Dauid harmonico concentu in Saule pythonicum ſpiritum ſedauit. c.47.p.153.in fine.

Dœmonem quidem potentem eſſe & multiſcium, non omnipotentem, & omniſcium. c.47.p.154

Dœmonem volentem afficere corporis molem, uti corporeis & naturalibus remedijs, applicando actiua paſſiuis, ſine cuius miniſterij ope nihil operari poſſe. ibid.

Dœmonum actiones ut animæ dum ſe materialibus immiſcet paſſionibus, & ob id iiſdem obnoxios eſſe, & ut illa remedijs ſubiectos; remedia per formas ſuas operari & eas aduerſari Dœmoni munere prouidentiæ cœleſtis, quæ etiam precibus piè adhibitis conſtituanda. c.47.p.155

Dœmonum ex tacita, vel expreſſa pactione, & ex Dei permiſſione verba, & characteres multa efficere valent. c.47.p.154

Delphinij folia oblonga, repanda, tenuia, & flos purpureus, ut flos geniſtæ. c.111.p.275

Deum è terra creaſſe medicinam, igitur eius vis irrita reddi nequit, niſi eo ipſo volente. c.47.p.154

Deus rerum omnium Auctor inacceſſibilis lux, ita ignis abſumens. c.3 p.12

Dij nunquam rectè ſine precatione conſulti fuere. c.47. p.153

Doronicum Matthiolus dœmonicum potiùs, quàm Doronicum dicendum ſcripſit. c.38.p.114

Doronicum Pardalianches quamuis externâ Doronici brachiati figura ſimile ſit, innoxium tamen eſſe homini, imò ſalutare, præter Geſnerum, alij multi teſtantur Auctores. ibid.

Dorychnij aſſumpti ſymptomata concomitantia qualia ſint. c.38.p.118

Dorychnij veneno quænam aduerſentur. c.39.p.120

Dorychnio, & maniaco Solano, necnon & ſomnifero opponuntur amygdalæ amaræ. c.32.p.93

Dorychnium qualia ſymptomata edat? c.38.p.113

Dorychnium Recentiorum nec temperamento, nec ſubſtantia Veterum Dorychnio correſpondet. ibid.

Dorychnium Veterum multi contendunt eſſe Solanum ſomniferum, probantque Dioſcoridis auctoritate. ibid.

Draconis marini, & Paſtinacæ marinæ ictui venenato quænam adhibeantur. c.32.p.92

Dulcamara a flore baccas parvulas promit, teretes, oblongas, initio virides &c. c.64.p.207

Dulcamara ſapore dulci, & amaro compoſita eſt. c.64. p.206

Dulcamara ſarmentoſa planta eſt, caulibus exilibus lignoſis & gracilibus, minimè rimoſis &c. ibid.

Dulcamara Veteribus haud cognita, vel ſaltem non deſcripta. ibid.

Dulcamaræ Dodonæus eas vires tribuit, quas Dioſcorides cyclamino alteri aſſerit. c.64.p.207

Dulcamaræ flores quinque foliolis conſtant, racematim a ramulis prodeunt violaceo colore. ibid.

Dulcamaræ temperamentum varium creditur, quamuis eius prædominans vis in calore deſinat, Græci γλυκύπικρον & γλυκυπικρίδα vocant. c.64.p.206.207

Dulcamaram, aſſerit Lobellius, ſeroſitates, & vrinam ducere, obſtructiones tollere, ictero conducere, lacque in mammis augere. c.64.p.207

Dulcamaram, aſſerit Matthiolus, & faciei maculas, delere, & ictero, hydropique conducere, & aluum, & vrinam ciere. ibid.

Dulcamaram Dodonæus calidam & ſiccam autumat. ibi.

Dulcamaram Dodonæus putat eſſe cyclaminum alterum Dioſcoridis. c.64.p.206

Dulcamaram, ex Matthiolo, eſſe vitem ſyluestrem Dioſcoridis. ibid.

Dulcamaram, habet Dodonæus, obſtructiones iecoris porrique tollere emendare; pollere ad regium morbum, hernias ſanitati perducere; conuulſis, & ex alto cadentibus ſuccurrere &c. c.64.p.207

Dulcamaram, habet Lobellius, excalfacta refrigerare, & refrigerata calefacere. ibid.

Dulcamaram herbarij Solanum ſcandix appellant. c.64. p.206. in fine.

Dulcamaram Præuotius inter leniter purgantia bilem, ac tenuem pituitam repoſuit. ibid.

E

EBuli acinorum humor capillos denigrat; ſed vis magis vegeta in Ebulo ad omnia quàm in Sambuco reperitur, licèt vtrique facultas ſimilis c.128.p.311

Ebuli, & Sambuci nominis ratio in quo conſiſtat. c.128 p.310.

Ebuli, & Sambuci temperamentum ambiguum eſſe. ibi.

Ebuli ex ſecundo cortice medio vocato viridi Matthiolus vnguentum concinnat ambuſtis vtiliſſimum; ſinuoſa vlcera, & calloſa glutinat. c.128.p.311.

Ebuli folia contuſa canum morſibus aduerſantur impoſita cum polenta. ibid.

Ebuli in cauliculorum bicubitalium ſummo ſe pandit vmbella albis floribus ſambuco ſimilibus, à quibus acini emergunt non differentibus, nec diſſimili ſucco præditis. c.128.p.310.

Ebuli planta quia ſtomacho infenſa, vino corrigenda eſt. c.128.p.311.

Ebuli radix Viperarum morſibus occurrit, ſerpentesq; ſuffitu fugat; corrigit vteri, & pudendi tumida orificia, emollit, & aperit. ibid.

Ebuli ſemina parua, dura, oblonga, radix longa ſuccoſa. c.128.p.310.

Ebuli ſeminum doſis eſt à ℨ i vſque ad drach. ij. Infuſio radicis Ebuli magis efficax eſt, purgatque eiuſdem decoctum. c.128.p.311.

Ebuli ſingulis geniculis folia erumpunt alba pluribus foliolis petiolo craſſo, & neruoſo hinc inde adhærentibus minoribus quam quod ſint in Sambuco amygdalina forma &c. c.528.p.310

Ebuli ſuccus ebullitus, & in peſſo exceptus inditus, ledis procidentiam, & vteri reprimit, menſes aduocat. c.128.p.311.

Ebuli ſuccus ſi circa collum reponatur, Anginæ inflammationem repellit. ibid.

Ebulo, & Sambuco Dioſcorides vires vtrique pares, & facultates parum inferiores tradit. ibid.

Ebulorum turiones tenelli aſparagorum more ſumpti, pituitam & ſerum detrahunt, imò etiam bilem, quod facit ex Dioſcor. radix in vino decocta. ibid.

Ebulum Ælio vocari ait Plinius. c.128.p.310

Ebulum Camæacten vocat Dioſcorides. deſcribitur ab eodem annua planta, & herbacea, minoribus ſcapis & teneirioribus quadrāgularibus, & geniculatis. &c. ibi.

Ebulum catharticè ſeroſitates maxè educere; hydropicis ſummoperè conducere; quam facultatem habere etiam Sambucum experimento compertum eſt. c.128.p.311

Ebulum cum Sambuco combinat Dioſcorides, quamuis diſtinctas plantas inter ſe eas cognoſcat. c.128.p.309

Ebulum Dodonæus in tertio gradu calidum & ſiccum facit. c.128.p.310. in fine.

Ebulum eſſe annuam plantam, Sambucum verò arborem perennem. c.128.p.309.
Ebulum, & Sambucum Dioſcorides ſiccare tradit. Plinius refrigerare faſſus eſt. Galenus ad inflammationes adhibet. c.128.p.310
Ebulum, & Sambucum, plantas eſſe ſimiles virium caliditate, & temperamenti pari conditione donatas. c.128.p.309.
Ebulum inflammationes compeſcit; vrinam acini mouent. c.128.p.311.
Ebulum ita dictum eò quia feruidos ebullitione humores validè educat. c.128.p.310
Ebulum œdematoſos tumores diſcutere. c.128.p.311
Ebulum podagræ doloribus occurit cum ſeuo taurino vel hircino. ibid.
Ebulum Prauotius temperatum ponit in paſſiuis, & in primo gradu calidum pronunciat; verùm ad medium corticem quod attinet, eſſe frigidum & humidum habet in ſecundo gradu. c.128.p.310.
Elaterij acrimonia quomodo corrigatur? c.127.p.308 in fine.
Elaterij elaborati ſigna ex Dioſcoride qualia ſint. c.127.p.308.
Elaterij optimi Plinius ex eo notas deprehendit, quòd lucernis appoſitum, antequam eas extinguat, ſurſum & deorſum prius ſcintillare cogat. ibid.
Elaterij præcipua vis cathartica eſt, & per vtramque partem ducit. c.127.p.308. in fine.
Elaterij vis extinguitur à menthæ ſucco. c.32.p.93.
Elaterio Galenus aſſignat temperamentum, vt calidum in ſecundo gradu, ſiccumque ſit. c.127.p.308.
Elaterio qualem Auctores aſſignent colorem. ibid.
Elaterium, aſſerit Meſue, à ſexto menſe ad duos tantummodò integros annos vim ſuam ſeruare. c.127.p.307
Elaterium doloribus capitis, aquâ dilutum, & per nares attractum, conducit, ciet Menſes in ſucco ſubditum; ſed partum necat; illinitque in Anginis efficaci cum ſucceſſu Dioſcorides tradit. c.127.p.309.
Elaterium ducit ab omnibus partibus præcipuè ſeroſos humores, pituitam deindè, poſtremò etiam bilem ſi ſit in promptu. ibid.
Elaterium, ex Lobellio non ex ſucco tantummodò fructus confici ſolet, ſed etiam ex liquore ex ſeminibus expreſſo, quæ in fructu reperiuntur. c.127.p.308.
Elaterium, ex Theoph. tantam humiditatem continere, vt lucernis admotum, licèt antiquum ad quinquageſimum annum, lumen earum extinguere valeat. ibid.
Elaterium facilè hypercatharſin prouocat, etiam ſanguinem, dum ora venarum aperire traditur. c.127.p.309.
Elaterium Fallopius Scamonio calidius aſſerit; plures tamen ſunt, qui radici vim maiorem tribuunt. c.127.p.308.
Elaterium gradum tertium caliditatis obtinere, radicem verò ſecundū, rectius dici poſſe Auctor exiſtimat. ib.
Elaterium hydropicis vtiliſſimum euadit medicamentum; Icterum ſanat, & à Meſue ad iecoris, lienisque obſtructiones tollendas optimum cenſetur. c.127.p.309.
Elaterium Paulus nil vetuſtius integro anno probat. c.127.p.307.
Elaterium qua doſi Dioſcorides exhibeat? c.127.p.308
Electri vaſa venenorum fraudem detegere. c.29.p.82.
Electuarium de ouo Maximiliani Imperatoris venenis aduerſatur. c.32.p.91.
Elementa corpora animantium afficientia ſi magnas inducere mutationes debent, neceſſarium eſt, vt mole pariter magna ad effectum producendum concurrant. c.21.p.60.
Elementa corpus animantium afficientia cùm determinatas alterant partes, vlteriùs vires ſuas non extendunt. ibid.
in Elementis mixtionis omnis, principijs actu non eſt vis, aut facultas. c.21.p.61
Elementorum concurſum quodcunque non animati, ſed temperamento quidem præditi corporis generatio conſequitur. c.13.p.39
Elementorum formas non interire cùm diſſoluitur mixtum, vel ſenſu ipſo cognoſcimus. c.22.p.63
Elephantem, ingens & pugnaciſſimum animal, triennio integro, Ariſtotelis teſtimonio, geſtat utero mater. c.17.p.49
Elleborati raphani vſus Veteribus familiaris fuit. c.116. p.289
Elleboratum vinum naturale conficitur purgatiuum, ſi hellebori planta prope vitium radices ſeratur. c.116. p.290
Elleboratus rhaphanus quomodo præparetur. c.116. p.289
Ellebori albi Extractum conficitur à recentioribus Chimicis, & quomodo illud exhibeant. ibid.
Ellebori albi peculiaris facultas eſt, vi ſua efficaciſſima humores per vomitum educere. c.116.p.288
Ellebori albi radicis fibra auriculæ perforatæ inſerta præſtat, ut & oculorum fluxiones cohibeat, & à parte abducat. c.116.p.289
Ellebori circa doſim ſatis meticuloſè Veteres ſe geſſere, ob ſymptomatum ab eo ſuperuenientium periculum. c.116.p.288
Ellebori correctorium ſeſamoidem Plinius ſcribit. c.116.p.287.
Ellebori genera duo ex Dioſcoride cognoſcuntur, album, & nigrum. c.116.p.286
Ellebori inuentio cui ex Dioſcoride, & Plinio tribuitur. ibid.
Ellebori medullam purgantem medicamenti facultatem impedire Plinius fatetur, habetque nimias vomitiones ab albo elleboro concitatas ſiſtere. c.116.p.288
Ellebori nigri deſcriptionem à Dioſcoride allatam Conſiligini potiùs congruere Renodeus exiſtimat. c.116. p.287
Ellebori nigri differentia etiam Priſcis notiſſima fuit. c.116.p.286
Ellebori nigri eligit Galenus radices tenues, ſed exemptis interaneis medullaribus. c.116.p.288
Ellebori nigri Extractum etiam in Officinis proſtat. c.116.p.289
Ellebori nigri figura quomodo à Dioſcoride delineetur. c.116.p.287
Ellebori nigri in Anticyra maximus prouentus. ibid.
Ellebori nigri radices à Dioſc. deſcriptas cum hellebori noſtri nigri differentia cōuenire. c.116.p.287. in fine.
Ellebori nigri radicum puluerem vitiliginibus, impetiginibus, lepræque ſalubriter occurrere, dolorem dentium colutione tollere. c.116.p.290
Ellebori nigri Recentiores quatuor exhibent differentias, & quales? c.116.p.287.
Ellebori nigri ſemen Dioſcorides Seſamo ſimile facit. ib.
Ellebori noſtri albi vires eaſdem eſſe cum relatis à Dioſcoride. c.116.p.286
Ellebori puluis ſi adhibendus, admiſceri poteſt cum Nymphæ conſerua. c.116.p.289
Ellebori purgatio innoxè ſuccedit, ſi vtumqꝫ optimè corrigatur. ibid.
Ellebori radices infiguntur, iuxta exigentiam, raphano per noctem, cuius ſuccus indè expreſſus bibi ſolet à drach. ſ. ad ſcrup. ij. ibid.
Ellebori virulentię correctoria ſunt præcipuè Nymphæa & mala cydonia. ibid.

ex

Elleboris Syrupus de pomis Regis Sabor conficitur; cuius conditionis eſt ſyrupus roſatus elleboratus Montani. ibid.
Elleboro albo Hippocrates vtitur ad excitandam validiſſimam per vomitum purgationem. c.116.p.286
Elleboro de nigro quæ à Dioſcoride produntur, ea elleboro noſtro conuenire. c.116.p.287
Elleboro in albo calorem moderatiorem Meſue dicit. c.116.p.288
Elleboro nigro, aſſert Plinius, Carneadem Philoſophum, antequam ad Zenonis libros confutandos accederet, prius mentem purgaſſe. c.116.p.287
Elleboro nigro Melampus Prœti filias furentes caprarum lacte, in quo elleborum infuſum fuerat, saluti reſtituit. ibid.
Elleboro nigro Priſci & facilius, & tutius vtebantur. c.116.p.290
Elleboro nigro Veteres ſummas aſſerebant vires, melancholicum humorem ſcil. atrabilaremque educendi. c.116.p.287
Elleboro vtrique Galenus temperamentum calidum & ſiccum aſſignat in tertio gradu. c.116.p.288
Elleborum album ad Paralyſim ſummoperè conferre à Medicinæ ſcriptoribus aſſeritur. c.116.p.289
Elleborum album ait Dioſcor. caulem gerere palmi altitudine, concauum, foliorum tunicis conuolutum. c.116.p.286
Elleborum album ait Plin. ſomnum inducere. c.116. p.289. in fine.
Elleborum album, aſſerit Dioſcorides, radices gerere numeroſas, tenues, fibratas candidas &c. c.116.p.286
Elleborum album attrahit ex ſuo delectu præcipuè bilem atram. c.116.p.289
Elleborum album bibitur cum liquidiore ptiſana, & cum panatella pingui. ibid.
Elleborum album capitis præcipuè proſpicit ſternutamenta excitando, humoreſque educendo. ibid.
Elleborum album deſcribit Dioſcorides plantaginis, aut betæ ſyluestris folijs, maioribus tamen, & breuioribus. c.116.p.286
Elleborum album Epilepſiam ſanare Plinius tradit exemplo Druſij clariſſimi Plebis Tribuni. c.116 p.289
Elleborum album & menſes excitare, & partum enecare Dioſcorides tradidit; imò & collyrijs, & ſuffitionibus vtiliter admiſceri voluit. c.116 p.290
Elleborum album, ex Hippocrate, corporibus ſanis non conuenit; quod etiam de ſenum, puerorumque habitibus cenſendum. c.116.p.289
Elleborum album in ſubſtantia exhibere ſemper ſuſpectum fuit. c.116.p 288
Elleborum album molitur ſeroſitates, pituitam, vtramque bilem; vomitum ciet, & per illum locum verſicolorum humorum congeriem vigoroſè educit. c.116. p.289
Elleborum album nigro terribilius operari Plinius fatetur. c.116. p.288
Elleborum album probatur contra febrium horrores in circuitionibus earumdem. c.116.p.290
Elleborum album, quod in æſtuatijs creſcit, tantam vim non habere. c.116.p.288
Elleborum cur ita appellatum. c.116.p.286
Elleborum Hippocrates nigrum appellat, quod per aluū deiectionem molitur. ibid.
Elleborum in puluere Paulus exhibebat. c.116.p.289
Elleborum Latinis Veratrum dici, quaſi mentem euertat, ſi eam inſania laborantem inueniat. c.116.p.286
Elleborum nigrum à Dioſcoride vocatur Melampium à Melampo caprarum cuſtode inuentore. c.116.p.286. in fine.
Elleborum nigrum auditus difficultatem ſoluere, tinnitum ſanare ex aceto illitum. c.116.p.290
Elleborum nigrum Comitialibus morbis, & articulorū auerruncandis, & paralyticis vtiliſſimum Veteres cognoſcebant, inſanientibus quoque, & lymphaticis. ib.
Elleborum nigrum hydropicorum ventri tumido admotum ſummoperè conducere. ibid.
Elleborum nigrum mentem efficaciter depurare, ingenij perſpicacitatem tribuere, cordique hilaritatem indere dicebant Veteres. c.116.p.287
Elleborum nigrum pecorum pituitam excedentem, & iumentorum feliciter extrahere Plinius tradit: ſic & quadrupedum ſcabiem ſanare cum cera, thure, & pice. c.116.p.290
Elleborum nigrum ſubditum menſes ducere, partumque auocare. ibid.
Elleborum nigrum ulceribus fœdis, fiſtuliſque congruā opem ferre; feram ſcabiem ſanare cum cedrino oleo, pice, aut cera. ibid.
Elleborum, præſertim nigrum inter validiſſima, & furentia medicamenta connumeratur. c.116.p.285
Elleborum propriè melācholiam catharticè reſpicit. ib.
Elleborum ventrem ſuperiorem, ſcamonium inferiorem mouere Ariſtoteles aſſerit. c.134.p.322
Elleborum Veteribus in frequenti & religioſo uſu habitum ad animi præcipuè aciem acuendam. c.116.p.286
Elleborum vtrumque quomodo corrigatur. c.116.p.288
Elleborus ſi copioſius circa radices marceſcat, uvæ purgandi vim acquirunt. c.16.p.48
Empedocles ſemina fructuſque arborum oua pronunciabat. c.9.p.30
Ephemeri venenum ignotum nobis eſt. c.38.p.113
Ephemero Dioſcorides opponit lac aſininum calidum, loco cuius & bubulum commendat cum potandum, tum ore detinendum. c.39.p.120
Ephemerum apud nos creſcens, non eſt venenatum. c.138.p.113
Ephemerum aſſumptum qualia ſymptomata pariat. c.38.p.118
Ephemerum quibus remedijs curetur. c.39.p.120
Ephemerum quod ab Ægypto, & Syria prouenit, purgat quidem tantum, & eſt hermodactylus Officinarum. c.38.p.113
Epilepſiam ab aura venenata, ab intus veneno latente eleuata, produci. c.27.p.78
Epithemata calida externa in venenis quomodo paranda. c.33.p.97
Epithymi nomen vnde deductum? c.108.p.271
Epithymi temperamentum, prout & facultas variare ſolet pro conditione plantæ cui innaſcitur. c.108. p.272
Epithymum à Dioſcoride florem appellari. c.108.p.271
Epithymum ait Meſue ex herbis eſſe creſcẽtibus in alijs herbis, & eſſe ſimile Cuſcutæ. ibid.
Epithymum an pendeat in deliteſcente forma in thymi nutrimento, an à propria thymi forma. ibid.
Epithymum cancro afflictis, nondum enormiter aucto, neque exulcerato affectu, malum minuit. c.108.p.272
Epithymum commendatur in capitis doloribus, melancholia, & Epilepſia; in tremore cordis, & deliquio. ibid.
Epithymum ducere bilem Plinius voluit. ibid.
Epithymum eſſe florem inquit Aetius, qui in thymo, in thymbra, & Stæbe ſæpè naſcatur. c.108.p.271
Epithymum etiam phlegma, prout Dioſcorides χολὴν μέλαιναν καὶ φλέγμα purgare ait. c.108.p.272
Epithymum, ex Meſue, ſuper omnia facilè & ſine moleſtia melancholiam ducere. ibid.
Epithymum hypochondriorum, & præſertim lienis re-

quumque

numque obſtructionibus tollendis vtiliſſimum a Meſue medicamentum credıtur. ibid.
Epithymum non florem thymi, ſed florem de thymo Plinius appoſitè ſcripſit. c.108.p.271
Epithymum non habet radicem. c.11.p.34
Epithymum non idem penitus cum thymo eſſe. c.108. p.271
Epithymum planta eſt in thymo prognata, denſiſque capillis inuolucri inſtar illud circumplexa, & viribus communibus, & nutrimento perfuſa. ibid.
Epithymum plantis quidem imperfectis annumeratum, viribus tamen vel perfectiſſimis non inferioris efficaciæ. ibid.
Epithymum pollet attenuandi, incidendi, aperiendique facultatibus, c.108.p.272
Epithymum propria radice caret, in qua alias ἐγκάρδιον conſtitutum. c.108 p.271
Epithymi prouentus mirabilis, cùm conformatione à thymo diſtinctum ſit. ibid.
Epithymum quomodo corrigendum. c.108.p.272
Epithymum rectè adhiberi poſſe in ſubſtantia à drach.j. ad drach.vj. in decoctione verò ab vnc.i. ad drach.x. vel vnc.jſ. ibid.
Epithymum ſequi conditionem temperamenti eiuſdem cui innaſcitur plantæ. ibid.
Epithymum ſplenis affectibus ab humore melancholico excitatis medetur. ibid.
Epithymum thymi Galenus calidum & ſiccum pronunciat in tertio gradu; Meſue verò in ſecundo. ibid.
Epithymum θύμου ἄνθος, Thymi florem eſſe Dioſcorides ſcribit. c.108.p.271
Equi in Arabia, Cameli, Capreoli, & huiuſmodi alia animalia non frigida, pauciſſimum cibi, & potus ſumunt. c.41.p.135
Equo corrupto, animalis quoque huic tributa ratio deletur. c.15.p.44
Erucæ in papilionem mutatio reprobatur, cùm terminus illius ſeminis, à quo fit eruca, non fit eruca, ſed papilio. ibid.
Erucæ pini non tantùm aſſumptæ nocent, verùm & morſu, & a fractu pruritum ingentem excitant c.40.p.125
Erucæ pini qualia ſymptomata producant. ibid.
Erucæ Pini venenata animalcula bombycibus ſimilia. ibid.
ex Erucis papilio naſcitur, & bombyx. c.15.p.44
Erucis pini extinguendis quibus Alexipharmacis occurrendum? c.40.p.130
Erythrodani, ſiue Rubiæ radicem menſtrua mulierum ciere. c.51.p.167
Eſula aſſurgit à radice cauliculis geniculatis, crebris, cubito maioribus, gracilibus. c.86.p.242
Eſula à tithymalis ſpecie differt. c.86.p.241
Eſula exiccante, aperiente, & attenuante facultate prædita eſt. c.86.p.242
Eſula facilè ad manus venit, & haud laborioſæ præparationis eſt. c.86 p.241
Eſula folijs eſt Oſyridis, ſiue Linariæ diſpari ordine ſitis circa caulem oblongis, & in acutum deſinentibus &c. c.86.p.242
Eſula inter ſtrenua alvum ſubducentia collocatur. c.86. p.241
Eſula pituitam catharticè validè ducit, & bilioſas etiam ſeroſitates, necnon & melancholicos humores. c.86. p.242
Eſula quibus corrigenda? ibid.
Eſula ſola innoxiè non exhibetur, & ni corrigatur humano corpori infert tormina licet non adeo grauia. ibid.
Eſula Veneta Pharmacopœis Venetis familiariſſima eſt, naſciturque frequentiſſima in Lio Venetorum inſula, ſiue in litore Adriatici maris. ibid.
Eſula vim habet à longinquis partibus, & articulis trahendi humores, ibid.
Eſulæ flores tithymali floribus non ſunt diſſimiles, penduli, purpuraſcentes, inde thecæ in quibus ſemen reconditur tithymali cypariſſiæ non abſimiles. ibid.
Eſulæ folia in aceto decocta, capitis furfures demunt; ſerpentum ictibus aduerſatur. c.86.p.242.in fine.
Eſulæ lac articulorum doloribus præcipuè ſuccurrit; hydropi ſummoperè conducit. c.86.p.242
Eſulæ lac in iſchiadicis affectibus clyſteribus vtiliter infunditur pro pituita in primis eliminanda. ibid.
Eſulæ lac, ſiue ſuccus ſponte emanans ex dirupto folio vel caule datur à Meſue à ſcrup. j. uſque ad drach. j. qui à Dioſcor. farinâ excipitur & ad cochlearis menſuram exhibetur. ibid.
Eſulæ maioris uſum non eſſe improbandum. ibid.
Eſulæ planta tota lacte ſuo viroſo ſuccoſa eſt. ibid.
Eſulæ radicis præparatæ puluis datur à gr. vj. uſque ad ſcrup. ſ. vel gr. xij. In infuſione à ſcrup. j. ad ſcrup. v. in vino, vel mulſo. ibid.
Eſulæ radix albicat, longiuſcula, craſſitie ſua minimum digitum æquans. ibid.
Eſulæ radix colligitur Veris initio & in eiuſdem fine. ib.
Eſulæ Recentiores tertium genus addunt, & Venetam Eſulam vocant, quam & raram appellat Lobellius. ib.
Eſulæ ſemen dat Renodeus ad drach. j. ibid.
Eſulæ temperamentum calidum & ſiccum in principio tertij gradus meminit Meſue; lac tamen eiuſdem viroſum totâ plantâ calidius eſt. ibid.
Eſulam Bauhinus inter tithymalorum familiam reponit. c.86.p 241
Eſulam eſſe Dioſcoridis Pityuſam. ibid.
Eſulam Meſue Alſcebram appellat: Serapion Scebram & Eſulam. ibid.
Eſulam Meſue ruſticorum purgativum nominat. ibid.
Eſulam Ophmannus in quartanis, tertianiſque longis ſummopere laudat, exemplumque pulueris ex ea radice facti ab alio accepto refert &c. c.86.p.243
Eſulam vtramque adhiberi poſſe, dummodò caueatur circa doſim, & circa corrigentium vſum exhibeatur. c.86. p.241
Euacuatio cur magis ad inferna deuoluatur, quàm ad ſuperna. c.134.p 321
Euacuationes fieri irritata partium expultrice, modò ſuperiorum, modò internarum. c.134.p.320
Euacuationem per ſeceſſum quomodo minus incommodum ſequatur. c.134.p.324
Eupatorio Græcorum & Dioſcoridis agrimonia noſtra notis omnibus ab eodem deſcriptis correſpondet: nam & caulem gerit vnicum cubitalem, & ampliorem, tenuem, lignoſum, rectum, nigrum &c. c.64.p.208
Eupatorio Græcorum nulla vis purgandi ineſt. ibid.
Eupatorium Auicennæ ab eupatorio Græcorum differentiſſimum apparet. ibid.
Eupatorium Auicennæ aluum ſubducendi vim obtinet. ibid.
Eupatorium Auicennæ calidum & ſiccum in ſecundo gradu ab eodem deſignatur. c.64.p.209
Eupatorium Auicennæ, & Dioſcoridis non ſunt vna atque eadem planta, ſed differentiſſimæ. c.64.p.208
Eupatorium Auicennæ non vnicum caulem, ſed plures ab vna radice gerit, hoſque non cubitales, ſed bicubitales. ibid.
Eupatorium, & Eupatorium nunquid idem ſignificent, lis inter Botanicos eſt? c.64.p.207
Eupatorium Græcorum, quæ planta Eupatoris, Mithridatis videlicet nomen obtinet, ea eſt, quæ deſcribi-

tur

tur à Dioſcoride, & à Galeno, & à noſtris Agrimonia vocata. c.64.p.207. in fine.
Eupatorium Meſue ſuum inquit eſſe cubitale, folio centaurij minoris æmulo, quemadmodum & amarore, in ambitu ſerrato &c. c.64.p.208. in fine.
Eupatorium Meſues conuenit quoque viribus cum Eupatorio Auicennæ, quia benignè catharticè ducit & biliosa, & pituitoſa. c.64.p.209
Eupatorium Meſues licèt iecori proſpiciat eo prorſus modo quo Dioſcoridis & Auicennæ Eupatorium, differt tamen à iam dictis euidentiſſimè. c.64.p.208
Eupatorium Meſues obſtructionibus prodeſt, & ex infarctu noxiorum humorum liberat viſcera naturalia. c.64.p.209
Eupatorium Meſues viribus ſuis conuenit cum Eupatorio Græcorum. c.64.p.208
Eupatorium noſtrum florem gerit luteum parvulum ſuaueolentem, cum aliqua aromaticitate. ibid.
Eupatorium noſtrum folia promit per interualla quinque partita aut amplius, diuiſa, in ambitu ſerrata, quinque folij, aut cannabis ſimilia. ibid.
Eupatorium noſtrum, Galenus aſſerit eſſe plantam tenuium partium, calore moderatam, habereque incidendi abſtergendiq; facultatem iecoris &c. c.64.p.209
Eupatorium noſtrum nullum habet exceſſum in primis qualitatibus inſignem. Galenus in primo calidum, in ſecundo verò ſiccum pronunciat. ibid.
Eupatorium noſtrum vires medicas varias poſſidet, & quales. ibid.
Eupatorium nunquid ea ſit planta Græcorum cum Eupatorio tum Auicennæ, tum Meſues? c.64.p.207
Euphorbij leui contactu, ex Dioſcoride, os exardeſcere. c.102.p.262
Euphorbij plantam deſcribit Dodonæus oblongis folijs, craſſis, virentibus, in rotunda & tereti facie, anguloſis, albicantibus, ſpinis crebris &c. ibid.
Euphorbij ſucci duo posuit genera Dioſcorides, unum ſarcocollæ æmulum, alterum quod in ventriculis ſubdiis concreſcit. ibid.
Euphorbij ſuccus quomodo ab incolis colligatur. ibid.
Euphorbij ſuccus Veteribus non videtur cognitus. ibid.
Euphorbij virulentiæ quibus remedijs occurratur. c.39.p.121
Euphorbio ætatem Galenus conſiderat neceſſariam. c.102.p.262
Euphorbio Meſue in ſuo quales conditiones deſideret. ibid.
Euphorbio quomodo in cauſticis utendum Galenus docet. ibid.
Euphorbium ab Euphorbo Iubæ Mauritaniæ Regis Medico nomen deſumpſit. c.38.p.114
Euphorbium à quo nomen acquiſiuerit. c.102.p.261
Euphorbium, aſſerit Dioſcorides ſuffuſionibus tollendis, diſcutiendiſque aptum. c.102.p.262
Euphorbium calidiſſimum pronunciauit Dioſcor. ibid.
Euphorbium cauſticæ facultatis, & acutis, & tenuium partium eſſe Galenus pronunciat. ibid.
Euphorbium, etiam in potu ſumptum exurat, in fotu uſurpari poſſe in collyrijs. ibid.
Euphorbium Dioſcorid. eligit pellucidum & acre. ibid.
Euphorbium Dioſcor. in ſuffuſionibus oculorum, & in Iſchiadico dolore adhibet. c.38.p.114
Euphorbium Dioſc. Lybicam aſſerit eſſe arborem, ferulæ ſpeciem habentem, naſcique in monte Athlante in Mauritania. c.102.p.261
Euphorbium Dodonæo herba eſt. c.38.p.114
Euphorbium eſt planta acerrimo ſucco turgens. c.102.p.262
Euphorbium Galenus cauſticæ facultatis eſſe aſſerit. c.38.p.114.
Euphorbium, Galenus protulit, eſſe ſuccum plantæ ſpinoſæ in terra Maruſiorum naſcentis. c.102.p.261
Euphorbium Iſchiadicis commodat Dioſcorides, aſſeritque, unica die corruptorum oſſium ſquamas remouere. c.102.p.262
Euphorbium, licèt à Dioſcoride inter venena non recenſeatur, Cardanus tamen, & Sennertus veneficam per ſe qualitatem obtinere crediderej eiuſque ſymptomata qualia ſint enumerantur. c.38.p.118
Euphorbium, Meſue aſſerit, eſſe omnium lacrymarum calidiſſimam & tenuiſſimam, & quartum caloris gradum cum ſiccitate obtinere. c.102.p.262
Euphorbium morſibus ſerpentum opportunum remediũ prædicatur. ibid.
Euphorbium nunquid arbor ſit dubitatur. c.38.p.114
Euphorbium ob inſignem acrimoniam nunquam ſolum exhiberi ſolet. c.102.p.262
Euphorbium priſcis Græcis omninò incognitum fuit. c.102.p.261
Euphorbium recens quomodo Galenus velit à veteri diſtingui. c.102.p.262
Euphorbium, ſi Dodonæo credendum, nec arbor ſpinoſa eſt, neque ferulacea, ſed herba acanthi folijs potius. c.102.p.261
Euphorbium ſummam acrimoniam habet, & ideò vehementer exulcerat. c.38.p.114
Euphorbium vim validiſſimam purgatoriam obtinet, educendi pituitam, & alios humores. c.102.p.262

F

Facultates quæ à formis proficiſcuntur, vel communes plantarum omnium ſunt, vel particulares. cap.48.p.156.
Facultatum particularium, occultarumque vires non aliunde, quam à propria cuiuſcunq; mixti natura, ſiue forma dependere. c.21.p.61. in fine. & 62.
Faſcinari quomodo per viſum poſſit. c.47.p.155.
Faſcini omnis amuletum ex plãtis, quod & laruas dæmoniorum amolitur, quale ſit deſcribitur. c.47.p.156
Faſcinum fieri poſſe viſu, voce, & tactu, Recentiores experimento comprobatum aſſerunt. c.47.p.154
Febres, ait Hercules Saxonia, malignæ, & peſtilentes præcipuè à contagio, exigua putredinis ſigna exhibent. c.27.p.78.
Febres ex bubone non priùs ſe produnt tales, quin vapor materiæ putridæ in bubone contentæ ad cor uſque deueniat. c.27.p.79
Feſel Rumi Arabum ſine folijs. c.6.p.25
Fel bubulum venenatum Plinius aſſerit. c.40 p.129
Fel canis piſcis octo dierum ſpatio interimere valet. ibi.
Fel Pardi aſſumptum quomodo dignoſcatur. ibid.
Fel Pardi peſſimum, quod in minima quantitate datum interimere traditur. ibid.
Fel Plinio communiter peſſimi ſanguinis purgamentum dicitur. ibid.
Fel quorundã animaliũ inter venena connumeratur. ibi.
Fel Viperæ syncopen inſtantaneam efficit, vt inde niſi ſtatim æger curetur, mors in proximo ſit. ibid.
Fel viperę venenatum aſſeritur. ibid.
Feles in mentham felinam furenter pronæ ſunt. c.23.p.66
Felis cerebri venenum quibus remedijs ſuperetur. c.40. p.133.
Felle canis piſcis aſſumpto, ſeminis profluuia ſequuntur vniuerſaliſque ictericia: fit & odor piſculentus, & grauis. c.40.p.129
Felleus ille liquor qui in extremo caudæ cerui reperitur apud Auic. venenatus aſſeritur. ibid.
Felleus liquor in extremitate caudæ cerui ſi aſſumatur quo-

quomodo dignoſcatur. ibid.
Felleus liquor venenatus, qui in extremitate caudæ cerui reperitur quibus remedijs ſuperetur. c.40.p.133.
Felli Viperæ deleterio veneno quibus Antidotis occurrendum. c.40.p.132. in fine.
Fellis Pardi venenum quibus Alexipharmacis ſuperandum. c.40.p.132
Ferri limatura copioſè hauſta quomodo cognoſcenda. c.34.p.100
in Ferro partes frigidas plures, calidas tamen etiam, & tenuiores reperiri, Fallopius aſſerit. ibid.
Ferrum, eiuſue noxiam limaturam aſſumptam ſuperare quibus tentandum. c.35.p.103
Ferrum, etiam pro medicamento vſurpatum, venenum, imò exitiale quandoq; euadere ſolet. c.34.p.99. in fine.
Ferrum euidentem ſiccandi & attenuandi obtinet facultatem. c.34.p.100.
Ferrum, licèt denſum, ſuis poroſitatibus non caret. c.38.p.115.
Ferrum tactu magnetis aliquid de temperamento eius accipere negatur. c.23.p.67
Ferrum vulgò traditur temperamenti calidi. c.34.p.100.
Fici, & Rutæ familiaritas deſcribitur. c.22.p.64. in calce.
in Fico, pomo, piriſque non ſemen, ſed pulpa eorum, aut caro exprimitur. c.9.p.29. in fine.
Ficus fructum producit ſine flore. c.9.p.30
Ficus inter laterum coagmentationem, & altiſſimis turribus emergit. c.14.p.40
Ficus nonnihil circa partes extremas detrimentum patitur. c.20.p.57
Ficus, Vitis, Hydropiper, & Capſica plantæ calidæ, quæ foliorum fluxum patiuntur. c.20 p.57.58
Filice pauimenta ſternenda vbi ſerpentum copia, quos fugari nidore eiuſdem Filicis vſtæ, nec ſub ea ſerpentes vnquam cubare traditur. c.67.p.211.
Filicem, ait Galenus, ſiccare ſine morſu. ibid.
Filicem cum arundine nunquam ſocietatem inire poſſe. c.67.p.210. in fine.
Filicem, deſcribit Dioſcor. quòd folia gerat ſine caule, ſine flore, ac abſque ſemine. c.67.p.211
Filicem feminam, ex Dioſc. vermes latos & lumbricos necare. ibid.
Filicem, habet Tragus, ab vno pediculo cubitali folium promere incitum pinnarum modo, vt *πτέρις* nomen iure adepta ſit planta. ibid.
Filicem in marem, & fœminam Dioſcor. diſtinguit. ibi.
Filicem lienis, vt viſcerum obſtructionibus mirabiliter conducere. ibid.
Filicem lumbricos latos necare ex aqua mulſa ſumptam Plinius habet. ibid.
Filicem mulieribus, aſſerit Plinius, ad auerruncanda maleficia vtilem. c.67.p.210
Filicem Ophmannus vtriuſque qualitatis non excedere ſecundum gradum exiſtimat. c.67.p.211
Filicem Plinius bilem ducere tradit, & etiam ſeroſos humores. ibid.
Filicem Prænotius calidam in ſecundo, & ſiccam in tertio pronunciat. ibid.
Filicem ſemen minutiſſimum ſub folijs inuerſa parte gerere obſeruatum eſt. ibid.
Filici fœminę eodem modo quo mari folia competere; non vno tamen pediculo hærentia ſed numeroſis, altioribuſque propaginibus. ibid.
Filicis fœminæ puluis vulneribus ægrè medicamentum quodcunque ſuſtinentibus vtiliſſimus. ibid.
Filicis folio cimices necari. ibid.
Filicis folium communem veterinarij pro medendis iumentorum ceruicibus ex importuno iugo laborantibus familiare. ibid.
Filicis medicamentum inopibus gratiſſimum præſidium. ib.
Filicis radices longæ in obliquum ſparſæ numeroſæ, & ex nigro palleſcentes, cum aliquo etiam rubore. ibid.
Filicis ſucco, vel puluere vulnera ſanari ſpiculo arundineo inflicta. c.67.p.210
Filicis vbi prouentus eſt, ſi vomere fruſtulo arundineo vallato terram frangere utamur, amplius filix non renaſcitur. c.67.p.211
Filix antipathiam habet cum arundine. c.67.p.210
Filix cathartica vi pollet. c.67.p.211
Filix & abortum grauidis excitare, & non grauidis ſterilitatem inducere valet. c.67.p.210
Filix, & arundo quod diſſideant, in locorum diuerſitatem quidam referunt. c.22.p.64
Filix expanſam longamque gerit radicem nigram, propaginibus multiplicibus diſtributam guſtu adſtringenti. c.67.p.211
ex Fimo animantium plantæ pullulant, & frequentius ex porcino fimo iunctus. c.14.p.42.
Flammula vnica in face in mille alijs facibus eandem excitare flammam valet citra prioris deſtructionem vllam. c.10.p.33
Florea ſi voluptatis ſcena citiùs inſtruenda ſit, quid agendum, vt planta ad germen ſuum celerius compellatur? c.17.p.50.
Flores multis partibus conſtituuntur plantarum ornamenta, & delitiæ. c.7.p.27.
Flores nondum oſcitantes quomodo adſeruandi, vt quocunque tempore extracti, & Solis, furniue calore exciti, ad apertionem inuitentur, illibatâ odoris gratiâ. c.17.p.50
Flores qui tardiùs oſtendere exoptant, aut ſemen tardius terrę mandant, aut germina aliquoties tranſponunt. ib.
in Fœtu animantium diſtinctum omninò tempus eſt *συνόδου* per ſemen, & *αὐξήσεως* per alimentum attractum. c 10.p.33.
Fœtus in ouo vnde alimentum capit. ibid.
Folia ad ſtipitem, florem, fructumque tuendum neceſſaria eſſe. c.7.p.27.
Foliorum perpetuitatem in caliditatem plantæ refert Mneſitor apud Theophraſtum. c.20.p.57
de Fonte Aponi mentio. c.18.p.53
Forma non habent internum corruptionis principium, & mouentur per ſe. c.22.p.63
Formas elementis nobiliores cur interire neceſſum ſemper ſit. ibid.
Formicarum combuſtarum fumo formicas ipſas fugari. c.17.p.50.
Frangula arbor non admodum procera alni ferè effigie generat baccas primum virides, mox cum ad maturitatem perducuntur nigras. c.66.p.209
Frangula calida in primo, & ſicca in ſecundo aſſeritur, & laxitas eius ſubadſtringentibus, & ſtomaticis corrigi ſolet. c.66.p.209 in fine.
Frangula medicamentum innoxium creditur, licèt eidem nimis laxans facultas tribuatur. c.66.p.209. in fi.
Frangula Veteribus omninò incognita planta, & nullius in medicina vſûs. c 66.p.209.
Frangulæ arboris cortex à Neotericis inter aluum leniter ſoluentia, & bilem ſeroſoſque humores catharticè ducentia reponitur. ibid.
Frangulæ cortex flauus, in vmbra exiccatus, exhiberi ſolet, nam ſi recens propinetur, vomitum ciere traditur. c.66.p.210.
Frangulæ corticem in decoctione inſtar rhabarbari aperire poſſe, iecorique obſtructo & alijs viſceribus proficuum remedium euadere. ibid.
Frangulæ infuſionem per triduum factam meliùs quàm recentem operi inſeruire notavit Matthiolo ibid.

Aaaa2 Fran-

Frangulam exiſtimat Ophmannus vocatam, quòd facilè frangatur. c.66.p.209.
Frangulam, habet Matthiolus, viſcera inſtar rabarbari roborare, & non tantùm bilem electiuè ducere, ſed etiam phlegma, & ſeroſos humores in hydropicis. c.66.p.210.
Frondium vitorem durabilem ſucci inſiti lentori, ac pinguedini Ariſtoteles tribuit. c.20.p.57.
Fructum Ariſtoteles definit illud quod florem gerit. c.9.p.29.
Fructum non omnem carne conſtare, vt uva: non omnem ſemine euidenti, vt fraga. c.9.p.30
Fructum Theophraſtus deſcribit id eſſe, quod ex ſemine, & carne conſtat. c.9.p.29
Fructus cortice, & carne conſtant. ibid.
Frutex à radice multis caudicibus, & ramis prodit. c.11. p.34.
Frutex eſt Stirps magnitudine, & craſſitie conſpectior, caudice perenni & lignoſo, qui facile arboris ſpeciem induere poteſt, vt Auellana. c.12.p.36
Frutices non rarò ad arborum altitudinem perueniunt. c.19.p.55.
Fumaria a Græcis καπνος dicitur, quæ vox Latinis fumum ſonat. c.112.p.278
Fumaria aſſumpta, nullum nocumentum partibus quibusque corporis noſtri inferre valet. ibid.
Fumaria, & Senna è Melanagogis ſunt benigniora. ibid.
Fumaria exuſtam melancholiam ſatis benignè ducit. ibi.
Fumaria iecoris imbecillitatem, eiuſdemq; obſtructiones, necnon & aliorum viſcerum mirificè tollit. ibid.
Fumaria in nothis tertianis opem non lenem, & Cacoëthis optimam fert. c.112.p.278. in fine.
Fumaria quamuis ſecundùm Meſuem præſtantiſſima ſit, vileſcit tamen, & rarò in vſum reuocatur. c.112.p. 278
Fumaria Scabiei, lepræ, impetigini aliiſq; affectibus cutaneis curandis ſuccurrit. ibid.
Fumaria viſcera, ſed præſertim ſtomachum roborare traditur. ibid.
Fumariæ cathartica facultas ſubductoria Veteribus omninò incognita fuit. ibid.
Fumariæ de temperamento lis non leuis adhuc viget. ibi.
Fumariæ differentiarum ſumma diuiſio Botanicis penes radicem ſtat. ibid.
Fumariæ facultatem imbecillam Meſue addiuuat paſſulis aut Senna, vel myrobalanis, ſero, aut melle. ibid.
Fumariæ Meſue calidam facultatem attribuit. ibid.
Fumariæ ſuccum exhiberi ab vnc. ß. ad vnc. ij. Puluerem foliorum a drach. iij. ad drach. v. & in decoctione ab vnc. a. ad vnc. x. ſed ſuccus condenſatus commodior valdè videtur. c.112.p.279.
Fumariæ ſuccus oculis illitus, cùm acris ſit, vellicando partem inſtar fumi lacrymas exprimit. c.112.p.278
Fumariæ ſuccus oculis illitus, viſum acuit, eorumque caliginem abigit. ibid.
Fumariæ temperamentum Arabes frigidum & ſiccum pronunciant. ibid.
Fumariæ vulgaris, cuius vſus magis peruius, facies quomodo deſcribatur. ibid.
Fumariam dolores internos, ſi ter ſuccus ſumatur, ſedare Actius aſſerit. c.112.p.279
Fungi inter frigidorum venenorum cenſum ſolent, connumerari. c.37.p.110
Fungifero de lapide dubitat Sennertus, an vere lapis ſit, an potius lignea materies. c.14.p.41
Fungi non aliunde quam ex putreſcentibus ſtirpium lignis, corticibus, ſarmentis ſub terra, vel ex arborum fruticumque excrementis &c. originem ducunt. ibid.
Fungi non omnes inter venena reponendi. c.37.p.110. in fine, & 111.
Fungi quantitate nonnihil excedente, ſummoperè nocere ſolent. c.37.p.111
Fungorum à veneno pira auſtera præaſſumpta corpus tutari perhibetur. c.37.p.112.
Fungorum multi innoxiè, & cum voluptate comeduntur. c.37.p.111
Fungorum noxæ quales ſint. ibid.
Fungorum qui copiam volet, lignorum vetuſtorum ſegmenta, populi item, ficuumque frondes terrà defodiat: populum albam ad radicem vſque diſſectam. &c. c.14.p.41.
Fungorum venenatorum lethalem virulentiam ſuperanti. c.32.p.93
Fungorum venenum quibus remedijs ſuperetur. c.37. p.112.
Fungos innoxios reddi, ſi cum ijsdem pirorum auſterorum fruſtula coquantur. ibid.
Fungos obuios quo modo lapides in Regno Neapolitano producant. c.14.p.41
Fungos Seneca appellabat voluptuarium venenum. c.37.p.111.
Fungos Theophraſtus, & Galenus plantam ſine radice appellauere. c.37.p.110.

G

Galenus Aſclepiadem, & Epicurum irridet, quòd effectus naturales omnes ad manifeſtas cauſas reuocare conantur. cap.21.pag.60
Galenus vegetabilium naturæ facultatem efformandarum partium, ſine vim plaſticam ademit. c.10.p.31
Generationis locus eſt ſiniſter cordis ſinus. c.5.p.15
Geniſta anginoſis, rulis, & iſchiadicis, ſtranguriiſque demulcendis. c.87.p.244
Geniſta frutex ob ſui frequentiam medicamentum facilè parabile exhibet. c.87.p.243
Geniſta vrinas mouet, renes abſtergit & à calculis liberat. c.87.p.244
Geniſta vulgaris numquid eadem ſit cum Spartio Græcorum, de quo Dioſcorides. c.87.p.243
Geniſtæ flores ſtrumis abſumendis vtiliter imponuntur cum melle roſaceo, aut ouo. c.87.p.244
Geniſtæ flores vix cocturam ſuſtinent, quam tamen ſemen diutiùs ferre ſolet. ibid.
Geniſtæ Meſue tribuit humiditatem excrementitiam, à qua vomitoriam facultatem adipiſcuntur, quæ ex Dioſcor. inſtar hellebori valet. c.87.p.243
Geniſtæ ſemen in vſum reuocatur cum aqua fœniculi, aut dauci exhibitum. c.87.p.244
Geniſtæ ſemina corriguntur cum ſtomaticis; flores vero aliquantò maiori doſi exhibentur. ibid.
Geniſtæ ſeminum doſis ab vnc. ji. vſque ad duas & ſemis. ibid.
Geniſtæ temperamentum Meſue calidum & ſiccum pronunciat. c.87.p.243
Geniſtam angulosam Spartii viribus præditam aſſerit Præuotius, ſimilibuſque corrigentibus, & eadem doſi propinari poſſe decernit. c.87.p.244
Geniſtam ſeu Spartium, Dioſcorides, iſchiadicis doloribus tollendis aptat. ibid.
Geniſtam vim habere catharticam tenuiſſimam. c.87. p.243
ad Germinationem exigitur per tempeſtiuitas. c.16.p.46
Gramina quædam, Verbena, Nodiflora, ranunculi ſerpentes, & hedera præcipuè, ſingularem obtinent corporis raritatem. c.15.p.43
Graminis radices canes indagant, ſtomachi faſtidium deducturi. c.23.p.66
Graminis radices contra frigida, & calida venena Prophyla-

phylacticum eximium. c.32.p.94
Gratiola ad vtramque bilem educendam in primis efficax & ſine moleſtia: ſecundariò verò & pituitam, & ſerum educit, mirificè deobſtruit. c.73.p.223
Gratiola amara cernitur non ſecus atque Centaurium minus, & æquè purgat, imò valentius bilem, nec in vulneribus ſanandis viribus impar. c.73.p.222
Gratiola Centaurij minoris viribus ſuis eſt æmula, & facie non omninò diuerſa. ibid.
Gratiola creſcit in irriguis, & humectis locis, quadrato caule dodrantali, folijs binis hyſſopi latioribus. c.73.p.223
Gratiola, gratia Dei appellata ob vires quas poſſidet inſignes. c.73.p.222
Gratiola inter cholagoga medicamenta reponitur. ibid.
Gratiola putredini valdè reſiſtit, & vermes necat. c.73.p.223
Gratiola roborat, & exiccat, abſtergit & glutinat, præſertim vulnera recentia. ibid.
Gratiola Veteribus vel non cognita, vel non deſcripta. c.73.p.222
Gratiola vtcumque obuium ſatis vbique, & vtiliſſimum medicamentum, & pro bile educenda æquè ſtrenuum. c.73.p.222. in fine.
Gratiolæ caliditas, quam ignem habet, aqueis partibus præualet; ideo cum Centaurio minore quaſi ſimile temperamentum poſſidet. c.73.p.223
Gratiolæ ex floribus, ſiue folijs Conſerua cum ſacchato paratur, cuius exhibentur drach. vj. ad vnc. j. ibid.
Gratiolæ ex infuſione paratur acetum bili educendæ apprimè commodum. ibid.
Gratiolæ flores in foliorum interuallis erumpunt, cæruleo purpuraſcentes. ibid.
Gratiolæ puluis ad ſcrup. j. exhiberi ſolet. ibid.
Gratiolæ ſuccus exhiberi ſolet à ℥.vi. vſque ad vnc. i. ib.
Gratiolam contuſam ferrarius quidam capitis vulneri impoſuit, breuique glutinatum vulnus, conſolidatumque reperit. c.73.p.222
Gratiolam Cordus Eupatorium Meſues appellat. Columna hyſſopum vulgare cenſet. Matthæus Syluaticus Perſicariam autumat. c.73.p.222. in fine.
Gratiolam eſſe Centaurij minoris ſpeciem Bauhinus aſſerit. c.73.p.222
in Gummi, & Reſinis obſeruatum, ſtirpes ſuas denuò præbuiſſe. c.17.p.51
Gypſi ingeſti vis quibus eludatur. c.35.p.103
Gypſi temperamentum licet ſit ambiguum, tamen maior Eruditorum pars frigidis adſcribere non eſt verita. c.34.p.101
Gypſi veneno quænam opponantur. c.32.p.93
Gypſo Arabes ſecundum frigiditatis gradum aſſignant. c.34.p.101
Gypſum aquâ perfuſum inflammatur. ibid.
Gypſum aſſumptum quænam ſymptomata manifeſtet. ib.
Gypſum à tota ſubſtantia vitæ aduerſatur. ibid.
Gypſum calidum eſſe, imò calidiſſimum Theophraſtus aſſerit. ibid.
Gypſum, dum adhuc intra viſcera vim ignis ſiue ſubterranei, vel arte inducti retinet, calidum eſſe. ibid.
Gypſum dum manibus contrectatur incaleſcit, imò vrit. ibid.
Gypſum eſſe repercutientis facultatis, Galenus, & Serapio tradidere. ibid.
Gypſum lapidis propriam conſequitur prorſus naturam. ibid.
Gypſum metallicis connectitur venenis à foſſilibus deſumptis. ibid.

H

HÆmorrhoi morſui quænam aduerſentur. c.32.p.92
Hebenum foſſile partibus manifeſtis caret. c.12. pag.35
Hedera inter laterum coagmentationem, & altiſſimis turribus emergit. c.14.p.40
ex Hedera parata vaſcula, ob raritatem ſubſtantiæ, vinum prius, deinde & aquam tranſmittunt. c.15.p.43
Helenium fruticum altitudinem refert. c.12.p.36
Hellebori albi exceſſum, & virulentiam quæ remedia ſuperent. c.39.p.123
Hellebori albi ſymptomata qualia ſint. c.38.p.119. in fine.
Hellebori albi venenum cohibetur nymphææ floribus, maloque cydonio. c.32.p.93
Hellebori nigri vis venefica extinguitur ſemine anthorum, vulgatoque abſynthio. ibid.
Hellebori ſucci mortiferi vis, quo illinunt Hiſpani ſagittas ad venationem, ſolo cydonij odore protinus hebeſcit. c.12.p.64
Helleborum album inter Pharmacorum purgantium numerum reponitur. c.38.p.118
Helleborum album non propriè venenum eſt, vt ſemper noceat. ibid.
Helleborus albus, & Cydonii mali fructus inſigne præbent antipathiæ exemplum. c.22.p.64
Helſine, quæ à pariete ereſcit, alteri quæ è ſemine producitur penitus eiuſdem ſpeciei eſt. c.13.p.39
Hemerocallis latius eſſe ait ea, quæ bulbum gerit. c.122. p.302
Hemerocallem, ait Galenus, gerere radicem lilij æmulam, eidemque ſpecie & viribus aſſimilari. ibid.
Hemerocallem noctu ſe contrahere, & veluti contabeſcere: oriente verò Sole in eius conſpectum flores lepidè pandere. ibid.
Hemerocallem ſerum etiam per ſeceſſum educere Plinius fatetur. ibid.
Hemerocallem, ſi emplaſtri more ventri applicetur, ſeroſitates eliminare. ibid.
Hemerocalli primus tribuitur caliditatis gradus, & in paſſiuis qualitatibus temperata pronunciatur. ibid.
Hemerocallis bulbum, ex Galeno, leniter diſcutere. ibi.
Hemerocallis bulbum tritum, cum melle remixtum, ventri appoſitum, ſeroſitates ſubducere Plinius aſſerit. ib.
Hemerocallis catharticam facultatem hydragogam non Dioſcoridi, ſed Plinio notam. ibid.
Hemerocallis corrigitur abſinthio, & alijs ſtomaticis, cum ventriculo ſatis infenſa ſit. ibid.
Hemerocallis deſcribitur à Dioſcoride, caulem gerere, & folia veluti liliacea porri colore. ibid.
Hemerocallis de temperamẽto vix quicquam certi à Veteribus rimari poſſe. c.122.p.302
Hemerocallis, ex Dioſcor. radicem cum lana & melle in peſſo ſubditam, aquam & ſanguinem in mulieribus inutilem educere. ibi.
Hemerocallis flores è caule erumpentes per ſingulas propagines terni, quaternive lilij, cum dehiſcere cœperint diuiſuta, ochræ colore, ſed ſaturatiore, perquam luteo picturatos. ibid.
Hemerocallis mammarum ex partu inflammationes reprimit, & oculorum epiphoras. ibid.
Hemerocallis plantula ſic vocata ob pulcherrimi floris diecula tantum vnius durationem. ibid.
Hemerocallis radicem gerit pergrandem bulbo ſimilem. ibid.
Hemerocallis radix ſimul cum folijs contuſa ambuſtis medetur. ibid.
Hemerocallis radix, ſiue bulbus ſi in ſubſtantia, ex Præ-

uotio, exhibeatur à drach. ij. ad drach. iij. blandè ſeroſitates ſubducere valebit. ibid.
Hemionitis ſine caule. c.6.p.25
Herba dicitur ea, quæ à radice folium gerit, ſine caudice aſſurgit, & ſemen in caule gerit. c.11.p.34
Herba mirabilis annua eſt planta, cuius radix matura ſi è terris euellatur, & ſubſequente Vere denuò terræ committatur, germinare rurſus ſolet. c.121.p.301
Herba Mirabilis bicubitali caule aſſurgere ſolet, & geniculato, ab eoque ſimiles ramuli prodeuntes, & plures, præſertim ſi in pingui ſolo ſata ſit luxuriantes. ibi.
Herba mirabilis corrigitur à Prævotio ſeminibus aromaticis. ibid.
Herba Mirabilis ferè vbiq; per totam Italiam ubi latum inueniat ſolum, ſuæ propagationis vegetæ uberrima ſigna prodit. ibid.
Herba mirabilis floret ab Auguſti menſis principio ad integrum uſque Octobris, floribus noctu ſeſe contrahentibus. ibid.
Herba præter radicem vel ſolia tantùm habet, ut adiantum; vel caulem, ſed neque lignoſum, neque perennem. c.12.p.36
Herbę mirabilis binas radicis drachmas benignè & egregiè aqueos humores purgare Cortuſius Botanicus tradidit. c.121.p.301
Herba mirabilis ex articulata ſtructura humores etiam ab articulis eliminari Auctor exiſtimauerit. ibid.
Herbæ mirabilis flores prodeunt complicati uſquequò pandantur in quinque flexuras diuiſi conuolvuli maioris ritu &c. ibid.
Herbæ mirabilis flores ſunt modò flaui, modò purpurei, albidi ſæpe, aut pallentes, in unaquaque planta eodem tempore hanc diuerſitatem commonſtrantes &c. ibid.
Herbæ mirabilis in floribus eadem caducitas obſeruatur quæ in conuolvulis, qui non diutius expanſi remanere ſolent, ſed horis tantummodò matutinis, & aduesperaſcente die. ibid.
Herbæ mirabilis odor floris ſatis iucundus, narciſſi æmulus, in quo flore ab imo ad ſummum uſque è floris medullio ſtaminulæ ſex longinſculæ emergunt. ibid.
Herbæ mirabilis plantam longè differre ab ea quæ ſub eius nomine deſcribitur in hiſtoria plantarum, quæ Amaranthus tricolor eſt. c.121.p.301
Herbæ mirabilis radix craſſa, foris nigra, intus alba, guſtu aliquatenus acri, ſubdulcique. ibid.
Herbæ mirabilis ramuli folia emittunt ſuccoſa; cauli petiolo adhæreſcunt, & in apice acuminata videntur, colore dilutè viridi, & dum teruntur viroſum odorem emittunt &c. ibid.
Herbæ mirabilis temperamentum adhuc ignotum: at cum Peruviana ſit, cum Manardo calida potius cenſenda. c.121.p. 01. in fine.
Herbæ nonnunquam cremiorum, fruticumque magnitudinem tranſcendunt. c.19.p.55
Herbam floris mirabilis variegati ſomniferam quidam faciunt. c.37.p.107
Herbam mirabilem à radice quotannis, non ex ſolo ſemine reproduci. c.121.p.301
Herbam mirabilem non multis abhinc annis principem in Viridarijs locum ſibi vendicaſſe. ibid.
Herbam mirabilem variegati floris Hiſpanicam, vel potius Peruvianam, hydragoga facultate pollere. ibid.
Herbarum genus in communi humile eſt: ampliora ſunt cremia, iiſque magis frutices. c.12.p.36
Herbarum vires vel à vetuſtiſſimis ſeculis, editas in publicum ſcriptis, promulgarunt Auctores clariſſimi, inter quos primus, & verè Princeps ſublimis Hermes, Salomon, Hippocrates &c. c.107.p.270
inter Herbas etiam quædam ſunt, quæ ſingulari naturæ privilegio Cremiorum, imò fruticum proceritatem conſequuntur. c.12.p.36
Herculis clauam ex Oleaſtro longo pòſt tempore denuò germinaſſe Plutarchus tradit. c.17.p.50
Hermodactyli Ægyptijs non pharmacum, ſed familiare alimentum præbent Alpini obſeruatione. c.60.p.200
Hermodactyli medicamenti vis præcipua phlegmagoga eſt. c.88.p.245
Hermodactyli orientales, ſiue Ægyptii eligendi. ibid.
Hermodactyli puluere vtebatur Fallopius ad dolores Gallicos. ibid.
Hermodactyli pulueris doſis eſt à drachm. j. uſque ad drach. ij. ibid.
Hermodactyli ſiccitas adiungit ſibi aliquam excrementitiam humiditatem, ſub qua ratione ſtomacho infenſus euadit. ibid.
ex Hermodactylis quomodo conficiatur puluis ad vſum pro doloribus arthriticis tollendis. ibid.
Hermodactylum Ægyptijs alimentum. c.88.p.244
Hermodactylum calidum & ſiccum pronunciat Meſue in ſecundo gradu. ibid.
Hermodactylum etiam recenter extractum non eſſe venenum. c.88.p.245
Hermodactylum idem eſſe cum Colchico Dioſcoridis, quamuis non venenatum. c.88.p.244
Hermodactylum pro pilulis conficiendis eligit Prævotius electiſſimum. c.88.p.245
Hermodactylum purgante facultate præditum eſſe. c.88.p.244
Hermodactylus ad convulſa, & corrupta ex Dioſcoridis præſcripta duorum obolorum pondere adhibetur. c.88.p.245
Hermodactylus aſthmaticis, *Orthopnoicis proficit*, ictericumque ſanat. ibid.
Hermodactylus caput mirifice expurgat, & ideò vertigini, lethargo, morbo comitiali, cephalææ alijsq; cerebri morbis ſummoperè conducit. ibid.
Hermodactylus pituitam mirificè educit, ſed præſertim ab articulis. ibid.
Hermodactylus quibus corrigatur. ibid.
Hermodactylus ſanguinem excreantibus valdeque tuſſientibus prodeſt ad drach. j. ibid.
Hermodactylos facultate pollere impinguandi, ſemenque augendi. ibid.
Hipocyſtis caulem tantùm habet, prætereà nihil. c.6.p.25
Hipogeniſta caulem tantum habet. ibid.
Hippolapathi flores in luteo pallido albeſcentes; ſemen ruorum triangulare. c.71.p.220
Hippolapathi radices muliebrem fluxum ſiſtunt, regio etiam morbo vtiles, calculoſque comminuere traduntur. ibid.
Hippolapathi radices parotidas reſoluunt ſtrumaſque digerunt, lienique obſtructo vtiliter exhibentur. ibid.
Hippolapathi radicis vſus qualis præcipuus. ibid.
Hippolapathi radix craſſa, longa, croceo colore inſtar rhabarbari. ibid.
Hippolapathi rotundi folij, & Oxalidis radices ſtomachi faſtidio, dyſentericis, ac cæliacis ſuccurrunt. ib.
Hippolapathi ſuccus exterius applicitus ſcabiei, lepræ, impetiginibus, ignique ſacro opitulatur. ibid.
Hippolapatho rotundo ſolo facultatem adſtrictoriam ineſſe. c.70.p.217
Hippolapathum duplâ menſura bilem ſubducendi vim habere. c.71 p.220
Hippolapathum noſtrum eſſe ferè ſimile Oxylapatho; folia tamen maiora ſunt, neq. ſubacuta vt Oxylapathi. &c. ibid.
Hippolapathum Prævotius inter frigidas & ſiccas ſtirpes recen-

recenſet ſed gradus non definit. ibid.
Hippolapathum pruritum corporis ſeruat in fotu, aut balneo adhibitum; doloribus dentium, artuumque aduerſatur. ibid.
Hippolapathum radicem craſſiuſculam gerit inſtar rhabarbari, & folia rhabarbaro ferè ſimilia. ibid.
Hippolapathum rhabarbaro congener dici poſſe. ibid.
Hirudines non purgatæ morſu venenato liuidum vlcus excitant, quod quandoque in gangrænam cedit. c.40. p.127.
Hirudines quomodo quandoque ex accidenti venenatæ euadunt. ibid.
Hirudines ſi ingeſta in ſtomacho immorentur, ſuctu, dolore in ea parte, & ſanguinea reiectione ſe patefaciunt. ibid.
Hirudinum venenatarum morſibus quibus remedijs occurrendum. c.40.p.131
Hirundines in Chelidonio oculorum hebetudini remedium quærunt. c.23.p.66
Hirundinum caligantium oculorum nubem à fœniculi, chelidoniæve ſucco diſcuti. c.107.p.270
Homerus Nepenthes illud Helenæ Pharmacum ſingulariſſimum verſiculis extollens, vires omninò diuerſas, præterquam humoribus eliminandis aſſignat. c.48. p.157.
Homini cœleſtis caloris grata tēperies excitat. c.7.p.25.
Hominem ex pauculis fœcundi ſeminis guttis efformat Plaſtes. ibid.
Hominem igne ex æthere ſubducto animaſſe Prometheum. c.3.p.11.
Homines per Theriacam veneno ſimiles fieri. c.32.p.94
Homini vegetum veluti florem affert adoleſcentia, vigorem iuuentus &c. c.7.p.25
Homo nobiliſſimarum functionum organum in alta corporis parte exhibet. c.7.p.26
Homo partem, qua alimentum aſſumit, in edito locatam obtinet. ibid.
Homo ſerpentem auerſatur; imò & homo idem hominem alium. c.22.p.64
Humana arte quæque noxia ad bonam frugem reduci poſſunt, dummodò & menſura coarctata ſit, & qualitas mala corrigatur. c.38.p.118
Humani corporis partes continentes aut ſimplices ſunt, aut compoſitæ. c.7.p.26
Humani corporis partes aliæ continentes ſunt, aliæ contentæ. ibid.
Humani generis prolixiorem ſtaturam ſepteni, aut largiter octoni pedes conficiunt. c.19.p.54
Humidum duplex, innatum ſcil. & influens. c.4.p.20
Humores an attractione à pharmaco educantur, vel potiùs fugâ expellantur; aut irritando ventriculum explodantur per inteſtina. c.49.p.160.161.162
Humores, atque ſeroſitates in corpore humano quandoque exuperantes, tenues, & de ſe flexiles, Catharticis etiam validis, nulla præmiſſa illarum præparatione, tentari & educi ſolent. c.118.p.294
Humores coniuncti pharmaco non retinent integritatem naturæ ſuæ, ut ferrum iuxta Magnetem. c.49.p.162
Humores corporis humani ad Purgans moueri ea ratione, qua ferrum contendit ad Magnetem Galenus fatetur. c.49.p.161.162
Humores Epilepſiam, ſuffocationem, aut lepram producentes, non ſunt cordi infauſti, quod proprium venenorum eſt. c.27.p.78
Humoribus eſſe ſingularem συμπάθειαν, ob quam à determinatis pharmacis ſeſe moueri patiuntur. c.49. p.162
Humorum purgationem attractione quidem fieri concedit Cardanus; hanc ipſam tamen non fieri à medicamentis purgantibus immediatè, ſed à ventriculo & inteſtinis. c.49.p.161
Humorum purgationis noxiorum vim à forma medicamentorum, non ab eorum temperamento proficiſci. c.48.p.156
Hydrargyri de venenata vi paſſim Auctores omni exceptione maiores conueniunt. c.34.p.99
Hydrargyri familiæ addunt Auctores hodiernum Cinnabarim, qui ex argento viuo, & ſulphure paratur. ibid.
Hydrargyri fumus ſi perceptus ſit, quænam æger haurire debeat. c.35.p.102
Hydrargyri ſymptomata igne ſubacti, ſiue ſublimati, aut præcipitati dicti, vel ſubſtantia, vel fumo præparati, ſæuiſſima & ipſa ſunt. c.34.p.99
Hydrargyro in corroſiuo præſtat puluis cryſtalli ad grana decem, bezoar in oleo tartari diluto. c.36.p.106
Hydrargyro metallico ferrum metallum non ignobile ſubnectitur, optimum, & peſſimum vitæ inſtrumentum. c.34.p.99
Hydrargyro ſublimato opponitur oleum amygdalarum dulcium. c.32.p.92
Hydrargyrum, apud Auſonium, toxico aduerſatur. c.25.p.74.& c.26.p.75
Hydrargyrum auget vim ſuam à ſubſtantiæ formæve proprietate, quæ præcipuè cerebro, & cordi aduerſantur. c.34.p.99
Hydrargyrum calidum eſſe determinat Fallopius. c.34. p.98.
Hydrargyrum corroſiuum dicit Galenus, & calidis venenis adſtipulari aſſerit. ibid.
Hydrargyrum crudum ſi in corpore ſubſiſtat, quænam ſymptomata excitet. c.34.p.99
Hydrargyrum diuerſam obtinere naturam, & crudum viuumque frigidum. c.34.p.98.
Hydrargyrum eſt metallicus liquor, natura frigidus & ſiccus, cordi & cerebro potiſſimum ſubſtantiæ proprietate inimicum. c.34.p.99
Hydrargyrum, & Aconitum nunquam prodeſſe Euſtachius Rudius exiſtimat. c.25.p.74
Hydrargyrum, ex Auſonij Epigrammate, vxor mœcha marito zelotypo exhibuit, vt eum citius neci traderet, cum à toxico antè tradito nimium mors tarda ſuccederet: at unum horum venenorum alteri alexipharmacum fuit, & vir euaſit. c.25.p.73
Hydrargyrum habere coniunctam ſiccitatem malignam peſtilentialem. c.34.p.98.in fine.
Hydrargyrum ignis elaboratione, aqueis partibus digeſtis, calidum euadere. c.34.p.98
Hydrargyrum ſanè modo venenum appellari. c.34.p.99
Hydrargyrum quidam præſidium eſſe uniuerſale exiſtimant. c.24.p.70
Hydrargyrum quòd cerebro, & neruis inimicū exiſtat, id à proprietate euenire quidam affirmant. c.34.p.98
Hydrargyrum quòd Galeno viſum ſit inter calida venena, id de non crudo pronunciandum. c.34.p.99
Hydrargyrum ſcabiem ſanat, & ulcera. c.34.p.98
Hydrargyrum Sennertus totum homogeneum ſtatuit, conflatum mixtione exquiſitiſſima. ibid.
Hydrargyrum ſi ſublimatum hauſtum fuerit, aut præcipitatum, quænam, præter vniuerſalia, commendentur ex herbis alexipharmacis. c.35.p.103
Hydrargyrum ſuâ maligna ſiccâque metallica vi cerebro neruiſque, ſtomacho, & inteſtinis, vitæque tandem noſtræ principijs inimicum eſt. c.34.p.99
Hydrargyrum, ſublimatum, aut præcipitatum quoſnam effectus pariat. ibid.
Hydrargyrum ſublimatum ſi dicatur corroſiuum eſſe, id ſanè acquiſiuiſſe beneficio ſalium acrium quæ eidem admi-

admiſceri ſolent. c.34.p.98
Hydrargyrum vim poſſidet euidentiſſimam penetrandi metalla omnia. ibid.
Hydrophobi latrant, vlulantque quaſi canes. c.66.p.147
Hydrophobi aquam, & potulenta omnia abominantur. c.66.p.145.
Hydrophobi vrinam propriam inſpectantes, quaſi viuas imagines catulorũ vident, & perterrentur. c.66.p.147
in Hydrophobia maiora grauioraque ſunt ſymptomata, quàm in Anginoſis. c.66.p.145
Hydrophobia peculiare eſt rabidi canis ſymptomata. c.66.p.147
Hydrophobiá præ foribus exiſtente, vel etiam prægreſſá, Celſus imperat tanquam remediorum vnicum, vt æger inopinatè in aquæ piſcinam immittatur. c.66.p.150
Hydrophobia vt præcaueatur in commorſis à cane rabido, quomodo Curatio inſtituenda. c.65.p.147. in fine, & 150.151.
Hydrophobiæ in principio commendatur ignis actuali parti appoſitus. c.66.p.150
Hydrophobiæ principium quomodo pateſiat. c.66.p.147
Hydrophobiæ virium non à gutturis inflammatione, ac ſubinde à ſpirituũ reſolutione prouenire. c.66.p.145
Hydropicorum in cura vtimur pilulis de Mezereo ad drach. j. c.103.p.264
Hyoſcyami folia ſanguinem ſiſtunt, & fluxiones acres oculorum, & Ophthalmias compeſcunt. c.26.p.77
Hyoſcyami ſemen ad tuſſim Dioſcorides commendat. c.37.p.107.
Hyoſcyami veneno hauſto qualia ſymptomata ſuperueniant. c.37.p.111
Hyoſcyami venenum quomodo arceatur. c.32.p.93.
Hyoſcyamo quæ remedia opponantur. c.37.p.112
Hyoſcyamum, & lolium capiti, mezereum iecori, aloem hemorrhoidibus infeſta eſſe. c.23.p.66
Hypercatharſi quomodo ſuccurrendum? c.53.p.174
Hypercatharſis quomodo agnoſcenda ſit? ibid.
Hyſſopi, Serpillique comam naribus intruſam, earum hæmorrhagiam accerſere. c.51.p.167
Hyucæ, de Americanæ partibus & venenum, & alimentum, variè paratur. c.5.p.24

I

IAſmini flores fructus non afferunt. cap.9.pag.30
Iaſpis viridi linea rubicunda albaque vallatus veneris aduerſatur. c.32.p.88
Iecur lupinũ in affectibus iecoris opem affert. c.24.p.70
Ignem omnia per omnia mouere aſſerit Hipp. c.3.p.13
Ignis à Plinio improba, & immenſa rerum naturæ portio appellata. ibid.
Ignis, caloriſque præſtantiæ conſideratio. c.3.p.11
Ignis elementaris etiam in pullis ex ouo depromendis ſufficiens, & validus eſt. c.4.p.17
Ignis quod exhalat in deſtructione mixti, non perit, ſed cedit, mutatque locum. c.22.p.63
Ignis ſimilia omnia congregat, heterogenea verò ſegregat, & reſoluit. c.24.p.70
Ilex coccum præbet, cui incluſus vermiculus chermeſinam tincturam donat. c.7.p.28
ab Imbre in Cyrene inſula ſyluam ſurrexiſſe nunquam antè viſam. c.13.p.37.& c.14.p.40
Imbres ſpiſſius cadentes non ſunt ex ſe formarum productuctores, ſed ſecum deferentes ſeminalia principia. c.13.p.39
Imbribus calor adiungitur cœleſtis ad ſpontè naſcentia. c.13. p.38
ab Imbribus exorta ſylua Cyrenaica ab aſſuſis potiùs terræ diſpoſitæ ſeminalibus naturis prodijt. c.14.p.40
Infantuli tenelli à faſcino ut præſeruentur, vel curentur, ſiue naturaliter, vel Dæmonum vi illato, quæ remedia præſtent. c.47.p.155. in fine.
Inſitio eſt ſurculi, vel particulæ externæ nodoſæ, è fœcunda planta deprompti, in vegetam alterius medullam inſertio. c.16.p.45
Inſitio fit vel inter ea, quæ ſunt eiuſdem aut generis, aut ſpeciei, vel diuerſi generis, ut ſi iuglandi vitis, quercui roſa &c. inſeratur. ibid.
Inſitio impropria qualis ſit? c.16.p.47
Inſitio per truncum facta quænam dicatur? c.16.p.46
in Inſitione Cæſaris Magati de rara vulnerum medicatione fundamentum depromptum. c.16.p.47
in Inſitione qualis modus ſeruandus? ibid.
in Inſitione quomodo ſurculus introducatur? c.16.p.46
in Inſitione vulnerum magnitudo, & figura. c.16.p.47
in Inſitione vulnus glutinat, cicatricem inducit, & nonnunquam deinceps otioſa reliqua conſumit. ibid.
ad Inſitionem quibus inſtrumentis utendum? ibid.
ad Inſitionem quod tempus optimum? ibid.
Inſitionis modus, & varietas. c.16.p.45
Inſitionis modus oſtenditur cum figura. c.16.p.46
Inſitionis opus ipſum peragitur vel ſurculo introducto, vel applicato cortice gemmato, vel intromiſſo ſolido trunco &c. ibid.
Inſitionis particulares modi ex Coſtæo rimandi. c.16. p.47
Inſtrumentum cuiuſcunque conditionis ſit, non poteſt ſub eminentiore forma ultra ſpeciei ſuæ virtutem agere. c.21.p.61
Iridem, ait Auctor, excitare ſomnum diſcuſſione melancholici vaporis, ſiue potiùs exhalationis, & euacuatione ſeroſitatum acrium, aut acidarum, ſed etiam corroboratione ſpirituum. c.119.p.298
Iridem, ait Dioſcorides, eſſe floribus in caule alternatim è regione collocatis, ſibi mutuò correſpondentibus, reflexis, verſicoloribus in uno eodemque flore. c.119.p.295
Iridem Caſaubonus dicit nomen deſumpſiſſe ἀπὸ τ ειρω, quod Nuncio ſignificat. ibid.
Iridem, Dioſcorides aſſerit radices gerere geniculatas, ſolidas, & odoratas. c.119.p.295. in fine.
Iridem ex odoratis plantis ſolam ex *Europa*, imò ex Italia deſumptam. c.119.p.295
Iridem folia nunquam amittere, integras tamen ſeruare vires radicem exiccatam per biennium communiter aſſeritur. c.119.p.297
Iridem Libycam tantum differre ab Illyrica, quam tam à viuo corpore cadauer exanimatum. c.119.p.296. in fine.
Iridem Nicãder ſelectiſſimam oriri ait iuxta fluenta Naronis, & Dirlonis. c.119.p.296
Iridem nõ unico nomine Priſcis expetitam. c.119.p.295
Iridem Paulus calefacere abundè aſſerit, ſed ſarcoticam eſſe. c.119.p.297
Iridem Pauſanias apud Cheronenſes lilio parem magnitudine facit. c.119.p.296
Iridem Piſidicam poſt primas commendabat Plinius, ad vnguenta tamen quod attinet. c.119.p.297
Iridem pituitam craſſam, & bilem remixtam mucoſes electiuè educere Meſue pronunciat. c.119.p.298
Iridem potius in apricis & deſertis locis naſci quàm in vliginoſis. c.119.p.296
Iridem Præuotius cum Dodonæo ſiccam in ſecundo gradu pronunciat, ſed calidam in tertio. c.119.p.297
Iridem Priſci Thaumantidis, idest, admirationis filiam aſſerebant. c.119.p.295
Iridem prouida natura ſatis copioſam vbique fere locorum ſuppeditat. c.118.p.295

Iridem venenis validè aduerſari. c.119.p.299
Iridea nuſquam, quàm in Illyrico ſuauiores. c.13 p.38
Iridi exiſtimatio augetur, quia catharticam facultatem obtinet. c.119.p.295
Iridi qua ratione nomen inditum fuerit? ibid.
Iridis doſis qualis ſit? c.119.p.298
Iridis ex floribus oleum fieri ad varia, ſed præſertim vtiliſſimum torminibus ſedandis. c.119.p.299
Iridis flores fructus non afferunt. c.9.p.30
Iridis Illyricæ radicem Plinius duorum facit generum: alteram rhaphanitem vocatam; alteram Rhizothomos appellatam. c.119.p.297
Iridis in ſucco recenter extracto coniungi cum calore non excedente humiditatem moderatam. ibid.
Iridis medicamento quemcunque innoxiè vti poſſe. c.118.p.295
Iridis planta ſanè venuſta, & cephalica, & cardiaca cenſetur, ac proinde à Dioſcor. & à Meſue ad capitis dolores inueteratos, & ad cordis affectus edomandos vtiliſſimè adhibetur. c.119.p.298. in fine.
Iridis planta varijs de cauſis Priſcis & nota, & ſummo in pretio habita. c.119.p.295
Iridis plantam, ſcribit Dioſcorides, ferre folia gladioli, maiora tamen, & latiora, & pinguiora. ibid.
Iridis radice in vino decocta, feliciſſimè in febribus vſus & Platerus. c.119.p.298
Iridis radicem quamnam Dioſcorides ad vſum medicũ commendet. c.119.p.297.
Iridis radices coctæ, & Dioſcoride, & impoſitæ ſtrumas compeſcunt. c.119.p.298
Iridis radices inueteratos ſcirrhos, & tumores vbicumque ſitos emolliunt, ſed articulorum præſertim diſſoluunt. ibid.
Iridis radix quo tempore opportuno colligenda veniat Meſue docet. c.119.p.297
Iridis ſuccum, quamuis correctum dolores atroces excitaſſe obſeruauit Fallopius. c.119.p.298
Iridis ſuccus an tutò exhiberi poſſit, Fallopius dubitat. ibid.
Iridis ſuccus expreſſus, vel puluis per nares attractus, capitis pituitam valenter educit, & ad obſtructiones viſcerum aperiendas maximè valet. ibid.
Iridis ſuccus inter hydragoga ſtatuitur. c.118.p.294. in fine.
Iridis temperamentum Meſue pronunciat calidum & ſiccum in tertio: in fine tertij Auicenna. c.119.p.297
Iridis varietas in vnico flore percipitur. c.119.p.295
Iris Aſthmaticis, & tuſſientibus proficua. c.119.p.298
Iris dentium dolores ſedat, & oſſis corrupti ſquamulas iam à natura ſegregatas, quàm citiſſimè decidere facit. ibid.
Iris etiam in Autumno extracta, cùm humore prægnans ſit, vires integras areſacta ſeruare poterit. c.119.p.297
Iris, ex Dioſcor. & Meſue, ſomnium inducere valet. c.119.p.298
Iris Gonorrhœæ ſiſtendis opportunè ſe gerit; carne replendis vulneribus & vlceribus, etiam ſinuoſis, vtiliſſima; oſſa perioſtio nudata carne obducit. ibid.
Iris Iſchiadicis, alijſque articulorum doloribus opitulatur, maculas cutis delet; menſes ducit; in peſſo ſubdita vteri dolores demulcet; ſed abortus tamen excitare valet. ibid.
Iris lybyca optimæ etiam conditionis cenſetur, ſeu Africana. c.119.p.296
Iris pectoris vitijs demendis opportunè occurrit, infarctam pituitam tenuem abſtergit, craſſamque, ex Dioſcor. attenuat. c.119.p.298
Iris a ſerum catharticè ſatis benignè ducit, pituitam detrahit, & etiam craſſam. c.119.p.297. in fine.
Iris validè abſtergit, concoquit, & reſoluit, obſtructaque reſerat. c.119.p.298
Iucca an venenatam naturam obtineat, in dubium vertitur. c.38.p.117
Iucca numquid calidi, an frigidi temperamẽti ſit, adhuc incertum eſt. ibid.
Iuccæ à radice ſuccus expreſſus ſi ad Sapæ conſiſtentiam coquatur, dulcorem talem acquirit, vt pro melle incolumi ſalute vſurpari poſſit. ibid.
Iuccæ a radice ſuccus expreſſus ſi ebullitionem ad dimidij conſumptionem patiatur, in innocuum acetum vertitur. ibid.
Iuccæ ex radice exucca indi panem conficiunt, qui ſanè admodum nutrit. ibid.
Iuccæ Indicæ ſuccum, & ſpinam eſſe venenatas. c.38. p.117. in fine.
Iuccæ noſtræ radix nunquid ſit eadem cum illa, quæ apud Rizophagas gentes naſcebatur, ſatis ingenioſè Aldinus ſcrutatur. c.38.p.117
Iuccæ radicis ſuccum expreſſum præſentiſſimum venenum eſſe. ibid.
Iuccæ ſymptomata, quæ Aldino ex folijs puncturâ ſuperuenere, potius caloris, quàm frigiditatis indicia ſunt. ibid.
Iuccæ venenata virulentia quibus Antidotis ſuperetur. c.39.p.123.
Iuccam Canadanam innocuam eſſe, Mexicanam verò venenatam alij aſſerunt. c.38.p.117
Iuccam Canadenſem venenum & alimentum, obſonium & condimentum præbere, plures Auctores tradidere. c.38.p.116. in fine, & 117.
Iuccam ex ſola conditione, & mutatione vim venenatam inſtar Perſeæ & inducere, & exuere aliqui ſuadere conantur. c.38.p.117
Iuccam Morandes in inſula Sancti Dominici tantummodò lethalem eſſe aſſerit. ibid.
Iuccam potiùs calidam eſſe confirmat dulcedo mellea, quam ex coctione extenſiori recipit. ibid.
Iuccas omnes, Gomara ſcribit, non ſolùm in Inſula Sancti Dominici, ſed in Cubæ inſula, & Hyacni proferri. ibid.
Iunci caule exeunt ſine folij. c.11.p.24
Iuncus ſine folijs. c.6.p.25.
Iuniperus fructum producit ſine flore. c.9.p.30
Ixia an ſit chamæleum nigrum Matthiolus in commento ſuſpicatur. c.38.p.114
Ixia Dioſcoridi peſſimum è calidis venenum. ibid.
Ixiæ radicem, ex Dioſcoride, & ſaporem, & odorem ocymi habere. c.120.p.299
Ixiæ veneno accidentia familiaria quænam ſint. c.38. p.118.
Ixiæ veneno contraria exiant Aſa fœtida, Ben albi ſemen, & rutæ ſylueſtris &c. c.32.p.91
Ixiæ venenum dum ſumitur, odorem & ſaporem ocymi repræſentat. c.38.p.118
Ixiam quæ remedia particulariter expugnent. c.39.p.121
Ixiam venenum eſſe, ex chamæleone nigro, eidem ſatis ſimili adeſt experimentum Bellonij. c.38.p.114

L

LAc coagulatum ad diſſoluendum cur coagulo utatur Dioſcorides, ſal verò ab eodem prohibeatur. cap.40.p.129.
Lac coagulatum in ventriculo veneni naturam induere. c.40.p.128
Lac concretum ab eius coaguli vi, exigua quantitate impoſita, non patitur notabilem tum humidi, tum ponderis ſui mutationem. ibid.

Lac

Lac etiam ſimplex noxiam, & ſtrangulationem inferre ſolere Matthiolus aſſerit. ibid.

Lac in ventriculo coagulatum qualia ſymptomata pariat. c.40.p.129

Lactis coagulati noxæ quibus remedijs compeſcendæ. c.40.p.132

Lactuca alimentum quidem præſtare valet, ſed medicamentoſum. c.129.p.313

Lactuca alvum lubricam reddere valet; quod Martialis teſtimonio comprobatur. ibid.

Lactuca debita quantitate exhibita, & ijs quibus natura conuenit, & ſtomacho utilia euadit. ibid.

Lactuca dicitur à lacte copioſo quo exuberat. c.129. p 312

Lactuca diuiditur à Dioſcoride in ſatiuam, & ſylueſtrē. c.129.p.311

Lactuca diuretica calida & ſicca temperamento ſtatuitur. c.129.p.312. in fine.

Lactuca dolorem capitis ex æſtu tollit, ſitim ſedat, ſomnia turbulenta arcet, & venereas titillationes validè compeſcit; nocturnas pollutiones prohibet. c.129.p.313

Lactuca frigida omnium conſenſu planta, amaraco calidō celerius in auras lumois prodit. c.17.p.49

Lactuca ſatiua alia criſpa dicitur, alia capitata, Romana alia vocata, alia braſſicæ folio appellatur, & ſic de alijs pluribus. c.129.p.311

Lactuca tenella alimentum præbere valet ſatis congruum quibus conuenit. c.129.p.313

Lactucæ beneficio Muſæ Medici prouidentiâ Auguſtū ab ægritudine ſeruatum fuiſſe. c.129.p.312

Lactucæ ſatiuæ Theophraſtus quatuor facit genera. c.129.p.311

Lactucæ ſatiuæ variæ ſpecies ab herbarijs traduntur. ibi.

Lactucæ ſatiuæ uſus nimis frequens oculorum claritati officit. c.129.p.313

Lactuca ſuccum exhibet Prævotius à drach. ij. ad drach. vj cum vino dulci abſynthite, aut cum oxymellite. ib.

Lactucæ ſuccus adultæ, & eò magis ſylueſtris, teſte Dioſcoride, Meconij ſucco aſſimilatur. ibid.

Lactucæ ſuccus illitus cum ſale, ex Plinio, ambuſtis prodeſt. c.129.p.314

Lactucæ ſuccus oculis appoſitus, eorum caliginem eximit, & cruſtoſis ulceribus erumpentibus opitulatur. c.129.p.313. in fine.

Lactucæ ſylueſtris ſucci doſis eſt Dioſcoridi pondere duorum obolorum cum poſca. c.129.p.313

Lactucam ab Ibyco Pythagorico eunuchum appellari, & à mulieribus Aſtytida, quia ciere lotium, Veneremque hebetare valeat. c.129.p.312. in fine.

Lactucam Apuleius opinatus eſt ità denominari, quia in cibis uſurpata lactis copiam in fœminarum mammillis generet. c.129 p.312

Lactucam Celſus inter alimenta boni ſucci reponit. c.129. p.313

Lactucam eſſe frigidam in primo, aut in principio ſecundi gradus, Auerroes dicit. ibid.

Lactucam frigidiſſimam eſſe Hippocrates habet; & Dioſcor. eamdem ſoporiferam eſſe, & Venerem auertere ſcribit. c.129.p.312

Lactucam frigiditatem poſſidere ſimilem fontanis aquis Galenus habet. ibid.

Lactucam homines ad Venerem ſegnes reddere. ibid.

Lactucam largiùs ſumptam non ſecus atque cicutam interimere Galenus aſſerit. ibid.

Lactucam menſes trahere habetur ex Dioſc. c.129.p.313

Lactucam mortuorum edulium Athenæus vocat. c.129. p.312

Lactucam priſcis ſeculis Hippocrati notiſſimam fuiſſe. c.129.p.311. in fine.

Lactucam ſatiuam ſomnum conciliare habet Dioſcorides: ſylueſtrem verò papaueris vires poſſidere ait. c.129.p.312

Lactucam ſeneſcentem diſtingui ab ea, quæ nondum coaluerit, ut hæc non ita frigida ſit, nec ſecundum excedat gradum frigiditatis, & humiditatis illa ut tertium compleat. c.129.p.313

Lactucam ſylueſtrem ab hydropicis deſiderari teſtis eſt Theophraſtus, cui aſſentitur Plinius. ibid.

Lactucam ſylueſtrem alvum ciere catharticè ſeroſitates ducendo. ibid.

Lactucam ſylueſtrem, habet Dioſcor. eſſe ſatiuæ ſimilē, ſed ampliore caule, & candidioribus, gracilioribuſque folijs, guſtu amaris & aſperioribus. c.129.p.312

Lactucam ſylueſtrem unicu genere contentam eſſe. c.179.p.311

Lactucam temperamento frigidam eſſe. c.129.p.312

Lactucam Theophraſtus habet aquoſo conſtare ſucco. ibid.

Lactucam Veneri contrariam quomodo Amphis Poeta verſiculis deſcribat. ibid.

Lactucis Adonem nimiùm indulgentem ab apro interemptum Nicander Colophonius ſcribit. ibid.

Lactucis è ſatiuis, ſcribit Athenæus, illam quæ lato caule dicitur, quandoque caulem ipſum ità amplificare, ut pro antis ad hortorum oſtiola ſufficere valeat. ibid.

Lapathi Dioſcorides omnibus generibus vim emolliendi alvum tribuit. c.71.p.219

Lapathi folia decocta olerum more ſumpta alvum ſubducendi vim habent. c.71.p.220

Lapathi folia ventrem exinaniunt ſubducendo. c.71. p.219.

Lapathi genera plura cognouit *Theophraſtus*, *Vrbanum*, & ſylueſtre. ibid.

Lapathi ſylueſtris, Oxalidis ſcil. & Oxylapathi ſemen ictibus ſcorpionum aduerſatur. c.71.p.220

Lapathorum ſuccus commendatur ad meliceridas abſtergendas, diſſoluendas cum croco, aut roſaceo. ibid.

Lapathorum vires cumulatim a Dioſcoride recenſentur. ibid.

Lapathum Galenus etiam Betam ſylueſtrem dici poſſe aſſerit, cum & guſtu, & viribus Betam ipſam æmuletur. c.71.p.219

Lapide Armeno contrito pictores vti Aetius aſſeuerat. c.114.p.282.

Lapide de fungifero dubitat Sennertus, an verè lapis ſit, an potius lignea materies. c.14 p.41

Lapidem Armenum ad ea omnia Dioſcorides commendat, ad quæ Chryſocollam. c.114.p.283

Lapidem Armenum alvum purgare, ſed ſtomacho non leuem noxam inferre Paulus aſſerit. c.114.p.282

Lapidem Armenum eumdem eſſe cum Recentiorum lapide. ibid.

Lapidem Armenium imbutum Chryſocollâ, & Cyaneo in ſua geneſi aſſerit Cæſalpinus ſe vidiſſe, licèt chryſocolla ipſa minus periculoſum medicamentum ſit. ib.

Lapidem Armenum in inueteratæ melancholiæ curatione Paulus Veratro albo præponit. ibid.

Lapidem Armenum, lotum Meſue cerebrum ab atra bile præſertim ſanare aſſerit; tum alijs capitis morbis, Epilepſiæ, Vertigini, Cephalalgiæ conducit. c.114. p.283.

Lapidem Armenum lotum ocularibus malem affectibus dicit Galenus. ibid.

Lapidem Armenum lotum vix primum attingere caliditatis gradum, eumq; parum excedere in ſiccitate. c.114 p.282.

Lapidem Armenum non tantùm in Armenia generari. ibid.

Lapi-

Lapides in Regno Neapolitano quo modo obuios fungos producant. c.14.p.41
Lapidi Armeno, & Chryſocollæ pares vires tribuuntur. c.114.p.282
Lapidibus Armeno, & lazuli qualia remedia adhibenda. c.36.p.106
Lapidis Armeni colorem ſequi conditionem lapidis eiusdem. c.114.p.282.
Lapidis Armeni loti vires diriguntur præcipuè ad humorem melancholicum, atrabilaremq; eliminandum. c.114.p.283.
Lapidis Armeni loti vires Meſue præfert conditionibus ellebori nigri. ibid.
Lapidis Armeni matrem Molochitem exiſtimant Gemmarij. c.114.p.282
Lapidis Armeni quæ ſint conditiones. c.114.p.283
Lapidis Armeni vim Veteribus incognitam fuiſſe. c.114 p.282.
Lapidis tam Armenij, quàm Cyanei medicamentum ſi illotum ſumatur, nimis noxium, ex Fallopio, euadit. ibid.
Lapidum lazuli, & Armeni qualia ſymptomata ſint. c.36 p.106.
Lapis Armenus etiam in varijs Germaniæ locis, ſed præſertim in Hungaria, & Tranſiluania reperitur. c.114.p.282.
Lapis Armenus illotus cuius ſit temperamenti. ibid.
Lapis Armenus lotus hilaritatem animo indit, iuuentamque diutiùs ſeruat. c.114.p.283
Lapis Armenus lotus Icterum ſanat, incuboque aduerſatur. ibid.
Lapis Armenus lotus quartanis febribus occurrit, Cancro, lepræ Elephantiaſi, & affectibus lienis. ibid.
Lapis Armenus lotus thoracem, & pulmones ab infarctu craſſorum, & viſcidorum humorum liberat, & abſtergit. ibid.
Lapis Armenus non lotus inſtar chryſocollæ vomitum ciet. c.114.p.282
Lapis Armenus tum illotus, tum lotus quomodo præparandus, & corrigendus, quaque doſi exhibendus. c.114.p.283
Larix arbor reſinoſa cur folia perdit, rubus verò, ſimileſque non reſinoſæ eadem retinent. c.20.p.57.58.
Laſerpitium in Africa ab affuſis potiùs terræ diſpoſitæ ſeminalibus naturis, quàm ab imbribus prodijt. c.14. p.40.
Laſerpitium in Africa poſt imbrem creauiſſe, plantam ijs locis nouam. c.13.p.37. & cap. 14.pag.40
Latace planta, à Perſarum Rege Legatis dari ſolita, vt quocunque veniſſent, rerum omnium copiâ abundarent. c.23.p.65
Lathyridem ait Dioſcorides caulem cubitalem a radice emittere digiti craſſitie, inanem, in cuius cacumine alæ viſuntur. c.131.p.318
Lathyridem annuam eſſe plantam. c.131.p.317
Lathyridem Dioſcorides adſcribit Tithymalis. c. 131. p. 318.
Lathyridem edere flores exiguos, colore pallidos; ſemen incluſum, in globulis minutis. ibid.
Lathyridem folia gerere oblonga, amygdalinis ſimilia, ſed leuia, & laxiora, quæ ab imo ad ſummum ipſum ambiunt. ibid.
Lathyridi plantæ, putat Salmaſius, Cicutæ nomen conuenire, imò & omnibus alijs plantis cauum caulem habentibus. c.131.p.317
Lathyridis folia ſurſum abrupta vomitum mouent. c.51 p.167. in fine.
Lathyris bilem non trahit. c.131.p.318.
Lathyris lacticinoſa planta eſt, & eaſdem ferè vires cum Tithymalis habet. ibid.
Laureola dentium dolori, & gingiuarum eroſioni in collutione vtiliter adhibetur. c.103.p.264.
Laureola fœmina floribus purpuraſcentibus, baccæ ſimiles ex nigro ruffeſcentes. c.103.p.263
Laureola fœmina folijs non ità craſſis, viridi pallore refertis, verſus ſummitatem ſurculorum prodeuntibus, deciduis. ibid.
Laureola mas floſculis oblongis, cauis, ſtellatis, albo virentibus, foliolis adnatis, è quibus baccæ virides, nucleum ſatis durum includentes. ibid.
Laureola mas frutex eſt, quæ è ſua radice multos ſurculos prodit lentos, craſſiuſculos, & craſſo ſatis cortice obductos. ibid.
Laureola mas folia profert circa ſurculorum faſtigia oblonga, lata, laurinis, licèt minora & molliora, ſimilia, carnoſa, lenia, perennia &c. ibid.
Laureola vermes necat; quartanis febribus ſuperandis aptiſſima. c.103.p.264
Laureola vlceribus cacoëthis emendandis, & cutaneis affectibus illita cum aceto. ibid.
Laureola vtraque medicamentum euadit cholagogum ſi cum cholagogis, & melanagogum ſi cum melanagogis miſceatur. ibid.
Laureolæ fœminæ vis acrior eſt, cui plenum quartum caloris gradum ſtatuunt cum inſigni ſiccitate, nec folia contuſa diuerſum habere temperamentum, quemadmodum & fructus. c.103.p.263
Laureolæ medicamentum quomodo corrigatur. ibid.
Laureolæ ſi dentibus folia atterantur, exaſperantur fauces. ibid.
Laureolæ vtrique maxima acrimonia ineſt. ibid.
Laureolam eſſe Mezereum, ſed Germanorum. c. 103. p. 263.
Laureolam marem non eſſe Mezereon Arabum, nec Dioſcoridis Daphnoidem. ibid.
Laureolam marem pituitam, & quidem à penitioribus partibus, necnon & ſerum trahere. ibid.
Laureolam marem tertium excedere gradum. ibid.
Lazuli de lapide proſtant in Pharmacopæis pilulæ, quæ in affectibus melancholicis ſummoperè commendantur, reſpiciuntq; oculares noxas. c.115.p.285.
Leniente ſumpto, quodcumque fuerit, non eſſe ſuperdormiendum Auicenna imperauit. c.60.p.199.
Lenticulam paluſtrem natura ſine radice producit. c. 6. p. 24. in fine.
Lentiſcus quamuis alibi proueniat, non tamen niſi in Chio probatam fert maſtichen. c.13.p.38.
Leporem marinum pulmoni infeſtum eſſe. c.40.p.126
Leporem marinum ſolo viſu fœminis abortum, nauſeamque, & alia ſymptomata etiam hominibus inducere. ibid.
Leporis marini ſymptomata ſatis ſæua qualia ſint. ibid.
Leporis marini veneni peculiaria Antidota quæ ſint. c.40.p.130
Leporis marini veneno affecti, piſces omnes auerſantur. c.66.p.146. in fine.
Leporis marini veneno infectos piſces omnes auerſari, præter fluuiatiles cancros, qui peculiariter huic veneno aduerſantur. c.40.p.130
Leporis marini venenum vtile quandoque euadit; nam hoc eodem ſtrumas ſuperari Plinius tradit. c.40. p.131
Lepræ curatio apud Ægyptios in blandis conſiſtit Cholagogis. c.76.p.226
Lepram a malignis, & veneficis humoribus gigni. c.27. p.78
Lepus marinus venenum euadit non ſolùm aſſumptum intra corpus, ſed etiam ſolo aſpectu. c.49.p.126

Lichen in denſo, atque opaco aere melius viuit. c.18. p.52. in fine.

Licondo arborem, Rerum Indicarum Scriptores memorant tam vaſto candice, vt ſex viri extenſis brachiis vix circumdare queant. c.19.p.55

Ligni foſſilis duplex in Belgio genus datur. c.12.p.35

in Ligno Oleæ ſicco, oleoſo tamen, pinguique ſucco prædito, vegetabilem vim conſeruari. c.17.p.51

Lingua ceruina ſine caule. c.6.p.25

Lithargyrij incommoda quibus ſuperentur. c 35.p.103

Lithargyrium cum duos ſortiatur colores, album unum, alterum fulvum, nomen Lithargyrij & aurei, & argentei ſortitur. p.34.p.101

Lithargyrium fit ex exuſti plumbi vena in argenti purificatione ſpuma. ibid.

Lithargyrium metallicis frigidis venenis, è plumbo eleitur, adſiſpulatur. ibid.

Lithargyrium ſi aſſumatur, quænam ſymptomata prodat. ibid.

Lixiuio in congelato è cineribus urticæ, & in maceratione cineris cancrorum, apparere traditur cancrorum figura. c.17.p.51

Loti arboris æuum ſupra fidem viuentis. c.4 p.15

Lotum terrâ defoſſam germinaſſe ſcribitur. c.17.p.50

Lunam obſcuratam æris crepitu ad ſua munia reuocari poſſe credidit ſimplicior ætas. c.47.p.152

Lupuli flores, ſemenque calorem ſiccitatemque obtinere omnibus ferè in confeſſo eſt; ſecus de tenellis folijs, & turionibus. c.69.p.214

Lupuli folia attenuant, deobſtruunt, & abſtergunt. c.69.p.215

Lupuli folia vitim viniferam magnitudine æmulantur. c.69.p.214

Lupuli obſtructionibus iecoris, & lienis tollendis utiliſſimi euadunt. c.69.p.215

Lupuli planta Arabibus optimè nota. c.69.p.214

Lupuli viticulæ longæ tenues aſperæque cucumeris ſylueſtris, aut brioniæ ritu inter vepres naſcentes dum ſeſe erigere tentant, circumpoſita circumuoluunt. ibid.

Lupo is tribuitur facultas purgatrix, & quidem cholagoga, deinde etiam melanagoga. c.69.p.214.in fine.

Lupulorum flores ictero, & febribus illi, quæ ab obſtructionibus pendent commendat Matthiol. & folia in decoctione ad venena, Gallicamque virulentiam. c.69.p.215

Lupulorum ſemen vermes necare, & ſcabiei, cutaneiſque cæteris affectibus non leuiter conducere. ibid.

Lupulum inter Latinos Auctores ſolus Plinius nouiſſe videtur, quem inter herbas ſponte naſcentes, alimentumque præbentes reponit. c.69.p 214

Lupulum Manardus & Dodonæus calidum & ſiccum in gradu ſecundo affirmant. ibid.

Lupulum quidam medicamentum hæmagogum appellauere. c 69.p.215

Lupulum, quoad actiones actiuas, Meſue ad frigidum potius vergere, imò frigidum gradum attingere tradit. c.69.p.214

Lupulum ſcandere frutices conuoluulorum inſtar. ibid.

Lupulus, ex Collao, in cereuiſiæ compoſitione iniectus ebrietatem, & inde ſomnum inducere valet. ibid.

Lupulus flores gerit multos ſubalbidos herbaceos, è quibus folliculi copioſè prodeunt ſquamatim compacti ſubluteo colore. Semen nigrum. ibid.

Lupulus nunquid Veteribus cognitus fuerit. ibid.

Lycanthropos, & Cynanthropos non eſſe imaginationis effectus a melancholia deriuatos, ſed horum etiam immutationes eſſe & mentis, & corporis reales. c.47. p.152

Lyſimachia herba ferarum agreſtium impetum, & ſæuitiam reſtanat. c.23.p.66

M

in Magia dæmones ſe perinde mortuos fingere Tertulianus ſcribit. c.47.p.153

Magiæ artem multò ante Plinij tempora Romanorum mentes occupaſſe. c.47.p.151

Magiæ Inuentorem Zoroaſtrem Bactrianorum Regem floruiſſe circa Nini Aſſyriorum Dynaſtæ, & Abrahami Patriarchæ tempora &c. c.47.p.153

Magiæ Scientiam totius erroris artificem, ſalutis pariter, animæque vaſtatricem Tertullianus vocat. c.47. p.152. in fine.

Magiæ vanitatem varijs in locis Plinius redarguit. c.47. p.151

Magiam comprobantia argumenta varia. c.47.p.153

Magiam, & Veneficia à ſeculo floruiſſe. c.47.p.150

Magiam Homeri quoque temporibus viguiſſe. c.47.p.152

Magiam Medicinam ipſam ſatis monſtruosè amplexam eſſe. c.47.p.151

Magiam vel Nero deſeruit. ibid.

Magiam vſum ſatis peruium obtinuiſſe ab antiquiſſimis ſeculis ſacræ paginæ luculenter ſatis teſtantur. ibid.

Magicis de ſtupendis actionibus nonnulli Virgilij Verſiculi. ibid.

Magnes cur ita dictus, & cur Herculeus lapis? c.82.p.235

Magnes etiam per interiecta corpora ferrum mouet. c.5.p.23

Magnes plerumque in ferri fodinis inueniri ſolet: imò in aliquibus Germaniæ locis ferrum ex Magnete funditur. c.82.p.236

